SPECULUM SUCCESSIONIS UNIVERSAE CIVILIS, CANONICAE ET FEUDALIS...

Johannes Wilhelmus Mertz a Quirnheim

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

25. R. 80.

MENTEM ALIT ET EXCOLIT

K.K. HOFBIBLIOTHEK
ÖSTERR. NATIONALBIBLIOTHEK

25.R.80

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

25.R.80.

Digitized by Google



Joh. Sadler sc.

Digitized by Google

SPECULUM SUCCESSIONIS UNIVERSÆ, CIVILIS, CANONICÆ ET FEUDALIS;

COPIOSA JURIS PUBLICI DOCTRINA, RECESSIBUS IMPERII ALIISQVE CONSTITUTIONIBUS PUBLICIS PASSIM ILLUSTRATUM.

Cujus Rubricæ & Argumenta poſt Præfationem ſubjecta ſunt.

AUTHORE

JOANNE WILHELMO MERTZ à QVIRNHEIM,

EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNTINI DOMINI

LOTHARII FRIDERICI,

GLORIOSÆ RECORDATIONIS QVONDAM CONSILIARIO AULICO.

NORIMBERGÆ,

Sumtibus Balthaſaris Joachimi Endteri, Bibliop. Norib.

A. C. M. DC. LXXX.

POTENTISSIMO

AC

INVICTISSIMO

ROMANORUM IMPERATORI

LEOPOLDO,

PERPETUO AUGUSTO, PIO, FELICI, TRIUMPHATORI, GERMANIÆ, HUNGARIÆ, BOHEMIÆ, DALMATIÆ, CROATIÆ, SCLAVONIÆ

REGI,

ARCHIDUCI AUSTRIÆ, BURGUNDIÆ, BRABANTIÆ, STYRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLÆ ET LUTZENBURGI, WURTENBERGÆ AC SILESIÆ

DUCI,

COMITI TIROLIS

&c. &c.

VITAM, FELICITATEM, TRIUMPHOS ET VICTORIARUM CURSUM PERPETUUM!

MAgnum eſt, AUGUSTISSIME IMPERATOR, quod exordior, memor ſententiæ Plinii Junioris Epiſtolâ 7. *Quàm ſit magnum dare aliquid in manus hominum.* Hocce præſertim doctiſſimo ſæculo, quo Jurisprudentiæ ſtudium ad ſummum perfectionis & gloriæ faſtigium perductum abundè videmus. Majus tamen, imò maximum incurrere videor reprehenſionis & temeritatis periculum, dum primum hunc & fortè immaturum Ingenii ſtudiiq; partum ſacratisſimis MAJESTATIS

TIS TUÆ Pedibus provolutus, quàm demiſſiſſimè offerre, nimiâ audaciâ præſumo. Culpam agnoſco, ſed IMPERIALI TUA fretus CLEMENTIA, liberius hùc me induci paſſus ſum, ex quo jam paucos ante annos ſummam illam CÆSAREAM BENIGNITATEM ego minimus ſubjectisſimusq; cum totâ Familiâ meâ in eo expertus, quod CÆSAREA TUA MAJESTAS Torque Aureâ & Effigie Suâ Glorioſisſimâ in ſignum gratiæ me licet indignum, non tantùm honorare clementiſſimè dignata ſit, ſed inſuper etiam ſervitio ſuo Cæſareo ſervum ſuum ut ut immeritum adhibere velle benigniſſimo nutu declaraverit. Hac inquam fretus clementiâ ad SACRAM CÆSAREAM MAJESTATEM TUAM majori cum fiduciâ accedo, atque hunc ſucceſſionum tractatum AUGUSTISSIMIS Tuis Manibus humillimè præſento, non ut novum quid IMPERATORIÆ TUÆ MAJESTATI exhiberem: Cum jam ſub ſcrinio Pectoris Tui omne Jus latere probè ſciam, & nihil ſit, quod non Authoritate Tuâ ſuffultum, conſiſtat; Verùm ut totum, quod ex benigniſſimo Tuo fonte hauſi, Tibi, O AUGUSTISSIME CÆSAR! ampliſſimæ ſcientiarum omnium Scaturigini gratâ mente redderem, & pro tàm AUGUSTO beneficio me devinctiſſimum æternùm agnoſcerem. In hoc itaq; ſucceſſionum ſpeculo imprimis SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATI TUÆ ſucceſſionem Auguſtam (quâ nos divinâ gratiâ gaviſos eſſe omnes lætamur) Perpetuam, Florentem & in omne ævum duratu-

duraturam Cunctorum ſubditorum Tuorum nomine calidis ſuſpiriis exopto, atque Sereniſſimæ Archiducali Familiæ Tuæ gloriam perennem & proſperitatem ex profundiſſimo cordis apprecor, ſimulque DEUM TER-OPTIMUM MAXIMUM ſupplex veneror, ut IMPERATORIAM TUAM MAJESTATEM unà cum Sereniſſimâ Domo Tuâ Archi-Ducali ad Pacem promovendam & conſervandam, Juſtitiam propagandam, Toti Romano Imperio, & terris Regnorum & Principatuum Tuorum quàm diutiſſime ſoſpitet, conſervet, ac ex voto vivere ſinat & glorioſiſſimè imperare.

SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS TUÆ

Subjectiſſimus devotisſimus

Dabam Viennæ Auſtriæ
1. Auguſti 1679.

Joannes VVilhelmus Mertz à Quirnheim.

BENEVOLO LECTORI SALUTEM!

Miraberis forſan, BENEVOLE LECTOR, temerarium hunc auſum meum, & ſcriptionis genus amplum nimis, profundiusque, quàm ut á me tale quid unquam exſpectari poſſe putares. Fateor; & immenſum aggredior laborem; immenſius tamen cavillationis periculum à longè propendere conjicio. Nec opus ut perſpiciliis aut tubo optico fluctuantis animi profunditatem eorum metiri exordiar, qui verbis captandis magis inhiare, & minimo quandoque, neſcio unde eruto ſcrupulo, tempus potius terere ſolent, quàm ut perpendendo ſingularum rerum momenta, & conſiderando indè reſultantem indubitatum fructum, commodum quærere, atque utilitati tàm publicæ quàm privatæ proſpicere, nec non ſucco potius, quàm cortici aut externis inſiſtere deberent. Certè hocce opus meum pro privatâ tantum notitiâ conſcribere, non autem in publicum edere animus fuit, tùm quia in ſubtili hac ſucceſſionum congerie tanto oneri vix parem me agnoſcere potui, tùm etiam quia diu multumq; in ſucceſſionibus inveſtigandis inter privatos parietes ad hunc ſaltem finem inſudavi, ut aliquandò occurrenti fortè de iis quæſtioni magis paratus viderer. Aſt propoſitum meum quorundam curioſa ſtudii hujus mei particularis inveſtigatio evertit, deviumq; planè flexit, potiſſimum autem cum veneranda ſuperioris acceſſerit authoritas, cui eâ, quâ par fuit, obſervantiâ promptius obedire, & ſpeculum hocce Succeſſionis Civilis, Canonicæ & Feudalas tibi proponere debui, in quo omnimodam ſucceſſionum frequentem & maximè neceſſariam doctrinam Juri privato & publico conformem, Unico, ut ita dicam, ictu Oculi perſpicere poteris, quàm aliàs apud Authores diſperſam, & hinc & indè breviter expoſitam, magnâ temporis jacturâ quærere cogeris.

Succeſſioni Feudali Auguſtiſſimam Regalium materiam adjungere placuit, non ſolum quod Invictiſſimus Imperator Fridericus Barbaroſſa ipſe in tit. 56. 2. Feud. quamplurima & Majeſtatis & Fiſci Jura enumeraverit, atque Feudis quaſi propria effecerit; Verum etiam quod iisdem ferè modis & concedantur & ad poſteros transferantur amittanturvè. Ut verò Tractatum redderem illuſtriorem, non illas tantum, quæ d. tit. 56. recenſentur, ſed & plures, potiſſimum majorum Regalium, Principisque Majeſtatem, nec non S. R. I. Principum Electorum & Statuum prærogativas ſpectantium ſpecies, Legibus Fundamentalibus, Receſſibus Imperii aliisq; conſtitutionibus publicis accommodatas, propiùs & accuratiùs in capite ſeparato ſectionibus diſtincto examinandas duxi, ut faciliorem & jucundiorem ſucceſſionibus & acquiſitionibus Regalium viam ſternerem, quæ fortè abſque ſpeciali hâc enumeratione aliquantò durior quibusdam videri potuiſſet. Quamvis inficias ire haud poſſim, quin plurima tàm in hac illuſtriſſimi Juris Publici deductione, quàm etiam in reliquâ ſucceſſionum inveſtigatione deſint, quæ altiori indagine dignisſima fuisſent; Attamen cum Literato orbi notum ſit, illas ipſas infinitis caſibus ſubjici, profundisſimumque eſſe fontem, qui exhauriri nequeat, & quò plus profundum ejus quis ſcrutari vellet; eò major ſe ſe aperire videatur abyſſus ſui

ipſius neſcia; Ideò in ſubſtantialibus ſubſiſtere, & immenſos earum modos pro tenuitate Ingenii ita cumulare volui, ut plures tractatuum rivulos in hoc opus tanquam in mare ſe ſe exonerantes ſuccinctè exhiberem, & ſi Diis placuerit, etiam poſt completum hocce opus Succeſſionem Illuſtrem ſpeciali methodo offerre poſſim; præcipue verò, quando primas haſce Lucubrationes meas gratas tibi fuiſſe, mihi animadvertere continget. Sic Laboris exantlati & ſumptuum nunquam pœnitebit, & majores etiam ad majora ſtimulos addet.

Quem Laborum noſtrum, ut tu FAVENTISSIME LECTOR, benignè ſuſcipias, me ſicubi errantem pro tuâ humanitate corrigas, atque contra iniquos calumniantium morſus defendas ſummoperè rogo. Benè vale, & Conatibus noſtris deinceps quoque favere perge.

Ad Dominum Authorem Speculi Succeſſionum.

S*Ucceſſionis* Univerſæ Syllogen
Adornat ingens inclutæ ſtirpis ſuæ
Noſtrumq; quondam grande MERTZIUS decus!
Quos ingeni ſublimis atque ſtrenui
Fructus Laboris ſi DEO ſi CÆSARI,
Bonoque perget conſecrare publico,
Implebit orbem Nominis famâ ſui,
Magniq; *Patris* major hæres audiet.

Veteris in Univerſitate Argentoratenſi bonis artibus quæſitæ,
eoq; duratura amicitiæ memor
Officioſiſſimâ manu
poſuit

Gothofredus Stöſſerus, J. U. D. Ex Profeſſore Conſiliarius Argentoratenſis, & p. t. ad Aulam Cæſaream Legatus.

ALumne MERTZI Themidis Auguſtiſſimæ,
Cæſareâ ab Urbe quæ dat orbi oracula:
Succeſſiones ventilas docto Libro
Succedere ipſe Laudibus dignus virûm,
Queis nobilis materia tractata eſt diu.
Legiſſe debet & vidiſſe plurima
Qui ſcribere audet. Neutra pars deſit tibi:
Academias, Itinera junxiſti foro,

Lin-

Linguasq; & Aulas. Spira te primum imbuit
Ad Juris Uſum: prima tibi munus dedit,
Quo juvenis animus ad majora ſpem capit.
Moguntia hanc implere mox dignè parat,
Aliquem tuis largita conſiliis locum.
Hanovra deſn benigna non tenuit diu
Gratè receptum, mox receſſurum hoſpitem.
Majora præſens præmia oſtendit locus,
Ubi CÆSAR ipſe ſe Virtutis innuit
Memorem futurum. Mactè nunc tanto arbitro!
Quem Spira cœpit auſpicata circulum,
Vienna claudat, utraq; centro CÆSARE.

G. G. L. L.

QVIRNHEMI Excellens! magno Prognate QVIRINO!
Dum ſuccedendi celeberrima Jura propalas,
Fac ſuccedendi celeberrima Jura propages
In Succeſſorum natos reliquosq; QVIRITES.

NASCI. MORI.
CEDERE. SUCCEDERE.
PERPETUUS. IN. HIS. TERRIS. ORDO.
UTI. VERO.
CASUS. ET. MODI. INNUMERI.
ITA. IMMENSI. EST. LABORIS.
HOS. TRADERE. VELLE. SCRIPTO.
ERGO.
NOBILISSIME. MERTZI!
QVI.
IN. SPECULO. TANTUM.
EOSDEM. OSTENDERE. SATAGIS.
TOTO. ANIMO. APPROBO. ET. LAUDO.
NEC. DUBITES.
DEUM.
LABOREM. HUNC. TUUM.
OMNI. SUCCESSU. FELICI. BEATURUM.
QVEM. PROPTEREA. SUPPLEX. VENEROR. ET. ORO.
JOHANNES REBHAN. D. COM. P. CÆS.
PRÆPOS. AD. D. THOMÆ. ARGENT. UNIVERS.
IBID. ET COLLEG. JURID. SENIOR.
RROF. ORDINAR.

Dum

DUm Succedendi Speculum *Doctiſſime* MERTZI!
Nominis & magni Decus immortale Parentis,
Impiger Auſtriacâ degens emittis in Aulâ;
Cum reliquis fas eſt tibi raro applaudere verſu,
Nec non de hoc ſcripto gratari pectoris imo.
Perge ita Nobilibus mundo inclareſcere Speclîs,
Tùm tua Laus ſemper, nomenq; & fama manebunt,
Et nos egregios poſitos in Jure labores,
Ingeniiq; tui dotes ſpectabimus indè.

Paucula hæc ſtrenuo Domino Johanni Wilhelmo Mertz à Quirnheim Speculum Succeſſionis Univerſæ Civilis Canonicæ & Feudalis edenti amicâ manu Viennam mittebat

Georg Wúlbrandt Pfeill/
Eccleſiæ Collegiatæ quæ eſt Mindæ Præpoſitus.

Superſtes Parens gravi febri Laborans ad filium.

QUàm mihi complaceant iſthæc Conamina, Nate,
Hoc dulcis genitor credere quisq; poteſt.
Conſtanter pergas noſtrum vulgare per orbem
Nomen, quod multi dilacerare volunt.
Nam ſcis quos hoſtes produxerit undiq; tellus,
Aſt nimis infelix unus & alter abit
Mutatâ Imperii facie, cumq; ordine rerum:
Sic conſulta olim hic exitus acta probat.

Ita in paterni affectus teſtimonium perpetuum poſuit

Quirinus Mertz à Quirnheim, Dominus in Schierholtz, S. R. J. Eques, Eminentiſſimi Electoris Moguntini Domini LOTHARII FRIDERICI, Epiſcopi Wormatienſis & Spirenſis, feliciſſimæ Recordationis, Conſiliarius quondam Intimus & ejusdem Cancellarius &c.

INDEX

INDEX OMNIUM TITULORUM.

Qui
Toto hoc Succeſſionum opere, in Tres Partes, quatuordecim Capita, & centum & decem Sectiones Diviſo, continentur.

PARS PRIMA.

DE VARIIS ACCEPTIONIBUS, DEFINITIONE, DIVISIONE ET ORIGINE SUCCESSIONUM.

CAPUT PRIMUM.

De Succeſſionibus ex Ultimis Voluntatibus.

SECTIO.

1. De Succeſſione ex Teſtamento.
2. De Origine Teſtamentorum, & cuinam Juri adſcribenda?
3. De Diviſione Teſtamentorum.
4. De antiquis Teſtamentorum formulis.
5. De recentioribus Teſtamentorum generibus.
6. De Hæredis inſtitutione.
7. De Neceſſariâ exhæredatione Liberorum.
8. De Quartâ ſive Legitimâ portione ejusq; origine.
9. De Honorabili Titulo Inſtitutionis.
10. De Imputatione Legitimæ.
11. De Inſtitutione Liberorum naturalium ſivè Illegitimorum.
12. De Inſtitutione vel exhæredatione Parentum & eis debitâ Legitimâ.
13. De Succeſſ: ex Jure accreſcendi.
14. De Prælatione inter conjunctos.
15: De Succeſſione ex causâ Subſtitutionis.
16. De Succeſſione Fideicommiſſariâ.
17. De Succeſſione ex Fideicommiſſo Familiæ.
18. De Primario effectu Fideicommiſſi Familiæ.
19. De Præſtatione in hujusmodi Fideicommiſſario requiſitâ.
20. De Succeſſione ex Causâ Legatorum.
21. De Reliquis Teſtamentorum requiſitis.

CAPUT SECUNDUM.

De Succeſſionibus ex Ultimis Volu ntatibus minus ſolennibus.

SECTIO.

1. De Codicillis.
2. De Succeſſione ex donatione mortis causâ proveniente.
3. De Succeſſ. ex Teſtamento Principi oblato & apud acta condito.
4. De Succeſſ. ex Teſtamento tempore peſtis facto, & Ruſticano.
5. De Succeſſione Filiorum ex Teſtamento patris minus ſolenni.
6. De Succeſſione futurâ ex pacto inductâ.
7. De Succeſſione Liberorum ex pacto Unionis prolium.

CAPUT TERTIUM.

De Succeſſione ex pactis Familiarum Illuſtrium ſeu Confraternitatum.

SECTIO.

1. De Ganerbiatu:
2. De Succeſſione ex Jure Primogenituræ.
3. De Jure Appanagii.

CAPUT QVARTUM.

De Succeſſionibus Clericalibus.

SECTIO.

1. De Succeſſione ex teſtamento Canonico.
2. De Succeſſione ex Ultimis Voluntatibus minus ſolennibus ad pias cauſas obtingente.
3. De Favore, Qualitate & Diverſitate Clericorum, nec non modo ſuccedendi iisdem proprio.

SUCCESSIONUM CIVILIUM.

PARS SECUNDA.

CAPUT PRIMUM.

De Succeſſionibus ab inteſtato.

CAPUT SECUNDUM.

De Succeſſione Deſcendentium.

SECTIO.

1. Qui dicantur Deſcendentes & quousq; ?
2. De Succeſſione Legitimorum & naturalium ſimul.

QVÆSTIO.

1. Quomodo Liberi primi gradus Parentibus ſuccedant?
2. Quomodo Liberi primi gradus cum Liberis ſecundi gradus ſuccedant?
3. Quomodo deſcendentes ulterioris gradus ad hæreditatem avitam vocentur?

SECTIO.

3. De ordine ſuccedendi in Legitimis tantùm obſervando?
4. De Succeſſione Naturalium, ſpuriorum & ex damnato coitu natorum.
5. De Succeſſione Legitimatorum.
6. De Succeſſione Liberorum putativorum.
7. De Succeſſione Liberorum incapacium & indignorum.
8. De Succeſſione Liberorum monſtroſorum.
9. De Succeſſione Poſthumorum & partus Sextimeſtris, Septimeſtris, Octimeſtris, item Nonimeſtris, Decimeſtris & Undecimeſtris.

CAPUT TERTIUM.

De Succeſſione Aſcendentium.

SECTIO.

1. Quinam appellatione Parentum veniant, quare & quousq; ad ſucceſſionem Liberorum admittantur?
2. De Succeſſione Parentum Legitimorum & naturalium ſimul.
3. De Concurſu Aſcendentium cum Collateralibus.
4. Quomodo Succeſſio in hoc concurſu ratione bonorum inſtituatur?
5. De Succeſſione Parentum ſecundò nubentium in bonis filiorum.
6. De Succeſſione Parentum Legitimorum tantùm ſive adoptivorum.
7. De Succeſſ. Parentũ Illegitimorum.

CAPUT QVARTUM.

De Succeſſione Collateralium.

SECTIO.

1. Quinam appellatione Collateralium veniant?

2. Quo-

2. Quousque cognatio extendatur ad effectum ſucceſſionis?
3. De Succeſſione Collateralibus proximioribus debitâ.
4. De Succeſſione Fratrum utrimque conjunctorum eorumque Filiorum, & Unilaterorum.
5. De Succeſſ. Fratrum Unilaterorum.
6. De Reliquorum Agnatorum & Cognatorum Succeſſione.
7. De Succeſſione Fratrum Legitimorum tantùm.
8. De Succeſſione Fratrum Illegitimorum.

CAPUT QVINTUM.

De Succeſſione Conjugum.

SECTIO.

1. Quando & quomodo Conjuges ſibi invicem ſuccedant?
2. De Succeſſione Conjugum proveniente ex pactis dotalibus.
3. De Succeſſione Conjugum ex ſtatuto vel conſuetudine.
4. De Succeſſione Conjugum ex Jure Communi.
5. De Succeſſione Sponſi in bonis defuncti Sponſi.
6. De Conjugibus Succeſſione mutuâ indignis.

CAPUT SEXTUM.

De Succeſſione Fiſci.

SECTIO.

1. De Succeſſione Fiſci ut hæredis inſtituti.
2. De Succeſſione Fiſci in bonis indignorum.
3. De Succeſſione Fiſci ex cauſis delictorum.
4. De Cauſis Fiſci Cæſarei.
5. De Emolumento Fiſci ex contractibus.
6. De Oneribus Fiſcalibus.
7. De Succeſſione Fiſci in Metallis & Theſauris.

CAPUT SEPTIMUM.

De Aditione & Transmiſſione Succeſſionum Civilium.

SECTIO.

1. De Aditione.
2. De Transmiſſione hæreditatis.
3. De Succeſſione ex beneficio inventarii.

PARS TERTIA.

DE SUCCESSIONIBUS FEUDALIBUS.

CAPUT PRIMUM.

De Feudis.

SECTIO.

1. De Origine, Etymo, naturâ & definitione Feudorum.
2. De Multiplici diviſione variiſque acceptionibus eorum.
3. De Perſonis Feuda dantibus & recipientibus.
4. De Rebus quæ in Feudum dantur.
5. De Feudorum Conſtitutione.
6. De Modis Feudum acquirendi.
7. De Modis acquirendi Feudum per ſucceſſionem.
8. De Sexus & Agnationis conſideratione in ſucceſſione Feudali.

9. An

9. An Fœmina ſemel excluſa perpetuò cenſeatur excluſa.
10. De Renovatione Inveſtituræ & Laudemiis.
11. De Subinfeudatione & refutatione.
12. De Cauſis Feudum amittendi.
13. De Judiciis Feudalibus & actionibus eorũ nomine competentibus.

CAPUT SECUNDUM.

De Succeſſione Regalium.

SECTIO.

1. De Hiſtoriâ, Etymo & Definitione Regalium.
2. De Diviſione Regalium.
3. De Præcipuo Regali abſolutæ Poteſtatis, ſivè, ut ajunt, Plenitudinis Poteſtatis.
4. De Regali Jure Poteſtatis legum univerſalium ferendarum.
5. De Juribus belli indicendi, Pacem reducendi & fœdera, muniendi Civitates, erigendi fortalitia, delectum militum habendi, & arma iis imponendi.
6. De Poteſtate concedendi repeſſalias.
7. De Regali Jure creandi Reges, Electores, Archiduces, Duces, Principes, Marchiones, Landgravios, Burggravios, Comites & Barones.
8. De Regali Jure inveſtituram faciendi de Feudis Regalibus, & eorum Judice compétente.
9. De Regali Jure ArchiEpiſcopos & Epiſcopos creandi iisque Regalia conferendi.
10. De Jure Nobilitandi & conferendi inſigna Nobilitatis.
11. De Jure creandi Comites Palatinos, Doctores, Licentiatos, Magiſtros, Poëtas Laureatos & Baccalaureos, item Tabelliones ſeu Notarios.
12. De Jure conſtituendi Magiſtratus.
13. De Jure erigendi Academias.
14. De Jure Comitiorum.
15. De Jure Commerciorum.
16. De Poteſtate Legitimandi Liberos Naturales, Veniam ætatis tribuendi, & de Jure abſolvendi à Juramento ad effectum agendi.
17. De Jure Cognoſcendi de Crimine læſæ Majeſtatis, & dandi veniam Criminis, damnatosq; vitæ reſtituendi.
18. De Regali Jure cudendi monetam.
19. De Jure Vectigalia nova erigendi & augendi vetera.
20. De Jure extremæ provocationis, & primariarum precum.
21. De Jure Curſores publicos inſtituendi.
22. De Regalibus minoribus & quæ hoc nomine veniant?
23. Per quos & quomodo Regalia acquirantur & quâ ratione in iis ſuccedatur?
24. De Cauſis Regalia amittendi.

CAPUT TERTIUM.

De Renunciationibus Succeſſionum.



A nna-

JOANNIS WILHELMI MERTZ
à QVIRNHEIM

SPECULUM
SUCCESSIONIS CIVILIS CANONICÆ ET FEUDALIS.

METHODI RATIO.

QUâ ratione utiliſsimam Succeſsionum materiam commodius inſtituere poſſemus, diu multumq́; cogitavimus: Diuturnâ tandem deliberatione concludere, & totum hunc tractatum in tres Partes dividere placuit; ita ut

Prima *ſucceſsionem Teſtamentariam Generalem & ſpecialem ex causâ Inſtitutionis, Subſtitutionis, Juris accreſcendi, Legatorum, Fideicommiſsi Univerſalis, & ſpecialis Familiarum (vulgo* Stammgüther) *Voluntatumq; minus ſolennium normam: Nec non pacta futuræ ſucceſsionis, Familiarum ſeu Confraternita-*

nitatum (*vulgo* Erbverbruderungen) *atque Primogenituræ: Item Succeſsionem Canonicam & Clericalem ex Jurisprudentiæ quà publicæ, quà privatæ principiis, diſtinctis Capitibus & Sectionibus comprehendat.*

Altera *verò Pars intricatam Liberorum, Parentum, Conſanguineorum, Conjugum & Fiſci ab inteſtato ſucceſsionem ſecundum præſcriptum in famoſiſsimâ Novellâ centeſimâ decimâ octavâ ſuccedendi modum Statutis quorundam locorum conformiter declarabit, Hæreditatumque transmiſsiones deducet.*

Tertia *deniq; Feudalis ſucceſsionis tenorem ejusq; Juris naturam exponet, atq; Feuda Regalia, nec non ſucceſsionum renunciationes his ita adjunget, ut non tantum Juris Tyronibus utiles, ſed & aliis ulterius progreſsis maximo commodo eſſe queant.*

Illuſtres *ſucceſsiones alius excipiet tractatus, quem aliquando, ſi per tempus licuerit, publicæ quoq; luci Divinis auſpiciis donabimus.*

SUC-

SUCCESSIONUM CIVILIUM PARS PRIMA.

De VARIIS ACCEPTIONIBUS, DEFINITIONE, DIVISIONE, ET ORIGINE SUCCESSIONUM.

SUMMARIA.

1. *Variæ acceptiones Vocabuli ſucceſſionis.*
2. *Succeſſio vel refertur ad perſonas vel ad res.*
3. *Quid per ſucceſſionem ad res ſpectantem intelligatur?*
4. *Datur etiam ſucceſſio rei in alterius locum.*
5. *Quid per eam in Jure denotetur?*
6. *Definitio ſucceſſionum.*
7. *Rejicitur Definitio Vasquii qui hæreditatem & ſucceſſionem confundit.*
8. *Differentia utriusq;.*
9. *Diviſio ſucceſſionis in Civilem & Prætoriam.*
10. *In Canonicam ſive Clericalem.*
11. *In mero Jure hæreditariam & non mero Jure hæreditariam, & omnino non hæreditariam.*
12. *In Conventionalem.*
13. *In obligatoriam, nec non etiam violentam.*
14. *Origo ſucceſſionum eſt à jure gentium.*
15. *Communio primæva.*
16. *Argumentatio à diviſione rerum ad ſucceſſionem.*
17. *Forma & ſolennitas ſucceſſionum eſt à Jure Civili.*
18. *Duo occupabilia Imperium & Dominium.*

QUàm variæ vocabuli ſucceſſionis ſint explicationes, & inde reſultantes ſenſus multiplices; 1
patet ex iis, quæ in communi loquendi modo aliquando obveniunt: ſæpius enim in proſperitate rerum & eventus, vocabulo illo utimur, dum omnia ex ſententiâ ſuccedere diſcimus ex Cicerone ad Q. Fratrem: *ſi ex ſententiâ ſucceſſerit, benè erit opera poſita.* Quandoq; etiam eventum minus proſperum denotat: *de Orat. libr. 1. ſi quando minus ſuccedet, magnum tamen periculum non adibit.*

2 Nonnunquam etiam ſucceſsio refertur vel ad Perſonas, vel ad res ipſas: Et quidem ad perſonas: quando ſcilicet una alii ſurrogatur, & ratione officii aliâque de causâ ſubſtituitur, aut etiam remotior in locum proximioris, quemadmodum in ſucceſsionibus hæreditatum & bonorum poſſeſsionis fieri ſolet, ſubintrat: Cujus ſucceſsionis exemplum inter alia notandum illud, quod *in l. 13. pr. ff. de injuſt. rup. & irrit. fact. teſt.* proponitur: *Sed ſi filius me vivo moriatur, aut qualibet aliâ ratione exeat de poteſtate meâ: incipit nepos neptisve in ejus loco ſuccedere, & eo modo jura ſuorum hæredum quaſi agnatione nanciſcuntur.*

3 Succeſsio ad res ſpectans eſt, dum quis ratione perſonæ in re ſuccedit, prout de pignore loquitur Paulus JCtus, *in l. 3. quæ res pign. vel hypoth. oblig. non poſſ. Etiamſi ita contractum ſit, ut antecedens dimitteretur, non aliter in jus pignoris ſuccedet, niſi convenerit ut ſibi eadem res eſſet obligata.*

4 Huc accommodari poteſt & illud, quod dicitur, rem in alterius rei locum venire. Sic Cicero: *Nihil ſemper floret, ætas ſuccedit ætati, item dolor voluptati ſuccedit.* Ex Plutarcho: *Bello pax ſuccedit.*

5 Uſitatius tamen & magis appoſitè ad noſtram intentionem ſucceſsio in jure noſtro ſumitur pro acquiſitione juris Univerſi, quod defunctus habuit, vel rei alicujus particularis.

6 Quæ modò allata ſucceſsionum magis propria ſpecies definitur, quod ſit *Jus Acquirendæ hæreditatis vel bonorum poſſeſsionis Jure Civili & Prætorio introductum.* Quam tamen alii ad definitionem hæreditatis revocant, ut *Vaſq. in Præfat. de ſucceſſ. creat. n. 9.* Ubi dicit, nihil aliud eſſe hæreditatem, quàm ſucceſsionem in univerſum jus, quod de-
7 functus habuit. *l. 24. ff. de verb. Sign. l. 62. ff. de Reg. Jur.* ſed minus convenienter hæc duo ita ſe habent, imò confunduntur: Cum maxima ſit differentia inter ſucceſsionem & hæreditatem: hæc enim complectitur omne jus, omnem-

mnemque ſubſtantiam defuncti. Illa verò reſpicit jus ſuc- 8
cedendi, quod inductum eſt vel Jure Civili, vel Jure Prætorio, ſive honorario. Quanquam inficias ire non poſſim ſucceſſionem quandoque pro ipsâ hæreditate *l. 46. ff. de Jur. Fiſc. l. 19. pr. ff. de inoff. teſtam.* quandoque pro ipſo jure Succedendi ſumi. Propriè tamen & frequentius pro jure ſuccedendi vel acquiſitione hæreditatis ſumitur.

Dividitur porrò ſucceſſio primò in Civilem de Jure 9
novo & veteri, aut Prætoriam, quæ Prætorem habet authorem: Utraque autem in teſtamentariam, quâ vocantur ii, quibus juſto, ſolenni & legitimè facto teſtamento bona defuncti debentur: Et Legitimam, quæ eſt vel naturalis directa, quâ liberi & cæteri deſcendentes imò, etiam aſcendentes immediatè ad hæreditatem admittuntur. Et Vicaria: quæ per ſtirpes fit, quam JCti repræſentationem vocare amant. Vel Collateralis: quæ iterum aut eſt linealis agnatica diſponens circa ſucceſſionem agnatorum. Aut Cognatica, quæ circa ordinem cognatorum verſatur præſcribendo modum legibus inductum. Secundò dividitur 10
ſucceſſio in Canonicam ſive Clericalem: quæ diſpoſitiones Canonicas, & modum ſuccedendi Clericis proprium conſiderat. Tertiò in mero jure hæreditariam patrimo- 11
nialem: qualis eſt in Hiſpaniâ & Angliâ: Vel non mero jure hæreditariam, ut in Galliâ, quod colligitur ex verbis *Caroli Loyſseau du droit des offices Liure 2. n. 34. p. 262. La Couronne n'eſt pas purement hæreditaire, ni par teſtement, ni meſme ab inteſtat, ainſi eſt deferée par la loye du Royaume au premier Prince du ſang. Regnum non eſt purè hæreditarium, neque defertur per teſtamentum, neque ab inteſtato, ſed per legem Regni primo Principi ſanguinis Regii.* Vel omninò non hæreditariam, ſed ab Electione dependentem. Quartò datur etiam 12
ſucceſſio conventionalis: quâ illuſtres præſertim familiæ pactis inter ſe erectis, quomodo tàm quoad conſervationē propriam per introductionem Primogenituræ, quàm et-

iam quoad acquiſitionem territorii alieni ſuccedendi jure
13 gaudere debeant, conveniunt. Hiſce adjungi poteſt quintò ſucceſſio obligatoria, obligationem ducens ex feudo, virtute cujus acquirens certis legibus Domino directo obligatur, ad hoc ut emolumentum percipiat & ſuis hæredibus, ſub certâ tamen lege, proſpiciat. Datur denique & alia ſpecies ſucceſſionis, violenta ſcilicet, quæ vel ex juſto vel injuſto bello, aut alio illicito modo ad quem pervenit. De quibus ſingulis ſuus erit dicendi locus.

Jam verò ſi perſpectâ latiore ſignificatione, & examinatâ definitione atque diviſione ſucceſſionum, materiam earundem altius repetere, in ortum & primam originem, cauſamque efficientem proximam indagatione derivativâ
14 & originariâ ſedulò inquirere velimus, ad jus gentium recurrere neceſſarium videbitur, idque potiſſimum argumento deſumpto à jure diviſionis rerum, à quo ceu à fonte
15 deducitur Jus ſucceſſionis: Communione namque ceſſante (*Erant enim ante,* dicit *Juſtinus, omnia communia & individua omnibus veluti unum cunctis patrimonium eſſet*) quilibet ſibi acquirere, & proprio uſui deſtinare cogitavit: Et hinc rerum diviſio, quam ſubſecuta eſt ſucceſſio vel acquiſitio illius juris, quod hic vel ille proximus vel etiam extraneus ſibi aſſeruit ante, orta eſt. Prout non obſcurè ſubtilis ille *Hugo Grotius lib. 2. de jur bell. & pac. cap. 2. & 3.* annuere videtur hiſce verbis: *Originaria acquiſitio, olim cum genus humanum coire poſſet, fieri etiam potuit per diviſionem, nunc per occupationem tantum.* Quæ à jure naturali & gentium originem trahunt. *l. 5. ff. de juſt. & jur. §. Inſula.*
16 *Inſt. de rer. diviſ.* Bona igitur eſt concluſio: ſi præſuppoſitum, v. gr. diviſio, diſtinctio, vel occupatio rerum ſit originaria & derivativa à jure gentium: Præſupponens id eſt ſucceſſio ſive transmiſſio iſtius juris mediatè ſaltem juri gentium aſcribenda erit, vel etiam juri naturali, quod jure ſanguinis liberis & parentibus tribuit ſucceſſionem: cum

magis

magis naturale nil reputari poſſit. Et benè diſtinguit *Hugo Grotius d. l.* inter tempora olim diviſioni, nunc autem occupationi tantùm propria, quæ poſt primam illam ætatem ſolus & originarius modus eſt. Poſterioribus verò temporibus, cum certis limitibus, certis ſolennitatibus, certisque regulis & publicis legibus, res â jure naturali & gentium origine ſuâ alioquin dependentes, circumſcribere,
Imperatorum Placitis, Prudentumqve Reſponſis confirma- 17
re placuiſſet, à formâ & ſolennitate illâ externâ juris Civilis eſſe & nomen inde ſortiri cœpêre. Poſitâ nunc tali diviſione rerum, ſive etiam modernâ illâ originariâ occupatione, ut vult *Hugo Grotius*, duo reſultant occupabilia, Imperium
& Dominium quatenus ab imperio diſtinguitur, quæ duo 18
ita expresſit *Seneca orat. 31. Ad Reges poteſtas omnium pertinet, ad ſingulos proprietas.* Quomodo autem dominium tàm ad privatos, quàm alios titulo ſucceſſionis pervenire poſſit, in ſequentibus apparebit. Subſiſtamus itaq; pro nunc in primo diviſionis membro: quod nempè ſucceſſio civilis vel ſit teſtamentaria, de quâ in hâc parte primâ cum conventionali ſermo erit: vel legitima, quam parte ſecunda uberius exponere lubet. Sit ergò

CAPUT I.

De SUCCESSIONIBUS EX ULTIMIS VOLUNTATIBUS.

SECTIO I.

De Succeſſione ex Teſtamento.

SUMMARIA.

1. *Quadruplex ultimæ voluntatis ſpecies.*
2. *Epiſtola Venerabilis in deſvetudinem abiit.*
3. *Teſtandi facultas hominibus gratioſè conceſſa.*
4. *Teſtator diſponit in id tempus, quo non eſt futurus Dominus.*
5. *Teſtamentum morte confirmatur.*
6. *Effectus teſtamenti confertur in tempus inhabile.*
7. *Hæreditas ſuſtinet vicẽ defuncti.*

8. Tam-

8. *Tamdiu ſucceſſioni ab inteſtato non eſt locus, quamdiu Cauſa teſtati adeſt.*
9. *Teſtamentum eſt teſtatio mentis.*
10. *Definitio teſtamenti.*

1 QUadruplicem Ultimæ Voluntatis eſſe ſpeciem paſſim conſtat: ſcilicet Teſtamentum, Codicillum, Dona-
2 tionem mortis cauſâ & Epiſtolam venerabilem, quæ poſterior ſpecies in uſu amplius non eſt, ſed in deſuetudinem abiit: quanquam reliquas ultimarum voluntatum ſpecies, de quibus *hac part. 1. cap. 2.* hiſce non inconvenienter annumeraveris. De Teſtamento utpote potiori initium ſumemus.

3 Ante omnia verò notandum teſtandi facultatem ſecundùm *Panormit. ſup. Rub. x. de teſtam.* hominibus gratiosè
4 eſſe conceſſam: Quia teſtator diſponit in id tempus quo non eſt futurus dominus, teſtamentum enim morte con-
5 firmatur, ſed poſt mortem quis deſinit eſſe dominus: unde licet diſpoſitio facta fuerit tempore habili, quo eſt domi-
6 nus, effectus tamen confertur in tempus inhabile, quod de jure non liceret. Nihilominus tamen, quoniam hæreditas
7 in teſtamento relicta vicem defuncti ſuſtinet, fictione quâdam valet, approbatur, & requiſita præſcribuntur, ita ut
8 tamdiu cauſa inteſtati nullum ſortiatur effectum, quamdiu cauſa teſtati in ſuo vigore conſiſtit. Quæ cauſa teſtati,
9 ſive ipſum teſtamentum (ita dictum quod ſit teſtatio mentis per *pr. Inſt. de teſtam. ordin.*) *Eſt Voluntatis noſtræ juſta*
10 *ſententia de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri velit.* Et teſtari nihil eſt aliud, quàm animum ſuum declarare, quem ſibi quis hæredem cupiat.

SECTIO II.

De Origine Teſtamentorum & cuinam Juri ſit aſcribenda?

SUMMARIA.

1. *Diverſæ Opiniones cui Juri origo Teſtamenti aſcribenda.*
2. *Aliqui illam Juri naturali tribuunt.*

3. Na-

3. Naturale eſt ſua bona pro arbitratu poſſe relinquere.
4. Jure Naturæ teſtamentum admodum rude fuit.
5. Bartolus aſcribit Juri gentium & dat rationem.
6. Ejusmodi teſtamentum fiebat coram duobus teſtibus.
7. A quo Jure habeat eſſe ſimul & formam?
8. Teſtamentum eſt Juris Civilis, & inde cœpit eſſe alia ſpecies.
9. Argumentatio vere Philoſophica Vaconii à Vacunâ hac de re.
10. Aliqui numerum teſtium, alii hæredis inſtitutionem, alii voluntatem teſtatoris, alii deniq; ſubſcriptiones pro formâ teſtamenti poſuêre.
11. Sententia Vaconii à Vacunâ, teſtamentum eſſe Compoſitum ex materiâ & formâ.
12. Valet Argumentatio â toto ad partes conſtructivè, deſtructivè verò non.
13. Numerus teſtium eſt de eſſentiâ & ſubſtantia teſtamenti.
14. Partes teſtamenti militaris ſunt duo teſtes & inſtitutio.
15. Aliud eſt teſtamentum paganum, aliud militare.
16. Diſcurſus Vaconii à Vacunâ ſuas quoq; patitur Limitationes.
17. Jure Civili ſolennitates præſcribuntur.
18. Teſtamentum eſt genus habens tres ſpecies.
19. Triplici Juri aſcribitur teſtamentum.
20. Quod poteſt eſſe ſub diverſo reſpectu.
21. Matrimonium quadruplicis Juris eſt.
22. Subſtitutio â Jure gentium eſt & Civili.
23. Contractus quoad originem ſunt Juris gentium, quoad formam Juris Civilis.
24. Idem de actionibus ex contractibus venientibus.
25. Triplicis Juris eſt Patria Poteſtas.
26. Idem dicendum eſt de acceptilatione, ſervitute, defenſione, tutelâ, dote.

UNde Teſtamentum ſive teſtamenti factio originem traxerit, & à quo jure formam, & conſequenter eſſe habeat? non adeò expeditum: Eo quod diverſorum diverſa ſint hac in re judicia. Alii namque ad jus naturale, alii ad 1
jus gentium, alii ad jus Civile, alii denique ad omnia tria recurrunt, quærentes originem & formam teſtamenti, ut dent eſſe & denominationem. *Hugo Grotius lib. 2. de jur.* 2
bell. & pac. c. 6. §. fin. Juri naturali hunc effectum tribuit dicens: *Quanquam teſtamentum, ut actus alii, formam certam ac-*

cipere poſſit à jure Civili, ipſa tamen ejus ſubſtantia cognata eſt
3 *dominio & eo dato juris naturalis.* Et hoc vel inde colligit: ſi enim qvis habeat bona, conveniens eſt & naturale, ut ea poſſit ſuo arbitratu cui velit vel pro benè meritis relinquere. *Bald. in l. ex hoc jure. ff. de juſt. & jur.* Erat itaqve ſimplex diſpoſitio eo tempore, qvod colligitur ex Sacris Litteris dum Eſaias ad Ezechiam Regem dixit: *diſpone domui*
4 *tuæ, quia morieris & non vives.* Hinc negari non poteſt Jure Naturæ teſtamentum, licet rude admodum, fuiſſe per rationem à Grotio allegatam, & à dominio deſumptam, qvod Juris naturalis fuiſſe conſtat, & per conſeqvens etiam teſtamenti factio.

5 *Bartolus in l. interdum. ff. de condict. indeb.* Teſtamenti originem à jure gentium commendat: quoniam eo jure
6 aliquid formæ & conſequenter eſſe acceſſit, ejusmodi autem forma erat coram duobus teſtibus hæredis inſtitutionem declarare, quæ caput eſt teſtamenti *§. ante hæredis*
7 *inſtitutionem. Inſt. de leg.* Si igitur à jure gentium habuit formam, ergo & eſſe.

8 Poſtea verò cum Jure Civili alia inducta eſſet forma. *Inſt. de teſtam. ordinand.* & conſequenter aliud eſſe, cœperitqve alia eſſe ſpecies: Ea ſpecies à Jure Civili dicta eſt ex ratione: qvod, qvando aliqvid à jure Civili gentium additur, fiat noxa ſpecies (ut inqvit *Bart. in tract. de Alveo.*) & à Jure Civili dicatur *l. Jus Civile 6. ff. de juſt. & jur.*

9 Vaconius â Vacunâ Philoſophicâ argumentatione, hanc formam & denominationem circa teſtamentum elicere conatur. *lib. 4. jur. Civil. declarat. p. 150. n. 7.* Cujus formalia hîc apponere operæ pretium futurum ſpero in his verbis. *Non eſſe ignorandum id eſſe formam cujusque rei, quo remoto res ipſa propè interit: Anima enim eſt forma hominis, quâ remotâ homo omninò interit. L. Julianus. §. ſi quis. ff. ad*
10 *exhibend. Quamobrem multi dicunt, hæredis inſtitutionem, numerum teſtium eſſe formam teſtamenti, propterea quod ſi unus*

ex

ex ſeptem teſtibus deſit, teſtamentum jure deficiat. Sunt qui dicant hæredis inſtitutionem eſſe formam teſtamenti. Nonnulli ajunt voluntatem teſtatoris eſſe ipſam formam: cum teſtamentum ſit juſta ſententia noſtræ voluntatis. l. 1. ff. de teſtam. Alii ſubſcriptiones teſtium vel ſigna teſtamenti formam eſſe volunt: Tu verò dicas nullum horum per ſe eſſe formam teſtamenti, ſed alia prorſus eſt forma. Et ut facilè intelligatur: ſcito teſtamentum eſſe totum quoddam integratum, ſupradicta omnia eſſe partes, ex 11
quibus ipſum integratur: Totum autem integrale in re compoſitâ eſt veluti forma: Unit enim & continet ſuas partes, & cujuscunque rei compoſitæ non naturalis forma eſt ipſa compoſitio & ordo, ipſaque partium unio. Ariſt. 2. Phyſic. Item forma uniuscujusque compoſiti ex ſuis partibus conſtat l. eum qui. ff. de uſucap. partes autem ſunt uti materia: Ex illis enim componitur ipſum totum, ipſæ autem partes uniuntur & continentur ſub forma totius. Totum igitur ineſt ſuis partibus ut forma, partes verò ſubſunt toti ut materia, quamobrem totum non differt re ipsâ à ſuis partibus ſimul acceptis, differt tamen ratione: quia alia eſt definitio totius, alia definitio partium. Diſtinguitur enim totum à qualibet parte ſeparatim acceptâ, differt enim Titius à manu ejus: eo quod Titius non ſolum includat manum, ſed alias partes quæ re ipsâ diſtinguuntur. Ita teſtamentum eſt quoddam totum integrum, inſtitutio verò & teſtes, numerus teſtium, ſubſcriptiones ſignaque ſunt partes, ex quibus ipſum totum perficitur. Nam unio harum partium uno contextu facta, quid aliud eſt quàm ipſum totum? quæ eſt veluti forma. Nulla igitur pars per ſe eſt veluti forma, ſed illa unio ſeu partium conjunctio verè eſt forma, quæ facit ut ſit teſtamentum, hoc eſt ipſum totum: niſi enim eæ partes ſimul ſtarent, teſtamentum non ſubſiſteret, & ſi una deeſſet, teſtamentum utique deficeret. Quemadmodum enim ſi non eſſet paries, non eſſet domus, ita ſi non eſſet numerus teſtium, non eſſet teſtamentum: Item ſi non eſſet hæredis inſtitutio, non eſſet teſtamentum, & ſic de cæteris partibus. Et quemadmodum ſi eſt domus, eſt paries, ſolum & tectum: ita ſi

 eſt

eſt teſtamentum, eſt numerus teſtium, hæredis inſtitutio, ſigna, 12 aliæq; partes: valet enim argumentatio à toto ad partes conſtructivè, deſtructivè verò minimè: Non enim ſequitur non eſt domus, ergò non eſt paries, potuit enim corruere tectum, ſtante pariete, & ita non erit domus, erit tamen paries. Itidem non ſequitur, non eſt teſtamentum, ergò non erit hæredis inſtitutio, poterunt enim deficere teſtes, ſeu numerus teſtium, vel fortaſſe non erunt rogati, & ita non erit teſtamentum, & tamen poteſt eſſe hæredis inſtitutio, tanquam una pars teſtamenti, ſicut ſcriptum eſt de pariete. Sed ipſa hæredis inſtitutio ſola non eſt teſtamentum. Si igitur quæratur an numerus teſtium ſit forma? Reſpondeo minimè. Rurſus ſi quæratur an ſit de forma? rurſus reſpondeo minimè: Partes enim totius ſunt loco materiæ ut diximus. At ſi quæratur utrum numerus teſtium ſit de eſſentia ſive 13 ſubſtantia teſtamenti? Reſpondeo eſſentiam ſeu ſubſtantiam cujusque rei compoſitæ conſiſtere ex materiâ & formâ, quamobrem numerus teſtium, qui eſt pars totius, hoc eſt teſtamenti, cum ſit veluti materia, meritò dicitur de ſubſtantia & eſſentia teſtamenti, non autem dicitur forma, neque de forma teſtamenti. Dictum eſt ſupra, numerum teſtium eſſe partem integralem teſtamenti, ſi ita eſſet, ubi numerus ſeptem teſtium deeſſet, ibi non eſſet teſtamentum, quemadmodum ubi non eſt paries, ibi non eſt domus, & tamen reperitur teſtamentum militare, ubi non eſt numerus ſeptem teſtium, eſt tamen verè teſtamentum l. milites. Cod. de teſtam. Dicas, numerum ſeptem teſtium non eſſe partem integralem cujusque teſtamenti, ſed ſolùm teſtamenti à pagano 14 confecti. Partes verò teſtamenti militaris ſunt duo teſtes & inſtitutio hæredis, & ex his componitur totum integrale, quod eſt ipſum militis teſtamentum & ſola harum partium unio ſeu conjunctio, conſtituit ipſum totum integrale, eo modo quo ſupra di-15 ctum eſt de teſtamento pagani, quare patet aliud eſſe teſtamentum pagani, aliud militis, & partes unius non ſunt partes alterius.

16 Quanquam hic philoſophicus diſcurſus aliqualiter explicet teſtamentum tanquam compoſitum ex materiâ & formâ,

forma, partes integrales ex quibus conſtituatur, formamqve aſſignet: nihilominus tamen eſſet quod contradici poſſet ipſius ratiocinationi. Qvidqvid ſit, ad eſſentiam 17
teſtamenti eqvidem recurrit, qvam in hæredis inſtitutione, numero teſtium & aliis requiſitis ponit, & per neceſſariam conſeqventiam Juri Civili aſcribit, qvo eſſentiales illæ partes & maximè ſubſtantiales foventur, atqve ſolennitates præſcribuntur. Erit igitur ex modò relatis teſtamentum uti genus, cujus tres ſunt ſpecies, una à jure na- 18
turali, de qvâ ſupra diximus, altera ex jure gentium, qvæ fit coram duobus teſtibus non rogatis. Cujusmodi etiam hodie à patre inter liberos fieri poteſt, ut tenent DD. Tertia deniqve à jure Civili, quæ fit coram ſeptem teſtibus ſpecialiter ad id rogatis. Qvas ego optimo, ut ſpero, fundamento cumulaverim, & neutri in particulari aſcripſe- 19
rim. Nec implicat aliquid eſſe & trahere originem à diverſis, ut noſtro caſu, aliqvid eſſe juris naturalis, gentium & 20
Civilis ſimul, idq; ſub diverſo reſpectu. *Vid. Vacon. à Vac. l. 5. ad declarat. ſtipul.* Ita enim matrimonium quadruplici *jure introductum* eſt.. Primò à jure naturali, quoad ipſam *conjunctionem* maris & fœminæ. Secundò à jure Divino qvoad inſtitutionem qva Deus in Paradyſo inſtituit matrimonium, unde & auctor, cuſtos & præſul matrimonii di- 21
citur *in c. nemo. 4. cauſ. 32. quæſt. 4.* Tertiò à jure gentium quoad conſenſum, quo matrimonium contrahitur. Quartò à jure Civili & Canonico quoad ſolennitatem, formam & prohibitionem qvarundem nuptiarum, quæ nova ſuperaddita forma à jure Civili & Canonico eſt, & conſeqventer alia matrimonii ſpecies, *Schneid. ad Tit. Inſt. de J. N. G. & C. n. 6.* ubi qvinq; inſuper jura in matrimoniorum cauſis dirimendis proponit. Eodem modo ſubſtitutio 22
à juris regulis deſcendit, ex qvibus prima inſtitutio orta eſt, & conſeqventer juris Civilis, qvanqvam ratione originis ſit juris gentium *Hanedoes. ad Exercit. Imp. pag. 273.* Hæc

23 applicari qvoqve poſſunt contractibus, qvi qvoad originem (paucis exceptis) ſunt juris gentium *l. 5. ff. de juſt. &*
24 *jure.* qvoad formam juris civilis *l. 2. §. 6. ff. de O. J.* & per conſeqvens actiones iisdem juribus ſubjicere neceſſe eſt: cujus enim juris ſunt contractus, ejus & ſunt actiones ex
25 eo provenientes, nihil obſtante qvod paſſim vocentur Civiles & Prætoriæ. Simile exemplum nobis præbet patria poteſtas, qvæ aſcribitur primò juri naturali, qvà liberi parentibus obedire coguntur, *l. 2. ff. de juſt. & jur.* Secundò juri gentium, qvo non Romanis tantùm propria, ſed illis cum omnibus gentibus eſt communis. Tertiò juri Civili,
26 qvo Jure etiam perimitur *§. 6. Inſt. de patr. poteſt.* idem dicendum de acceptilatione, ſervitute, defenſione, tutelâ, dote, decimâ, & legitimâ. De qvà ſuus dicendi locus infra, qvando in originem legitimæ inqvirere methodi ratio poſtulabit.

SECTIO III.

De Diviſione Teſtamentorum.

SUMMARIA.

1 *Teſtamentorum antiquorum tria ſunt genera.*
2 *Recentiorum ſpecies.*
3 *Teſtamenta privilegiata.*
4 *Methodus ulterioris tractationis.*

1 TEſtamentorum ſpecies plures eſſe paſſim obvium eſt: qvæ vel reſpiciunt antiqvitatem, vel modernum ſtatum. Si antiqvitatem: Reperiuntur tria teſtamenta. Primum qvod calatis Comitiis. Secundum qvod in procin-
2 ctu. Tertium qvod per æs & libram fiebat. Si modernum ſtatum conſideremus, aliud erit publicum, aliud privatum, hoc vel ſolenne & paganum, qvod itidem aut nuncu-
3 pativum, aut in ſcriptis: vel minus ſolenne, & erit Codicillus, vel aliud privilegiatum teſtamentum, ut militare, inter liberos, tempore peſtis conditum, ad pias cauſas &c.

De

De qvibus diſſerendi occaſio erit. Ab antiqvitate initium 4
ſumemus, de recentioribus teſtamentorum ſpeciebus tractaturi in ſeqventibus.

SECTIO IV.

De antiquis Teſtamentorum Formulis.

SUMMARIA.

1 *Tria Teſtamentorum genera & quæ ſint Comitia calata?*
2 *Diſtinctio Concilii à Comitio.*
3 *Solennitates obſervatæ in Comitiis ratione teſtamenti.*
4 *In concione ſcribebatur.*
5 *Comitia alia curiata & centuriata, curiata unde?*
6 *Alterum teſtamentum in procinctu quid ſit?*
7 *In teſtamento militari duo teſtes requiruntur.*
8 *Veteris militaris diſciplinæ ritus.*
9 *Milites ante 17. & poſt 66. annum non ſumebant arma.*
10 *Plebiſcitum Semp. Gracchi prohibens ſuſcipi minores 17. annis.*
11 *Milites non erant, niſi juraſſent, cincti, & in numeros relati eſſent.*
12 *Non licebat ſine juramento præſtito pugnare.*
13 *Ejusmodi exemplum in filio Catonis.*
14 *Quid jurabant milites?*
15 *Juramentum præſtari ſolitum à militibus Juliano Imperat.*
16 *Cingi milites neceſſariò debebant.*
17 *Quodnam fuerit cingulum & quid importabat?*
18 *Detracto cingulo exauctorabãtur.*
19 *Quinam cingebantur?*
20 *Vigl. & Connani ſententia hac in quæſtione.*
21 *Rectius dicitur tàm pedites quàm equites fuiſſe cinctos.*
22 *In numeros milites referri neceſſe eſt.*
23 *Aliàs non gaudebant privilegio militum ſicuti diſcincti.*
24 *Ignominia diſcincti.*
25 *Quid ſit relatio in numeros?*
26 *Numeri ſunt certi totius exercitus partes.*
27 *Milites tenentur ſignis inhærere.*
28 *Stigmata militibus infigebantur, ut latitantes agnoſci poterant.*
29 *Favor teſtamenti militaris & in procinctu conditi.*
30 *In conflictu ipſo conditum, valet etiam absque teſtibus.*
31 *In caſtris verò duo teſtes requiruntur.*
32 *Conſtitutio Maximiliani id confirmans.*
33 *Poteſt diſcedere miles partim teſtatus partim inteſtatus.*
34 *Legum ſubtilitas in eo non attenditur.*

35 *Suffi-*

35 Sufficit nuda voluntas teſtatoris.
36 Conjectura legis & interpretatio in teſtamento militis locum non habent.
37 Neque Falcidia neque Trebellianica, neque ut inofficioſum accuſatur.
38 Eadem privilegia militibus hodiernis competunt quoque.
39 Clerici Caſtrenſes, die Feldprediger / *ſub his comprehenduntur, item Conſiliarii bellici & Medici.*
40 Idem eſt in militibus honorabilibus, ſecus in milite togato.
41 Hæc privilegia ad bellum juſtum reſtringenda ſunt.
42 Tertium veterum teſtam. genus per æs & libram.
43 Quinque teſtes & libripens requirebantur.
44 Verba ſolennia hujus imaginariæ venditionis.

TRia olim reperiebantur teſtamentorum genera *pr. Inſt.*
1 *de teſt. ord.* Unum qvod calatis Comitiis fiebat, id eſt,
convocato toto populo ad diſtinctionem Concilii, nam ſi
2 Magiſtratus non univerſum populum, ſed partem aliqvam
adeſſe jubebat, congregatio illa, non Comitium, ſed Con-
3 cilium dicebatur. Coram univerſo populo itaq; in his Co-
mitiis teſtamentum tempore pacis bis in anno fiebat, hoc
modo: Præco univerſam circumibat civitatem populum
4 convocans: ac tùm qvi teſtamentum condere volebat, in
concione populi, ipſo teſte populo, illud ſcribebat: Ex qvo
dicta ſunt calata ſive convocata Comitia, qvæ pro Colle-
gio Pontificum qvoqve aut Regis Sacrorum, aut Flaminum
Inaugurandorum gratiâ habebantur. *Agell. lib. 15. cap. 27.*
5 Comitiorum inſuper alia erant curiata, alia centuriata.
Romulus enim populum Romanum in triginta partes di-
viſit, qvas curias à Curâ appellavit, propterea qvod Reipu-
blicæ curam per earum ſententias expediebant. *l. 2. ff. de
Orig. jur. Roſin. Antiq. Rom. lib. 6. c. 1. inf.*

6 Alterum teſtamenti antiqvi genus in procinctu fie-
bat, id eſt cum ad prælium faciendum in aciem milites vo-
carentur, & in hoc procinctu ipſo absqve ullâ ſolennitate
7 teſtari poterant, dum tamen duo teſtes de ejus voluntate
8 teſtimonium dicerẽt. Notandus hîc venit militaris ordinis
apud

apud veteres Ritus imò, in eo qvod milites ante ſeptimum 9
& decimum, ac poſt ſexageſimum ſextum ætatis annum,
non niſi ſummâ neceſſitate cogente, ad arma vocari ſoliti
fuerant, qvare cum mos increbuiſſet, ut minores etiam
annis ſeptendecim aliqvando ſcriberentur, à Sempronio 10
Graccho Tribuno plebis ſancitum fuit, ne qvis ante deci-
mum ſeptimum annum ad militiam cogeretur, *teſte Plu-
tarcho.*

Scribit etiam *Barnabas Briſſonius*, eos qvi militiæ no-
men dederint, non prius militum numero habitos, qvam 11
juramento adacti, cincti, & in numeros relati eſſent. Qvan-
tam autem vim habuerit militare Sacramentum, & ut ſine
Sacramento pugnare cum hoſte more majorum haud li- 12
cuerit, oſtendit *Cicero de Officiis.* Ubi adducit exem-
plum *filii Catonis*, qvi in exercitu P. Æmilii Tyro militabat.
Cum enim *P. Æmilio* videretur unam dimittere Legionem,
& *Catonis* quoque filium, qvi in Legione militabat, dimitte-
ret, ille autem amore pugnandi in exercitu manſiſſet, *Cato
ad P. Æmilium* ſcripſit, ut ſi eum pateretur in exercitu re-
manere, ſecundo obligaret militiæ Sacramento. Hujus- 13
modi autem milites jurant, ſe omnia ſtrenuè qvæ præce- 14
perit Imperator facturos neqve deſerturos militiam pro
Republ. Rom. Sic *Juliani Imperat.* milites *juſſi univerſi in* 15
*ejus nomen jurare ſolenniter, gladiis cervicibus ſuis admotis ſub
execrationibus diris verbis jurare conceptis, omnes pro eo caſus
quoad vitam profuderint, ſi id neceſſitas exegerit perlaturos.
Ammian. Marcell. lib. 21.*

Cingi autem poſteaqvam probati & jurati eſſent, qvi 16
inter milites recipiebantur, conſveviſſe *ex l. 25. l. 38. §. 1.
l. 43. ff. de teſt. mil.* colligi poteſt, qvod cingulum militare,
fuit zona militaris, ut patet *ex Dione in Trajano* his ver- 17
bis: *quum Suræ traderet Tribunatum militiæ, parazonium, quo
pro militiæ dignitate accingendus erat, nudum porrexit: ac ta-
lem inquit enſem accipe, quem pro me ita ſtrixeris, ſi juſtè impe-*

ravero, quod ſi perperam per me fieri cognoveris, eo in perniciem meam utaris velim. Ad illam zonam & cingulum porrò accingi ſolebat enſis in ſignum ordinis militaris, qvo detracto milites exauctorati dicebantur *l. 2. §. ignominiæ. 2.*
18 *ff. de his qui not. infam.* Quinam autem, an Magiſtratus militares vel equites vel pedites ſolum, an omnes cingeban-
19 tur? Variant authores *Vigl. in Rub. Inſt. de teſt. milit. n. 18.* ſcribit Tribunos cæterosqve Magiſtratus accingi fuiſſe ſolitos.

20 *Connanus lib. 9. Comment. jur. Civ. cap. 5. n. 8.* vult ſolos eqvites cinctos fuiſſe allegans *l. penult. ff. de mil. teſt.* qvæ loquitur de milite eqvite cingendo.

21 Alii verò rectius contendunt, non tantum Magiſtratus militares, ſed exteros quoque milites cingi antiquitus ſolitos fuiſſe, nullâ factâ diſtinctione inter pedites & equites, propter generalitatem textuum, nihil hoc impugnante. *d. l. penult.*

22 In numeros inſuper milites referri debebant, nam qui nondum in numeris erant, etiamſi lecti tyrones eſſent, & publicis impenſis iter facerent, nondum tamen milites habebantur, uti pulchrè *l. 42. d. t.* innuit, & per conſe-
23 quens privilegio hoc militari circa teſtamenti factionem gaudere non poterăt, ſicut nec ii qui in caſtris diſcincti verſabantur, qui vix hoc grande ſcelus morteque piandum militaris diſciplinæ ſeveri cenſores credebant, ſi quis am-
24 bulaſſet, aut vallum ſubiiſſet diſcinctus, quod aliàs militaris ignominiæ genus fuerat. *Vid. Barn. Briſſ. lib. 2. ſelect. ex jur. civ. antiq. cap. 6. & 7.*

25 Quæ relatio in numeros eſt actus, quo probatis, juratis & cinctis militibus integer exercitus in partes, quæ numeri vocantur, diſtribuitur, & ipſis militibus ſua officia & ſtipendia aſſignantur. *Hen. Boc. de bell. & duell. libr. 1. cap. 12.* ubi reprehendit, & benè, illos qui in eâ ſunt ſententiâ, quaſi referri in numeros nihil aliud ſit, quàm matri-

triculis inſcribere milites, allegando leges plurimas ſicuti
l. 4, ff. de re milit. l. ult. Cod. de teſt. mil. l. 35. §. 1. l. 42. ff. eod.
pro ſuâ opinione utpote veriore, quibus probat numeros
militum eſſe certas totius exercitus partes, certo militum 26
numero conſtantes, ut ſunt Legiones, contubernia, centuriæ,
cohortes, turmæ, alæ, cunei. Diſtinguuntur autem
ſuis ſignis & vexillis, quibus inhærere tenentur, qui, ut
ſi forſan laterent, agnoſci poterant ex ſtigmatibus eorum 27
brachiis infixis. *l. ſtigmata. Cod. de Fabricenſ. lib. 11. tit. IX.* 28
gloſſ. ad l. penult. verb. periculo. ff. ex quib. cauſ. maj. Sed revertamur
unde digreſſi ſumus: Favor teſtamenti hujus 29
militaris, quod in procinctu im Feldzug conditum eſt, tantum
operatur, ut ſolennitatibus teſtamenti pagani, determinato
v. gr. illo ſeptenario numero teſtium, rogatione,
ſubſcriptione illorum &c. licitè carere quis poſſit, cum 30
hoc tamen additamento, ut ſi teſtetur miles in ipſo conflictu
(in der Schlacht oder Sturmlauff) quocunque modo velit
ac poſſit, teſtari poſſit, etiam nullo adhibito teſte. Si ve- 31
rò fiat teſtamentum in caſtris, ſufficiant tantum duo &
obſervetur jus gentium *Gail. 2. obſ. 118. n. 17.* quod ipſum
declarat *Conſt. Maximiliani I, Colon. de anno 1512. tit.* von 32
Teſtamenten 7. §. Und ſollen die Notarien. verſ. oder von Rittern/
die zu Feld und nicht im Streit wären/ da wird ſolche Anzahl der Zeugen
nachgelaſſen biß auf zwen / aber die Ritter die in Ubung des
Streits ſeynd / mögen ihr Teſtament machen ohn alle Solennität/
oder Form wie ſie wollen.

Deinde poteſt diſcedere miles partim teſtatus partim 33
inteſtatus *l. 1. Cod. de teſt. milit.* contra formam de teſtamentis
præſcriptam, adeò quidem, ut etiam leges, quarum
in aliis caſibus aliàs mens quoque conſideratur, nihil
ſubintelligant quod ex *l. 1. ff. de teſt. milit.* elicitur, hiſce 34
verbis: *Cum in notitiam meam perlatum ſit ſubinde teſtamenta
à commilitonibus relicta proferri, quæ poſſint in controverſiam
deduci, ſi ad diligentiam legum & obſervantiam revocentur.*

 Secu-

Secutus animi mei integritudinem erga optimos fideliſſimosq Commilitones ſimplicitati eorum conſulendum exiſtimavi , quocunque modo teſtati fuiſſent, rata eſſet eorum voluntas. F
35 *ciant igitur teſtamenta quomodo volent, faciant quomodo pot runt, ſufficiatque ad bonorum ſuorum diviſionem nuda volu tas teſtatoris.* Ex quâ lege infertur primò ſufficere nudar voluntatem, ſi autem exponatur illud verbum *nuda* : er nuda, ſcilicet à ſolennitate & quâcunque legis interpreta tione, quod pro ſecundo, confirmatur ex hiſce verbis le gis : non debere teſtamenta militum *ad diligentiam & ob ſervantiam legum revocari*, id eſt ad ſubtiles interpretatio nes legum, ſi enim verba illa *ad diligentiam & obſervan tiam*: id non ſignificaſſent, eſſent ſuperflua, ſufficiebant namque verba *nuda voluntas*, & illa ſaltem *ad obſervantiam legum*, nihil quoque operarentur, quod recipiendum non eſt: Si igitur interpreteris verbum: *obſervantiam.* pro ſolennitate, quid quæſo erit *diligentia*, niſi quod aſſertio
36 propoſita tenet? cum idem hæc duo ſignificare abſurdum videatur, utpote diverſa nomina: Cum itaque militum teſtamenta ad intelligentiam legum non deducantur *d.l. 1. ff. d. t.* ſequitur ut nec legis conjectura & interpretatio locum habeat, quidquid etiam *ex l. 74. ff. de leg. 1.* contra *l. 19. §. ult. ff. de milit. teſt.* in contrarium afferri poſſet.

37 Denique neque Falcidia neque Trebellianica in militis teſtamento locum habent, neque ut inofficioſum accuſatur. *l. de inofficioſo. Cod. de inoff. teſt.* Quibus privilegiis etiam
38 hodiedum milites uti poſſe non dubitatur. *Gail. d. obſ. 118.* utut etiam à vetere illâ militari diſciplinâ ſint alieni, remanentibns præſertim iisdem circumſtantiis & cauſis ad
39 id moventibus nempe periculo &c. Nec ab hac eximantur Clerici Caſtrenſes Feldprediger/ Conſiliarii bellici & Medici, qui in loco hoſtili & actu bellico teſtantur. *Bruckm. tr. de Reg. c. 14.*

Idem

Idem dicendum de Equitibus honorabilibus, nempe 40
S. Johannis Baptiſt. Aurei velleris, Rhodiorum Melitenſi-
um, S. Michaelis, Teutonicorum ſi eædem circumſtantiæ
concurrant, ſecus de militibus togatis, quamvis pro Re-
publica militare dicantur. *l. 14. Cod. de Advocat. diverſ.*
Jud. & Clerici milites DEI vocentur: jure enim communi
uti debent.

Prædicta de privilegiis militum tamen ita intelligen- 41
da ſunt, ut ſaltim ad bellum juſtum, & non Civile & inte-
ſtinum ſimulque ad latrocinia trahatur. Quodnam autem
ſit bellum juſtum? mirè inter Scriptores diſceptatur,
quod, quia in alium locum, nempe, quando de ſucceſ-
ſione violentâ aliquando ſermo erit, reſervatum eſt, eò be-
nevolum Lectorem remittemus.

Tertium Teſtamentorum veterum genus eſt, quod 42
per æs & libram fiebat, cum paterfamilâs ei, quem vellet
ſucceſſorem relinquere, familiam ſuam & univerſum jus
patrisfamil. venderet, & ſimul hæredem nuncuparet. Ro-
bur autem addebat præſentia quinque teſtium Civium 43
Romanorum & puberum illiusque qui erat libripens,
atque his præſentibus, is, qui ſucceſſor defuncti futurus
erat, patrimonium morituri emebat, verba hæc dicens
ſolennia: *Hujus ego familiam, quæ mihi empta eſt hoc ære æ-* 44
neâque librâ Jure Quiritum meam eſſe ajo. Deinde ære percu-
tiens libram, id æs dabat ei, à quo hæreditatem exſpe-
ctabat: quaſi loco pretii, qui dicebatur familiæ em-
ptor, & hoc modo conſtituebatur hæres, quæ imagina-
ria emptio dicitur, qualis quoque reperitur in
Inſtit. de legit. parent. tut.

SECTIO V.

De Recentioribus Teſtamentorum Generibus.

SUMMARIA.

1 Antiqua teſtamenta abolita.
2 Paganum & militare.
3 Nuncupativum & in ſcriptis.
4 Et judiciale.
5 Qui non prohibentur ad teſtam. fact. admittuntur, & prohibentur vel naturâ vel lege.
6 Prohibentur Impuberes ob defectum animi.
7 Teſtamentum dicitur ultimum elogium.
8 Impuberes non poſſunt teſtari ad pias cauſas & tempore peſtis ob defectum Judicii.
9 Itidem furioſus, quorum quatuor genera recenſentur.
10 Quæ legitimè probari debent.
11 Teſtis debet deponere de furore & ſignis.
12 Furor vix aliquando percipi poteſt.
13 Teſtes debent aſſignare rationem eorum dicti.
14 Ex qualitate teſtamenti reſultant actus ſanæ mentis.
15 Validum eſt teſtamentum furioſi conditum lucido intervallo.
16 Teſtamentum ejus qui eſt hebetiori intellectu validum eſt.
17 Ebrii à teſtamenti factione repelluntur.
18 Ebrietas eſt voluntaria inſania.
19 Cœcus, ſi non obſervet præſcripta in l. 8. Cod. de teſt. r… litur à teſtamenti factione.
20 Id etiam obſervatur in co… lis.
21 Quid hoc loco in ſurdo & … obſervetur?
22 Prohibentur à factione teſt … capti, obſides.
23 Quæritur de capite damnat…
24 Quidam ex receptâ genera… ſuetudine contendunt v… ipſorum teſtamentum.
25 Nihil obſtante jure Digeſto…
26 Patroni hujus ſententiæ.
27 Præjudicium Carpzov. h… caſu.
28 Contrariæ ſententiæ Patro…
29 Fundamenta hujus opinion…
30 Limitationes quatuor ex … propoſitæ circa poſtrem… tentiam.
31. Sententia negativa mag… babilis, & præ altera amp… da.
32 Leges novæ & veterum … ctoriæ ſunt ſtricte accipie…
33 Arcentur à teſtamenti fa… qui inteſtabiles ſunt, ut … gi.
34 Qui debent eſſe tales decla…
35 Quoad adminiſtrationem … rantur pupillo.
36 Validum eſt teſtamentum … clarationem factum.

37 Falli poſſunt hominum judicia. *38 Præjudicium Carpz. in hoc caſu.* *39 Prohibiti reliqui verſiculis quatuor recenſentur.*

PAulatim antiquæ illæ Teſtamentorum formulæ in deſuetudinem abiêre, recentioresqve ſubſtitutæ. Qvod 1
paſſim conſtat: Eſt autem teſtamentum hodiernum vel paganum vel militare. De hujus privilegiatâ cauſâ, ſectione 2
antecedente ſermo fuit. Paganum vel eſt nuncupativum, 3
vel fit in ſcriptis. *§. ſed cum paulatim. cum ſeqq. Inſtit. de teſt. ordin.* vel judiciale, quod fit apud acta. 4

Ut teſtamentum paganum ſubſiſtat, tria conſideranda: *Primò*, perſona teſtantis, ne juris ratio antequam perſona quæratur. An ſcilicet ſit talis quæ ad actum teſtandi admitti poſſit? *Secundò*, hæredis inſtitutio. *Tertiò*, requiſita eſſentialia ejusdem.

Quod attinet ad primum: regula generalis ponitur. 5
Omnes ad teſtamenti factionem admitti, qui non prohibentur. Prohibentur autem quidam *naturâ*, quidam Jure Civili. Illi vel ob defectum animi, quales ſunt Impuberes. 6
§. 1. Inſt. quib. non eſt perm. fac. teſt. cujus ratio non obſcura eſt: quia teſtamentum dicitur teſtatio mentis, hoc eſt 7
ſupremum ſive ultimum mentis judicium. *pr. Inſt. de teſt. ord. l. 19. ff. de inoffic. teſt. l. 5. ff. teſt. quemad. aper.* at Impuberes nullum animi judicium habent. *d. §. 1. d. t.* adeò 8
quidem, ut etiam ad pias cauſas eorundem teſtamentum non valeat, nec quoque peſtis tempore, ob defectum judicii, & ita judicatum fuiſſe tradit *Carpzov. in Pract. For. p. 3. c. 6. d. 8.*

Similiter furioſi prohibentur, quorum Cardanus 9
quinque genera facit magis famoſa: nam alios dicit, Melancholicos, Furioſos, alios amentes, rabidos & hydrophobos: quæ legitimè probari debent in teſtatore, nec relevat probatio dementiæ, niſi probetur concludenter de tempore teſtamenti, parum enim juvat probatio percutiens 10

11 tiens tempus antea, vel poſt teſtamentum. Ut autem f
ror percipi poſſit, teſtis deponens ſuper furore debet
terrogari, quid viderit, quæ ſigna, quos motus vel actus
12 cerit teſtator? ut ex illis colligi poſſit furor & demen
teſtantis, præſertim cum hæc accidentia vix percipip
ſint ex momento temporis, ſed ex quodam diſcurſu & m
titudine actuum. *Aretin. in l. 1. ſi cert. pet. col. 3.* imò te
13 bus de dementiâ deponentibus non creditur, niſi aſſign
rationem eorum dicti, licet non fuerint interrogati. *Rola*
ciſ. 107. n. 4. part. 2. Unde cum ex qualitate teſtamenti
14 fultent ſigna & actus ſanæ mentis, ex quibus teſtator r
quit plura legata locis & cauſis piis &c. abſqve dubio p
ſumendum eſt teſtatorem fuiſſe ſanæ mentis. Et ſuffici
ejus validitatem, etiamſi fuiſſet factum ab eo qui aliqu
15 do habuiſſet dilucida intervalla: quia nulla major ſ
mentis conjectura datur, quàm illa, quæ deſumitur
qualitate teſtamentariæ diſpoſitionis. Quid ſi ſimplice
fatui, & qui hebetiori ſunt intellectu condant teſtament
16 an illud ſuſtineatur? & ſuſtineri certum eſt, dummod
mnino mente privati non ſint, quoniam non ſtatim pe
ſimplicitate probatur inſania. *Paul. Zachias quæſt. Me*
legal. Tom. 3. pag. 152. ubi præjudicium affert de quac
nomine Lucretiæ. *Lucretia era di poco giudicio, ſcioccar*
& che credeua ogni coſa è ſenza malitia & ſemplice. Ni
dimeno non era matta & era di giudicio: Sub his comp
17 henduntur ebrii: cum eadem ſit ratio Ebrii, quæ In
beris & furioſi. *Weſemb. ad d. §. 1. Inſt. quib. non eſt p*
fac. teſt. Ubi enim ebrietas ibi quoque & furor. *C. Ve*
18 *diſt. 15. C. à crapula. de vit. & honeſtate Cleric.* imò volu
ria inſania. *Borch. de pact. c. 3. n. 14.* Et pueritia: Plato e
ebrium comparat puero. *lib. 1. de leg.* nam qui nimio
indulgent, neſciunt, quid loquantur *c. ſanè. 15. Q. 1. Au*
in diſp. teſt. ſub Præſid. Domini à Sode Prof. Erf. Alii pr
bentur condere teſtamentum ob defectum corporis,

lis eſt cœcus, vel clauſos planè, vel quidem apertos, claros, ſed demortuos tamen oculos habens. *Paul. Zachias Quæſt. Medico-Leg. p. 153.* niſi ſolennitates *in l. 8. Cod. qui teſt. fac. poſſ.* expreſſæ, ad unguem obſerventur, nullo facto diſcrimine an ſit teſtamentum vel codicillus: cum ibidem etiam fiat Codicillorum mentio, quicquid etiam reclament quidam, cum *Maximilianus I.* Imp. *in d. l. 8.* recenſitas ſo- 20
lennitates denuò approbaverit *in Receſſ. Imp. Colon. Anno 1512. tit.* von Teſtamenten. §. aber zu eines Blinden Teſtament / & §. Es iſt auch nicht allein in einem Teſtament eines Blinden / ſondern auch in ſeinen Codicillen / und andern ſeinen letzten Willen noth / ſol-
che Form zu halten. Quid hoc loco in ſurdo & muto obſerve- 21
tur? uberius oſtendit *l. 10. Cod. qui teſt. fac. poſſ.* diſtinguendo inter diſcretos ſurdum & mutum, vel qui utroque vitio laborant.

Teſtamentum condere quidam nequeunt jure Civili, 22
qui non ſunt cives Romani, ut ſunt ſervi. *l. 16. l. 19. ff. qui teſt. fac. poſſ.* ab hoſtibus capti. *§. ult. Inſt. quib. non eſt perm. fac. teſt.* Obſides, deportati, quorum loco hodie Bannitos haberi conſtat. De capite damnatis difficilior oritur quæ-
ſtio, an teſtamentum eorum ante vel poſt condemnatio- 23
nem factum valeat?

Quantumvis hæc controverſia ſummoperè undique mota fuerit, tanquam ambigua & magnæ difficultatis; ni-
hilo tamen minus ex generali quadam conſuetudine rece- 24
ptâ valere plurimi contendunt teſtamentum capitaliter condemnati, excepto damnato propter crimen læſæ Majeſtatis, nihil eos movente jure Digeſtorum, quod apertè reclamat *in l. 6. §. 5. ff. de injuſt. rupt. irrit. fact. teſt. l. 25. §. 3. ff. de acquir. hæred. l. 8. §. 1. & ult. ff. qui teſt. fac. poſſ.* quia
hoc jure capitaliter damnatus ſervus pœnæ efficiebatur, 25
l. 12. ff. de pœnis. ejusque bona poſt condemnationem pu- 26
blicabantur. *l. ejus qui apud hoſt. ff. qui teſt. fac. poſſ.* quam ſententiam amplectuntur *gloſſ. in l. 6. §. 1. ff. de injuſt. rupt.*

irrit. fact. teſt. Salycet. in Auth. Sed hodie. Cod. de donat. inter vir. & uxor. Jul. Clar. lib. 3. ſent. Alberic. de Roſate ad l. 8. §. 1. qui teſt. fac. poſſ. Daniel Moller in Comment. ad Conſt. Saxon. p. 3. conſt. 6. n. 1. & 2. ad cujus confirmationem quam
27 proponit Carpzov. his verbis: daß ſich N. N. wegen des von ihme begangenen Todſchlags ſeiner Güter über die erlittene Todt-Straff nicht verluſtiget gemacht / und weil er vor ſeinem Abſterben und Execution des geſprochenen Urtheils von dem Käyſerl. Richter und zweyen Rahts-Perſonen / ſo er zu ſich erfordern laſſen / desgleichen in Gegenwart etlicher Jeſuiten ſein Teſtament und letzten Willen auffgerichtet / und euch dariunen zum Erben ſeiner gantzen Verlaſſenſchafft / auſſer etlichen Legaten / inſtituirt und eingeſetzt / ſo ſeyd Ihr auch krafft ſolches Teſtaments / welches ſeiner Solennitäten halber zu Recht beſtändig / Euch berührter Verlaſſenſchafft anzumaſſen / und die Legata zu verreichen wol befugt. Von Rechts wegen.

28 Contrarium defendunt *Bartol. in d. l. qui apud hoſtes. Piſo lib. 1. var. reſol. cap. 3. num. 2. Did. Covarr. in Rub. X. de teſt. p. 3. n. 43. & 44. Andreas Gail. lib. 1. cap. 19. n. 8. de pac. publ.* ubi affert quatuor exceptiones. *Fern. Vaſq. de*
29 *ſucceſſ. reſol. lib. 1. §. 3. n. 34.* his fundamentis innixi. *Primò*, quia damnatus ad mortem capite minuitur & amittit civitatem & libertatem, *d. l. qui apud hoſt.* qui autem capite minuitur, teſtamentum facere non poteſt. *§. 4. Inſt. quib. mod. teſt. infirm. Secundò*, quia ob carmen famoſum vel aliud crimen capitale damnatus inteſtabilis fit. *l. 21. ff. de teſt. l. 5. §. 9. ff. de injur.* & per conſequens teſtamentum condere nequit. *l. 18. §. ult. ff. qui teſt. fac. poſſ. Tertiò*, ut quis teſtari poſſit neceſſariò debet habere bona, de quibus teſtetur, damnatus autem ad mortem ne hodie quidem ulla bona habet, quamvis enim bona ejus non ſtatim publicentur, tamen poſt condemnationem aliis ejus hæredibus ex diſpoſitione legis deferuntur, nec in poteſtate damnati relinquuntur. *Auth. bona damnatorum. Cod. de bon. damn.* ideoque damnatus bona, quæ ipſe non habet, ſed ex

pro-

proviſione legis aliis ſunt delata, proximis auferre, & de iis teſtari nequit. *l. 22. ff. de adopt.* nequidem ad pias cauſas. *Bart. in l. 1. Cod. de S. S. Eccleſ.* quod etiam obſervari volunt in his qui ad mortem civilem damnantur. Suas tamen hæc ſententia patitur limitationes, quarum quatuor adducit *Gail. in d. lib. 1. cap. 19. num. 8. de pac. publ. Primò, ſi talis factio teſtamenti in ſententia ſit reſervata. Secundò, ſi ſententia ſuſpendatur tantiſper, donec Princeps reſcribat an de eo ſit ſumendum ſupplicium. Tertiò, ſi ſententia condemnatoria ſit ſuſpenſa per interpoſitam appellationem. Quartò, quando ſententia eſſet nulla vel ob defectum Juriſdictionis, vel quia lata ſit ſententia expreſſè contra Jus.* Et hæc poſtrema opinio cum jam recenſitis limitationibus, tanquam juri magis conformis, & rationibus non ſpernendis munita, præ altera poſſet amplecti, præſertim cum contrariæ ſententiæ patroni *Auth. Sed hodie & Novell. 22.* pro ſe adducant ad probandam intentionem, cum tamen contrarientur: quoniam nihil aliud innuere videntur, quàm quod hodie nulli efficiantur ſervi pœnæ, qui capitali crimine damnantur, nulla facta teſtamenti factionis mentione, quæ per argumentum inde derivandum vix elici poterit. Ad hæc non parum juvare videtur, quod leges novæ & veterum correctoriæ ſint ſtrictè accipiendæ, & quod expreſſe non corrigunt, illis non ſit affingendum. *l. 32. §. ult. Cod. de appell. l. 27. Cod. de teſt.* nullibi autem neque in Codice, neque in Novellis invenire eſt, quod antiquæ leges damnatis factionem teſtamenti activam interdicentes, ſint correctæ, ut jam dictum. De reliquo quid de praxi hinc vel inde obtineat, & maximè in foro Saxonico, conſvetudini patriæ relinquo & ſtatuto.

30

31

32

33 Prohibentur etiam Jure Civili, qui ob mores inteſtabiles fiunt, & qui bona dilapidant; ut prodigus, neque tempus neque finem expenſarum habens, qui bona ſua dilapidando & diſſipando profundit. *l. 1. ff. de curat. furioſ.* 34

Modò tamen ſit declaratus prodigus, quæ ſententia decla-
35 ratoria neceſſaria eſt. Deinde quoad adminiſtrationem comparatur pupillo. *l. 9. §. 7. ff. de reb. cred.* & furioſo. *l.12. de tut. & curat. dat. l. 7. §. adeo. ff. quib. ex cauſ. in poſſeſſ. eat.*
36 quibus interdicta eſt teſtamenti factio, ergò & prodigo, *d. §.1. Inſt. de teſt. ord.* Validum tamen erit teſtamentum prodigi ante hanc ſententiam declaratoriam, neque enim hic attenditur, an ethicè quis prodigus ſit, ſed potius an De-
37 creto Prætoris pro prodigo fuerit declaratus: cum falli poſſint hominum judicia, quibus minus tribuendum eſſe, quàm Decreto Magiſtratus monet *Carpzov. d. l.* allegando
38 quandam ſententiam Breslavienſem, hiſce verbis: Die-
39 weil aber dannoch nicht zu finden / daß gedachter teſtator vor der Obrigkeit auff vorgehende genugſame Erkündigung für einen prodigum austrücklich erkläret / weniger Ihm an adminiſtration ſeiner Güter Inhalt gethan worden / ſo iſt auch mehrbeſagtes ſein Teſtament zu Recht kräfftig. Reliquorum etiam nominatorum prohibitorum genera his verſiculis brevitatis cauſâ apponere placet.

Teſtari nequeunt impubes, Relligioſus,
Filius in Sacris, morti damnatus & obſes,
Prodigus & ſtultus, dubius, ſervus, furioſus,
Crimine damnatus, cum muto ſurdus, & ille,
Qui Majeſtatem læſit, ſic cæcus & ille.

SECTIO VI.

De Hæredis Inſtitutione.

SUMMARIA.

1 *Hæredis inſtitutio eſt fundamentum teſtamenti.*

2 *Omnes liberi eodem ordine debent inſtitui.*

3 *Obliqua & precaria verba non habent locum in inſtitutione.*

4 *Nemo poteſt inſtitui hæres pe[r] termediam perſonam.*

5 *Directis verbis fit inſtitutio*

6 *Non ſemper conſtituitur jud[...] in verbis obliquis.*

7 I

7 Debet certa deſignari hæredis perſona.
8 Poſſunt inſtitui plures & pauciores.
9 An ſi plures inſtituantur proximiores excludant remotiores?
10 Quando frater & fratris, & ſui, conjugisque cognati inſtituuntur, an æquo dividitur hæreditas?
11 Quando teſtator inſtituit filium & nepotem, poſſet dici quod ordine ſucceſſorio inſtitueret, quaſi eſſet ſubſtitutio.
12 Rectius tamen dicitur non ordine ſucceſſorio, ſed ſimul vocatos.
13 Cognati inſtituti proximiores non excludunt remotiores.
14 Extraneus & filii ſimul inſtituti æqualiter vocantur.
15 Conſanguinei ſimul inſtituti, proximiores excludunt remotiores.
16 Teſtator præſumitur ſe conformare juri communi.
17 Fratres ex utroque latere præferuntur etiam hoc caſu conſanguineis & uterinis.

ALterum quod in Teſtamento pagano conſiderandum venit, verſatur circa hæredis inſtitutionem tanquam ſubſtantiam, fundamentum & baſin ejusdem §. *ante hæredis* 1
inſtitutionem. Inſt. de leg. quæ inſtitutio vel exhæredatio ita neceſſaria eſt, ut liberi, ſive mares, ſive fœminæ, nati, 2
ſive poſthumi, primi, ſive ulterioris gradus, in poteſtate conſtituti, ſive emancipati omnes eodem modo vel inſtituantur vel exhæredentur. §. *ſed hæc quidem. Inſtit. de exhæred. liber. l. maximum vitium. 4. Cod. de liber. præter.* non tamen obliquis verbis, vel precariis. v. g. mando, jubeo, 3
rogo hæredem meum, ut hic vel ille habeat bona, hoc enim modo per intermediam perſonam hæreditatem ac- 4
ciperet, quod omninò adverſaretur titulo Inſtitutionis: *ſed directis*: quæ in perſonam teſtatoris ſunt concepta, veluti do, inſtituo, aſſigno, transfero, hæres eſto. Ratio eſt 5
ut inſtitutus hæreditatem ſibi relictam, directo & per ſe ipſum, non interveniente facto alterius percipiat, quantumvis alias non oporteat in verborum directorum, obli- 6
quorum & communium, diſtinctione conſtituere judicium, ut monet *Joan. Coraſius*. niſi forte dubia ſit voluntas teſtatoris, quæ ſi ex circumſtantiis appareat, tum nequi-

 dem

dem communia verba pro directis haberi debent. Nunc
7 verò quemadmodum teſtatoris judicium certum eſſe debet, ita quoque certa requiritur perſonæ hæredis deſignatio, & incerta rejicitur. §. 25. *Inſt. de leg. l. 9. ff. de hæred. Inſt.* puta, ſi teſtator dicat; *qui primus hoc vel illud aſſe-*
8 *cutus fuerit, hæres eſto.* Utrum autem plures vel pauciores ſimul inſtituantur etiam ex diverſis familiis, & ſine partium diviſione? non refert. Occaſione cujus non minimum ſcrupulum mihi obvenit, ſiquidem de conjunctione loquimur (de quâ infrà, ubi de jure Accreſcendi agetur, uberior dicendi locus erit) utrum ſcilicet caſu, quo plurium
9 hæredum ſine deſignatione partium fiat inſtitutio, an tunc proximiores plane excludant remotiores, aut ſaltem in æquas partes ſuccedant? Hæc quæſtio non niſi diſtinctione reſolvi poteſt. Primò enim vel teſtator hæredes conjun-
10 ctim inſtituit, puta fratrem & fratris aut ſororis liberos, & ſuos, conjugiſque proximiores cognatos: tùm teſtator hæreditatem diviſiſſe, & ſuos cognatos ex ſemiſſe, uxoris verò conſanguineos proximiores ex altero ſemiſſe vocaſſe intelligitur. *l. 13. in fin. pr. ff. de hæred. Inſtit.*

11 Vel Secundò teſtator inſtituit conjunctim filium & nepotem: Inde major oritur difficultas, cum præſumtio ſit teſtatorem ordine ſucceſſorio hoſce inſtituiſſe, id eſt, ſubſtituiſſe, quaſi dixiſſet: *Si filius meus hæres non erit, nepotem ſubſtituo.* obſervato communi ordine ſuccedendi *gloſſ. in l. 29. §. quidam verb. non exprimet. ff. de lib. vel poſthum. hæred.*
12 *Inſt.* cum ibi allegatis aliquot legibus, quibus non obſtantibus rectè ſtatuitur, filium & nepotem hæredes conjunctim inſtitutos, non obſervato ordine ſucceſſorio, ſimul vocatos cenſeri: quod etiam tenet *Bald. in d. l. 29. §. qui-*
13 *dam rectè. quem DD. communiter ſequuntur*: Vel tertiò cognati in familiâ ſimul inſtituuntur, tùm ſimiliter ſimul ſuccedunt, nec remotiores à proximioribus excluduntur, certum namque eſt, quod ceſſante neceſſitate inſtituendi pro-

pter

pter ſolum ordinem charitatis, non ſit à proprietate ſermonis recedendum. *l. 69. ff. de leg. 3. l. 1. §. 19. ff. de Exercit. act.*

Quartò, aut vocantur extraneus & ejus filii ad hæreditatem, quod minus habet dubium ceſſante illa affectione ordinatâ. 14

Aut Quintò, denique conſanguineorum ſimpliciter fit mentio; Tum ſecus obſervatur ac in præcedentibus, 15
eo quod indifferens hæredum appellatio proximiores ſpectet. *Mantic. de conject. ult. vol. L. 8. T. 13.* Cum teſtator 16
præſumatur ſe conformare voluiſſe juri communi, quod proximiores admittit ſolum, remotioribus excluſis, *l. ult. C. d. V. S.* quod eo extenditur, ut, etiamſi teſtator dixerit, *fratribus meis lego*, fratres ex utroque latere præferantur 17
conſanguineis & uterinis, ratio: quoniam cauſa inteſtati in illis prævalet. *Novell. 118. cap. 3.*

Sectio VII.

De neceſſaria Exhæredatione Liberorum.

SUMMARIA.

1 *Liberi & proximiores aſcendentes legitimè exhæredandi ſunt.*

2 *Cauſa exhæredationis neceſſariò exprimi debet.*

3 *Præter in Novell 115. cap. 3. recenſitas exhæredationis cauſas nullæ admittuntur.*

4 *Nec poſſunt graviores cauſæ dari quæ non referantur ad iſtas quatuordecim.*

5 *Hottomannus contendit olim ſine cauſâ adjectâ liberos exhæredari potuiſſe.*

6 *Argumentum à contrario ſenſu non ſemper procedit.*

7 *Contra hujusmodi Teſtamentum inſtituitur querela inofficioſi, & contra quoscunque hæredes.*

8 *Auguſtini Dictum de illegitimè exhæredante liberos.*

9 *Teſtamentum inofficioſum non eſt ipſo jure nullum.*

10 *Nullitas reſpicit tantum Inſtitutionem.*

11 *Legata in ſalvo manent ſic relicta.*

12 *Juſtinianus tantum exhæredationis notam ſuſtulit.*

13 *Ejus-*

13 *Ejusmodi illegitime exhæredatus ſuccedit ab inteſtato.* 14 *Quarta relicta excludit querelam.*

1 QVemadmodum neceſſariò requiritur Inſtitutio, ita quoque exhæredatio in filiorum vel etiam aſcendentium proximiorum perſonas concepta, cujus cauſa ex-
2 primi, & nominatim fieri debet. *Nov.* 115. *cap.* 3. in quo quatuordecim recenſentur: & præter eas nullæ admit-
3 tuntur, ex mente & his verbis *d. Nov. Sed quia cauſas, ex quibus ingrati liberi debeant judicari, in diverſis legibus diſperſas & non apertè declaratas invenimus, quarum aliquæ nec dignæ nobis ad ingratitudinem viſæ ſunt, aliæ verò cum eſſent dignæ prætermiſſæ ſunt. Ideò neceſſarium eſſe perſpeximus, eas nominatim præſenti lege comprehendere, & præter ipſas* (quod benè notandum) *nulli liceat ex alia lege ingratitudinis cauſas opponere, niſi quæ in hujus Conſtitutionis ſerie continentur.*

Huic minimè contrariari videtur quorundam oppo-
4 ſitio; præter has ingratitudinis cauſas alias reperiri poſſe ſaltem graviores reliquis. Eo quod graviores vix dari queant, ſed ſi quæ afferantur, aut ſint *in d. Novell.* recenſitis cauſis leviores, aut ad eas reducantur neceſſe eſt. Leves admodum fuere olim exhæredationis cauſæ, quinimò
5 etiam ſine ullâ cauſâ pro libitu atque arbitrio parentes liberos exhæredare potuiſſe, *definit. Franciſc. Hottoman.* & evincere conatur *per l. 14. §. fin. ff. de lib. & poſth.* argumento à contrario ſenſu deducto, quod JC. ibi exhæredationem nullius eſſe momenti pronunciet, eo quod pater præpoſuerit & adjecerit cauſam, circa quam tamen erraverit, exinde igitur ſequi videatur, quod ſi cauſam non præpoſuiſſet, exhæredatio legitima fuiſſet, quæ argumenta-
6 tio *Hunnio* non placet, ſiquidem argumentum à contrario ſenſu toties ſuâ vi deſtituatur, præſertim quando vel abſurdus exinde ſequitur intellectus, vel correctio juris: ut ex-

ut explicat *Hen. Caniſ. in poſthum. ad c. 2. X. d. divor. fol.* 407. & alii paſſim.

Quod ſi verò exhæredatio facta, & cauſa etiam expreſſa inveniatur in teſtamento, quæ tamen vel in rei veritate aliter ſe habeat, aut ſaltim minus probabilis & injuſtè impoſita, hunc effectum producit, ut ejusmodi contra 7
pietatem factum teſtamentum impugnetur, & querela inofficioſi inſtituatur, ſecundùm *Azon. in Summa Cod.* contra hæredes ſcriptos & nuncupatos, directos ſive fideicommiſſarios, quicunque fuerint, etiamſi DEUS aut Impera- 8
tor inſtitutus eſſet. *l. Papinianus. 8. §. Imperator. ff. de inoff. teſt.* ubi *gloſſa* refert Dictum *Auguſtini. Qui vult DEUM hæredem inſtituere; filium verò exhæredare, alium quærat pro conſilio, vel qui recipiat, non Auguſtinum.* Non tamen hâc 9
juſtâ impugnatione teſtamentum redditur nullum, ſed mero jure ſubſiſtit, & ſaltem reſcinditur per querelam. *Paul. Zacchias in Quæſt. Medico-Leg. deciſ. 62. n. 26.* non ob-
ſtante eo, quod in *d. Nov. 115. in fin. cap. 3.* dicatur & no- 10
minetur teſtamentum evacuatum, & per conſequens nullum: cum nullitas illa non reſpiciat totum teſtamentum,
ſed ſaltem hæredis inſtitutionem, non etiam legata, fidei- 11
commiſſa, & quæ præterea eo in teſtamento ſunt relicta. *Duaren. ad Tit. de ini. rupto teſt. Auth. Ex cauſa. Cod. de lib.*
præt. Hunn. Diſp. X. T. 1. de Subſt. quoniam Juſtiniani mens 12
fuit præteritionis tantum, aut exhæredationis notam auferre. *Donell. 6. comm. 13.* Nec multum negotii faceſſit, eo caſu quem pro parte teſtatum, pro parte inteſtatum decedere, quod benè ex poſt facto fieri poteſt, licet ab initio
non poſſit. Succedit itaque ab inteſtato ejusmodi injuſtè 13
exhæredatus motâ illâ querelâ inofficioſi teſtamenti ad reſciſſionem, ſaltem quoad inſtitutionem. *d. Nov. 115.*
cap. 3. in fine. niſi quarta ſive legitima portio relicta fuerit, 14
ad excludendam inofficioſi querelam.

Sectio VIII.

De Quarta ſive Legitima Portione ejusque Origine.

Summaria.

1 *Quarta eſt debitum bonorum ſubſidium.*
2 *Quartæ notitia eſt antiquiſſima.*
3 *Aliqui dicunt illam invaluiſſe per SCta.*
4 *Aliqui putant illam deſcendere ex Lege.*
5 *Filiorum Legitima aucta ſecundùm numerum eorum.*
6 *Aliqui dicunt Quartam à Divo Marco conſtitutam.*
7 *Alii dicunt Quartam à jure Naturæ deſcendere.*
8 *Jure Naturæ filiis debentur alimenta.*
9 *Ratione qualitatis expreſſæ Quarta Juris Civilis eſt.*
10 *Ejusdem juris eſt legitima parentum.*
11 *Non minus parentibus quàm liberis relinquenda.*
12 *Legitima fratrum deſcendit à jure Civili.*
13 *Alii dicunt nullâ Lege querelam inductam, neque Civili neque Prætoriâ.*
14 *Per querelam inofficioſi adimitur hæreditas.*
15 *Moribus & jure non ſcripto querela inducta.*
16 *Rejicitur ſententia Ranconeti & Balduini.*
17 *Quarta Legitima diſtinguitur à reliquis quartis.*
18 *Sententia & mens Novellæ 92. ratione Falcidiæ.*
19 *Liberi detrahunt Falcidiam.*
20 *Novell. 18. complectitur omnem quartam ſive naturalem ſive falcidiam.*
21 *A donationibus immenſis tàm aliquibus liberis quàm extraneis factis, detrahitur Falcidia.*
22 *Filiorum Trebellianica quoque aucta eſt, ſicut falcidia vi totius Conſtitutionis allegatæ.*

1 QVo Jure introducta ſit Quarta ſive Legitima portio (ut *in l. 30. ff. de inoff. teſt.* vocatur, debitum bonorum ſubſidium. *l. 5. Cod. de inoffic. donat.* & noſtra Lingua Germanica der Pflichttheil) & unde querela inofficioſi prodierit? Authores diſcrepant.

Antonius Contius lib. 1. lect. ſua. Jur. Civil. ingenuè fatetur, nondum ſibi ſatis conſtare, unde & ex quâ Lege portio

portio illa legitima filiorum deſcendat? neque ſatis ſibi liquere adhuc, ex qua Lege querela illa profecta ſit? Eam namque antiquiſſimam eſſe, plusquam manifeſtum eſt, 2
tàm ex plurimis Authorum exemplis, quàm ex *Valerio Maximo T. de teſt. quæ reſciſſ. ſunt.* Nec dubitatur, ſimul & querelâ agi ſolitum, & de quartâ excipi jam ante tempora *Auguſti*, ſub quo Lex Falcidia lata eſt, *Publ. Falcidio Tribuno plebis. Cn. Domitio Calvino II. C. Aſinio Pollione Conſulibus* Anno Iↄↄↄ XIII. concludit tamen ex meris conjecturis, eam quartam ex interpretatione Conſultorum, & Senatusconſultis invaluiſſe unà cum inofficioſi querelâ. 3

Ranconetus & Franciſcus Balduinus (quos notat *Anton. Cont. d. l.*) conjecturis quoque ſeſe implicant, putantes 4
hanc noſtram quartam ex Lege Falcidia deſcendere, innixi *Novellæ 92. pr.* ubi hæc verba leguntur: *Dudum de Falcidia & illius parte decrevimus. augentes eam non ignobili incremento.* Adverbium *dudum* retrahunt *ad Nov.* 18. quod etiam facit *Gothofr. in Notis.* in qua aucta eſt filiis legitima in 5
trientem ſi quatuor ſint, & ſemiſſem ſi ultra quatuor, quæ aliàs quadrans erat, & hoc non immeritò. Inde etiam probare contendunt *ex d. Nov.* 18. Legitimam filiorum ibidem auctam *in Nov.* 192. Falcidiam appellari.

Jacobus Cujacius exiſtimat à Divo Marco Philoſopho 6
conſtitutum eſſe, ut quadrans liberis relinquatur *lib. 3 obſ. cap. 8.* quem refert & ſequitur *Joh. Borch. h. l. n. 2, Item Claud. Chifletius in tract. de port. legit.*

Ant. Cucchus in Auth. Noviſſima in pr. n. 7. Cod. de inoff. teſt. Treutler. vol. I. diſp. 13. th. 11. Fachinæ. lib. 4. controverſ. c. 32. conveniunt in eo, quod Legitima Jure Naturæ 7
filiis debeatur *per text. in l. cum ratio. ff. de bon. dam. l. 7. in fin. ff. unde liberi. l. 10. ff. pro ſocio.* Ratio: quia Legitima debetur filiis, ut ex eâ ſe alere & ſuſtentare poſſint. *Nov. 18.* Cum ergò alimenta Jure Naturæ filiis debeantur. *l. 1.* 8
§. Jus Naturale. 3. ff. de juſt. & jur. ideò & Legitima eo jure

 debe-

debebitur & ſic quoad rem & ſubſtantiam, ſive quoad ma-
teriam, ſive in genere loquendo erit juris Naturæ, ratione
9 verò quantitatis, modi & determinationis, Juris Civilis.
*L. l. 12. Tab. 14. Cod. de leg. hæred. Nov. 18. cap. 1. l. 36. §. 1.
Cod. de inoffic. teſt. Hunn. ad Treutl. d. l. Ant. Matthæ. Diſp. 18.
Th. 51. Manz. tr. de legit. Quæſt. 11.* ubi eandem opinionem
10 tenet quoad legitimam parentum, idque *per text. in Nov.
1. præfat. §. 1.* ubi dicitur: quod filiis, nepotibus, patribus
11 & matribus ſecundum ipſam naturam debeatur. Deinde
per l. 15. pr. ff. de inofficioſo teſt. non minus piè parentibus
quàm liberis reliquendam eſſe. *Hartman. lib. 2. tit. 43. obſ.
6. num. 1. Mynſing. cent. 6. obſ. 44.* licet contradicat *Gail.*
12 *2. obſerv. 122. n. 16.* Legitimam fratrum quod attinet eam
Juris Civilis eſſe tenet *Manz. d. Q. num. 12.* contradicente
Hunnio.

Joann. Hanedoeſius in Addit. Exercit. Imp. pag. 35. nul-
13 lam in propoſitâ quæſtione legem aſſignat, quâ introdu-
cta ſit inofficioſi quærela, non jure Civili per *l. 8. in pr. ff.
de bon. poſſ. cont. tab.* ubi *Ulpianus* diſertè ait: exhæredatio-
ne notatos & remotos Jure Civili teſtamenta parentum
non turbare: neque etiam jure Prætorio. Vel inde appa-
ret; quod Prætor hæreditatem nec dare nec adimere po-
teſt. *§. 2. Inſt. de bon. poſſ.* at per querelam hæreditas po-
14 teſt adimi hæredi. Hinc moribus attribuit, & juri non ſcri-
15 pto, quod ex poſtfacto à jure Civili confirmatum, ut jam
jure certo & ſcripto contineatur. *l. 5. pr. ibi: obtinere. l. 24.
ibi: evenire plerumque aſſolet. ff. de inoff. teſt. Matth. Steph.
Cent. 2. Q. 79.* Cum quâ utpote veriore opinione, ratione
querelæ inofficioſi & ego ſentio: Ratione quartæ, ſive le-
gitimæ potius, cum *Manzio, Treutler. Mynſing. ſupra alle-
gatis.* per leges & rationes optimè fundatas; rejectis illis
16 conjecturis, & ſimiliter exploſâ Ranconeti & Balduini, per-
tenuem veri ſpeciem habente opinione: Si enim aliquid
ſaltem veri & probabilitatis inde elici potuiſſet, mirum
eſſet

eſſet id *Azonem, Accurſium, Bulgarum* reliquosq; veteres fu-
giſſe, qui in iis obſervandis non fuére negligentes, qui ta-
men omnes quartam illam quartam naturæ appellarunt,
ut melius à reliquis quartis, Falcidiâ nempè, Trebellianicâ,
D. Pii & ſi quæ ſunt aliæ diſtinguerent, ſed quàm facilè aſſe- 17
ritur; tàm facilè refutatur. Primò *per l. 8. §. 9. ff. de inoff.
teſt.* ubi expreſſè argumentatio fit à quartâ legitimâ ad
quartam Falcidiam, & tanquam diverſæ æſtimantur, quæ
mutua collatio diverſarum quartarum ſub diverſis quoq;
appellationibus ſatis arguit, utramque ex lege Falcidiâ
non proficiſci.

Secundò ſententia & mens ſupra allegatæ *Nov. 92.*
non ita crudè accipienda eſt. Sed hoc modo: Imperatorem 18
jam ante decreviſſe & determinaſſe, neque ignobili acceſ-
ſione auxiſſe Falcidiam, quæ hæreditate legatis oneratâ, 19
liberis hæredibus inſtitutis debebatur, quâ Lege alias an-
te hæredi ſive filio ſive extraneo quadrans datus fuit. Et
verbum illud, *auxit*, non ad extraneos hæredes trahen-
dum, ſed tantùm ad perſonas liberorum, ita, ut Conſtitu-
tio illa 18. complectens omnem quartam ſive naturalem,
ſive Falcidiam, ſit aucta per Conſtitutionem *92.* principa- 20
liter propter immenſas donationes à Parentibus factas in
præjudicium legitimæ portionis, quæ duæ Conſtitutiones
ſeſe referunt ad invicem. Prima enim tribuit legitimam
jure Naturæ debitam, quam pro numero liberorum auxit
Juſtinianus in trientem & ſemiſſem, ad excludendam que-
relam inofficioſi. Nam ſi contingeret taliter hæreditatis
ſubſtantiam per legata evacuari, ut debitum filii inde ha-
bere non poſſint, quæritur quid Juris? & reſpondebant
mihi, numerum liberorum exprimendum, ſi quatuor aut
pauciores trientem vel quadriuncium, ſi verò ultra, ſe-
miſſem adjudicare oportebit. *per d. Nov. 18. cap. 1.* per
quodnam medium his hæredibus ſatisfiet? niſi per legem
Falcidiam, quæ neceſſariò inde deſumi debet, præſertim

cum alio textu deſtituamur, cujus Falcidiæ meminit *Nov.* *92.* ad decimam octavam ſe referens, quam Imperator eo
21 quoque extendit, ut etiam, ſi fortè donationes immenſæ tàm in aliquos liberorum reliquis excluſis, quàm etiam extraneos collatæ ſint, conferantur ad bona reliqua, ut Falcidia detrahi, & legitima augeri, illique à donationibus excluſi, hæredes à majori damno alieni eſſe poſſint.
22 Quam aſſertionem ulterius extendere non vereor, ut etiam Trebellianica quarta in perſonâ filiorum eadem Conſtitutione mutata ſit in Semiſſem & Trientem. *Vi iſtius Novell. 18. cap. 1.*

SECTIO IX.

De honorabili titulo Inſtitutionis in teſtamento.

SUMMARIA.

1 *Olim quocunq; titulo relinqui poterat legitima.*
2 *Hodie titulo Inſtitutionis.*
3 *Correctio Novellæ 18. per Novellam 115. cap. 3.*
4 *Ratio: quia aliàs jus accreſcendi ceſſaret.*
5 *Non eſt neceſſe, ut tota legitima relinquatur titulo Inſtitutionis.*
6 *Nam pars actione ad ſupplementum peti poteſt.*
7 *Filius in paucis thaleris inſtitui poteſt ad hunc finem.*
8 *Non poteſt peti legitima petitione hæreditatis.*
9 *Neque Judicio famil. erciſcund.*
10 *Sed condictione ex lege.*
11 *Differentia querelæ inofficioſi, & petitionis legitimæ ex lege.*
12 *Suppletur legitima per eos, qui poſſident res hæreditarias.*
13 *Ex ſubſtantia defuncti.*

1 EXpoſitâ legitimæ portionis origine & naturâ, ordine examinatur, quo titulo deferatur, ad hoc, ut ſaltem inofficioſi querela excludatur? olim quidem quocunque, & non tantùm hæredis titulo, verùm etiam legati, fideicommiſſi vel donationis. *l. 8. §. 6. ff. de inoff. teſt. Auth. No-*
2 *viſſima. Cod. eod. Nov. 18. cap. 10.* Hodie autem honorabili titulo Inſtitutionis. *Nov. 115. cap. 3 pr.* per quam derogatum eſt *d. Nov. 18.* & juri veteri, quo filius etiam optimus quo-

quocunque Titulo relictâ legitimâ exhæredari poterat, quam injuriam Imp. Juſtinianus tollere voluit, ut ipſe profitetur. *d. Nov.115.* & id aſſeritur optimo fundamento de- 3
ſumpto à præcipuâ ſubſtantiâ teſtamenti, nempe inſtitutione hæredis, qui proximior cenſetur ſicuti filius: inconveniens namque videretur ipſum honorabili Titulo tanquam proximum defraudare. Datur & hæc ratio: ut per jus accreſcendi portio vacans accedat, quod aliàs fieri non poſſet. *l. 14. Cod. de fideicom.* quoniam, ſi titulo Legati vel ſimili legitima relicta eſt, hæredibus vel repudiantibus, vel non adeuntibus, filio ſive alii legatario nihil accre- 4
ſcit. *d. l. 14.* quam opinionem probat *Bartol. in d. Nov. 18. in pr. n. 4. Duar. ad tit. ff. de inoff. teſt. Covar. c. 16. §. 1. n. 1. X. de teſt. Coraſ. in l. 24. Cod. famil. erciſc. Didac. de Spin. tit. de Inſtit. hæred. num. 30.* quod tamen non ita accipiendum, 5
ac ſi omne id, quod jure Naturæ debetur, ſolo Titulo inſtitutionis relinquere neceſſe ſit, cum alio titulo ſingulari relinqui poſſit, ſaltem pars aliqua, reſidua verò, quâcunque actione ad ſupplementum peti, adeò ut quocunque titulo 6
relicta in legitimam imputentur: quinimo in re ſingulari *in paucis* etiam thaleris filium inſtitutum fuiſſe, ſufficere 7
exiſtimant Doctores, quos refert & ſequitur *Jaſon. in dict. Auth. Noviſſima. n. 15.* Quæ verò hæc ſit actio ad petendam legitimam? diſputatur. *Schneidew. §. actionum. rub. de pet.* 8
hæred. n. 9. petitionem hæreditatis admittit ideò, quia hodie legitima eſt relinquenda titulo & jure inſtitutionis, id eſt, jure hæreditario *Nov. 115. cap. 3.* Sed falſò aſſeritur: 9
quia hæreditatis petitio non datur contra verum hæredem. Nec mihi probatur ſententia eorum, qui hoc noſtro caſu judicio familiæ erciſcundæ locum eſſe contendunt, niſi, quatenus per conſequentiam diviſionis de quantitate diſceptatur. Reſtat ergò hoc loco condictio ex lege & ſpeciali jure *per l. 29. Cod. de inoff. teſtam.* fundamento *l. uni. ff.* 10
de condict. ex lege. Joan. Harpprecht. Exercit. Imperial. pag. 295. ubi

ubi affert differentiam hujus actionis à querelâ inofficioſi, quod hæc quinquennio extinguatur, illa verò cum ſit condictio ex Conſtitutione Principis duret *ad XXX.* annos
11 uſque *l. 3. Cod. de præſcript. 30. vel 40. annor.* Niſi jus illud petendi Legitimam competat intentatâ primo querela, quod eſt, quando filius cum cauſæ inſertione exhæredatus eſt, quæ cauſa non probatur per hæredes: hoc enim caſu jus illud petendi legitimam vel ſupplementum legitimæ finitur quinquennio, quoniam ſicuti præſcriptum eſt querelæ, præſcriptum etiam erit juri petendi legitimam, quæ non poteſt peti, niſi primo intentatâ que-
12 relâ, ſuppletur autem legitima ab omni poſſidente res hæreditarias pro ratâ & à quolibet Legatario. *Bart. in l. in quartam. prope fin. ad Leg. Falcid.* cum ſit onus reale, ut patet *ex l. Scimus. pr. Cod. de inoff. teſt.* ubi dicitur hoc debere
13 fieri ex ſubſtantiâ defuncti.

SECTIO X.

De Imputatione Legitimæ.

SUMMARIA.

1 *Quænam res in legitimam imputantur?*
2 *De hac regula generalis proponitur.*
3 *Methodi ratio.*
4 *An dos, quæ à matre ad neptem pervenit, imputetur in legitimam,*
5 *Epitheta circa hanc quæſtionem.*
6 *Diſſentientes Bartolus & Baldus.*
7 *Quidam conantur conciliare diſcrepantes has opiniones.*
8 *Bartoli opinio probatur, propter abſurdum alias emergens.*
9 *Quæſtio pro amico potius dici poſſet.*
10 *An feuda imputentur in Legitimam? acriter controvertitur.*
11 *Feudum antiquum hæreditarium imputatur.*
12 *Feudum antiquum ex pacto & providentia non imputatur.*
13 *Ejusmodi feuda ſunt omninò ſeparata ab hæreditate.*
14 *Feudum novum imputatur.*
15 *Ex feudo primogenito debito, & titulo lucrativo acquiſito, ne quidem debetur æſtimatio.*
16 *Licet etiam alia bona non ſuperſint.*

17 De

17 De feudo oneroſo titulo acquiſito ponitur caſus.
18 Quidam denegant legitimam ex iſto feudo per rationes allegatas.
19 Rectius contrarium ſtatuitur, ut æſtimatio debeatur.
20 Alias facilè legitimâ defraudarentur ſecundo-geniti.
21 Legato fundo dotali, ſaltem debetur æſtimatio.
22 Legatis bonis immobilibus aliàs alienari prohibitis debetur æſtimatio.
23 Si legetur feudum pro anima, quod non poteſt legari, ſaltem debetur æſtimatio.
24 An filiæ poſſint detrahere legitimam ex feudo.
25 Ex feudis meris hæreditariis detrahitur earum legitima.
26 Feuda hæreditaria ſunt pars hæreditatis.
27 Feuda hæreditaria mixta denegant detractionem legitimæ.
28 Lege feudali contrarium non reperitur diſpoſitum.
29 Fœminæ in ſucceſſione feudorum non agnoſcuntur.
30 Idem dicendum de feudo antiquo ex pacto & providentiâ.
31 In feudo novo ex pacto & providentiâ repelluntur quoque fœminæ quoad imputationem legitimæ?
32 An in feudo novo empto poſſint detrahere legitimam quæritur?
33 De jure ſtricto non poſſunt.
34 Secus de æquitate.
35 Cum ejusmodi feudum donationi æquiparetur.
36 Alio modo poſſet pater totum patrimonium exhaurire, & ita privare filios legitimâ.
37 Manzius fictionem inducit, ac ſi pecunia adhuc eſſet in bonis hæreditariis.
38 Facbinæus diſtinguit, ſi dotem congruam acceperint, eas repellit, ſecus ſi ſuccedant.
39 Non augetur filiis legitima ratione bonorum feudalium.
40 De feudali ſucceſſione inferius pluribus dicetur.
41 An ſumptus ſtudiorum in legitimam imputentur?
42 Præjudicio Saxonico id confirmat Carpzov.
43 Studiorum expenſæ pietati paternæ aſcribuntur.
44 Hunnii argumentatio à dotis conſtitutione ad erogationem hujusmodi ſumptuum.
45 Hunnii ſententia non multum ponderis adjicit noſtræ opinioni.
46 Duæ limitationes opponũtur prædictæ ſententiæ,
47 Uberior tractatus de legitimâ imputanda apud Carpzov.

DE rebus in Legitimam imputandis arduè ubique controvertitur. Regula tamen generalis eſt: quod omnia 1
illa, quæ ex defuncti ſubſtantiâ & patrimonio capiuntur, & 2

F ſive

ſive titulo Legati, fideicommiſſi, aut donationis cauſâ obveniunt, in legitimam imputentur. *Card. Tuſch. Tom. 5. pract. concluſ. lit. L. concl. 101. l. 35. §. repletionem. Cod. de inoffic. teſt.* Specialiter autem de his diſſerere lubet, ita ta-
3 men ne faſtidioſum lectorem reddamus, proponentes aliquot quæſtiones: Cum inſtitutum noſtrum non ſit tractatum teſtamentarium ita fuſè tradere, ſed ſaltem præcipuis quibusdam quæſtionibus ſcopum noſtrum attingere, qui eò potiſſimum tendit, ut modi ſucceſſionum varii tàm juris privati, quàm publici proponi poſſe explicentur.

Prima verò controverſia erit de dote filiæ relictâ, an
4 nempè illa dos, quæ à matre ad neptem pervenit, in Le-
5 gitimam hujus neptis imputari debeat, nec ne? quam quæſtionem multis Epithetis Doctores cumulant, nominantes illam pulchram & de pane lucrando, ſicut *Paul. de Monte Pico. in l. in quartam. 91. ff. ad Leg. Falcid.* gravem *Menoch. conſ. 153.* famoſam, terribilem, *Anton. Theſaurus in Deciſ. Pedemont. 237. n. 10.* alii altam & diſputabilem, quotidianam, ſubtiliſſimam, frequentiſſimam & arduam,
6 quod graves illi Juriſconſulti *Bartolus & Baldus* diſſentientes abundè teſtantur: Ille enim dotem maternam legitimæ neptis imputandam eſſe docet. *Baldus* verò ſecus exiſtimat, veteri fortè illâ Advocatorum *Jacobi de Bello-viſo, Franciſci Tigri de Piſis, Andreæ de Monte Ubiano,* doctrinæ
7 innixus. Has diſpares opiniones quidam conciliant, utrum per ſtipulationem patris dos filiæ & hæredibus obveniat? Et tunc *Baldi* rationes defendunt, aut obveniat dos jure hæreditario, ut nepotibus, non ut filiæ ex pacto & providentiâ. Ita *Bartoli* mens prævalere dicitur. Alii aliter diſtinguunt, ut videre eſt apud *Andream Rauchbar. Quæſt. Jur. Civil. & Saxon. quæſt. 18.* ubi Bartoli opinionem com-
8 muniorem & veriorem dicit ad excludendam inofficioſi querelam, *per l. 18. §. fin. Cod. de collat.* eò quod nepotes & neptes avo ſuccedentes dotes & donationes propter nuptias

ptias patruis, amitis, avunculis, vel materteris conferant. Et abſurdum eſſet matrem ad dotis imputationem teneri, filiam verò & hæredem ejus non teneri, quæ tamen in matris jus ſucceſſit. *l. 54. l. 59. ff. de Reg. Jur.* argumenta in contrarium videantur apud *Rauchbar. d. Quæſt. pag. 215.* Quidquid ſit, *cum de hac quæſtione tàm variæ & diſcrepantes Interpretum extent ſententiæ, & pleræque ex his rationibus & fundamentis probabilibus nitantur, & quælibet opinio ſuos Sectatores habeat eximios & magni nominis Juriſconſultos, non abſurdè dixeris, quæſtionem hanc inter eas referri & numerari poſſe, quas pro amicis quidam appellant, eò quod plerumque in gratiam & ad votum amicorum decidi ſoleant. quanquam & in his potior ratio veritatis, quàm amicitiæ haberi debeat.* 9

Similem nodoſam & multiplicem quæſtionem proponunt *Bartolus, Schraderus* & alii de feudis, an illa in legitimam imputentur? in cujus ſolutione anxiè laborant, & tandem diſtinctione expediunt. Etenim vel quæritur primò, de feudo antiquo hæreditario, ut ſic, vel planè hæreditario & ad quoscunque hæredes tranſeunte, & illud in legitimam imputari ex Neapolitanorum ſententiâ colligere poſſum; quoniam jure hæreditario defertur, & ab hæreditate ſeparari non poteſt. *Gail. 2. obſerv. 154. n. 15.* Licet contradicatur ex Sylcanorum opinione contrarium ſtatuente. 10 11

Secundò aut ſermo eſt de feudo antiquo ex pacto & providentiâ: Et iterum duæ opiniones deprehenduntur. Plurimi tamen eò tendunt, ejusmodi feudum in legitimam non imputari: cum tanquam æs alienum filiis debeatur, & præcipuum deducatur, ſitque inſtar bonorum adventitiorum, quæ in legitimam non imputantur. *Bernard. Wurmſ. Pract. Forenſ. lib. 1. Tit. LI. obſ. XI.* nec in collationem veniunt. *l. fin. Cod. de collat.* Deinde ejusmodi feuda ex pacto & providentiâ omninò ſeparata ſunt ab ipſâ 12 13

hæreditate, quæ nihil confert ad ſucceſſionem feudi, cum feudum, non ſit quid hæreditarium, ſed diverſam & ſeparatam habeat naturam ab ipſa hæreditate, *Gail. d. obſerv. num. 14. Alexand. in l. ſi patroni. ff. ad Sct. Trebell. & conſil. 29. n. 4. vol. 1.*

14 Aut tertiò denique fit mentio feudi novi, & illud in legitimam imputari certum eſt, etiamſi pater hoc uni filio aut primogenito aſſignavit, & hoc ſive gratuitò ſive datâ pecuniâ, vivo patre, vel quod filius poſt mortem ejus habeat, conceſſum ac datum eſſet. *Bernard. Wurmſ. d. obſ. 12.*

15 Quid autem, ſi fortè feudum uni filiorum ſoli aſſignatum ſit, & ob id reliqui filii in legitimâ fraudati fuerint, num ipſi ex feudo legitimam, aut denegatâ legitimâ, ex ipſo feudo æſtimationem petere poſſint? Doctores plerumque hîc diſtinguunt inter feudum lucrativo titulo acquiſitum, vel oneroſo. Si Feudum Titulo lucrativo acquiſitum, ex ſe & naturâ ſuâ petat uni aſſignari, uti eſt feudum primogenituræ ſubjectum, tum legitimam reliquos petere & conſequenter primogenitum illam de hoc feudo ſolvere cogi non poſſe, rectè profitentur *Schrader. de feud. p. 7. c. 5. n. 15. Menoch. conſ. 104. n. 14. vol. 1. & conſ. 44. n. 24. & ſeqq. cod. And. Tyraq. Tract. de primogen. Q. 2. num. 66. & Q. 5. n. 2. Roſenth. Tract. de feud. c. 7. concl. 13. Burſ. conſil. 132. n. 14. Paul. de Caſt. conſ. 179. n. 1. ſub fin. Hartm. Piſtor. Q. 38. n. 19. lib. 2. part. 2. Bl. in Auth. Ex teſtamento. Cod. de*
16 *collat. num. 39.* qui illam opinionem communem dicunt & magis receptam: Ex quibus *Roſenth. d. loco.* eo extendit illam, ut, quantumvis alia etiam bona non ſuperſint, nullo modo legitima detrahi poſſit ex ejusmodi feudo primogenituræ ſubjecto, niſi quis velit partem pro honeſtâ ſuſtentatione aſſignare. *Franc. Burſ. conſ. 132. num. 18. lib. 2.* Aut ſaltem ſit feudum tale, in quo ſecundogenitus pariter cum primogenito ſuccedit, ſed propter indiviſibilitatem ſui manet apud primogenitum, ex quo ſecundogenito re-

ctè

&c legitima debetur, non quidem, ut ex ipſo feudo detrahatur, ſed ut ex aliis bonis particularibus vel pecuniâ ſolvatur. *Berlich. p. 3. c. XI. p. 85. ex Guid. Pap. deciſ. 476. n. 1. & ſeqq. Roſenth. d. l. Nicol. Boer. 204. n. 14. & 29.* De hiſce *infra cap. 3. ſect. 2.* hac parte primâ pluribus videbimus.

De feudo Titulo oneroſo acquiſito major oritur difficultas. *Matth. de Afflict. d. Tit. feud. de probib. feud. alien. pag. 709. num. 27. ponit caſum, ſi pater emat feudum valoris mille ducatorum, & in ipſo feudo vivatur Jure Franconum, & moriatur pater ab inteſtato, vel fecit teſtamentum, & nihil dixit de pretio feudi relicto primogenito & aliis, Primogenitus autem ſuccedat in feudo, quia vivitur jure Franconum, dicunt fratres alii, poſtquam nos non ſuccedimus in iſto feudo novo, ſaltem debemus ſuccedere in æſtimatione ipſius feudi, quia ſi pater non emiſſet feudum, eſſent mille in hæreditate, qui dividerentur inter nos. Primogenitus denegat ſolvere æſtimationem, quia dicit, quod virtute primogenituræ ipſum habeat feudum, & conſequenter ejus æſtimationem, aliàs quid ſibi daret primogenitura, ſi deberet ſolvere æſtimationem.* Doctores in hoc propoſito caſu in diverſas abeunt ſententias, quidam in negativam, quod non debeatur æſtimatio, ex eo quod illa, quæ poſt mortem patris acquiruntur, non veniant in collationem. *Auth. Ex teſtamento. Cod. de collat. l. ſi donatione. 13. l. ſi emancipati. 9. Cod. eod.* At cum feuda talia primogenito debita ſaltem poſt mortem ipſi acquirantur, hinc non veniant in collationem, ſi non veniant in collationem, conſequenter non debetur æſtimatio. Aliud argumentum deſumunt à peculio caſtrenſi, cui aſcribunt feuda, quod peculium caſtrenſe non venit in collationem. *l. 1. §. Nec caſtrenſe. 15. ff. de coll. bon.* quod autem feuda ſint peculium caſtrenſe ex eo probant, quod ea, quæ habentur à Principe vel Lege, vel Conſuetudine, cenſeantur caſtrenſia, ſed feuda à Principe conceduntur: ergò. *Vid. Matth. de Afflict. d. l.*

17 18

19 Rectius verò alii contrarium aſtruunt, dicentes: licet tale feudum utpote indiviſibile reſpectu conſuetudinis, in collationem non veniat, legitimam nihilominus ex eo cæteris filiis deberi, non quidem ex ejus corpore, ut pars feudi aſſignetur, ſed æſtimationem, ſeu pretium, quod eſt in hæreditate, bene dividendum eſſe inter fratres, quoniam hoc caſu pater feudum tale emendo, cenſetur pecuniam filio primogenito donare, quæ donatio meritò con-
20 ferenda eſt. *Berlich. d. concl. n. 30.* ne facilè eſſet patri filios ſecundogenitos legitimâ fraudare, aut ſaltem æſtimatione debitâ. *Lucas de Penna in l. 1. Cod. de impo. lucrat. deſcript.*
21 *lib. 10. in 3. col.* Quemadmodum enim ſi Maritus fundum legat dotalem alicui, debetur æſtimatio, ſic in propoſito caſu, licet alii fratres ſint incapaces feudi propter exiſten-
22 tiam primogeniti, tamen debetur eis æſtimatio: ſic, ſi (diſponente fortè ita Statuto) bona immobilia non poſſint alienari in ſubditos, & nihilominus iis relinquantur in teſtamento; licet non valeat tale relictum in re, tamen debetur æſtimatio. Quantumvis etiam fratres Prædicatorum ſint mendicantes, & eis non poſſint legari im̃obilia, tamen poteſt iis legari, ut vendant & habeant pretium con-
23 vertendum pro eorum alimentis. Eodem modo quod ſi legetur feudum pro anima, quod aliàs legari non poteſt, ſaltem debetur æſtimatio, ſecundùm *Hoſtienſem in c. Filii. X. de teſt.* Ita quoque de hoc feudo ratione æſtimationis dicendum erit, etiamſi feudum tale tempore mortis patris augmentum receperit, quod tempore contractus non habuit. *Jaſ. in l. Illud. Cod. de collat.*

De filiabus non minus exiſtit difficultas: num legiti-
24 mam ex feudis detrahere poſſint? *Fachi. lib. 7. Controv. cap. 46. Manz. Tract. de legitimâ. Q. 38.* diſtinguunt utrum feudum ſit merè hæreditarium, vel mixtum: ſi primum,
25 ad omnes hæredes maſculos & fœminas, imò etiam extraneos tranſire dicunt, ita ut eo ipſo, quo aliquis eſt hæ-

res,

res, feudum obtinere poſſit. Conſequenter legitimam filiarum ex iis detrahendam eſſe, vel ſaltem præſtandam æſtimationem Doctores concludunt. *Hartm. Piſt. lib. 1. part. poſt. Q. 38. n. 34. Gail. 2. obſ. 154. n. 9. Marian. Socin. conſ. 114. n. 9. vol. 3.* Ex hac potiſſimum ratione: quoniam e- 26
jusmodi feuda ſunt pars hæreditatis, & cenſentur de corpore & bonis hæreditariis, ex quibus legitima debetur tanquam portio ab inteſtato debita.

Si Alterum nempè hæreditarium, ſumptum pro eo, 27
quod quis pro ſe & ſuis hæredibus acquirit, quorum appellatione veniunt maſculi excluſis fœminis, & ab Interpretibus hæreditarium mixtum nuncupatur: hoc caſu fœminis Legitima denegatur. *Fach. & Hart. Piſtor. d. l. Schrader. in Tract. Feud. p. 7. cap. 5. num. 46. Petr. Heigius Q. 25. num. 3. 6. & 7. cum ſeqq. Herm. Vulte. Tract. de Feud. c. 9. num. 58.* ratio: quia nulla Lege Feudali contrarium 28
cautum reperitur. Deinde æquitas ſpecialiter ſcripta in allodiis non extenditur ad rigorem generalem in feudis, imò hic rigor ſpecialis feudalis præferri debet æquitati non ſcriptæ. *Heig. d. l.* Accedit & hæc ratio, quod ex bonis alienari prohibitis, qualia dicuntur feudalia, non detrahatur Legitima, quæ ſolummodò ex bonis paternis debetur, ubi quis ab inteſtato ſuccedere poteſt.

Denique cum Conſtitutiones feudales in feudorum 29
ſucceſſione fœminas omninò non agnoſcant. *c. 1. de his, qui feud. dar. poſſ.* conſequens eſt, ſi toto feudo fœminæ repellantur, quod & à parte removeantur, denegatâ inſuper æſtimatione, conferatur *Heigius d. l.* ubi ſeptem affert rationes. Idem quoque dicendum reor de feudo ex pacto & 30
providentiâ antiquo: cum non diſtinguatur à feudo hæreditario mixto. *Manz. d. l.* & hoc propter inhabilitatem ſucceſſionis feudalis. *Berlich. p. 3. Con. XI. n. 33.*

Reſtat ut videamus, an ſaltem ex feudo novo filiæ Le- 31
gitimam rapere poſſint? vel enim eam quærere intendunt

dunt ex feudo novo, ex pacto & providentiâ, quæſito, non pecuniâ, ſed militiâ, vel alio modo, aut etiam gratiâ Principis & denegatur: Si filio ſecundogenito ex feudo novo, in quo ſolus primogenitus ex conſuetudine ſuccedit, non debeatur, ut vidimus, quomodo filia quid inde ſperare poteſt? quæ perpetuò à ſucceſſione feudi eſt excluſa.

32 Vel ſaltem fundantur in illo feudo novo pecuniâ empto, ut Legitimam conſequantur: Et reſpondetur de jure ſtricto vix eſſe, ut illam conſequi poſſint: eò quod à ſucceſſione feudorum repellantur, ut latè diſſerit *Fachin. cap.*
33 *47. Manz. d. l. Berlich. n. 45.* Æquitate nihilominus pe-
34 nitus inſpectâ & ſemoto rigore Juris, contraria affirmativa videtur probabilior. *Manz. l. c.* quod nempe filius ſucceſſor feudi pecuniâ acquiſiti ſororibus ſuis Legitimam ſolvere debeat, & feuda ſint computanda in favorem filiarum ad augendam earum legitimam portiónem. Ratio eſt: quoniam cum pater emit feudum filiis ſuis, ad quos vult illud poſt mortem ſuam pervenire, perinde eſt, ac ſi pecuniam, quam expoſuit in emptione feudi, donaret ipſis
35 filiis. Sicut ergò, ſi tantam pecuniam filiis donaret, ut filiæ portionem Legitimam non haberent, ejusmodi donatio tanquam inofficioſa reſcinderetur usque ad legitimam portionem filiarum. *l. 5. l. 7. & 8. Cod. de inoffic. donat.*
36 Ita quoque dicendum eſt, ex feudi æſtimatione Legitimam eſſe deducendam pro filiabus. Adeò ut licet feudum obtinere non poſſint, ſibi tamen debitam portionem conſequantur in pecuniâ. *argum. c. 1. §. 1. ſi duo de frat. de nov. benef. inveſt.* alioquin ſequeretur iſtud abſurdum: patri licere omnes facultates & bona ſua in emendis Feudis exhaurire, atque ita filios Legitimâ privare; quod quia directò facere non poteſt, etiam
37 per indirectum non poterit. Idem *Manz.* fictionem aliquam Juris hîc induci poſſe credidit ad amputandas omnes difficultates, ac ſi ipſa pecunia in maſſâ hæredita-

dinaria adhuc eſſet, quâ illud Feudum emptum diceretur.

Fachinæus diſtinctione rem expedit *L.7.cap.47.* ſi filiæ 38
ex conſuetudine vel Statuto aut renunciatione juratá ſint excluſæ à ſucceſſione bonorum patris, congruâ dote acceptá, quod illâ contentæ eſſe debeant, aut etiam elocatione petitâ ceſſet legitimæ petitio, ex feudo emptitio: In arbitrio enim filiarum eſt, an dotem & elocationem, an Legitimam eligere velint. *Carpzov. Jurisprud. Forenſ. part.3. Conſt. IX. definit. 32. ex Conſt. Elect. Sax. & Jacobo Thoming. deciſ. 2. num. ult.* ſi verò ſuccedant in hæreditate paternâ unà cum filiis, Legitimam tribuit ex ejusmodi feudo, præcipuè ſi omnia bona patris ſint feudalia, vel ſi non omnia, ſaltem major pars & tanta, ut ex paternis bonis aliis ferè nihil ſuperſit, ex quibus & alimenta & Legitimam habere posſint. *Fachin. l.c.* Ubi appoſitè monet, caſu quo Legitimam 39
filiæ ex allodialibus habere poſſint integram, non propterea eam augeri ratione bonorum feudalium etiam titulo oneroſo acquiſitorum. Ratio: quia legitima eſt portio portionis ab inteſtato debitæ. At filiæ non ſuccedunt patri *in illis* feudis emptis. Et conſequenter ex iis portionem habere, aut querelâ inofficioſæ donationis agere minimè poſſunt. Vid. *Berlich. Fachin. Manz. Hunn. in loc. alleg.* De feudis amplior erit dicendi campus, quando de ſucceſſione feudali ex profeſſo infra tractabimus. 40

Eſt quoque quod quæramus occaſione Legitimæ imputandæ, an & ſumptus ſtudiorum in Legitimam imputari 41
poſſint? & breviter reſpondetur quod non: propter favorem, qui pro ſtudiis liberalibus militat. *l. Quæ pater. 50. ff. famil. erciſcund.* hiſce verbis: *Quæ pater filio emancipato ſtudiorum cauſâ peregrè agenti ſubminiſtravit, ſi non credendi animo pater miſiſſe fuerit comprobatus, ſed pietate debitâ ductus, in rationem portionis, quæ ex defuncti bonis ad eundem filium pertinuit, computari æquitas non patitur.* Nec eſt quod negotium

G faciat,

faciat, ſermo de filio emancipato tantum: cum illud magis in ſuo obtineat, quem majori proſequitur amore, quam e-
42 mancipatum. Præjudicio Saxonico confirmat *Bened. Carpzov. Juriſpr. For. part. 3. Conſt. XI. Def. XVII.* in cauſa cujusdam Friderici Gutbiers zu Weiſſenſee / A. 1633. die jenige Unkoſten aber / ſo auf euer ſtudiren gewendet worden / möget ihr in gemeine Erbſchafft zu conferiren / beſtändiger Weiß nicht angehalten werden. V. R. W.

Secundò probatur *l. 1. §. ſed an id. ff. de collat. l. 20. §. 6.*
43 *ff. famil. erciſc. l. 5. Cod. ad SC. Maced.* ubi ſtudiorum expenſæ pietati paternæ aſcribuntur.

44 *Hunnius Vol. poſt. diſp. XVII. pag. 355. n. 7.* argumentatur à neceſſitate dotis conſtituendæ, ad neceſſitatem erogationis ſumptuum ſtudiorum, eò quod quoad iſtam neceſſitatem conſtituendi æquiparentur, nec non privilegia ſtudiorum ex iisdem cauſis promanarint, ex quibus privilegia dotis. Argumento *Auth. Habita. Cod. Ne filius pro patre.* juncta. *l. Aſſiduis. 12. Cod. qui pot. in pign. Et majorem,* aſſerit, *eſſe cauſam ſtudiorum quàm dotis, cum Reip. interſit quidem civibus legitimis repleri, quod occaſione dotis fit, magis tamen interſit Reip. optimis eam repleri civibus, quales literarum ſtudiis effici ne-*
45 *gari non poteſt.* Hæc Hunnii argumentatio non multum importat ad ſtabiliendam Theſin, neceſſitas enim illa dotis conſtituendæ non ſtatim hunc effectum tribuit, quominus in Legitimam imputetur: quod in erogatione ſumptuum ſtudiorum cauſâ aliud eſt, qui non imputantur, & alimento-
46 rum loco habeantur, quæ à patre debentur filiis: quod tamen ita accipiendum ſecundum *Treutl. Diſp. XVII. de coll. bon. l. b.* Primò, niſi pater adminiſtraverit filii bona caſtrenſia vel quaſi, tùm enim, in dubio, animo repetendi ſuppeditaſſe cenſetur. Secundò, niſi filius ſumptus illos peſſimè prodegerit, quas limitationes pro more ſuo invehitur *Ba-*
47 *chov. vol. 2. Diſp. XVII. de collat. lit. H.* Quæ porrò in Legitimam imputentur, videre eſt apud *Berlich. part. 3. Concluſ.*

cluj. XVII. Carpzov. aict. Part. 3. Const. XII. per totam, ubi pulchrè de gerada diſputat ex Jure Saxonico & Præjudiciis.

SECTIO XI.

De Institutione Liberorum Naturalium ſive Illegitimorum.

SUMMARIA.

1 *An Liberi naturales æquè, inſtituendi veniant ac Legitimi?*
2 *Qui dicantur Liberi naturales?*
3 *Pater non tenetur illos hæredes inſtituere, vel in quacunque ultimâ voluntate quid illis relinquere.*
4 *Habentur pro extraneis.*
5 *Poteſt tamen relinquere Unciam, ſi adſint legitimi.*
6 *Deſcendentibus deficientibus, & aſcendentibus relictis, quomodo inſtitui poſſint?*
7 *Omnibus deficientibus poſſunt in ſolidum inſtitui.*
8 *Mater tenetur illos inſtituere vel ritè exhæredare.*
9 *Spurii quinam ſint?*
10 *A ſucceſſione paternâ repelluntur ſpurii tanquam indigni.*
11 *Fiſcus tale relictum à Patre invadit Legitimis non exiſtentibus.*
12 *Benignitas Juris Canonici, ratione alimentationis Spuriorum.*
13 *Si palam ſit relictum quid, manet apud hæredes.*
14 *Si verò ſit tacitum fideicommiſſum, ſuccedit fiſcus.*

Quæ hactenus de neceſſariâ inſtitutione vel exhæredatione Liberorum ex legitimo thoro procreatorum dicta ſunt, an & eadem de naturalibus, ſpuriis & damnato coitu natis dici poſſint? differemus, 1

Naturales autem dicuntur, qui ex concubinâ nati ſunt, 2 in quâ adulterii, ſtupri vel inceſtus crimen non committitur, & quam unicam in domo atque indubitato affectu conjunctam quis habet, quæ poſſet eſſe uxor: Attamen filii ex tali coitu nati, legitimi non ſunt, ſed naturales tantùm, quos hæredes inſtituere, exhæredare, vel iis aliquid 3 inter vivos dare, vel in ultima voluntate relinquere pater

 nullo

nullo Jure, neque Civili, neque Prætorio, ſive veteri, ſive
4 novo cogi poteſt: Quia loco extraneorum ſunt. *l. ult. Cod. de natur. liber.* nihilominus tamen, ſi quid relinquere deſtinaverit, nec in modo nec in quantitate excedere debet.
5 Aut enim concurrunt Legitimi cum Naturalibus, tùm condens teſtamentum, relinquere poteſt Unciam ſive duodecimam partem hæreditatis & non ultra.

Aut deſunt Legitimi deſcendentes relictis aſcendenti-
6 bus: & tùm relictâ tertiâ parte Naturales in duabus reliquis inſtitui poſſunt, vel econverſo. Aut denique neque deſcendentes Legitimi, neque aſcendentes adſunt: tùm li-
7 berum eſt naturales in ſolidum hæredes inſtituere. *Auth. quib. mod. natur. effic. ſui. §. neque igitur. Matth. Steph. ad Nov. 89. pr.* quod olim fieri non poterat, quo tempore tantum ſemiſſem unà cum matre hi liberi ex teſtamento patris ſui capere poterant. *l. Humanitatis. 8. Cod. de Natur. liber.*

In matre verò & avo, vel aviâ maternâ aliud Jus ob-
8 ſervatur. Tenentur enim neceſſariò liberos ſuos, non tantùm naturales de concubinâ natos ex patre videlicet certo & cognito, ſed etiam vulgò quæſitos inſtituere, aut nominatim cum cauſâ Legibus cognitâ exhæredare vel præterire, quemadmodum in Legitimis obſervatum, quoniam in ſuccedendo matri non differunt, imò de inofficioſo quoque agunt in bonis maternis. *l. Si ſuſpecta. 29. §. 1. ff. de inoff. teſt.* Econtra etiam mater & aſcendentes materni inſtitui debent à naturalibus, vel exhæredari, & eis ſuccedere quemadmodum ſi eſſent Legitimi ac naturales ſimul. *§. ult. Inſt. ad Sct. Tertull.*

9 Spurii ſunt, qui ex adulterio, vel alio inceſtuoſo, nefario vel damnato coitu nati ſunt, in Legibus duriter tractantur, &, tanquam paternæ ſubſtantiæ indigni, non tan-
10 tùm omninò & ignominioſè à ſucceſſione paternâ repelluntur, ſed neque à parentibus hos ali neceſſe eſt, cum

hac

hac ulteriori extenſione, ut ſi quid inter vivos, vel etiam per ultimam voluntatem eis dederint, vel per ſe, vel per alium, totum retractetur, annulletur, & Legitimis red- 11
datur, aut etiam his, vel aliis proximioribus non extantibus, fiſcus tale relictum invadat cum pœnâ quadruplici, & inſuper perquirat cum ſævâ quæſtione tormentorum concubinæ inferendorum, ut exprimat veritatem donatorum, vel commendatorum ei, vel alii pro eâ. *Auth. quib. mod. natur. effic. ſui. l. 1. Cod. de Natural. liber.* Benignitate tamen Juris Canonici, durities illa denegans alimenta, 12
mutata eſt. *c. cum haberet. in f. de eo qui dux. in matrim. quam poll. per adult.* Jus Civile autem non intelligendum eſſe docet *Harprecht. Tit. 1. Inſt. lib. 3. Tit. de ſucceſſ. liber. ex damnat. coit. nat.* de alimentis, ſine quibus ejusmodi liberi vitam amitterent: id namque apertè eſſet contra Jus Naturale; ac proinde manifeſtè iniquum, ſed de alimentis, ſine quibus vel proprio labore ac induſtriâ, vel aliquâ aliâ viâ non poſſent vitam conſervare. *ex Ludov. Molin. T. 1. de Juſt. & Jur. Tit. 2. diſput. 168. num. 1. & 3.* Et hoc non tantum in terris Eccleſiæ, ſed etiam in terris Imperii. Vid. dicenda infra de ſucceſſione Naturalium & Illegitimorum in materia inteſtati. Dubium mihi nihilominus remanet in eo, an relictum illud ſpurio non in parvâ quantitate exiſtens, ſemper apud hæredes remanere debeat, aut fiſco locus aliquando ſit, excluſis hiſce hæredibus? *Bartolus ad* 13
Tit. de his, quib. ut indig. in l. ult. rejecto poſtremo hoc aſſerto militante pro fiſco, rectius ſtatuit hæredes ſcriptos vel etiam ab inteſtato venientes vocandos eſſe ex *Richard. Malumb.* ſententiâ. Aut enim filii totaliter ſunt incapaces, & habes propoſitum: Aut ſunt indigni ſine culpâ ſuâ & alieno vitio laborant: tunc ſimiliter non applicabitur fiſco, ſed remanebit apud hæredes ſcriptos vel venientes ab inteſtato. *l. Aufertur. 46. l. Non intelligitur. 3. §. Si quis palam. 1. ff. de Jur. fiſc.* Ubi quando quid palam relinquitur,

hæres nullam patitur pœnam : ſed ſi certis perſonis deberetur, hæres eam utique pateretur. Nec confirmant priorem ſententiam. *l. 1. Cod. de natur. lib. l. Si quis inceſti. 6.*
14 *Cod. de inceſt. nupt.* & aliæ Leges : Cum plerumque loquantur de tacito fideicommiſſo, quia in eo auferuntur bona hæredi, qui accommodavit tacitam fidem, propter ejus delictum commiſſum in commodandâ fide : Qui autem palam rogatur, nullum delictum commiſit, ſicuti in hoc caſu. Statur ergò Juri Communi. *Bart. in verb. quæro & revoco. d. l.* quam materiam uberius repetere deſtinavi, quando ſucceſſiones fiſci proponentur.

SECTIO XII.

De inſtitutione vel exhæredatione Parentum & eis debitâ Legitimâ.

SUMMARIA.

1 *Parentes æquè inſtituendi & ritè exhæredandi.*
2 *Et æquè debetur illis legitima nullâ habitâ differentiâ.*
3 *Quæ ad trientem aucta eſt.*
4 *Novella 18. æquè ad parentes ac ad filios extendenda.*
5 *Legitima parentum & filiorum pari paſſu ambulant, & ſunt correlata.*
6 *Legitima parentum ſemper triens, nunquam ſemis.*
7 *Idem dicendum de Legitima fratrum, quæ aliquando ſemis eſt.*
8 *Secus de Legitima conjugum, quæ non jure antiquo ſed novo debetur.*

1 DEficientibus legitimis liberis, ſuperſtitibus tamen aſcendentibus, legitimis & naturalibus, hi æquè inſtituendi vel ritè exhæredandi, aut prætereundi ſunt.

Quantumvis turbetur ordo mortalitatis ſcilicet in eo, quod præmoriatur filius patri; tamen ratio miſerationis Parentes ad bona liberorum admittit, & non minus illis,
2 quàm liberis piè relinqui debet, nullâ habitâ differentiâ inter paternos & maternos, habitâ tamen gradus prærogativâ, relictâ etiam legitimâ portionis ab inteſtato debitæ,
quâ

quâ deficiente, vel etiam ſine cauſâ exhæredato parente, deficit teſtamentum in ſubſtantialibus. Cauſæ autem ſeptem recenſentur.

Sed pater ex ſeptem, ſi nati ſpernit honorem
Hunc accuſabit, dira venena dabit:
Teſtari vetat, aut uxorem diligit ejus;
Non redimit captum, dum furit, odit eum.

Conferantur huc dicta ſuperius de inſtitutione vel etiam exhæredatione liberorum. Illud tamen examinare lubet, quanta ſit Legitima parentum, & an illa aucta? Et eſſe auctam ad Trientem, certum eſt ex *Fachin. lib. 4. Controv. c. 28. Berlich. p. 3. concl. 12. num. 41. Jacob. Cujac. in* 3
Expoſ. Novell. 18. poſt pr. verſ. Auxit & debitum. Menoch. lib. 6. Præſumpt. 38. n. 36. Anton. Theſaur. Deciſ. Pedemont. 172. n. 3. Jaſon. in Auth. Noviſſima. Cod. de inoffic. teſtam. num. 35. Ferd. Vaſq. de ſucceſſ. creat. §. 2. num. 283. non obſtante eo, quod in *Novella* 18. ſucceſſionis filiorum mentio 4
fiat, cum de omnibus perſonis id obſervari voluit, in quibus ab initio antiquæ quartæ ratio de inofficioſo Lege decreta eſt. Quis autem negabit parentibus querelam inofficioſi non competiiſſe legitimâ non relictâ? *l. 15. ff. de inofficioſ. teſt. §. 1. Inſt. eod.* Addatur & hæc ratio inſuper ex *Manzio Tract. de Legit. Q. 6. n. 4.* quod Legitima filiorum 5
& parentum pari paſſu ambulent, & liberi & parentes ſint correlata: Ex naturâ autem correlatorum, quod in uno ſtatuitur, id etiam in altero ſtatutum intelligatur. Vid. *Manz. d. l.* conſequenter rectè dices, Legitimam paren- 6
tum ſemper eſſe trientem, ſive unus, ſive duo, ſive tres vel quatuor ſint, & nunquam ſemiſſem, quia numerus in iisdem non æquè requiritur ac in filiis, quod ſanè notabile & æquum eſſe notat *Hartm. Hartmanni lib. 2. tit. 43. obſ. 6. n. 6. Schneid. ad §. ult. Inſt. de inoff. teſt. Card. Tuſch. Tom. 8. pract. concl. conſ. 182. n. 1. & ſeqq. n. 9. & ſeqq.*

Hacte-

7 Hactenus dicta ad fratrum quoque Legitimam extenduntur, nihil obſtante, quod aliquando ſemiſſem, parentes verò trientem conſequuntur, quod eſt per accidens. *Fabian. de Monte in Auth. Noviſſima. Cod. de inoffic. teſt. num. 33. & num. ſeqq. Alexand. conſ. 63. n. 2. Cujac. d. l. Ferd. Vaſqu. d. l.* quidquid etiam reclamet *gloſſ. in dict. Auth. Noviſſima. Jaſon. Ibid. num. 35. Anton. Rub. Tract. de inoff. teſt. c. 2. num. 27.*

8 Hinc tamen excipienda venit Legitima conjugum, quæ eſt portio legalis quædam vel ſtatuaria ex Lege Noviſſima. *Auth. Præterea. Cod. Unde vir & ux.* & non ex Jure antiquo. *Manz. Tr. de Legit. Q. 8.*

SECTIO XIII.

De Succeſſione ex Jure Accreſcendi.

SUMMARIA.

1 *Ratio Methodi.*
2 *Locus diſſerendi de Jure Accreſcendi.*
3 *Harprechti judicium de ſubtili hac materia.*
4 *Unde nomen Juris Accreſcendi natum?*
5 *Definitio Juris Accreſcendi.*
6 *Conjunctio duplex eſt hominis, & Legis.*
7 *Exemplum conjunctionis legalis.*
8 *Jus Accreſcendi locum habet in lucris acquiſitis, durante matrimonio.*
9 *Conjunctio hominis triplex, re tantùm, verbis tantùm & mixta.*
10 *Exemplum realis.*
11 *In reali, Legatarii faciunt partes concurſu.*
12 *Jus Accreſcendi verſatur circa rem in individuo & in ſpecie, non verò in quantitate, quæ etiam genus eſt.*
13 *Diſtinctio circa partes legatas.*
14 *Succeſſio Juris non decreſcendi.*
15 *Differentia inter Jus Accreſcendi & non decreſcendi.*
16 *Paſſim JC. utuntur promiſcuè his verbis.*
17 *Jus Accreſcendi non habet locum poſt acquiſitionem jam factam, ſi nempe poſt illam portio defecerit.*
18 *Quando teſtator utrique vult in ſolidum dari, uni res, alteri æſtimatio debebitur.*
19 *Quando teſtator cenſeatur uni adimere?*

20 *Quid*

20 *Quid verba relativa hic importent?*
21 *Limitatio circa verba relativa.*
22 *Quid ſit verbalis conjunctio?*
23 *Quid verba (æquis portionibus) importent?*
24 *Requiſita verbalis conjunctionis.*
25 *Quando conjunctiones &, cum, & ſimiles faciant conjunctionem.*
26 *Pro partibus indiviſis, debent relinqui Legata in conjunctione verbali.*
27 *Poſitis illis requiſitis propriè locum habet Jus accreſcendi in verbis conjunctis.*
28 *Ut effectus conjunctionis.*
29 *Jus accreſcendi non habet locum in uſufructu legato conjunctione verbali.*
30 *Uſusfructus eſt perſonalis & cum perſona interit.*
31 *Nec accreſcit portio deficiens Collegatario.*
32 *Probatur aſſertio hæc per Leges allegatas.*
33 *Textus in contrarium allegati ſolvuntur propter generalitatem.*
34 *Non eſt novum, ut ſpecies quædam excipiatur in generali quodam aſſerto.*
35 *In toto Jure generi per ſpeciem derogatur.*
36 *In proprietate vel aliâ re legatâ ſecus eſt.*
37 *In proprietate non deficit, perſonâ etiam deficiente, portio deficientis.*
38 *Igitur in conjunctione reali non habebit locum.*
39 *Quid ſit mixta conjunctio, ſeu de utraque participans?*
40 *Exemplum hujus conjunctionis ex Accurſio.*
41 *Mixtio novam ſpeciem inducit.*
42 *Argumentatio contra Zaſium.*
43 *Rejicitur inſtantia contra Accurſii exemplum.*
44 *Portio alteri accreſcit cum ſuo onere, & invito.*
45 *Probatur ex l. Un. §. In his itaq; Cod. de Cad. Toll.*
46 *Quæ dicta ſunt de Legatis, etiam ad hæreditatem univerſalem extendi poſſunt.*
47 *Quod etiam obtinet in fideicommiſſis univerſalibus.*
48 *In hæreditatibus univerſalib. non ſemper aliqua conjunctionis ſpecies requiritur.*
49 *Ponitur exemplum dicti.*
50 *Teſtator, non poteſt decedere pro parte teſtatus, pro parte inteſtatus.*
51 *Ant Gomezii ratio, cur quis non poſſit ita diſcedere?*
52 *Alia ſubtilis opinio de propoſitione n. 48. propoſitâ.*
53 *Teſtator non poteſt facere, ne Leges in ſuo teſtamento locum habeant.*
54 *An Jus accreſcendi locum habeat in contractibus.*
55 *Non habet locum in contractibus*

ſtricti Juris ex cauſâ lucrativâ & merè dividuâ.
56 *Neq; ex cauſâ oneroſâ, vel lucrativâ, ex cauſâ mere individuâ.*
57 *Exemplum eſt in ſervitute, quæ merè eſt individua.*
58 *Non poſſunt fieri partes concurſu.*
59 *Erunt diverſæ ſervitutes.*
60 *Aliud eſt in ſervitute uſusfructus.*
61 *Contractus bonæ fidei ſive ex cauſâ dividuâ, ſive individuâ admittunt Jus accreſcendi.*
62 *Etiam locum habet Jus Accreſcendi in contractu lucrativo proficiſcente à munificentiâ Imperiali.*
63 *Limitatur ſi nulli hæredes adſunt, tàm ſcripti quàm ab inteſtato.*

1 QUemadmodum hactenus demonſtrata fuit neceſſitas Tituli Inſtitutionis tàm Liberorum, quàm Extraneorum, ſive unius, ſive plurium, ita nunc demonſtrandum quoque venit Jus circa plures perſonas conjunctim vel diviſim inſtitutas, vel etiam circa Legata pluribus in teſtamento conceſſa.

Eſt autem inſignis ac celebris hic locus de conjunctis
2 & disjunctis, nec non de Jure accreſcendi. *Harprecht. §. 8.*
3 *Inſt. de Legat.* rem omnium Interpretum judicio, ſubtilem, obſcuram, difficilem, totoque ferè Jure diviſam ait, de quâ *Franc. Duaren.* duos integros libros. *Anton. Govean.* ſingularem Tractatum. *Bartolus* quoque, *Jaſon, Alciatus, Bolognetus*, & reliqui Commentaria ſatis prolixa conſcripſêre.

4 Nomen Juris Accreſcendi natum eſt, & deductum à naturâ paulatim coaleſcentium plantarum & alluvionibus. *l. 1. Cod. de Alluvionib.* habetq; juris in ſe poteſtatem, quæ ſine facto aut voluntate perſonæ tacitè, incrementum Juris quaſi latens interdum perſonæ, aliquando rei ipſius ratione adjicit. *l. 35. ff. de acquir. hæredit.*

5 Definitionem hujus Juris accreſcendi proponit *Henric. à Suerin in Tr. de uſufructu accreſcendo. Ut ſit modus civilis adquiſitionis. §. Erat olim. Inſt. de donat. quo, evaneſcente Jure conſortis, portionem ejus, vi conjunctionis, vel ipſius rei, vel perſonarum etiam ſine corporali apprehenſione neceſſariò quis conſequitur.*

Fun-

Fundamentum Diſquiſitionis hujus ponitur in conjunctione, quæ duplex eſt ab homine & à Lege. Hæc eſt, 6
quando non verbis teſtatoris exprimitur, ſed à Lege intelligitur: ut ſi quid legetur ſervo communi plurium dominorum, quia ſervus, cui relinquitur, communis eſt 7
multorum, ita res illi legata: Econtrà ſi ejusmodi ſervus communis inſtituatur hæres, & unus dominorum acceptet hæreditatem, & jubeat ſervum adire, alter verò repudiet, illa pars & portio repudiata accreſcit alteri. Textus eſt expreſſus in *l. Servus communis. 67. ff. de acquir. hæredib.* & ibi notat *Gloſſ. Bartol.* & communiter Doctores. Ex quo infert *Anton. Gomez. Tom. 1. cap. X. p. 135.* quod etiam locum habeat Jus accreſcendi in lucris acquiſitis, con- 8
ſtante matrimonio inter maritum & uxorem, nam ſi in vitâ vel poſt mortem quis eorum renunciet, accreſcit alteri cum ſint conjuncti conjunctione legali, nec erit donatio ſive diminutio patrimonii; ſed deſiſtentia acquiſitionis, & renunciatio lucri, quod poterat acquiri, quæ valet *l. Si ſponſus. 5. §. Si maritus. 13. ff. de donat. inter vir. & uxor.*

Conjunctio, quæ ab homine dicitur, triplex eſt, & fit 9
vel Re tantùm, vel Verbis tantùm, vel Re & Verbis ſimul. l. Re conjuncti. 89. ff. de leg. 3. l. Triplici. 142. ff. de V. S.

Realis conjunctio eſt, quando ad eandem rem plures in teſtamento vocati ſunt disjunctim, hoc eſt, diverſis orationibus, veluti: *Titio Stichum do lego. Seio eundem Sti-* 10
chum do lego. Aut fundi Semproniani uſumfructum Titio do lego. Ejusdem fundi Semproniani uſumfructum Cajo do lego. Hic eadem res, vel ejusdem rei uſufructus diverſis orationibus relinquitur, & quidem in ſolidum, ita ut Legatarii non 11
niſi concurſu faciant partes. *l. Idem Neratius. 3. ff. de uſufr. accreſc.* quæ res intelligenda eſt in ſpecie, id eſt, in individuo, non autem in genere, ſive in quantitate, quæ etiam 12
genus eſt, velut: *Si Titio decem legentur, Seio quoque decem, Titius & Sejus non erunt re conjuncti, ſed ſua decem cuilibet*

obvenient. l. Si quis teſtamento. 79. ff. de Leg. I. l. 34. ff. eod. l. 87. in f. pr. ff. de Leg. 2. Aliud eſſet, ſi teſtator certam quantitatem deſignaret, tùm enim non amplius eſſet ge-
13 nus, ſed ſpecies, quæ detrahit & ſubducit de genere; unde datur hæc regula: Si pars illa, quæ legatur, & à quâ aliquid detrahitur, ſit prædicamentalis, id eſt, ad cujus poſitionem alia pars, quæ ſubducitur vel detrahitur, non neceſſariò conſequetur, veluti: *Si in familiâ legatâ erant plures numero ſervi, deinde unus legetur*, ſine illo uno ſatis conſtat familia, itaque in illo uno non erit conjunctio inter Legatarios: Si verò ſit pars integralis, à quâ aliquid detrahitur, ut detur alii, in eâ ſubductâ parte erit conjunctio inter Legatarios; veluti: *Si quis leget fundum, deinde alteri leget uſumfructum ejuſdem fundi.* In uſufructu Legatarii erunt conjuncti, & facient partes per concurſum. *dict. l. Idem Neratius. 3. §. fin. ff. de uſufruct. accreſc.* etenim fundi appellatione continetur uſusfructus & proprietas.

Jam verò ſi inter realiter conjunctos, non factis adhuc partibus per concurſum, lis oriatur de portione deficiente unius ex conjunctis, vel potius deficiente uno conjuncto, antequam portionem agnoverint vel acquiſierint,
14 ſuccedent reliqui Jure non decreſcendi, nempe quando id, quod pluribus legatum eſt in ſolidum, non diſcretis partibus relictum eſt: Quoniam tempus relicti attenditur, nempe initium, quo legatum acceſſit in ſolidum, &
15 hoc modo Jus non decreſcendi locum habet, atque differt à Jure accreſcendi: quod in verbali conjunctione maximè videtur, æquis nempe partibus aſſignatis, nam partem unam legati adjicit priori, ut infra videbimus. Quod in Jure non decreſcendi aliud eſt propter legatum in ſolidum. Quanquam moneant plures vix in Jure Digeſtorum hujus
16 Juris non decreſcendi mentionem fieri, ſed paſſim JCtos vocabulo Juris accreſcendi uti, & ita ſimul comprehendi,

& con-

& contineri vocabulum Juris non decreſcendi putant: In Codice autem propius mentionem illius fieri. Quod maximè ad ſolutionem argumentorum proderit.

Hic advertendum, ſi quis defecerit in portione poſt acquiſitionem factam, non amplius eſſe locum juri accre- 17
ſcendi vel non decreſcendi, ſed hæredes deficientis vocari. *l. 1. §. interdum. ff. de uſufr. accreſc.* & hæc de indubitatâ conjunctione reali. Quid autem ſi teſtator aſſeveret ſe velle utrique rem in ſolidum dari, an tum poſſint tales re conjuncti dici? & negatur: quia uni res, alteri æſtimatio de- 18
bebitur. *l. Si pluribus. 33. ff. de Leg. 1.* Similiter ſi evidenter appareat teſtatorem adimere voluiſſe priori, ſolus poſterior admittetur, nihil priori relicto, quod ex eo conjici 19
poterit, ſi ſecundum legatum, cum commemoratione primi factum ſit cum relativo *quod*, vel *quæ*, v. gr. *quod Titio legavi, volo dari Sempronio*, vel, *Stichum quem Titio le-* 20
gavi, volo dari Sempronio. Tum enim cenſetur teſtator revocaſſe primum legatum; niſi illis relativis, *quod*, vel *quæ*, *in* & *ex* adjiciantur, cum ſint incluſiva, non verò to- 21
tius excluſiva, v. gr. *ex qua parte Titium hæredem inſtitui, ex ea Cajum inſtituo. Vel in quam partem Sejum inſtitui, Sempronium hæredem facio:* tùm enim non totum ablatum eſt primo, ſed pars ad ſecundum tranſlata eſt, & ſunt re conjuncti.

Verbalis conjunctio eſt, quâ eâdem oratione, & ad ean- 22
dem rem plures revocantur, ſed æquis partibus, veluti: *Titio & Sejo fundum æquis portionibus do lego. d. l. Re conjuncti. 89. ff. de Leg. 3.* Expreſſè autem apponuntur verba: (*æquis portionibus*) nam licet aliàs in Legato ſimplice, dan- 23
te Titio & Sejo fundum, ſubintelligatur eſſe Legatum ex æquis portionibus: nihilominus tamen, quia nullæ factæ ſunt partes à teſtatore, ſed potius facerent partes concurſu, ceſſaret conjunctio verbalis, in quâ Primò requi- 24
ritur: ut eâdem clauſulâ, eodem ſermone æquas portio-

nes comprehendat, ut jam dictum : Ubi adverte : conjunctiones , *&*, *que* , *cum* & ſimiles facere conjunctionem. *l. Si*
25 *quis Attio. 7. ff. de uſufr. accreſ.* ſed tunc quando unitate ſermonis comprehenduntur. *l. Un. §. His ita. Cod. de Cad. toll.* dictio *&*, enim & aliæ copulæ hoc tantùm operantur, ut ea, quæ proximè dicta ſunt, illic videantur repetita, & propter naturam copulæ ad ſe trahant : Verbum verò in oratione poſitum, claudit orationem.

26 Secundò, ut pro partibus indiviſis res legetur neceſſe eſt : Siquidem pro diviſo legata , v. gr. *Titio hæc pars fundi, Mævio illa* : non amplius eſt eadem res , ſed unaquæque diverſa , & diverſus fundus. *l. Rectè dicimus. 25. ff. de V. S.* & conſequenter non erit conjunctio verbalis. *l. Et Proculo. 20. ff. de Leg. 2.* Quando itaque unitate ſermonis eâdem
27 clauſulâ partibus indiviſis plures conjunguntur , & vera ejusmodi elicitur conjunctio verbalis, Jus accreſcendi propriè locum habet. *d. l. Un. §. His ita. Cod. de Cad. toll. l. 16. §. fin. ff. de Leg. 1. l. 1. pr. & in §. Idem. ff. de Uſufr. accreſc. Donell. lib. 7. Comment. Jur. Civ. cap. 13. Treutl. Vol. 2. Diſp. 13. Th. 3. l. c.* ibique latiſſimè *Bachovius.* Cum alias nullus hujus conjunctionis effectus dari poſſit , quam ipſum
28 Jus accreſcendi, cæteroquin disjuncti eſſent, quod etiam apertè ſtatuit. *l. 89. ff. de Leg. 3.* ubi verbis conjunctus dicitur præferri ei, qui re tantùm conjunctus eſt, quod nullâ ratione conſiſtere poſſe, dicit *Bachovius* : *Si verbis conjunctus tantùm quoad effectum Juris accreſcendi pro disjuncto & pro eo, cui ab initio pars data eſſet , haberetur.* & hæc opinio Juri magis conſentanea eſt , quidquid etiam contradicat *Harprecht. §. 8. Inſt. de Legat. num. 9. & ſeqq.* cum ſuis ibi-
29 dem allegatis aſſeclis. Cum pleræque ab illis adductæ Leges de uſufructu, pluribus conjunctione verbali Legato loquantur, in quo non habet locum Jus accreſcendi. Ex hac potiſſimum ratione ; quoniam cum duobus ejusdem rei uſufructus pro æquis portionibus relinquitur, pars quæq; adhæ-

adhæret ejus perſonæ, cui aſcripta fuit á teſtatore: defi-
ciente autem perſoná ejus, cui uſusfructus legatus erat,
deficit quoque legatum uſusfructus, utpote Juris perſo-
nalis, quod perſonæ adhæret, eamque ſequitur. *§. Fini-* 30
tur. Inſt. de uſufr. & ad proprietatem revertitur, nec ac-
creſcit portio deficiens Collegatorio ejusdemque portio- 31
ni. Pro hac ſententia facit textus *in l. 1. ff. de Uſufr. accreſc.*
his verbis benè notandis: *Quoties uſusfructus legatus eſt, ita* 32
inter fructuarios eſt Jus Accreſcendi, ſi conjunctim ſit uſusfru-
ctus relictus. Cæterum ſi ſeparatim unicuique partis rei uſusfru-
ctus ſit relictus, ſine dubio Jus Accreſcendi ceſſat. Idem habetur
in l. penult. ff. eod. Sed clarius: *Cum ſingulis ab hæredibus ſin-*
gulis ejusdem rei uſusfructus legetur, fructuarii ſeparati viden-
tur, non minus, quàm ſi æquis portionibus duobus ejusdem rei u-
ſusfructus legatus fuiſſet, unde fit, ut inter eos Jus Accreſcendi
non ſit.

Nec multum me movent textus allegati & plures alii, 33
conjunctioni verbali Jus accreſcendi aſcribentes, eò, quod
generaliter loquantur, non enim infrequens eſt, ut ex gene- 34
rali oratione ſpecies quædam excipiatur, imò hoc fieri ju-
beat Regula Juris, quâ dicitur, quod in toto Jure generi per
ſpeciem derogetur. *l. In toto Jure. ff. de R. J.* quocirca cum 35
dicatur generaliter, excipitur conjunctio verbalis circa u-
ſumfructum legatum per modò allegatas Leges & ratio-
nes. Quod ſecus ſe habet in Proprietate, & aliâ re legatâ, 36
eò, quod portio legata in uſufructu ita perſonæ cohæreat,
& aſſignata ſit, ut, eâ extinctâ, uſusfructus, quoad illam por-
tionem conſolidetur. In proprietate autem, quamvis per-
ſona deficiat, non deficiet portio legati proprietatis. 37

Hæc Diſtinctio, ſeu potius exceptio, nullum locum ha-
bebit in conjunctione reali, per text. in *l. 1. ff. de uſufruct.*
accreſc. Cujus hæc ſunt: *Interdum tamen etſi non ſint con-*
juncti (id eſt, verbis) *tamen uſusfructus legatus alteri accre-*
ſcit: ut puta, ſi mihi fundi uſusfructus ſeparatim totius, & tibi 38
ſimi-

ſimiliter fuerit relictus : nam (ut Celſus libr. 18. Digeſt. & Julian. libr. 35. ſcribit) concurſu partes habemus , quod & in proprietate contingeret , addatur *l. 3. ff. eod.* Ubi *Toties Jus Accreſcendi eſt , quoties in duobus , qui in ſolidum habuerunt, concurſu diviſus eſt.* Accedit & illa ratio : quod ſi Legatariis ſingulis totus uſusfructus legetur , neceſſariò evenire debet , ut uno ex Collegatariis deficiente , totius rei uſusfructus penes alterum Collegatarium maneat, cui totus uſusfructus legatus eſt, & non pars.

39 Mixta conjunctio, & de utrâque participans eſt, quando plures nominis & rei complexu jungantur. *d. l. Triplici. 142. ff. de V. S.* ſive , quando eâdem oratione ejusdem rei uſusfructus pluribus relinquitur , non adjectis partibus.

40 Hujus conjunctionis verius exemplum habemus ex Accurſio. *in l. 1. §. ult. de uſufruct. accreſc. Titio & Sempronio lego fundum.* Qui Legatarii mixtim conjuncti dicuntur. *Verbis* quidem : quod conjunctim eâdem oratione fundus eis relinquitur. Disjunctim legatum iis cenſetur , qui re tantùm conjuncti ſunt , hoc eſt, quibus eadem res ſeparatim legatur , puta , in hunc modum : *Titio fundum lego, Sempronio eundem fundum lego.*

41 Mixtio hæc neceſſariò novam ſpeciem inducit , & ſeparatam ab utràque. Contrà *Udalric. Zaſ. Nemo,* inquit Zaſius , *ambigit , conjunctionem hanc non efficere novam ſpeciem conjunctionis ab aliis ſeparatam , ſed in totum , unam aut alteram prorſus imitari, propterea Jure debet ſequi naturam illius, cui potiſſimum ſimilis eſt* : quod per ſe falſum eſſe patet ſe-
42 quenti argumento : *Ubicunque ex duabus vel pluribus ſpeciebus fit aliquid mixtim, ſi in mixto ita alteratur natura ſeu ſubſtantia alterius ex ſpeciebus, ut ad ſuam ſpeciem non poſſit redire, ex eo mixto conficitur nova ſpecies. l. Adeo. 7. §. Cum quis. 7. ff. de acquir. rer. dom. Quod autem in hac ſpecie utriusque ſpeciei natura confundatur , patet ex eo , quod in mixta eſt unitas ſermonis*

monis in una clauſula, quod eſt contra naturam realis tantùm. Et res, quæ relinquitur, in ſolidum relinquitur, quod abhorret à verbali. Conſequens eſt igitur, quod hæc reſtet nova ſpecies, nec realis ſola, nec verbalis ſola, ſed participat de natura & ſubſtantia utriusque ſeparatæ. Nec obſtat, quod objiciatur: 43
Exemplum Accurſii de verbis tantùm, non etiam re conjunctis accipi debere, eò, quod dimidia Titio, altera dimidia pars Sempronio debeatur. Quod verum eſt, ſi concurrant, ſecus verò ſi nullus fiat concurſus, ſed defecerit Legatum in uno; tùm meritò ille ſuperſtes totum vindicabit, tanquam ſibi in ſolidum aſſignatum. *l. Si duobus. 16. §. fin. ff. de Leg. 1. l. Si mibi & tibi. 12. ff. eod.* ita tamen, ut cum ſuo onere & invito quoque accreſcat. *l. Un. §. His ita. Cod.* 44
de Cad. toll. ubi hæc verba continentur: *In his itaque, ſiquidem cohæredes ſunt omnes conjunctim, vel omnes disjunctim, vel inſtituti, vel ſubſtituti, hoc, quod fuerit quocunque modo evacuatum, ſi in parte hæreditatis, vel partibus conſiſtat, aliis cohæredibus cum ſuo gravamine, pro hæreditaria parte, etiamſi jam defuncti ſint, acquiratur, & hoc nolentibus ipſo Jure accreſcat, ſi ſuas portiones jam agnoverint, cum abſurdum ſit ejusdem hæreditatis partem quidem agnoſcere, partem verò reſpuere.* Text. *in l. Qui ex duabus. 53. §. 1. ff. de acquir. hæredit.* 45

Prædicta de conjunctionibus & eorum effectu in Legatis particularibus; eâdem ratione obtinent in hæreditatibus univerſalibus, ut leviter ab initio hujus ſectionis attigimus, quæ paulò uberius nunc explicantur. Ideoque quando duo vel plures inſtituuntur hæredes, vel etiam quando plures ab inteſtato veniunt de Jure Civili vel Prætorio, & unus adeat ſuam partem, alter verò repudiet, vel alio modo in ejus perſonâ deficiat, portio deficientis accreſcit adeunti. *l. Si ex pluribus. ff. de ſuis & legit. hæredib.* his verbis: *Si ex pluribus hæredibus legitimis quidam omiſerit adire hæreditatem, vel morte, vel quâ aliâ ratione impediti fuerint quo minus adeant, reliquis qui adierint, accreſcit illa portio. l. 1.* 46

47 *§. Si nemo. ff. ad Tertull.* Quod in tantum verum eſt, ut
quoque in fideicommiſſariis univerſalibus procedat. Un-
de ſi teſtator inſtituit Titium hæredem, & gravavit de hæ-
reditate reſtituenda duobus vel pluribus hæredibus, &
unus eorum repudiet, fideicommiſſum accreſcit alteri, &
non manet penes hæredem gravatum. *l. Filius. §. D. Seve-
rus. ff. de Legat. 1. l. Un. §. fin. Cod. de Cad. toll. & ibid. Bal-*
48 *dus.* Ubi notandum in hæreditatibus univerſalibus non
eſſe ſemper de eſſentiâ, ut aliqua ex ſupra nominatis con-
junctionum ſpeciebus locum habeat, ad hoc, ut Jus ac-
creſcendi procedat: poteſt enim teſtator quendam in re
49 certâ hæredem inſtituere nihil diſponendo de aliis bonis.
Unde quæri poſſet, quid ergò de iſtis bonis reliquis? Aut
enim teſtamentum erit nullum, aut Jus accreſcendi habe-
bit locum, Non erit nullum, eò, quod favor teſtamento-
rum potius ad ſtabiliendum illud, quàm annullandum in-
clinet, modo ſalvari poſſit aliquo Jure, ſed ſalvari poteſt per
Jus accreſcendi, ut accreſcant bona reliqua hæredi, ac ſi
in ſolidum eſſet inſtitutus. *l. 1. §. Ex fundo. ff. de hæred. in-*
50 *ſtit.* modo non habeat cohæredem univerſalem, ne teſta-
tor decedat pro parte inteſtatus. *l. Jus noſtrum. 7. ff. de Reg.
Jur.* quia actus teſtandi eſt individuus, & non poteſt pro
parte fieri, *arg. l. Hac conſultiſſima. 21. Cod. de teſtam.* Aliam
51 rationem rationis inveſtigat *Anton. Gomez Var. Reſol. Tom.
I. cap. 10. pag. 126. Quia hæres debet repræſentare defunctum.
l. Hæres & hæreditas. 22. ff. de uſucap. Et ſi eſt hæres in to-
tum, repræſentat illum in totum, ſi verò ſint plures, omnes ſimul
repræſentabunt illum in ſolidum, & quilibet pro ſua parte, &
ſi non accreſcerent aliæ partes hæredi inſtituto in re certa, vel in
quota, repræſentaretur tantùm defunctus pro parte, & non in
totum, quod eſſet monſtroſum & impoſſibile, quia fictio imitatur
naturam, & id quod impoſſibile eſt per naturam, eſt impoſſibile
per fictionem. l. 3. ff. pro ſocio. & l. Qui ad certum. ff. locati.
Unde ſicut naturaliter non poteſt eſſe homo vivus pro parte, &*

pro

pro parte non: Ita per fictionem Legis non poteſt poſt mortem repræſentari pro parte & pro parte non. Ideò Lex voluit à principio providere, inducendo præciſè Jus Accreſcendi. Quamvis alii ſubtiliter contendere velint, quod illa inſti- 52
tutio facta in re certa virtualiter extendatur ad omnia alia bona, ut videatur ſimpliciter & univerſaliter inſtitutus, ac ſi portionis nulla fuiſſet facta mentio. *l. 1. §. Si ex fundo. ff. de hæred. inſtit.* Concluſionem autem noſtram probant Jus Civile & Canonicum, quoniam diſpoſitio legalis, eſt juſtus & approbatus modus acquirendi dominium. *Gomez d. l.* cum hac ulteriori extenſione, ut non attentâ teſtatoris prohibitione (ne ſcilicet reliqua bona perveniant) obtineant, cum ex neceſſitate prævîſâ locum habeat Jus accreſcendi, & teſtator facere non poſſit, quod Leges 53
non habeant locum in ſuo teſtamento, *l. Nemo poteſt. 55. ff. de Leg. 1.*

Effectus conjunctionum, ſive ipſum Jus accreſcendi 54
non tantùm in ultimis voluntatibus, ſed & in contractibus ſibi vendicat locum. Sciendum tamen, non in omnes Contractus incidere: Aut enim quæritur de Contractibus 55
ſtricti Juris, ex cauſâ lucrativâ & merè dividuâ, & reſpondetur Jus accreſcendi deficere, v. g. *Si quis promittat mihi & Titio decem.* Illa obligatio tantùm mihi quæritur pro medietate, & illa medietas, quæ deficit in perſona Titii, non accreſcit mihi, ſed remanet apud debitorem promittentem. *l. Si mihi & Titio. 110. ff. de verb. oblig. his verbis: Si mihi & Titio, in cujus poteſtate non ſum, ſtipuler decem, non tota decem, ſed ſola quinque mihi debentur.*

Vel etiam ex cauſa oneroſa, vel lucrativâ ſuper re 56
merè individuâ, tùm quoque ceſſat Jus accreſcendi. Exemplum erit in ſervitute promiſſâ pluribus, quæ ſui naturâ 57
eſt merè individuâ, & non quæri poteſt pro parte. *l. Stipulationes non dividuntur. 72. ff. de verb. oblig.* neque per conſequens effici aliqua pars ſeu portio, quæ accreſcat, cum 58

in ſolidum quæratur, & concurſu non fiant partes, quod aliàs requiritur. Igitur propriè non poteſt dici Jus accreſcendi. Ita tenet *Ang. Paul. de Caſt. in l. Proprium. ff. Comm.*
59 *prædior.* cum diverſæ potius ſint ſervitutes pluribus relictæ, & in perſonâ cujuslibet ſua propria & diſtincta ſervitus, *ut in l. Via conſtitui. 23. §. fin. ff. de ſervit. præd. Ruſt.*
60 *l. 2. § Ex his. ff. de verbor. obligat.* quod in ſervitute perſonali uſusfructus aliud eſt, qui pluribus ita relinqui poteſt, ut portio deficiens unius alteri acquiri poſſit Jure accreſcendi. *l. 1. §. fin. ff. de uſufruct. accreſc.*

61 Aut Secundò, ſermo eſt de Contractibus bonæ fidei, ſive ex cauſâ dividuâ, ſive individuâ: & Jus accreſcendi non ceſſabit. V. gr. *Si quis vendat mihi & Titio fundum vel rem, & contractus non valeat in perſonâ Titii*, ſine dubio pars deficiens accreſcet mihi, ex hac ratione: ne venditor maneat in damno, qui dimidiam partem difficulter fortè venderet, & invitus cogeretur remanere in communione. *l. 64. ff. de Contr. emption.*

62 Aut denique quis quærit de donatione, ſive Contractu lucrativo facto ab Imperiali munificentiâ, quo pluribus civitas vel caſtrum donatur, & accreſcit alteri por-
63 tio deficiens, ita tamen, ſi neque ſcripti hæredes, neque deſcendentes & aſcendentes, & alii hæredes ab inteſtato adſint, quod illuc extenditur contra naturam Juris accreſcendi, ut locum habeat poſt Jus acquiſitum, ſi poſtea repudiatur. *l. Un. Cod. Si Imperial. libert. ſoc. ſin. hæred. libr. 10.*

Sectio XIV.

De Prælatione inter conjunctos.

SUMMARIA.

1 *Conjuncti conjunctione mixtâ cæteris præferuntur.*
2 *Explicatio l. 89. ff. de Leg. 3.*
3 *Duo caſus quos Gloſſa in d. l. proponit.*
4 *Tres ſunt diverſæ opiniones circa Prælo-*

Prælationem inter re conjunctum & verbis conjunctum.

5 *Explicatio l. Siquis ita. ff. de hæred. inſtit.*

6 *Verior eſt ſententia, quod verbis conjunctus præferatur re conjuncto, additur ratio.*

7 *Quidnam dicendum ſi cauſa ſubſtitutionis concurrat cum Jure accreſcendi?*

MAgna eſt altercatio Doctorum, tàm veterum, quàm recentiorum, quisnam ex conjunctis alteri præferatur? ab initio ſtatim dubitatio omnis tollitur in conjunctione mixtâ, quæ cæteris præfertur: cum nulla alia ſit for- 1
tior colligatio vel conjunctio, præter mixtam. Sed cardo quæſtionis in hoc potiſſimum verſatur, utrum re tantùm conjunctus præferatur verbis tantùm conjuncto vel econtra? Ad cujus deciſionem *d. l. 89. ff. de Leg. 3.* ſanè obſcura, allegatur, quæ in principio de conjunctis in reliquâ parte de effectu conjunctionis ſive Jure accreſcendi, & de prælatione agit, hiſce verbis: *Præfertur igitur omnimodo cæte-* 2
ris, qui re & verbis conjunctus eſt, quod per ſe clarum: *Quod ſi re tantùm conjunctus ſit, conſtat non eſſe potiorem*, id eſt re & verbis conjuncto: *ſi verò verbis quidem conjunctus ſit, re autem non. Quæſtionis eſt, an conjunctus potior ſit? & magis eſt ut ipſe præferatur.* Hæc Lex variè explicatur *Gloſſ. ibidem* 3
ponit plures caſus. Primus, an conjunctus re tantùm potior ſit conjuncto re & verbis, vel verbis tantùm? & dicitur quod non. Secundus, an conjunctus re & verbis præferatur conjuncto re tantùm? & dicitur quod ſic. Alii id dicunt, quod quæratur primò, an conjunctus re tantùm præferatur re & verbis conjunctis? & dicitur, quod non. Secundò, an conjunctus re tantùm, præferatur conjuncto verbis tantum? & affirmant quidam, alii negant. Quidquid ſit tres diſcrepantes ſententiæ certant de hac 4
quæſtione.

Prima Authore *Rogerio* præfert re conjunctos. Secunda, quæ eſt *Hugolini* & *aliorum*, præfert verbis conjunctos re conjunctis. Tertia denique *Azonis & Bartoli*

mediam opinionem tenentium, ut neuter præferatur &
5 æqualiter admittantur, moti *per l. Si ita quis. 66. ff. de hæredib. inſtit.* quæ tamen pro ſecundâ potius ſententiâ utpote veriore facit, cum præſumtio ſit teſtatorem eodem genere & modo voluiſſe omnes hæredes inſtituere, ceſſante conjunctione, quæ alias ſi fuiſſet facta à teſtatore, utpote verbis conjuncti aliis præferri deberent. Exploſâ igitur primâ opinione cum tertiâ, communis ſecunda ample-
6 ctenda venit, quod nempè verbis conjuncti præferantur re conjunctis per ſæpè allegatam. *l. 89. ff. de Leg. 3.* quæ licet aliquanto obſcurior videatur, in dubio tamen præſumitur dixiſſe *Paulus* in verbis: *Quæſtionis eſt, an conjunctus ſit potior* de verbis conjuncto, non verò de re & verbis, cum jam hujus facta fuerit mentio.

7 Quid autem dicendum, ſi cauſa ſubſtitutionis cum Jure accreſcendi concurrat, & utrum horum fortius ſit quoad prælationem? & respondetur ſubſtitutum præferri unicuique conjuncto, ſive re, ſive verbis, ſive mixtim, idque ſive in hæreditate univerſali, ſive in Legato & fideicommiſſo. *l. 2. §. Si duo. ff. de bon. poſſeſſ. cont. tab.* & ibi *Bartol.* Ratio eſt: quia expreſſa voluntas teſtatoris in ſubſtitutione locum habet, in conjunctione verò tacita tantùm: niſi aliundè appareat teſtatorem voluiſſe præferre conjunctos ſubſtitutis, quia tunc erunt præferendi. *l. Quidam in teſtamento. 30. ff. de vulg. ſubſt.* quam aſſertionem eò extendit *Gomez d. Tom. 1. cap. 3. num. 26.* ut non tantùm in vulgari tacitâ, *per l. fin. Cod. de hæred. inſt.* ſed etiam in ſubſtitutione omninò tacitâ vulgari comprehenſâ ſub pupillari, ubi ſibi objicit, quod ſucceſſio ex Jure accreſcendi ſit tacita quædam ſubſtitutio proveniens æquè ex mente teſtatoris, & proviſione legis. *l. Si Mævio & Titio. 61. §. Julianus. 1. ff. de Leg. 2.* ibique *Baldus* ac etiam vulgaris tacita comprehenſa ſub pupillari, quem nodum ſolvit hiſce verbis: *In qua difficultate ſatis inſudavi, & in ea poſſum dicere*

cum

cum Accurſio in l. 3. ff. de verb. oblig. miranda novitas, miranda ſubtilitas, quis eam ruminabit? & licet poſſem aſſignare aliquas perſuaſivas rationes & ſolutiones: Tamen iſta eſt vera ſubtilis & concludens, quod ſubſtitutio vulgaris tacita contenta in expreſſa pupillari, cauſatur, & provenit ex fortiori & vehementiori voluntate defuncti: nam cum vocavit expreßè ſubſtitutum in caſu pupillaris ſubſtitutionis, tacitè & præſumtivè videtur vocaſſe in caſu vulgaris ſubſtitutionis. Sed quando ex teſtamento vel ab inteſtato vocavit, vel reliquit duos vel plures hæredes, licet defunctus velit, quod uno repudiante accreſcat alteri, & ex hac tacita voluntate Lex producat, & concedat inter eos Jus accreſcendi; tamen non producitur nec cauſatur ex tam vehementi voluntate defuncti, cum in parte unius non vocavit alterum, & quando in aliquo actu & diſpoſitione concurrit duplex vel multiplex præſumtio, ſemper illa prævalet, quæ eſt fortior & vehementior. Hucusque ille, apud quem videantur limitationes, quas appoſuit.

SECTIO XV.

De Succeſſione ex cauſa Subſtitutionis.

SUMMARIA.

1 Latior ſignificatio ſubſtitutionis.
2 Strictior ſignificatio illius pro ſurrogatione in ultimis Voluntatibus.
3 Comparatur mari Anglicano propter profunditatem ejus.
4 Ex materia ſubſtitutionum Baldum JC. 15. millia ducatorum obtinuiſſe refert Gomez.
5 Origo ſubſtitutionum.
6 Diverſitas definitionum illius.
7 Reprobatio definitionum quarundam.
8 Vera definitio ſubſtitutionum.
9 Diviſio earum.
10 Compendioſa ſubſtitutio vera eſt ſubſtitutio.
11 Quidam præter vulgarem & pupillarem nullam agnoſcunt.
12 Vulgaris quid ſit?
13 Simplex hæc dicitur.
14 Quid verba (ſi hæres non erit) importent?
15 Definitio ſubſtitutionis vulgaris ab Harprechto allata.
16 Diviſio ſubſtitutionis vulgaris.
17 Expreſſa quid ſit?
18 An detur expreſſior?

19 Val-

19 *Vulgaris partim tacita partim expreſſa quid ſit?*

20 *An ſi quis ſubſtitutus nolit ſuccedere, ſubſtitutio ex capite impotentiæ corruat?*

21 *Quid Juris ſit in caſu: Titium & Cajum hæredes inſtituo, & eos invicem ſubſtituo?*

22 *Subſtitutio expreſſa facit ceſſare tacitam, ubi pulcher exprimitur caſus.*

23 *Quomodo vulgaris & fideicommiſſaria confundantur?*

24 *An in caſu ſi teſtator inſtituat Titium hæredem, & ſi noluerit eſſe hæres, reſtituat hæreditatem Sejo, vulgaris aut fideicommiſſaria dici debeat?*

25 *Rationes pro fideicommiſſaria.*

26 *Rationes pro vulgari.*

27 *Quis in concurſu præferatur ſubſtitutus aut fideicommiſſarius?*

28 *Diſtinctione quæſtio ſolvitur.*

29 *Inſtitutus cogitur adire hæreditatem ad hoc ut reſtituat fideicommiſſario.*

30 *Effectus vulgaris quinque recenſentur.*

31 *Subſtitutio extinguitur poſt aditam hæreditatem & excluduntur ſubſtituti.*

32 *Excipe niſi voluntati defuncti minimè ſatisfecerint.*

33 *Differentia inter hæredem & ſubſtitutum.*

34 *Pupillaris ſubſtitutio quid ſit? ubi poſitus ipſius caſus.*

35 *Duplex eſt, facta in primum & ſecundum caſum.*

36 *Si fuerit impubes hæres, & intra pubertatis annos deceſſerit, dicitur in ſecundum caſum concepta.*

37 *Quo Jure admittatur ſubſtitutus pupillariter?*

38 *Quæ dicatur ætas pupillaris, & quot ejus ſint diviſiones?*

39 *Tot ejus ſunt partitiones, quot Scriptores, aliæ JCtis, aliæ Medicis.*

40 *Diviſio ætatis in juventutem & ſenectutem.*

41 *Quidam dividunt in quinque partes. Infantiam, pueritiam, adoleſcentiam, juventutem & ſenectutem. His adjiciunt alii adhuc ſenium, alii adhuc ſeptimum gradum.*

42 *Philoſophi & Medici ex temperamentorum mutatione ætates metiuntur.*

43 *Ariſtoteles tres conſtituit: Juventutem; vigorem, & ſenium.*

44 *Hæc ſententia præ cæteris verior eſt.*

45 *Et hæ ſubdividi poſſunt, prout magis & minus ad finem incrementi, ſtatus ac decrementi accedunt.*

46 *Pupillis ad annum 14. uſque pupillariter ſubſtitui poteſt.*

47 *Subſtitutus in parte, univerſaliter bona pupilli & ipſius teſtatoris conſequitur.*

48 *Argumentum ſumitur à directâ inſtitutione ad directam ſubſtitutionem.*

49 Sub-

49 *Subſtitutio pupillaris dividitur in expreſſam, tacitam, & partim expreſſam,& partim tacitam.*
50 *Exemplum partim tacitæ, partim expreſſæ.*
51 *Diſpoſitio Juris circa matrem & ſubſtitutum poſthumi.*
52 *An in ſubſtitutione pupillari expreſſà mater à legitimâ excludatur?*
53 *Affirmativa placet per rationes & textus ibi poſitos.*
54 *Parentes ad bona liberorum miſerationis cauſâ tantum admittuntur.*
55 *Secus in ſubſtitutione pupillari tacitâ.*
56 *Quænam ad ſubſiſtentiam ſubſtitutionis pupillaris requiratur?*
57 *Recenſentur octo requiſita.*
58 *Quomodo illa finiatur?*
59 *Quâ ratione introducta ſit ſubſtitutio exemplaris?*
60 *Quando dicatur exemplaris, & quæ ejus requiſita?*
61 *Exemplaris provenit ex humanitatis ratione & commiſeratione.*
62 *Quibus liberis exemplariter ſubſtituatur?*
63 *An etiam in mutis & ſurdis locum habeat?*
64 *Et in prodigo cui bonis interdictum?*
65 *Filio naturali exemplariter ſubſtitui poteſt.*
66 *Filius patri hoc modo non ſubſtituit.*
67 *Quando exemplaris extinguitur?*
68 *An ſi furor revertatur, prior ſubſtitutio exemplaris exſpirâſſe dicatur?*
69 *Affirmatur, ſi brevi tempore furor revertatur.*
70 *Subſtitutio compendioſa quæ ſit?*
71 *Exemplum illius.*
72 *Breviloqua quæ ſit?*
73 *Differentia Compendioſæ & Breviloquæ.*
74 *Effectus harum duarum ſubſtitutionum.*
75 *Fideicommiſſaria quæ ſit?*
76 *Exempla quædam illius.*
77 *Quænam ſub hoc caſu reperiantur ſubſtitutionis ſpecies. Titium filium meum hæredem inſtituo, ſed ſi dictus filius meus in pupillari ætate deceſſerit, vel poſt ea quandocunque ſine libris, Sejum ſubſtituo.*
78 *Tabellionis officium in hiſce ſubſtitutionibus.*
79 *Harprechti inſufficiens ratio rejiciendi ſubſtitutionem fideicommiſſariam.*
80 *Scriptores, qui tractavere hanc ſubſtitutionem fideicommiſſariam.*

INſtitutionem primam hæredis conſequitur ſecunda inſtitutio ſive ſubſtitutio, quæ aliquando in latiori ſignificatione ſumitur, cum quis in alterius locum ſubvehitur, Judex, v. gr. in locum alterius Judicis, tutor in locum alterius. 1

terius. *l. In fraudem.* 45. *§. Conductor.* 13. *ff. de Jure fiſci. l. ult. ff. Quod cum eo &c.*

Strictius autem pro ſubſtitutione hæredis tantùm, ſeu
2 eâ ſurrogatione, quæ in ultimâ voluntate fieri conſuevit, ſumi debere hujus tractatus materia ſatis innuit: quam altam, ſubtilem & quotidianam, dicit *Ant. Gomez. var. reſol. cap. 3. pr.* & inter alias obtinere primatum. *Alber. in*
3 *Tit. de vulg. ſubſt. 2. col.* comparat illam Mari Anglicano propter profunditatem ejus & neceſſitatem. Et refert *Anton. Gomez. d. l. ex Alex. & Soc.* dixiſſe *Baldum*, quod in hac
4 materiâ lucratus fuerit ultra quindecim millia ducatorum: Unde excellentia ejus patere poterit. Circa originem hujus ſubſtitutionis tantiſper occupati fuimus ſupra *ſect. 1. num. 22.* ſed leviter tantùm: Ubi illam aſcripſimus
5 Juri Gentium. Si enim omnibus gentibus permiſſum fuit hæredes inſtituere, quidni etiam ſubſtituere? cum ſubſtitutio nihil aliud ſit, quàm ulteriori gradu facta inſtitutio. *Harpr. 1. Tom. Inſt. hoc Tit. n. 31.* Ubi affert exemplum ex Diogene Laertio, qui in vitâ Ariſtotelis refert, ejus teſtamentum, in quo puella, ſi prius moreretur, quàm nuptui eſſet collocata, vel poſteà ſine liberis deceſſerit, Nicanorem quendam ſubſtituit. Cujus forma tamen Juri Civili adinventa eſt.

6 In definitione ſubſtitutionis eruenda Doctores plurimum laborant, propter diverſitatem illarum & pluralitatem, quarum *Nicolaus Intrigliolius in Tract. de Subſt. Cent. 1. Q. 12.* viginti ordine recenſet. Plerique tamen eam definierunt, ut ſit: quælibet ſecunda vel poſterior Inſtitutio.
7 *Accurſ. in l. 1. de vulg. & pupill. ſubſt. Bart. & Jaſ. ibid.* Alii dixerunt: eſſe inſtitutionem hæredis ſecundo vel ulteriori gradu factam. *Duar. de vulg. & pupill. ſubſt. Treutler. Diſp. 11. th. 5. vol. 2.* quæ tamen mihi vix probari videtur, licet pro communi reputetur, eo quod non poſſit converti, cum definito, quod tamen neceſſarium eſt, veluti cum di-

citur:

citur: *Subſtitutio eſt ſecunda inſtitutio, ergò omnis ſecunda inſtitutio eſt ſubſtitutio.* Et quoniam hoc non cadit in hanc definitionem, non video, quomodo communis illa ullo modo ſubſiſtere poſſit? probatur ex *Ant. Fumæo Tract. de Subſtit.* hiſce verbis: *Si teſtator Titium ex aſſe hæredem inſtituit, deinde fortè aliâ teſtamenti parte Mævium ex eodem aſſe inſtituat; Hæc, nemo inficiabitur, eſt ſecunda inſtitutio hæredis: attamen hic Mævius ſecundo inſtitutus, non erit ſubſtitutus Titio, ſed ſunt ambo ſimul re conjuncti & inter ſe hæreditatem æqualiter partiuntur. l. Triplici. ff. de V. S. non igitur certò ſubſiſtet hæc definitio*, ſed alia cum *Anton. Fumæo* quærenda: *Ut ſit,* 8
in locum cujuscunq; inſtituti hæredis deficientis ſuppoſitio: Quam & ego facile probaverim, præſertim cum comprehendat omnes ſubſtitutionum ſpecies, ſive hæres deficiat in inſtitutione, ſive alio quovis modo. Deinde explicet naturam ſubſtitutionum, quæ in hæreditate fiunt, ad differentiam ſubſtitutionum in Legatis & donationibus cauſâ mortis.

Non minùs hactenus JC. inſudarunt in exponendâ di- 9
viſione, quàm inveſtigandâ definitione ſubſtitutionum, eò, quod complures afferantur earum ſpecies, paſſim in *l. 1. ff. de vulg. ſubſt. per DD. Emanuel Soarez à Rebeira in Not. ad Anton. Gomez. h. t. lit. B.* Veriorem eſſe putat diſtributionem: ut ſubſtitutionum aliæ ponantur directæ, aliæ obliquæ. Directæ rurſus in quatuor ſecentur ſpecies, in vulgarem nempè, pupillarem, Exemplarem ſeu quaſi pupillarem, & militarem, à quibus quidam ſeparant & removent breviloquam & compendioſam, quaſi pro veris ſubſtitutionibus non habeantur, ſed potius quædam verborum ſint 10
conceptiones, diſſentiente tamen *Ant. Gomezio*, qui pro verâ ſubſtitutione compendioſam habet, quæ comprehendat & comprehendere poſſit omnes hæredes inſtitutos, omnia tempora, ætates eorum & omnia relicta bona. *l. Precibus. 8. Cod. de Imp. & aliis ſubſtit.* Item vulgarem, pupilla-

rem, fideicommiſſariam & omnes alias, tacitè tamen, quod & ego verius cenſeo. De quâ ſicut & de breviloquâ inferius pauca adjiciemus

Hanc diviſionem probat *Sebaſt. Khraiſſ. Tract. in Inſtit.*
11 *Jur. Romano Bavar. Tit. 16. n. 3. & alii, quanquam contradicat Treutl. vol. 2. diſp. 11. th. 5. lit. D. Cujac. in l. 1. ff. de vulg. & pupill. ſubſtit. Matthias Stephan. Cent. 2. Quæſt. 17. lit. A. Harprecht. tit. de vulg. ſubſt. Tom. 2. ad pr. num. 18. & ſeqq.* qui præter vulgarem & pupillarem nullam agnoſcunt, & duas ſolùm eſſe cauſas, quarum intuitu ſubſtitutio fieri poſſit, quæque ſubſtitutioni locum faciant, videlicet hæreditatem non acquiſitam, & filii impuberis mortem aſſeverant, repudiatâ illâ obliquâ & fideicommiſſariâ ſubſtitutione per octo rationes, quas affert *Harpr. d. l.* de quibus ſubſtitutionum ſpeciebus inferius, nunc de vulgari initium faciemus.

12 Vulgaris ſubſtitutio eſt, quæ cuivis ætati, hoc eſt, tàm puberi, quàm impuberi, & cuivis homini, tàm liberis, quàm extraneis fit. In hunc caſum: *Titium inſtituo hæredem, ſi hæres non erit, Sejum ſubſtituo. l. 1. ff. de vulg. & pupill.*
13 *ſubſt.* & hæc ſubſtitutio ſimplex dicitur. Verba illa: *(ſi hæres non erit)* duos ſpeciales caſus continent, *Noluntatis*, ut loquuntur, & *impotentiæ*, quibus hæres vel non vult, vel
14 non poteſt eſſe hæres. *Harprecht. d. l.* ſubſtitutionem vul-
15 garem ad hunc ferè modum definit: *Ut ſit ſubſtitutio à quolibet teſtatore facta, in eum caſum, ut ſi primo inſtitutus hæres non ſit, ſecundo, ſeu ulteriori loco vocatus, ad hæreditatem admittatur.*

16 Vulgaris ſubdividitur in generalem, expreſſam & tacitam. De generali, ſive ut aliàs vocatur breviloqua, infe-
17 rius dicetur. Expreſſa eſt, quæ fit verbis negativis, & cum hæres in ſe verba negationis expreſſa continet: veluti: *Si hæres non erit*, Sejus hæres eſto. *Schneidew. h. t. n. 9.*

Bar-

Bartolus tamen putat dari adhuc expreſſiorem, v. gr. 18
Sempronium hæredem inſtituo, quod ſi Sempronius hæres eſſe nollet, Titius ſit hæres, propter ſingularitatem caſus. Et certè eſt, quod dubitemus de ſpeciebus hujus vulgaris ſubſtitutionis, cum plures & graviores Juriſconſulti eò inclinent, ut etiam dicant ſubſtitutionem omninò expreſſam dari, quæ comprehendit utrumque caſum, *Noluntatis & Impotentiæ*, genericè vel particulariter, ac ſi teſtator diceret: *Si Titius non fuerit hæres, vel noluerit eſſe, vel non potuerit, ſit hæres Sejus.* Aliam verò partim tacitam, partim expreſ- 19
ſam, ut quando unus tantùm caſus vel caput exprimitur à teſtatore. Ut ſi dicat: *Si Titius noluerit eſſe hæres, ſit Sejus.* Quæ ſine dubio fuit mens Bartoli. Quid ergò ſi ex capite 20
impotentiæ hoc noſtro caſu non fiat hæres, an tunc ſubſtitutio corruet? & negatur: quia ex diſpoſitione Juris comprehenditur hic caſus, & caput impotentiæ, & econtra idem dicendum de expreſſo capite impotentiæ, ſine mentione noluntatis. Quanquam non ineptè quoque dixeris non minus ex interpretatione & mente Legum ad conditionem generalem (*ſi hæres non fuerit*) quam ad caſum noluntatis & impotentiæ hanc Deciſionem extendi poſſe.

Vulgaris tacita, in qua negatio non reſultat expreſſè, 21
ſed incluſivè, & tacitè ſubauditur, fitque verbis affirmativis: veluti *cum duos hæredes inſtituo Titium & Cajum, & eos invicem ſubſtituo.* Hoc caſu ſi uterque vixerit, ambo hæredes erunt, ſi verò unus nolit eſſe hæres, vel non poſſit, alter ſolus erit. *l. 14. ff. de hæred. inſtit. Schneid. d. l.* Hinc ſub- 22
ſtitutio vulgaris expreſſa, facit ceſſare tacitam, prout videre eſt in caſu ſequenti: *Teſtator ſuum impuberem hæredem facit, & ille, ſi hæres non erit, ſubſtituit Titium: Et ſi hæres erit, & intra pubertatem deceſſerit, ſubſtituit Mævium.* Jam ſi hæres non erit, quæritur quis ſuccedet? Titius an Mævius? non Mævius, quia teſtator in alium caſum expreſſè

ſubſtituit. *l. Cum ex filio. 39. §. Filio. 1. ff. de vulg. ſubſt.* eò, quod hominis expreſſa proviſio faciat ceſſare proviſionem Legis. *l. fin. Cod. de pact. conv.* quanquam tacitè videatur ſubſtitutus Mævius.

23 Non minus ſubſtitutio vulgaris & fideicommiſſaria confunduntur, ac tacita vulgaris & expreſſa. *Si enim teſtator inſtituat Titium hæredem, & ſi noluerit eſſe hæres, reſtituat* 24 *hæreditatem Sejo.* Dubitatur, an vulgaris aut fideicommiſſaria locum habeat? neutram obtinere qvidam dicunt propter nimiam repugnantiam: In vulgari enim requiritur, ut inſtitutus non ſit hæres, & ſubſtitutus directè capiat ſuum, & propriâ authoritate, non autem per viam & modum reſtitutionis. Econtrà in fideicommiſſariâ oportet, ut ſit hæres, & Jura hæreditaria in eo directè reſideant, ut alteri reſtituat. *Alberic. in Rub. de vulg. ſubſtit. cap. 7.* 25 hoc caſu fideicommiſſariam ſubſtitutionem eſſe docet, propter verbum obliqvum reſtitutionis, quod inducit fideicommiſſariam ſubſtitutionem, nihil obſtante eo, quod dicitur, non eſſe hæredem, & fideicommiſſariam non habere locum, niſi aditâ hæreditate. *l. 1. ff. ad SCtum Trebell.* quoniam cogetur adire de facto, & poſtmodum reſtituere.

Ant. Gomez ex Baldo in l. Humanitatis. 9. de Impub. & aliis ſubſtit. Vulgarem tantùm in hac ſubtili & notabili quæſtione obtinere contendit, ratio: quia ſubſtitutio dubia potius interpretatur vulgaris, quàm alia. *l. fin. Cod. de hæred. inſtit.* præſertim cum verbum *reſtituat*, nihil aliud importet, quàm reſtitutionẽ facti non Juris, quam ſententiam 26 veriorem exiſtimo: Unde reſultat & hæc Quæſtio. Si concurrant ſubſtitutus & fideicomiſſarius, quis præferetur in adipiſcendâ hæreditate? v. gr. *ſi Titius non fuerit hæres, ſit hæres Sejus, & Titium hæredem gravo, ut hæreditatem reſtituat Cajo. Gomez* pluribus diſtinctionibus ſe implicat, ſicut & illi 27 ab eodem allegati: Rectius diſtinctionem hanc ſimplicem

attu-

attuleris, ſi dixeris: aut inſtitutum oppetiiſſe ante hæreditatem acquiſitam; & admittetur ſubſtitutus propter expreſſam proviſionem teſtatoris. Aut nolle inſtitutum adire & præferetur fideicommiſſarius: Quoniam ex SCto inſtitutus cogi poteſt ad adeundam hæreditatem propter fidem datam de eâ reſtituendâ. *l. Non juſtam. 4. Cod. ad SCtum Trebell.* licet non multum interſit fideicommiſſarii compelli inſtitutum, eò, quod perinde ſubſtitutus ſi adeſt, ac inſtitutus compellatur hæreditatem adire, & fidem ſuam de hæreditate reſtituendâ adimplere. 28 29

Effectus hujus ſubſtitutionis vulgaris quinque recenſentur. Primò, ut ſubſtitutus tantum conſequatur ex ſecunda inſtitutione, quàm ex primâ. Secundò, quod poſſit teſtamentum à ſubſtituto ſumere vires, licet in inſtituto defecerit. *l. 3. §. fin. ff. de Lib. & poſth.* Tertiò, quod ſubſtitutus ſuccedat in bonis teſtatoris. Quartò, quod vulgaris expreſſa contineat tacitam pupillarem. Quintò, quod ſubſtitutus vulgaris faciat de ſuo & neceſſario hærede voluntarium, vid. *Bartol.* de his & ſimilibus effectibus. *in d. l. 1. ff. de vulg. & pupill. ſubſtit.* 30

Extinguitur denique vulgaris ſubſtitutio, & exſpirat poſt aditam hæreditatem. *l. 5. Cod. de Impub. & al. ſubſtit.* & ibi *Gloſſ. Bart. Alber. Bald. Paul. Salycet. Alex. Jaſ.* & non ſolùm per eam excluditur primus ſubſtitutus, ſed quicunque etiam fuerint vulgariter ſubſtituti, niſi fortè inſtitutus voluntati defuncti teſtatoris minimè ſatisfecerit. Ratio eſt: quia defecit conditio ſubſtitutionis: *ſi nempè hæres non erit*, deficiente autem conditione ſubſtitutionis, deficit quoque ipſa ſubſtitutio. Subtiliorem & fundamentaliorem addunt rationem DD. quoniam per aditionem efficitur quis directè hæres & dominus, atque bona hæreditaria defuncti, efficiuntur propria hæredis inſtituti, propriumque ejus patrimonium. *Dec. in l. 62. ff. de R. J.* quod ad hæredes ejus transmittitur, ſecus in Jure & effectu 31 32 33

fectu ſubſtitutionis vulgaris, qui non tranſit ad hæredes. *l. 9. verſ. fin. ff. de ſuis & legit. hæred.* his verbis: *Alia cauſa eſt hæredis inſtituti, & cohæredis ſubſtituti, huic enim Jure defertur ex ſubſtitutione hæreditas, non etiam ſi deceſſerit, hæredem ejus ſequitur.* Ratio eſt: quia eſt Jus conditionale, quod non transmittitur. *l. Un. §. 7. Cod. de Cad. toll.* De transmiſſione ſucceſſionum agatur *Part. 2. cap. 7.* ubi plenius de hiſce diſſerendi occaſio erit.

De pupillari Subſtitutione.

84 Secunda ſpecies Subſtitutionis eſt illa, quæ vocatur pupillaris, quando nimirum pater liberis impuberibus in poteſtate exiſtentibus, inſtitutis hæredibus, hæredem ſubſtituit, eamque ſubſtitutionem coërcet. Veluti ſi dixerit: *Titius filius meus impubes hæres eſto, & ſi hæres non erit, ſive erit & intra pupillarem ætatem deceſſerit, hæres eſto Cajus. l. 2. ff. de vulg. & pupill. ſubſtit.* quæ duplex eſt, & facta
85 in ſecundum caſum. *d. l. Precibus. 9. Cod. de impub. & aliis ſubſtit.* ſubſtitutio enim vulgaris fit & concipitur per verba (*ſi hæres non fuerit*) & conſequenter erit primus caſus, nec non facta dicitur in primum caſum per actum negativum. In ſubſtitutione pupillari concipitur caſus affirmativus & eſſentialis, quo aliquid fit, puta: *ſi fuerit hæres, & poſtea*
86 *decedat*, qui ſi verificetur, in ſecundum caſum dicetur facta ſubſtitutio. *Bald. in d. l. Precibus. 1. Col. num. 3.* & admittetur ſubſtitutus, Jure ab initio moribus recepto, & â conſuetudine, non à ſcriptis Legibus originem trahente. *Ang. Salis. Aret. in d. l. 2. de vulg. ſubſt.* minimè autem Jure Lacedæmoniorum, ut voluit *Gomez d. l. & alii. cum ve-*
87 *rius ſit ac multo ſimplicius*, ut inquit *Emanuel Soarez à Rebeira ad populi Romani mores id totum referre, ut acutè & prudenter cenſet vir doctiſſimus Paul Leonius Tract. de pupill. num. 21. fundabantur enim omnia in æquitate, quid enim æquius, quam patrem ſuppeditare filio, quod propter ætatem non eſt?* potiſſimum

mum cum non multæ rationis ſint capaces impuberes, & potius diſſipent, quàm ſua diſpenſent. Accedit inſuper fictio ab accuratiſſimis noſtris Juriſconſultis ſubtili admodum ratione inventâ, quâ adhuc ejusmodi filiis vivere & imperare videtur, qui jam nec ſit, nec amplius deſideretur.

Quænam autem ſit ætas hæc incapax & pupillaris? 38 examinabimus. Ad quam melius definiendam paulò in ætates inquirere lubet, quarum varia & multiplex apud multos eſt diviſio, ac numerus. Unde ſerio dixit *Valleſ. Controv. Philoſ. ac Med. l. 1. cap. 8.* ætatum tot eſſe partitiones, quot Scriptores, alia namque Juriſconſultis, alia Philoſophis, 39 alia Medicis etiam eſt ætatum diviſio.

Juriſconſulti plurimi æque inter ſe differunt, ſicut & ipſi Medici, & Philoſophi inter ſemetipſos.

Leonell. de hom. præced. Q. 5. Art. 3. duas ætates numerat, Juventutem & Senectutem. 40

Bellon. in §. Is quoque. in Inſt. part. 2. num. 24. quinque ponit ætatum diviſiones. Infantiam, pueritiam, adoleſcentiam, juventutem & ſenectutem.

Menoch. de Arbit. Jud. Quæſt. lib. 2. Cent. 1. Caſ. 57. n. 1. 41 in ſex partes dividit: Infantiam, pueritiam, adoleſcentiam, juventutem, ſenectutem & ſenium.

Gloſſa in §. Minor natu. Inſt. de Adopt. ſeptem conſtituit & interponit inter pueritiam & infantiam, pupillarem.

Philoſophos & Medicos ex temperamentorum muta- 42 tione ætatem cognoſcere, videre eſt apud *Gal. Com. Aphor. 3. Aphor. 30. & Com. Aphor. 5. Aphor. 7. ext. ord. Claſſ.*

Macrobius decem ætates docet *in lib. 1. de Som. Scip. cap. 6. verſ. ſ.* ac hominis vitam decem ſeptenariis abſolvi tradidit.

Fernel. Pyhſiol. lib. 3. cap. 16. in quinque ætates humanam vitam diſtribuit.

Hippocrates ſeptem, alii totidem juxta ſeptem planetas, alii novem, alii etiam quatuor, ut *Pythagoras*, & quatuor anni temporibus comparat.

43 *Ariſtoteles in libr. de Juvent. & Seneƈt.* hominis ætates in tres partes diviſit. In juventutem, vigorem & ſeneƈtutem, ex ratione ipſius naturalis caloris, cujus reſpeƈtu ætates pro ejus incremento, ſtatu, aut decremento mutationes accipiunt.

In hac confuſione diviſionum & numerorum quid, quodve tenendum ſit? dubiæ determinationis mihi eſſe videtur.

Prudenter tamen præ cæteris locutus eſt *Cardanus. Comm. 1. Aphor. 13.* dicens: ætatum tot eſſe diviſiones,
44 quot cauſæ dividendæ offerentur paratæ. Et magis paratas cauſas inveniri reor in Ariſtotelis ſententiâ conſtituentis tres ætates, ut jam diƈtum, juventutem, vigorem & ſeneƈtutem, ad quam confirmandam affertur *Servius Tullius ex aulo Gellio Noƈt. Attic. lib. 10. cap. 28.* qui eodem modo ætatem partitus eſt; & alii eam non tantùm pro ſufficienti reputantes, ſed & quamcunque aliam utpote ſuperfluam rejicientes, hoc tamen inſuper monitum velim, maximè in propoſito ſcribendi genere, & definienda pupillari ætate,
45 hæc tria ætatis luſtra ſubdividi poſſe, prout magis & minus ad finem incrementi, ſtatus ac decrementi accedunt. Juventus enim non ineptè partiri poteſt in infantiam & ætatem pubertati proximam (quæ talis eſt ante annum 14.) Et pubertatem Anno 14. incipientem. Unde pupillus ad decimum quartum annum uſque dicitur in pupillari æta-
46 te conſtitutus, cui ad hoc tempus pupillariter ſubſtitui poteſt, tàm inſtituto, quàm exhæredato, & non tantùm in omnibus bonis, ſed etiam in parte, v. gr. *Si filius meus infra pupillarem ætatem deceſſerit, ſit hæres Titius in tali re vel*
47 *fundo.* An autem ſubſtitutus in parte, univerſaliter omnia bona pupilli, & ſimiliter ipſius teſtatoris conſequatur? diſqui-

quiritur : Et dicitur quod ſic per textum unicum & ſingularem in Jure. *in l. Cohæredi. 41. §. fin. ff. de vulg. & pupill. ſubſtit.* cujus verba ſunt : *Non videri cum vitio factam ſubſtitutionem his verbis placuit : Ille filius meus, ſi (quod abominor) intra pubertatis annos deceſſerit, tùm in locum partemve ejus Titius hæres eſto, non magis, quàm ſi poſt demonſtratam conditionem ſibi hæredem eſſe ſubſtitutum juſſiſſet. Nam & qui certæ rei hæres inſtituitur, cohærede non dato, bonorum omnium hæreditatem obtinet. Ibique Alber. Bald. Bartol. Jaſon. & communiter Doctores.* Ubi inferunt, quod ſicut inſtitutio directa facta in re certâ, extenditur ad univerſalem hæreditatem, ita etiam ſubſtitutio directa, ſive vulgaris, ſive pupillaris, ſecus 48
verò, ſi fiat per verbum obliquum.

Dividitur porrò eodem modo Pupillaris ſubſtitutio, quo vulgaris, in expreſſam, tacitam, & partim tacitam, 49
& partim expreſſam. Cujus ultimæ diviſionis nobis præbet exemplum. *l. ult. C. de Inſtit. & ſubſtit. ſub condit. fact. Uxorem prægnantem quis habet, eam ex dimidia parte vult eſſe* 50
hæredem, ventrem autem ex alia dimidia inſtituit, & ſi poſthumus non naſcetur, Antonius ſit hæres. Hæc ſubſtitutio in parte eſt pupillaris expreſſa, ſcilicet, *ſi non naſcetur poſthumus*, id eſt, intra decem vel novem menſes.

Tacita quoque erit, ſi naſcatur poſthumus & tempore impubertatis decedat. Advertendum hic tamen eſt: 51
Jus circa hunc caſum diſpoſitum *in d. l. ult. Cod. inſtit. & ſubſtit.* matrem nimirum, ſi ſuperſit, præferri ſubſtituto ad ſublevandum luctum, ſi autem partus editus non fuerit, vel poſt partum mater prior deceſſerit, ſubſtituto tùm demum locum eſſe. Poſitâ autem ejusmodi ſubſtitutione 52
expreſſâ, & verificatâ in perſonâ filii vel etiam poſthumi, matrem excludi à Legitima plurimi, & non ſine fundamento contendunt. Ratio dicti eſt : quia, quando pater filiis ſubſtituit, genericè, id intelligitur de omnibus bonis, textus eſt *in l. 10. §. 5. ff. vulgar. & pupill. ſubſtit.* his verbis : *ad*

ſubſtitutos pupillares pertinent, & ſi quæ poſtea pupillis obvene-
53 *rint, neque enim ſuis bonis teſtator ſubſtituit, ſed impuberis.* Alia probatio & quidem expreſſa deducitur ex *c. Si pater, de teſt. in 6to.* ubi diſertè diſpoſitum eſt, quod pupillaris ſubſtitutus non tantùm admittatur ad omnia bona, ſed & excludat matrem inſtituti à Legitimá, non obſtante eo, quod Jure Naturæ matrem ad illam vocari dicant: cum non debeatur illi Jure Naturæ, ſed tantùm de Jure poſitivo miſerationis in ſolatium liberorum amiſſorum. *l. 7. in fin.*
54 *ff. Unde liberi.* Ibi: *Non ſic parentibus liberorum, ut liberis parentum debetur hæreditas, cum parentes ad bona liberorum ratio miſerationis admittat, liberos naturæ, ſimul & parentum commune votum.*

55 Prædicta tamen limitantur in ſubſtitutione pupillari tacitâ, quia in his mater non excluditur. *Vid. Gomez. dict. loc.*

Ut autem ſubſtitutio pupillaris optimis fundamentis
56 ſubſiſtat, quinque obſervanda præſcribit *Gloſſa in l. 2. pr. ff. de vulg. & pupill. ſubſtit.* quibus *Bartolus* ibi tria addit: Primò, ut is, cui fit ſubſtitutio, ſit filius, nepos vel deſcen-
57 dens non excluſis etiam poſthumis. Secundò, ut ſit in poteſtate ſubſtituentis. *d. l. 2.* hinc mater filiis ſubſtituere non poteſt. *Bart. d. l. 2.* Tertiò, ut ſit impubes maſculus nondum 14. annorum, & fœmina nondum duodecim, quod tempus non à tempore partus, ſed à tempore conceptionis in utero repetendum. Utrum autem pupillaris ætas ita conſtituatur ad 14. annum usque, ut neceſſe ſit non modò finem illorum, ſed etiam ſequentis anni initium pertingi, ut pupillaris ſubſtitutio evanuiſſe cenſeatur? diſputant Doctores. *Aret.* id exiſtimat: contrarium tamen verius eſt, ut ſcilicet eo ipſo momento, quo teſtandi Jus conſequuntur, ſubſtitutio pupillaris pereat. *Paul. Leon. in Tr. de pupill. n. 259. & ſeq.* Quartò, ut is, cui ſubſtituitur, poſt mortem efficiatur ſui Juris, & non ſit recaſu-

rus in alterius poteſtatem. Quintò, quod ſit ſubſtitutus vel legitimè exhæredatus. *d. l. 2.* Sextò, ut impubes maneat in poteſtate ſubſtituentis, nec ante mortem ipſius deſinat eſſe in ejus poteſtate. *l. 41. ff. eod.* Septimò, ut parens ſibi prius ſcribat hæredem in teſtamento, poſtea filio vel alii deſcendenti. Octavo, ut adeatur hæreditas ex teſtamento.

Finitur demum ſubſtitutio pupillaris: Primò, tempore pubertatis habitæ. Secundò, lapſo tempore etiam arctiori à teſtatore præſcripto. Tertiò, quando ſubſtitutus eſt incapax hæreditatis, *l. 11. ff. eod.* Quartò, ſi pater deportetur, quoniam teſtamentum fit irritum. Quintò, ſi primum teſtamentum rumpatur per ſecundum. *l. 16. §. fin. ff. eod.* Sextò, ſi conditio defecerit. *l. 8. pr. ff. eod.* 58

De Subſtitutione exemplari.

Ad ſimilitudinem & exemplum Subſtitutionis pupillaris introducta eſt exemplaris. Cujus rei tres tantùm annotantur loci in Jure. *l. 43. ff. de vulg. & pupill. ſubſt. l. Humanitatis. 9. Cod. de impub. & aliis ſubſtit.* & §. *Quâ ratione. Inſtit. de pupill. ſubſtit.* Et eſt, quando parentes liberis ſuis ſubſtituunt, qui propter furorem, aut alium morbum ingraveſcentem teſtari non poſſunt. Debent ergò eſſe parentes, pater nempè vel loco patris, ut nullus ſit medius, quin etiam mater honeſta, & non tranſiens ad ſecunda vota. *Bart. in d. l. 43.* non conſideratâ patriâ poteſtate ſicut in pupillari. *d. l. Humanitatis. 9. Cod. de impub. & aliis ſubſtit.* cum proveniat ex humanitatis ratione & commiſeratione, prævaletque in bonis maternis vel ejus linea, patris verò in bonis ab ipſo provenientibus, reliqua bona aliundè proventa inter ſubſtitutos dividentur. *l. Ex facto. 35. de hæred. inſtit.*

59 (beside "Ad ſimilitudinem"); 60 (beside "Et eſt, quando parentes"); 61 (beside "cum proveniat")

62 Subſtituitur autem filiis naturalibus & legitimis, ſive in poteſtate ſint, ſive non, ut emancipato, & hodie conjugato: Item legitimis tantùm, nepotibus & neptibus puberibus, omninò furioſis, privatis intellectu, & habentibus rabiem furioſi, adeò, ut ſi dimitterentur, ſævirent in alios. Aut etiam mente captis, & habentibus mentem expreſſam ſine offenſâ alterius. *Jaſon. in l. Furioſum. ff. qui teſt. fac. poſſ.* Nec non fatuis, carentibus tamen intellectu:
63 quod de furore & dementiâ perpetuâ intelligendum. *l. 43. ff. de vulg. & pupill. ſubſt.* Quemadmodum etiam in ſurdis & mutis obſervatur, utpote à naturâ talibus, niſi caſu & infirmitate huic infortunio ſubjecti fuerint, ſecundùm
64 *l. Diſcretis. 10. Cod. Qui teſt. fac. poſſ.* Idem dicendum de prodigo reor, cui ob prodigalitatem bonis interdictum eſt. *DD. in d. l. 43.* quoniam prodigalitas provenit à maximâ dementiâ quâdam, quanquam contrarium teneant *Alber. in Rub. tit. de ſubſtit. & Ang. in d. l. 43.*

65 De filio naturali, an & illi exemplariter ſubſtitui poſſit? acerrimè diſputatur. Affirmant *Bartol. Bald. Salicet. Curt. Jun. num. 13. Coraſ. n. 7. in d. l. Humanitatis. 9.* Negant autem *Paul. Leon. tr. de exempl. Ang. Imol. Cuman. Aret. Alex. num. 28. Jaſon. n. 20. in d. l. 43. ff. de vulg. & pupill. ſubſtit.* priorem tamen ſententiam humanitati magis conſonam & veriorem exiſtimo: utut etiam altera Auctorum numero facilè præponderare videatur.

66 Non econtrà filius patri furioſo exemplariter ſubſtituere poteſt, cum hæc Jura ſaltem parentibus competant, ut ſcilicet liberis ſubſtituant: præſertim cum ſit introducta ad ſimilitudinem pupillaris, quæ in patre non admittitur.

67 Extinguitur tandem hujusmodi ſubſtitutio exemplaris, quando filius reſipuerit, & ad ſanam mentem reverſus fuerit, ipſo Jure. *d. l. 43. in verb. Nam & furioſo.* Quid
68 autem ſi deficiens furor, poſtmodum revertatur? & verius

pu-

putat *Bart. d. l. 43.* non exſpiraſſe ſubſtitutionem exemplarem, quod & *Zaſius* approbare videtur, modò brevi tempore redeat furor, aliàs non, cum habens dilucida intervalla poſſit condere teſtamentum. *l. 9. Cod. qui teſt. fac. poſſ.* cui ſententiæ lubens *ſubſcribo cum Schneidew. h. t.* Extinguitur quoque ſi filii naſcantur, cui ita ſubſtituitur. 69

De Subſtitutione compendioſa & Breviloquâ.

Subſtitutio compendioſa eſt, quæ fit cuilibet hæredi, 70
deſcendenti, vel extraneo, & in omni caſu & tempore, aliasque ſubſtitutiones comprehendens, vulgarem nempè, pupillarem & fideicommiſſariam, omneſque alias, hoc 71
modo: *Inſtituo filium meum hæredem, & quandocunque is deceſſerit, ſubſtituo ei Cajum.* Hæc, inquam, ſubſtitutio continet pupillarem; ſi intra pubertatis annos deceſſerit, vulgarem: ſi poſt pubertatem, item exemplarem ſi in furore, & omnes ſunt tacitæ, cum ſaltem genericè & effectivè per teſtatorem ſint expreſſæ.

Breviloqua ſive reciproca ſubſtitutio eſt, quando plu- 72
res unâ verborum conceptione ultro citroque inſtituuntur & ſubſtituuntur. Ob id autem dicta reciproca, quod duobus fiat reciprocè. Veluti: Si quis duobus hæredibus inſtitutis dicat: *Vos invicem ſubſtituo.* Differunt hæ duæ ſubſtitutionum ſpecies, quod ſecunda inter plures perſo- 73
nas tantùm locum habeat, prima verò uni tantùm fieri poteſt, verbis directis, vel obliquis, ſeu precariis & communibus.

Effectus harum ſubſtitutionum à *Shneidew.* ad longum 74
referuntur. *Bart.* quoque *in l. 45. ff. de vulg. & pupill. ſubſtit. & in l. 15. ff. eod.* hanc materiam abundè tractat, quò Benevolum Lectorem remittimus.

De

De Fideicommiſſaria Subſtitutione.

75 Fideicommiſſariam ſeu precariam ſubſtitutionem deſcribit *Ant. Gomez. Tr. de fideic. ſubſt.* Ut ſit quædam obliqua ſubſtitutio ſeu reſtitutio Totius hæreditatis, vel partis quotidianæ, fienda per hæredem etiam invitum, per quam fideicommiſſarius efficitur hæres effectu.

Ad cujus intellectum quædam proponuntur exempla.

76 Primò, *Titium mihi hæredem inſtituo, rogans eum per fideicommiſſum, ut hæreditatem reſtituat Sejo.* hoc modo: *Sejus ſit ſubſtitutus Titio Jure fideicommiſſi*; quo etiam quotam Trebellianicam detrahet Titius dodrante relicto Sejo, ſi hæreditatem ſpontè adierit. §. *Sed quia hæredis. Inſtit. de fideicomm. hæred.* Secus ſi cogatur adire, quam ſubſtitutionis fideicommiſſariæ ſpeciem, ſub hac forma verborum rariorem eſſe Doctores profitentur.

Secundò, *Filius meus quandocunque deceſſerit, Titium ſubſtituo.*

Tertiò, *Titium hæredem inſtituo, ſed ſi Titius quandocunque deceſſerit ſine liberis, Sejus ſit hæres.* & hæc totaliter fideicommiſſaria eſt, eò, quod verba (ſine liberis) importent, ut ſive in pupillari ætate, ſive quandocunque ſine liberis decedat, videatur eſſe rogatus per fideicommiſſum, hæreditatem reſtituere poſt mortem, adeò ut quicunque ſint ſucceſſores, ſi ſine liberis decedant, reſtituere teneantur hæreditatem ſubſtituto.

77 Quartò denique, *Titium filium meum hæredem inſtituo, ſed ſi dictus filius meus in pupillari ætate deceſſerit, vel poſtea quandocunque ſine liberis, Sejum ſubſtituo.*

Sub hac forma tres comprehenduntur ſubſtitutiones: Primò, pupillaris expreſſa. Secundò, tacita vulgaris contenta ſub pupillari: & denique fideicommiſſaria, per verba: *Quandocunque ſine liberis*, quarum unaquæq; ſuum habet effectum.

Hinc

Hinc opportunè monendi Tabelliones, ut clarè & apertè in conficiendo inſtrumento exprimant has ſubſtitutiones propter ſingularem harum uſum, ſcilicet hoc modo: *Titium filium hæredem ſibi inſtituit. Veruntamen ſi dictus filius hæres erit, & in pubertate deceſſerit, Sejus ſit hæres.* Aut ſic: *Fratres ſuperſtites & præmortuorum fratrum liberi in ſtirpes & non in capita ſint hæredes.* 78

Jam ſequitur fideicommiſſaria: *Si verò dictus Titius factus pubes poſtea quandocunque deceſſerit ſine liberis.* Vel ſic: *Poſtea ſi intra 20. vel 30. annum vel aliud tale tempus deceſſerit ſine liberis, ſubſtituo ei per fideicommiſſum ſuperſtites fratres ejus, & præmortuorum fratrum ejus liberos in ſtirpes & non in capita.*

Aliàs ſi non fieret mentio filiorum præmortui fratris, non ſuccederent cum patruis, nec admitterentur ad fideicommiſſariam hæreditatem.

Accedat jam *Harprechtus*, ut adhuc deneget fideicommiſſariam ſubſtitutionem, aut ejus exiſtentiam, quæ luculenter in allatis exemplis demonſtratur. 79

De cætero fuſè & magiſtraliter tractavit hanc materiam fideicommiſſariæ ſubſtitutionis, & cum fundamento *Anton. Gomez. dict. loc.* Videatur inſuper *Paul. Leon. Patavinus* Vir doctiſſimus in ſuis hâc de re confectis Commentariis, qui accuratè, copioſè & doctè eos ad poſteros transmiſit, ſicut *Emanuel Soarez à Rebeira in Notis ad Anton. Gomez.* eleganter ſcribit. Et hæc ſufficiant de ſucceſſione teſtamentariâ directâ. Nunc me ad ſucceſſionem fideicommiſſariam transfero. 80

Sectio XVI.

De Succeſſione Fideicommiſſariâ.

SUMMARIA.

1 Fideicommiſſorum materia utilis & in foro frequens.
2 Olim quidam hæredes inſtitui non poterant, ideò fidei hæredis teſtator committebat, quatenus talibus reſtitueret.
3 Poſtmodum Juris authoritatem obtinuerunt.
4 Tandem ſub Nerone eorum uſus frequentiſſimus fuit.
5 Origo fideicommiſſorum.
6 Definitio.
7 Et diviſio eorundem.
8 Fideicommiſſum univerſale & particulare quod ſit?
9 Detractio Quartæ Trebellianicæ ad ſimilitudinem Falcidiæ.
10 Differentia inter Falcidiam & Trebellianicam.
11 Textus L. 91. ff. ad. Leg. Falcid.
12 Ex quo differentia ſumitur, & quomodo explicari debeat, innuit, quæ ſcilicet Jure hæreditario comprehendantur?
13 Quæ in Quartam Trebellianicam imputentur?
14 Intellectus L. 18. §. ult. ff. ad SC. Trebell.
15 In reſtitutionem fideicommiſſi veniunt commodo hæredi obvenientia & tàm res corporales, quàm incorporales.
16 Etiam Lucra poſt hæreditatem aditam obventa.
17 Non item fructus, aut uſuræ poſt aditam hæreditatem acceptæ.
18 Quod limitatur.
19 Tranſlatio SCti Pegaſiani in Trebellianum.
20 Teſtator prohibere poteſt Trebellianicam.
21 Nec non Falcidiam.
22 Quod ſtatuitur in uno æquiparatorum, etiam in altero ſtatui debet.
23 Non eſt novum, quod Leges correctoriæ extendantur ad ſimiles caſus, ubi certa & eadem eſt ratio.
24 Authores contrarium ſentientes.
25 Limitatur prohibitio Trebellianicæ.
26 Non detrahitur Trebellianica in fideicommiſſis familiæ & bonis alienari prohibitis.
27 Ratio hujus poſterioris ſententiæ, quæ de alienatione prohib[illegible] loquitur.

DE Succeſſione directâ ex Teſtamento dictum hucusq;. Nunc quædam de fideicommiſſariâ ſive obliquâ & precariâ, tanquam materiâ utili & in foro frequenti, ſecundùm

Gail.

Gail. 2. obſ. 137. n. 1. proponuntur, cujus uſum Romæ non quidem certâ Lege, ſed moribus jam antea invaluiſſe ante tempora Ciceronis, *ex Cic. Libr. 2. de Finib.* Et *ex Valer. Maxim. lib. 4. cap. 2. inf.* diſcimus.

Quanquam olim Jure Civili neque peregrini, neque cœlibes & orbi, neque uxores teſtamento virorum hæredes inſtitui potuerint. *argum. l. 1. pr. ff. ad Leg. Falcid. l. 11. ff. de vulg. & pupill.* Nihilo tamen minus, ſi Teſtator ad ejusmodi perſonas hæreditatem pervenire volebat, fidei hæredis committebat, ut illis reſtitueret, quod paulatim mutatum, & cœperunt hæreditates etiam relinqui iis, qui directis verbis inſtitui non poterant. Nullo verò vinculo Juris continebantur, qui rogati eſſent reſtituere hæreditatem: cum preces non afferant neceſſitatem: niſi ſint tyrannorum vel aliorum potentiorum Dominorum, quorum verba rogativa habent vim mandati, juxta illud vulgatum: 2

Eſtque rogare Ducum ſpecies violenta jubendi.

Quod Divus Auguſtus primus correxit, & ad Juris neceſſitatem pertraxit, eò usque, ut tandem favor fideicommiſſorum eò excreverit, ut Divus Claudius duos Prætores crearet, qui tantum de fideicommiſſis cognoſcerent, ex quibus Titus Imperator alterum detraxit, unusque permanſit, qui Prætor fideicommiſſarius dicebatur. *l. 2. §. 2. ff. de Orig. Jur.* 3

Temporibus porrò Neronis Trebellio Maximo & Annæo Senecâ Conſulibus, aſſiduus & frequens fideicommiſſorum uſus invaluit, & Senatusconſultum de hæreditariis actionibus transferendis factum, atque à Trebellio, Trebellianum dictum. *§. Et Nero. 4. Inſt. de fideicomm. hæredit.* cui omnem vim detulit Juſtinianus exploſo Senatusconſulto Pegaſiano. 4

Originem autem fideicommiſſorum Juri Gentium aſcribunt Doctores, eò, quod naturalis id conſtituit ratio, & 5

quod fides ſemper & ubique ſervanda, econtra grave ſit eandem fallere. *l. 1. ff. de pact.*

6 Fideicommiſſum definitur: quod ſit *rogatio & deprecatio quædam, quam diſponens facit erga ejus hæredem circa bonorum ſuorum diſpoſitionem poſt ejus obitum, ad alterius favorem & utilitatem. Petr. Anton. de Petra Tract. de fideicommiß. princ.*

7 Dividitur in Univerſale & Particulare. Illud eſt, quando univerſa hæreditas fidei alterius committitur, ut aſſem integrum reſtituat, & cui reſtituitur, hæredis loco eſt.

8 Particulare: quando pars hæreditatis fideicommittitur, qui fideicommiſſarius, ſive ſecundum Baldum precarius hæres, Legatarii partiarii loco habetur. *§. 5. Inſt. de fideicomm. hæred. & ibi Weſemb. n. 1.*

Ne autem hæredes, qui totam hæreditatem reſtituere cogerentur, recuſarent hæreditatem, ex qua, ne minimum quidem lucrum exſpectare poſſent: adeòque repudiatâ hæreditate deſertoque teſtamento, & fideicommiſſa & alia in teſtamento relicta corruerent. *l. 9. ff. de teſt. tut. l. 14. Cod. de fideicommiſſ.*

9 Senatusconſulto introductum eſt, ut ad ſimilitudinem Falcidiæ & Quartæ Falcidianæ, ſimilis Quarta & Trebellianica, olim Pegaſiana, detraheretur. *l. 86. ff. ad Leg. Falcid.* quæ diverſam naturam habent, licet *Jacob. Cujacius lib. 8. cap. 4. circa fin.* exiſtimaverit, nullum eſſe diſcrimen inter illas, eò, quod per omnia exæquata ſint Legata fideicommiſſis. *l. 1. ff. de Leg. 1.* certum enim eſt, quoad hanc imputationem non eſſe adæquata, ſed in aliis. *l. 2. Com. m. Leg. & fideicomm.*

10 Quæ differentia deſumitur ex famoſa illa *Lege: In quartam. 91. ff. ad Leg. Falcid.* Quam omnes hactenus decepiſſe veretur *Jacob. Cujac. d. lib. 8. cap. 4.* & conſequenter inutilem indagationem in eruendâ differentiâ ſuſpicatur. Cum quo ſentire vix queo, præſertim cum *Martianus in d. l. 91.*

non obſcurè innuere videatur contrarium hiſce verbis: *In Quartam hæreditatis, quam per Legem Falcidiam hæres habere debet, imputantur res, quæ Jure hæreditario, non quas Jure Legati vel fideicommiſſi, &c. paulò poſt & in fideicommiſſariâ hæreditate reſtituendâ, ſive Legatum ſive Fideicommiſſum datum ſit hæredi, &c. in Quartam id imputatur.* 11

Quæ differentia aperta eſt ex verbis prolatis: Lex 12
namque Falcidia tantùm reſpicit Jus hæreditarium, ſivé hæreditatem ipſam totam & univerſalem, ex quà apud hæredem quarta pars remanet. *l. 1. ff. ad Leg. Falcid.* nec ulla ratio habetur ejus, quod præcipere vel etiam Jure Legati vel Fideicommiſſi accipere poſſit, potiſſimum circa imputationem hujus quartæ hæreditatis. Ratio: quoniam illa, quæ imputari volunt in quartam, tanquam hæreditatis quotam, neceſſariò ſe referunt ad totum, ſive maſſam totius hæreditatis. Quidquid autem hanc relationem reſpuit, reſpuit quoque Jus ipſum hæreditarium, quà tale, ſed Legatum & Fdeicommiſſum ejusmodi relationem non admittunt, ſed potius differunt ab hæreditate, nec continentur hæreditatis appellatione, hinc reſpuunt Jus hæreditarium, & conſequenter non poſſunt imputari in quotam ſive quartam illam hæreditatis ab hærede detrahendam, ſed cedunt lucro hæredis & quidem ex præſumptá voluntate teſtatoris: quoniam non cenſetur mandaſſe ea dari vel reſtitui, quæ hæredem Jure Legati vel Fideicommiſſi, ſeu retentionis aut præceptionis habere voluit.

Econtrà verò in quartam illam Trebellianicam non 13
tantùm imputantur ea, quæ Jure hæreditario, ſed etiam quæ jure Legati vel Fideicommiſſi accedunt per *text. in d. l. 91.* allegatum. Ratio eſt: quoniam in hæreditate remanent, & neceſſariò in reſtitutionem venire debent ea, quæ reſtitutioni hæreditatis obnoxia ſunt, de quibus rogatus eſt hæres: cui Primò Legis diſpoſitio obſtat, quia Lex non

conſentit, ut Legatum valeat pro parte hæredis, & ideò vult, ut in hæreditate maneat & reſtituatur fideicommiſſario, aut ſi non reſtituatur, imputetur ipſi hæredi in quartam. Secundò ei adverſatur voluntas teſtatoris. Ratio: quia dum voluit hæreditatem ab eo, aliis reſtitui, voluiſſe quoque cenſetur reſtitutionem ſuam ratione Legati & Fideicommiſſi. *l. In fideicommiſſaria. 18. §. ult. ff. ad SC. Trebell.*
14 ubi dicit *Ulpianus: Si Legatum ſit hæredi relictum, & rogatus ſit portionem hæreditatis reſtituere, id ſolum non debere eum reſtituere, quod à cohærede accepit. Cæterum, quod à ſemetipſo ei relictum eſt, in fideicommiſſum cadit. Et id Divus Marcus decrevit.*

15 In reſtitutionem autem veniunt commoda, non tantùm hæredi advenientia, tàm res corporales, quàm incorporales, Jura, actiones & exceptiones, quæ in bonis de-
16 functi fuerunt, cùm moreretur, ſed etiam poſt hæreditatem aditam obventa: ut eſt Jus accreſcendi. Similiter
17 quod hæres ex obligationibus & actionibus principaliter accepit, non etiam fructus & uſuræ poſt aditam hæreditatem acceptæ, niſi ex morâ reſtitutio facta, aut etiam
18 fructus reſtituere ſpecialiter rogatus ſit. *l. 18. princ. l. 58. §. Qui poſt tempus. ff. ad SCtum Trebell. Gail. lib. 2. obſ. 133.*

19 Tandem à Juſtiniano exploſis illis ſtipulationibus captioſis & SCti Pegaſiani ambagibus, totum Jus circa fideicommiſſa in Trebellianum translatum eſt, adeò ut nunc Primò, onera pro ratâ parte communicentur inter hæredem & fideicommiſſarium. Secundò, ut quartam retineat,
20 vel ſi errore facti ſolverit, repetat condictione indebiti, niſi illam prohibuerit teſtator, quam prohibere poſſe verius eſſe credo: quoniam Falcidia & Trebellianica æquiparan-
21 tur. *l. 3. ff. ad SCtum Trebell.* atqui teſtator prohibere poteſt Falcidiam. *Nov. 1. circa fin.* cur ergò non poterit pro-
22 hibere Trebellianicam: Ratio: quia, quod Lex correctoria ſtatuit in uno æquiparatorum, etiam id ſtatuere cen-
ſeatur

ſeatur in altero. *l. 14. ff. de Serv. corrupt. ibiq; Bartolus.* Deinde non eſt novum, quod Leges novæ & correctoriæ, in 23
quibus certa ratio eſt expreſſa, eatenus extendatur, quatenus ratio locum habet. *Harprecht. §. 11. per tot. quem omnino vide, Inſtit. de fideicomm. hæredit. Bart. Jaſon. in L. 3. ff. ad SCtum Trebell. Gail. lib. 2. obſerv. 138. Hunn. lib. 2. variar. reſolut. Tract. 8. Q. 21. Franzk. Exercit. 7. Q. 9. pag. 212. Ang. Salicet. in Auth. Sed cum teſtator. Cod. ad Leg. Falcid. Bald. in l. Filium. Cod. Famil. Erciſc. col. 10. num. 40. Tuſchus* 24
lit. T. concluſ. 385. Quanquam contrarium teneant. *Gloſſ. in l. 11. ad Leg. Falcid. Fachin. lib. 5. Controv. cap. 4. Donell. Enucleat. l. 7. cap. 29. lit. A. Anton. Faber. in Error. Pragmat. Dec. 11. Error. 6.*

Prædictam tamen prohibitionem benè limitant *Bald.* 25
Salicet. in l. 6. ad SC. Trebell. Forſter. lib. 2. Diſput. 14. Theſ. 8. Gail. libr. 2. obſerv. 138. n. 16. quod non habeat locum in liberis primi gradus, quod negat *Vaſqu. de Succeſſ. Reſol. 2. §. 11. num. 27.* Secus erit in fideicommiſſis familiæ conſer- 26
vandæ relictis & bonis alienari prohibitis, in quibus detractio Trebellianica non habet locum. *Auth. Sed & in eâ. Cod. ad Leg. Falcid.* his verbis: *Sed & in eâ re ceſſat Falcidia, quæ ita relicta eſt, ne alienetur, ſed remaneat apud ſucceſſores ejus, cui relicta.* Idem tenent *Soc. Jun. conſ. 170. n. 4. lib. 2. & conſ. 49. num. 18. Quid. P*[illegible] *conſ. 51. num. 2. Rol. à Vall. conſ. 9*[illegible]

Q[illegible] prohibitâ alienatione, non detrahatur 27
Trebellianica, vel inde patet, quoniam ſi quoad iſtam Quartam detractio fieret ab hærede, pro parte illâ detractâ fieret alienatio, quod expreſſè impugnaret voluntatem Teſtatoris, quà diſpoſitum fuit, ut bona illibata in familiâ conſerventur, quod *Molin. de Hiſpan. primogen. libr. 1. cap. 3. num. 1. & ſeq.* latius extendit, ut, quantumvis alienatio expreſſè prohibita non fuerit, nihilominus Teſtator eam intendiſſe intelligatur. De qua fideicom-

miſſa-

miſſaria ſucceſſione familiæ ſequenti ſectione uberius dicetur. Ex quâ fideicommiſſorum univerſalium naturâ clarius cuivis patebit.

SECTIO XVII.

De Succeſſione ex Fideicommiſſo Familiæ.

SUMMARIA.

1 *Commendatur utilitas notitiæ Fideicommiſſorum familiæ.*
2 *Unde dicantur, & cujus causâ conſtituantur?*
3 *Quomodo differant avita ab hiſce fideicommiſſis?*
4 *Quid intelligatur per familiam?*
5 *Propriè familia conſiſtit in agnatis, & latius etiam in cognatis.*
6 *Mulieres non admittuntur.*
7 *Maſculinum in hiſce non continet fœmininum.*
8 *Teſtator relinquens fideicommisſum familiæ ſolos maſculos vocaſſe cenſetur.*
9 *Multò magis ſi expreſſè hos vocaverit.*
10 *Vocabulum Stamm ſignificat agnationem & familiam.*
11 *Synonima familiæ ſunt, Domus, Genus, Linea, Generatio, Stirps, &c.*
12 *Guntheri verſus de domo Auſtriaca.*
13 *Quomodo conſtituantur hujusmodi fideicommiſſa?*
14 *Per actum inter vivos & ultimam voluntatem.*
15 *Per ultimam voluntatem conſtitutum, vel eſt reale, & hoc itidem univerſale, aut particulare.*
16 *Vel perſonale certas perſonas reſpiciens.*
17 *Fideicommiſſum expreſſum quod ſit?*
18 *Tacitum quod ſit, quod proprium, improprium, revocabile & irrevocabile?*
19 *Tendit ad familiæ conſervationem, & conſiſtit in bonis immobilibus.*
20 *In quibus bonis & Juribus in ſpecie locum habeat?*
21 *Voluntas inſtituentis ad unguem & pro Lege obſervari debet, & idem modus ſervandus in ſucceſſoribus, qui fuit in primo.*
22 *Ab illis non excluduntur poſthumi, qui Jus conſanguinitatis conſequuntur.*
23 *Non excluditur quoque exhæredatus, cum non deſinat eſſe agnatus, & in familia permaneat.*
24 *Poteſt pluribus relinqui, quibus extinctis proximiori defertur.*
25 *Quomodo in fideicommiſſis familiæ ſuccedatur, ex Jure feudali vel Civili?*

26 Pla-

26 *Placet ſententia ordine ſucceſſivo & Jure Civili fideicommiſſa deferri juxta proximitatem.*
27 *Etiam pluribus ſimul.*
28 *An ubi deſcendentes alicujus vocati ſunt, gradatim invicem & reciprocè dicantur vocati, an verò priore admiſſo exſpiret totum Fideicommiſſum quoad alios?*
29 *Quomodo pater vocetur cum perſonâ filii an ſimul vel ſolus ſuccedat pater?*
30 *Fratres & eorum filii ſuccedunt ſervato charitatis ordine*
31 *Si plures vocati ſint ad fideicommiſſum, an unus alteri tanquam gravatus reſtituere illud teneatur?*
32 *Si fratres concurrant, an Germanus excludat conſanguineum?*
33 *In feudis Germani cum conſanguineis concurrunt.*
34 *Fideicommiſſa Juri Civili merè aſcribuntur.*
35 *An Jus Repræſentationis in fideicommiſſ. familiæ locum habeat?*
36 *Circa hanc quæſtionem affertur diſtinctio.*
37 *Deficientibus deſcendentibus ſuccedunt aſcendentes.*
38 *Quinam hâc ſucceſſione fideicommiſſariâ priventur?*
39 *An fœmina ſemel excluſa, ſemper excluſa dici debeat?*
40 *Fœmina in hiſce admittitur, ſicut & in primogenituris deficientibus maſculis.*
41 *Legitimati à Principe non gaudent fideicommiſſis familia.*
42 *Niſi reſcriptum ſit qualificatum per clauſulam: (non obſtante) vel de plenitudine poteſtatis.*
43 *Plures nominantur, qui à fideicommiſſis arcentur.*
44 *Adoptati ſcilicet, liberi per unionem prolium conjuncti, & ex matrimonio ad Morganaticam contracto nati.*
45 *Infames, Hæretici, Rei læſæ Majeſtatis, Rebelles, Seditioſi, Banniti, &c.*

CUm Doctores utilitatem Fideicommiſſorum Familiæ, utpote materiam non tantùm ſcitu neceſſariam, ſed & dignisſimam paſſim commendent: Ideò operæ pretium me facturum ſpero, ſi paulò accuratius in ſequentibus ei inſiſtam. 1

Dicuntur Fideicommiſſa familiæ, quæ Nobilium Familiarum conſervandarum cauſâ conſtituta ſunt, & fidei poſſeſſoris, alteri de familiâ reſtituenda committuntur, quæ Germanis ſunt Stammgüter / ſo zu Erhaltung eines Fürſtl. Gräfl. Freyherrl. Adelichen Stammes und Namens verordnet ſind. 2

3 Differunt bona avita, id eſt, Stammgüter / ſo nicht ſelbſt erworben ſeynd / à fideicommiſſis modo dictis, quoniam poſſeſſor ipſa non acquiſivit, ſed ab aſcendentibus conſecutus eſt, & Jure hæreditario habet.

4 In nomine & inveſtigatione Vocabuli familiæ, & quinam ſub eâ comprehendantur? non minus Doctores laborant: Alii enim originem trahunt ab arcibus von Stamhäuſern. Alii à Metropoli, alii à Pagis, alii à Cognominibus, ſicut apud Romanos dicti ſunt Fabii, Piſones, nec non ab iis, quæ vel natura tribuit, ſic Metellus celer: vel locus, de quo ſe ſcripſit Scipio Africanus; vel etiam affectus ſingulares hominis: ita Bruti conſtantes, Claudii ſuperbi, &c. à quibus familiæ cognomina ſortiuntur.

Familiam domeſticam etiam dicimus, quæ prædicatur de omnibus in unâ domo exiſtentibus, cujus caput paterfamiliâs eſt.

5 Propriè tamen nobis hic familia ſumitur, quæ conſiſtit in agnatis. *Pariſ. conſ. 16. vol. 3. quamvis Alciat. in l. 195. §. 2. de V. S.* ſub eâ in latiore ſignificatione ſumptâ cognatos quoque comprehendi putet, maſculos & fœminas: & hoc de Jure communi, quando ad fideicommiſſum vocan-
6 tur, quod verum eſt. Sed quando nobis ſermo eſt de fideicommiſſo familiæ, utpote uni eidemque debitæ, vix eſt, ut mulieris admiſſionem concedamus, quis enim unquam dicet fœminarum ſucceſſionem hic fuiſſe ſubintellectam, cum de familiâ integrâ & authoritate ejus conſervandâ, & ſplendore augendo teſtator ſeriò cogitat? Contrarium inde potius deducetur, ut magis excludantur, quàm admittantur. *Menoch. Præſ. 488. num. 5. & conſ. 197. n. 55. lib. 2. Cravett. conſ. 130. n. 1.* nec multum me movet, quod ſub appellatione agnatorum comprehendantur, cum poſteri illarum non ſint de agnatione. *l. Voluntas. Cod. de fideicom.*
7 *ibique Bart.* Non minus hic includit maſculinum fœmininum,

num, quod alias in materia indifferenti, & utrique ſexui convenienti proprium eſt, veluti in Contractibus. *Gœdd. 4. Marpurg. conſ. 38. num. 65.* & in ultimis voluntatibus. *ibidem conſ. 30. num. 6.* Continentur igitur hoc noſtro caſu ſoli agnati, qui de eodem ſanguine procedunt, maſculi eademque inſignia portantes, die eines Namens und Stammens ſeynd / welche einerley Helm und Schild haben. Quapropter ſi te- 8
ſtator reliquerit fideicommiſſum familiæ ſuæ, ſive etiam extraneæ, & conſervationem ejus intenderit, ſolos maſculos vocaſſe cenſendus eſt, præcipuè ſi expreſſè de qua- 9
litate maſculi locutus comprobetur; quoniam tunc fœminas excluſiſſe dicendus eſt: *Fuſar. Q. 311. num. 12.* idque propter præſumptam voluntatem teſtatoris. *Mantic. de conject. ult. volunt.* Hanc opinionem confirmat vocabulum Stammgüter. Stamm enim ſecundùm *Wehn. in vocabulo:* 10
Stamm ſignificat agnationem & familiam, quâ tantùm dicuntur comprehendi maſculi, der männliche Stam̃ Schwertmagen / cui opponitur Spielmagen / weiblich Geſchlecht / quia fœminæ non dicantur idoneæ ad conſervationem familiæ & agnationis.

Synonima Familiæ ſunt Domus; velut Domus ſive Fa- 11
milia Auſtriaca, das Haus Oeſterreich / de qua Guntheri Lingurini verſus:

O verè famoſa Domus, cui totus ab ortu
Solis ad occiduas mundus ſubſternitur auras, 12
Quam qui novit, amat, qui non novêre verentur,
Cujus in auditu confuſis mentibus hoſtes
Tabeſcunt, contraque nihil ſe poſſe fatentur.

De qua uberior & aptior aliquando dicendi locus erit alibi, ubi ſucceſſionem Auguſtam tractabimus. Similiter dicitur Domus Bavarica, das Haus Bayern. Exemplum hujus termini nobis quoque præbet Sacra Scriptura, quando loquitur de Domo Jacob. Item Synonima ſunt Genus, Generatio, Linea, Gens; Stirps, Proſapia, Progenies, De-

ſcendentes & Hæredes, &c. De quibus opportunè videri poteſt *Philipp. Knipſchild. Tract. de fideicomm. famil. cap. 1. num. 74. uſque ad fin.* ubi tacitè & doctè denominationem familiæ tractavit, intermixtis etiam quæſtionibus de familiis Illuſtribus in Romano Imperio.

13 Conſtituuntur autem fideicommiſſa familiæ, aut per actum inter vivos. *§. 10. Inſt. de fideicom. hæredit. l. 1. §. 5. l. 6. §. 1. l. 76. ff. ad SCtum Trebell.* per contractum. *Alexand. conſ. c. 83. lib. 2.* per pactum. *Borcholt. de Tranſact. cap. 3. n. 1. &c.* per modum donationis. *l. 68. in fin. ff. de Leg. 2.* & per præſcriptionem. *Luc. de Penna in l. Cum ſatis. Cod. de Agric. & Cenſ.*

14 Aut per ultimam voluntatem: de qua plenius jam tractabimus cum magis propoſitum ſucceſſionis noſtræ attingat.

15 Per ultimam voluntatem conſtitutum familiæ fideicommiſſum, Primò concernit rem ſolam, quæ absque mentione Perſonarum in familiâ perpetuò remanere jubetur, & inde dici poteſt reale, quod vel univerſale, diſponens de tota hæreditate reſtituendâ, vel particulare, rem certam fideicommiſſo ſubjectam proponens. *Pariſ. conſ. 47. num. 13. vol. 2.*

16 Secundò reſpicit certas perſonas, quibus ſpeciatim mentione illarum expreſſè factâ, ne bona alienentur, hujusmodi fideicommiſſum confertur, quas excedere, & ad alias transferre non poſſunt, quod perſonale vocatur perſonæ cohærens. *Natta. conſ. 470. n. 60.*

17 Dividitur porrò in expreſſum, quod eſt, quando verbis expreſſis & cauſâ adjectâ de perſonis ad fideicommiſſum admittendis teſtator voluntatem ſuam declarat, & prohibet alienationem. *l. 69. §. 3. ff. de Leg. 2.* & hoc vel purum, quando ſine conditione & die datur: vel conditionatum, quando verbis enunciativis bona in familiâ permanere

præ-

præcipitur, & prohibitio ad certas tantùm perſonas extenditur.

Aut eſt Tacitum: quod ex conjecturis ſaltem & præſumptionibus teſtatoris colligi poteſt. Addi inſuper poſſunt plures diviſionis ſpecies: quod aliud ſit proprium familiæ, aliud improprium, unum revocabile, alterum irrevocabile, temporale & perpetuum. 18

Sciendum autem eſt fideicomiſſum ſive inter vivos, ſive ultimâ voluntate relictum ſit, pro conſervatione familiæ, in bonis immobilibus tantùm conſiſtere, maximè in bonis inveteratis & avitis, in quibus præcipuè gloriantur agnati, eorumque nobilitas ſplendet ex *Dionyſ. Halicarn. lib. 3. Rom. Antiq. pr.* ad quæ generaliter dici poteſt, & hæc regula poni, quod ubi conceſſio feudi locum habere dicitur, ibi quoque fideicommiſſum. 19

In ſpecie verò locum habet in Ducatu, Marchionatu, &c. in territorio ejusque jure, & ſuperioritate territoriali, in Regalibus, in Juriſdictione altâ & Baſſâ. *Schrad. de Feud. P. 7. cap. 2. n. 55.* in vectigalibus, pedagiis & Gabellis. *Aretin. conſ. 154.* in pœnis & mulctis nondum exactis. *Alex. conſ. 125.* In confiſcatione bonorum. *Tiraq. de retr. convent. Gloſſ. 5. §. 5.* In decimis. *Quid. Pap. Q. 283.* In penſionibus de camerâ & cavenâ. *Roſenth. de Feud. cap. 4. concluſ. 6. 11.* In annuis reditibus. *Koppen. deciſ. 24. 17.* In actionibus & nominibus debitorum. *Coler. de Proceſſ. execut. p. 1. c. 3. num. 250.* In ſervitutibus & aliis Juribus incorporalibus. *Gail. 2. obſ. 11. num. 11.* In ſervitiis, quæ à ruſticis ſtatutis temporibus dominis præſtantur. In Jure venandi, in Jure piſcandi, quoniam bonis immobilibus annumerantur. *Zaſ. de Feud. p. 4. num 2.* in molendinis, quæ in terrâ & ripâ fluminum ædificata ſunt. *Curt. Jun. de Geud. p. 1. Q. 6. num. 11.* In inſulis, caſtro, & caſtello, in arcibus, in burgo, & aliis domibus & ædificiis, in prædiis & fundis, quoniam in feudum dari poſſunt, & inter immobilia recen- 20

cenſentur. In ſylvis, cæduis, olivetis & vineis, quia itidem pro immobilibus habentur. *Berlich. p. 3. concl. 30. num. 19.* In lapicidinis & aliis metalli fodinis. *Carpzov. Jurispr. forenſ. p. 3. conſt. 25. def. 1. 2. Knip. d. Tr. cap. 5.*

21 Quemadmodum in bonis immobilibus conſtituitur fideicommiſſum, ita etiam ſucceditur in immobilibus ex voluntate teſtatoris, quæ ad unguem & pro Lege obſervari debet, cum hâc ulteriori ampliatione, ut idem modus, qui fuit in primâ inſtitutione, vel primâ lineâ, ſive primis ſucceſſoribus, is etiam in futuris hæredibus & ſucceſſoribus perduret.

Succedunt autem, ut jam monitum fuit, agnati, & quidem ſoli illi, qui nominatim ad fideicommiſſum vocati ſunt, excluſis reliquis cognatis conſtituentibus alienam familiam & propriam, & conjunctis ſaltem per fœminini
22 ſexus conjunctionem. *l. 4. §. 2. ff. de grad.*

Hinc tamen non excluduntur poſthumi, quoniam Jus conſanguinitatis conſequuntur, & agnati fiunt. *§. 1. & §. 11. Inſt. de Leg. Agn. Succ.* Similiter nec emancipati, quantumvis emancipatione Jus agnationis extingui dicatur. *§. Minima. Inſt. de cap. minut.* cum Jura agnatorum iis per omnia, & in omnibus Legum beneficia conceſſa ſint. *l. 4.*
23 *Cod. de Leg. Tut.* Idem eſt, de exhæredato, quoniam non deſinit eſſe agnatus, ſed in familia permanet, & ſuccedit ex teſtamento ejus, qui Fideicommiſſum primo inſtituit.

Verum enimverò non uni ſoli ſemper relinquitur hu-
24 jusmodi fideicommiſſum, ſed & pluribus, qui ſi à teſtatore nominatim expreſſi ſint, ſed poſtmodum extracti, vocantur illi, qui ex familia teſtatoris primo gradu ſunt procreati, licet plures ſint gradu, niſi expreſſè in inſtitutione uni aſſignari juſſerit teſtator, quod Jus itidem in reliquis obſervabitur.

25 Non minima hîc ratione ſucceſſionis, oritur contentio (ſiquidem non omnia ita exactè in teſtamentis & ulti-

mis

mis voluntatibus proſpiciunt teſtatores, ut contentiones præcaveri poſſint) maximè quibus Jus ſuccedendi primum competat? quo Jure ergò utentur, an feudali? quoniam noſtrum fideicommiſſum ſupra comparatum fuit cum feudo, ratione conſtitutionis materialis, inſuper etiam bona familiæ haberi poſſint inſtar feudalium: An verò Jure Civili ſuccedent? præſertim cum non ſint verè feudalia, ſed potius allodialia.

Meam ſententiam conformem facere non dubito opinioni *Molin. de Hiſpan. primog. lib. 3. cap. 9. n. 11.* qui hanc ſucceſſionem in fideicommiſſis relinquit diſpoſitioni Juris Civilis, præſcripto cauſæ inteſtati ordine, ſcilicet, ut æquales gradu, æqualiter & ſimul veniant, diverſi verò gradu, proximior excludat remotiorem, per notabilem *l. ult. Cod. de verb. ſign.* quæ innuit, quod fideicommiſſum factum deſcendentibus, extendatur ad omnes deſcendentes in infinitum ordine ſucceſſivo, & ſecundum ordinem nativitatis eorum, & gradatim juxta eorum proximitatem: quoniam cenſetur, ſecundum *Caſtrenſ. in l. Cum ita. §. In fideicommiſſo. ff. de Leg. 2.* teſtator voluiſſe bona conſervari in familiâ, & ordine ſucceſſivo: idem apertè diſpoſitum videtur *in d. l. Cum ita. §. In fideicommiſſo.* his verbis: *In fideicommiſſo, quod familiæ relinquitur, hi ad petitionem ejus admitti poſſunt, qui nominati ſunt, aut poſt omnes eos extinctos, qui ex nomine defuncti fuerint eo tempore, quo teſtator moreretur, & qui ex his primo gradu procreati ſint, niſi ſpecialiter defunctus ad ulteriores voluntatem ſuam extenderit.* 26

Hinc eſt, quod ſcribit *Natta conſ. 111. num. 2.* non tantùm plures uno eodemque gradu exiſtentes ſimul admitti, ſed & appellatione plurium unum comprehendi. *Pereg. de fideicomm. Art. 22. n. 66.* 27

Non obſtante præallegato textu apertiſſimo, Doctores nihilominùs dubitant, an, ubi deſcendentes alicujus omnes vocati ſint gradatim, invicem, & reciprocè dican- 28

tur

tur vocati, an verò priore admiſſo exſpiret totum fideicommiſſum quoad alios? Sed rejectâ hâc ſuperfluâ dubitatione opinioni antea allatæ firmiter inhæremus, ſive tota ſit vocata familia, ſive etiam duobus antiquioribus de domo relicta dicatur, tunc ordinem ſucceſſorium in hiſce penitus obſervari, propter rationem fundatam in intentione teſtatoris, qui pro fine habuit conſervationem familiæ, quod etiam voluit *Socin. Jun. conſ. 73. n. 17. vol. 4.* concludens, quod, ubi aliqui ſint ſubſtituti collectivè in familiâ, videatur elici intentio Teſtatoris, ut bona remaneant in eâ, & conſequenter ſuo quisque loco & tempore ſuccedat non admiſſâ pluralitate fideicommiſſorum: abſurdum enim eſſet ex ſolâ deſignatione familiæ à teſtatore factâ, inter comprehenſos ſub eâ tot fideicommiſſa conſtituere, cum contrarium potius hic quadrare poſſet, ut non tantùm proximiores admittantur, ſed &, his admiſſis, cæteri perpetuò excludantur.

Conflictum hunc intuitu quæſtionis noſtræ propoſitæ, proponit *Pet. Anton. de Petra. Q. V. de fideicom.* & concordiam tentat.

Advertendum tamen erit, ne jam memoratus à Jure Civili præſcriptus ſuccedendi modus, (de quo tamen infra uberius dicetur, quando cauſam inteſtati & ſucceſſionem ex eâ perpendemus) confundatur, maximè verò ratione lineæ directæ vel etiam obliquæ: & quidem ratione lineæ directæ, quando pater vocatur ad fideicommiſſum cum perſonâ filii, quo caſu quæritur, an ſimul, vel ſolus ſuccedat pater? & reſpondet *ex Bart. & Bald. in l. Gallus. §. Quidam. ff. de lib. & poſthum. Pet. Anton. de Petra, cap. 11. de fideicomm.* quod ſimul non ſuccedant, ratio, quia teſtator ordinem ſucceſſivum obſervaſſe præſumitur, quem ordinem neceſſitatis appellat. Aliud tamen dicendum in lineâ obliquâ inter fratres & eorum filios, qui ceſſante hoc ordine neceſſitatis, & ſubſtituto charitatis or-

29

30

dine

dine vocati cenſentur. Quid autem juris, ſi plures vocati 31
ſint per fideicommiſſum, an unus alteri tanquam gravatus reſtituere illud teneatur? Ad quod reſpondeo reſolutivè, non eſſe dubium, quin omnes cenſeantur vocati ſimul & ſemel, ratio: quia diſpoſitio iſta concepta eſt in plures perſonas, nec locum habet ordo neceſſitatis, nec charitatis, niſi aliter conſtet de voluntate fideicommittentis.

De fratribus vocatis ad fideicommiſſum dubitatur 32
æque, an ſi omnes ſimul concurrant, germanus excludat conſanguineum? Et hunc excludi patet. Ratio: quoniam à diſpoſitione Civili hic ſuccedendi modus dependet, quod expreſſè ſtatuit *Auth. Ceſſante.* & *Auth. Poſt fratres. Cod. de legit. hæred. Nov. 118. cap. 3. Decian. conſ. 16. num. 19. vol. 1.* nec me movet cum *Petr. cap. 9. de fideicomm.* quod in feu- 33
dis concurrant conſanguinei cum Germanis fratribus, & admittantur, & conſanguinitas ſit ſpecies agnationis. Diverſitatis ratio eſt: quia Jure Feudali id expreſſè ſtatutum reperitur. *2. feud. 11. §. His verò deficientibus.* Secus in fi- 34
deicommiſſo: quod Juri Civili merè aſcribitur, adeò ut nequidem identitas rationis quidquam importet. Aliud tamen tenendum foret, ſi deeſſent Germani, quia tunc propter Jus agnationis admitterentur conſanguinei.

Difficilior nunc ſuboritur Quæſtio: An Jus repræſen- 35
tationis in fideicommiſſo aliquem ſibi vendicare poſſit locum? *Menoch.* antequam decidat quæſtionem, tres refert opiniones diverſas. *4. Præſum. 95.*

Primam negativam, ſcilicet filium non ingredi in locum patris, nec eum repræſentare, quando concurrit cum patruo in ſucceſſione fideicommiſſi, & enumerat 27. Doctores tanquam Patronos hujus opinionis, refutatq; rationem *Baldi, in l. Cum ita. §. In fideicommiſſo. ff. de Leg. 2.* ſubſcribentis huic negativæ ex hâc ratione: quia major haberetur affectio erga filium, quàm nepotem & remotiorem.

O Secun-

Secunda eſt affirmativa, & confirmans Jus repræſentationis per authoritatem 55. Doctorum.

36 Tertia eſt ſententia concilians has modo relatas duas opiniones contrarias, diſtinguendo. Si agatur de ſuccedendo in fideicommiſſo ordinato & relicto à teſtatore aſcendente, & illud Jus tunc aſſerunt; Si verò agatur de fideicommiſſo relicto à teſtatore transverſali, ut à fratre patruo, &c. tùm denegant Jus repræſentationis poſt *Immol. conſ. 55. num. 37. Cravett. conſ. 568. num. 1. libr. 4. Menoch. 4. præſump. 95. num. 15.* ubi teſtimonio triginta octo Doctorum hanc opinionem confirmat, & quibusdam conjecturis limitat in *ſeqq.* cui & ego lubens ſubſcribo.

37 Deficientibus autem deſcendentibus, ſuccedunt aſcendentes, quoniam non minus hi de familiâ eſſe cenſentur, & conſervare dicuntur familiam, ac ipſi deſcendentes, quamvis mortalitatis ac ſucceſſionis ordine turbato ad liberorum bona admittantur, juxta illud:

Ordine turbato ſuccedis Bulgare nato.

De ſucceſſione aſcendentium pluribus agetur infra, quando cauſam inteſtati examinabimus.

38 Poſitis hiſce facilè cuivis obvium erit, quosnam ſucceſſione hâc privari conveniat, & certè omnes illi, qui non continentur ſub agnatione, vix admitti poſſunt, inter quos primum locum obtinent fœminæ, quæ etſi vel prudentia, vel magnanimitate excellere dicantur, eo tamen non obſtante repelluntur, quia conſervatio familiæ penes illas non eſt. An autem fœmina ſemel excluſa pro ſemper ex-
39 cluſa habeatur? infra in ſucceſſione feudali commodior hâc de quæſtione dicendi locus erit. Similiter an à majoratus ſucceſſione ſemel excluſa fœmina, ſemper quoque cenſeatur excluſa. Infra quoque videbimus.

40 Illud ſaltem hîc monere neceſſarium judico, fœminas admitti in fideicommiſſo familiæ & Jure primogenituræ deficientibus maſculis. *Tiraq. de Jur. Primogenit. Q. 10. n. 15.*

n. 15. & ſeqq. Molin. de Hiſpan. Primog. lib. 3. cap. 4. num. 4. etiam in Regnis, Ducatibus & Baroniis. *Molin. dict. cap. 4.* Exemplum habetur in Archi-Ducatu Auſtriæ, ex ſpeciali privilegio Imperatoris Friderici Secundi, quod eſt apud *Goldaſtum Tom. 1. Conſtitut. fol. 86.* Similiter in Ducatu Juliacenſi & Clivenſi, de quibus diſſerendi occaſio erit, quando de ſucceſſione ex primogeniturâ quædam proponentur.

Secundò ab eadem ſucceſſione in fideicommiſſis familiæ excluduntur ſpurii, qui nec dicuntur agnati, nec cognati genitoris. *Peregr. de fideicom. art. 12. n. 13.* quamvis 41
etiam à Principe legitimati eſſent, eò, quod ſaltem ſint filii fictitii. *Forſt. de ſucceſſ. ab inteſt. lib. 6. cap. 37. n. 14.* qui non comprehenduntur ſub appellatione legitimorum, quando de beneficio & honore quodam agitur *Bald. in l. Generaliter. §. Cum autem. C. de inſt. & ſubſt. n. 2.* quos non præſumitur teſtator magis dilexiſſe, quàm agnatos & deſcendentes legitimos, de quibus ſaltem inſtituens fideicommiſſum, non etiam de legitimis cogitaſſe dubio caret. *Tiraqu. de Nobil. cap. 23. n. 15. & 18. Dec. conſ. 284. num. 10.* Niſi diſtinctionem feceris inter Reſcriptum Principis, quà tale, & Reſcriptum qualificatum cum adjectâ clauſulâ *(non obſtante)* vel de plenitudine poteſtatis, quoniam ejusmodi Legitimatus cum antecedente conſenſu paterno, ſine dubio ſuccedat, ex eadem ratione militante in Legitimis, quod nempè in poteſtatem patris tranſeant, & Jura agnationis conſequantur, quod in terminis tenet *Salicetus. Auth. Item ſine. Cod. de Naturalibus liber. num. 2. Gail. l. 2. obſ. 142. n. 14. Perez. ad Cod. de ſuis & legit. hæred. num. 14.*

Quod etiam procedit in ſucceſſione Agnatorum, ſi 42
hujusmodi alienationi conſenſerint, *Salicet. dict. loc.* quod & in feudis quidam putant, ſi hoc nominatim ab Imperatore, vel habente poteſtatem, ſit expreſſum, & pater conſenſerit: hoc tamen in caſu *cum Salicet. dict. loc.* dubito, an

 non

non conſenſus Domini directi intervenire debeat? ne Vaſallum nanciſcatur, quem non velit. De hiſce videatur *Part. II. Sect. V. infrà.* Eodem modo ſe res habet, & multò magis in Legitimatis per ſubſequens matrimonium, cum ſint de agnatione parentis & Jura agnatorum habeant. *Peregr. de Fideicom. art. 23. num. 28.* ſuccedant *in* feudis *Zaſ. de feud. cap. 7. n. 48.* & in Regnis *Beſold. de Succeſſ. Regia.* uti & in Electoratibus *Mart. Rum. ad Aur. Bull. diſſert. 6. concluſ. 12.*

43 Tertiò, repelluntur inceſtuoſi & ex damnato coitu procreati. *Forſter. de ſucceſſ. ab Int. lib. 6. cap. 49. num. 1. & ſeq.*

Quartò, liberi naturales. *Vult. 1. Juris P. Rom. cap. 8. num. 46.*

44 Quintò, Adoptati vel arrogati, niſi antea fuerint in familia ipſius teſtatoris.

Sextò, liberi per unionem prolium conjuncti.

Septimò, liberi ex conjuge ad morgenaticam ductâ nati, qui certis & in pactis dotalibus conventis reditibus contenti eſſe debent.

45 Arcentur infames quoque. *lib. 2. Cod. de Dignit.* Hæretici, læſæ Majeſtatis rei, qui omnia, quæ Juris Civilis ſunt, amittunt. *l. 5. §. 1. ff. de cap. minut.* & eorum memoria damnatur. *Höping. de Jure Inſign. cap. 16. num. 36.* Item Rebelles & ſeditioſi, Banniti, qui exuuntur omni beneficio, & impunè interimi poſſunt, cum privatione omnium bonorum. *Ord. Cam. Part. 2. Tit. 9.* So Jemand. Proditores. *Tiraq. de Nobil. cap. 20. num. 120.* Falſarii, homicidæ voluntarii, occiſor ultimi poſſeſſoris. *Schurff. Conſil. 43. Part. 1.*

SECTIO

SECTIO XVIII.

De primario Effectu fideicommiſsi familiæ.

SUMMARIA.

1 Effectus fideicommiſſi familiæ præcipuè in alienationis probibitione conſiſtit.

2 Quid ſit alienatio?

3 Quæ ſit expreſſa, vel inter vivos vel per ultimam voluntatem, & tacita?

4 Concurſus expreſſæ cum tacita actum reddit validiorem.

5 In caſu tacitæ probibitionis alienatio interim valet uſq; ad mortem gravati.

6 Probibentur alienationes in bis fideicommiſſis tàm inter vivos, quàm per ultimam voluntatem.

7 An alienatione inter vivos probibitâ, cenſeatur permiſſa per ultimam voluntatem?

8 Sententia negativa ſtabilitur.

9 Niſi omnium ultimus de familia ſit qui poterit alienare.

10 Salvâ probibitione alienationis probibitus cenſetur omnis actus, per quem tranſlatio dominii evenit.

11 De Regno, ex Lege Primogenito debito, in fraudem ſucceſſorum in ultimo Elogio diſponi non poteſt.

12 Succeſſio Regni non beneficio defuncti, & hæreditario Jure, ſed ſanguinis & familiæ intuitu debetur.

13 Exemplum ex Galliâ adducitur.

14 Probatur ſupra allegata ſententia negativa per textus Juris.

15 Neque ad pias cauſas hoc fideicommiſſum impendi poteſt.

16 Probibitâ alienatione quænam ejus ſpecies probibitæ cenſeantur?

17 An valeat alienatio, ſi venditio fiat cum pacto de redimendo.

18 An in fideicommiſſis familiæ uſusfructus conſtitui poſſit?

19 Non poſſunt dari in feudum neque in perpetuam emphyteuſin.

20 Generaliter alienatione probibitâ omnis actus probibitus cenſetur, quo fideicommiſſum in alium tranſit, & contra voluntatem teſtatoris, à familiâ recidit.

21 An ſit permiſſa alienatio, ſi conſenſus agnatorum acceſſerit?

22 Valida eſt alienatio facta cum conſenſu agnatorum præſentium & non contradicentium.

23 Non obſtat teſtatorem in familiâ bona ſervari juſſiſſe.

24 Non conſentientes minimè tangit, quorum Jus ſalvum manet.

25 Afferuntur caſus, in quibus conſenſus non requiritur.

26 Permittitur alienatio ex cauſa æris alieni à defuncto inſtitutore contracti.

27 *Valet alienatio fideicommiſſi in rebus ſterilibus, & quæ ſervando ſervari non poſſunt.*
28 *An alienatio ex cauſâ dotis ſit permiſſa?*
29 *Teſtator præſumitur voluiſſe reſtitui fideicommiſſum exceptâ cauſa dotis.*
30 *Teſtator non poteſt ſubjicere bona fideicommiſſo in præjudicium eorum, quibus habet conſtituere dotem.*
31 *Limitatur niſi alia bona superſint.*
32 *An in infinitum ſucceſſio extendatur, an verò ad certos gradus reſtringatur?*
33 *Sententia diſtinguens.*
34 *Quamdiu familia durat, tamdiu & fideicommiſſa.*
35 *Ultimus finis horum fideicommiſſorum eſt conſervatio agnationis.*
36 *Stante conſervatione familiæ conſiſtit quoque ſplendor Reipublicæ.*
37 *Aliàs irrepit inopia, quæ ſpernitur.*

1 INter præcipuos effectus fideicommiſſi familiæ, non immeritò ponitur alienationis prohibitio: ne ſcilicet bona per fideicommiſſum relicta quovis modo ab eâdem divelli, & in extraneum, vel etiam alium quemcunque transferri
2 queant. Quæ alienatio *eſt omnis actus, per quem dominium in alterum transfertur. l. fin. Cod. de reb. alien. non alien.* ad cujus explicationem procedere, præſertim in hâc materiâ difficili & nodoſâ non ſine difficultate licet, ut ſatis innuit *Petr. de Petra. Q. 1. n. 3. & ſeqq.*

3 Eſt autem ejuſmodi prohibitio (ne ſcilicet bona fideicommiſſo ſubjecta alienentur, ſed pro familiæ decore & diuturnitate conſerventur, & reſtitutioni obnoxia ſint) Expreſſa vel inter vivos, vel ultimâ voluntate, quando ſcilicet expreſſè adjicitur & exprimitur, ne ullo modo bona in alienas manus perveniant. *l. 69. §. 3. l. 77. §. 27. ff. de Leg. 2.* Et tacita: quæ his familiarum fideicommiſſis ineſt: quæ tacita prohibitio, quantumvis non minimum tribuat effectum, eò, quod contra naturam fideicommiſſi ſit, ſubſiſtere poſſe ſine hujusmodi prohibitione. *Soc. Sen. conſ. 43. col. 1. & 2.* præſumitur enim inſtituens ea omnia
4 obſervaſſe, quæ concomitentur naturam ipſam fideicommiſſi:

miſſi: nihilominus tamen vis unita fortior eſt, & concurſus expreſſæ cum tacitâ actum reddit validiorem, & effectum tribuit fortiorem, in hoc potiſſimum, ut, quod contra factum eſſe probabitur, ipſo Jure nullum cenſeatur, *Cephal. conſil. 318. num. 16.* & vocatus, ſive fideicommiſſi ſucceſſor admittatur quamprimum. Quod tacita ſola operari non poterit, eò, quod in caſu tacitæ prohibitionis, alie- 5
natio interim valeat usque ad mortem gravati, eo verò mortuo tùm demum transferatur in honoratum. *Petr. de Petra. Q. 3. n. 5. de fideicom.*

Quanquam non inconvenienter dictum ſit prohibitionem fieri poſſe tàm inter vivos, quàm etiam per diſpoſitionem ultimæ voluntatis, & non inconvenienter quoque dici videatur alienationem non permiſſam eſſe extra familiam, non tantùm per actum inter vivos, ſed etiam 6
per ſpeciem quandam Elogii ultimi: interim tamen huic propoſitioni quidam minimè acquieſcunt, ſed inſuper quærunt: An alienatione inter vivos prohibitâ, alienatio 7
ſaltem permiſſa videatur in teſtamento, vel aliâ quâvis ultimâ voluntate? Circa hanc controverſiam plurimum occupatur *Petr. de Petra. Q. 5.* ibidem inquirens, quibus caſibus fideicommiſſum abſolutum in caſum alienationis & mortis dicatur inductum.

Nonnulli in ſententiam affirmativam abeunt, alienanationem nempe in fideicommiſſo eſſe permiſſam, quando per teſtamentum ſive inſtitutionem hæredis in aliam perſonam extra familiam, vel quæ ſit de familia inſtituentis transfertur. Ex his fortaſſe rationibus moti, primo quidem ex præſumptâ voluntate teſtatoris, qui non cenſetur ſenſiſſe de illâ alienatione proveniente ex inſtitutione hæredis, eò, quod vita humana illuc ſeſe extendere non poſſit, ut perpetua ſit, & ſine interruptione in uno ſubjecto hærere queat, præterea etiam cuique licitum ſit de bonis teſtari, & conſequenter etiam extra familiam relinque-

quere: quia teſtandi facultas de Jure Gentium omnibus conceſſa, & omninò libera eſt. *l. 1. Cod. de Sacroſ. Eccleſ.* præſertim ſi tantùm ſimpliciter prohibitio facta ſit. *Jaſon. conſ. 101. col. fin. lib. 1. Roland. à Valle conſ. 80. num. 36. lib. 3. Tuſch. lit. A. concluſ. 263. num. 5. Fuſar. de fideicomm. ſubſt. Tiraq. de Retract. conſang. §. 26. Gloſſ. 1. num. 4. Menoch. conſ. 95.* quam opinionem eò quoque extendunt, ut etiam per hujusmodi prohibitionem de non alienando extra familiam, non ſit prohibita ſucceſſio ab inteſtato legitimi hæredis gravati. *l. 27. §. 28. ff. de Leg. 2.* Et dicunt eſſe communem opinionem. *Alex. conſ. 56. num. 7. vol. 1. Burſat. conſ. 37. pr. & num. 6. Maſcard. de probat. concluſ. 1243. num. 45. ſeq. Pereg. de fideicomm. artic. 14. num. 25.* Ratio autem eorum aſſerti eſt, quod tunc non dicatur fieri alienatio à prohibito, ſed à Lege. *l. 3. §. De illo. ff. pro ſocio.* Qui-
8 bus non obſtantibus negativa verior eſt ita, ut, ſi prohibitio facta ſit extra familiam, & mandatum, ut in familiâ perſeveret, illud fideicommiſſum ſimplex & abſolutum inter omnes de familiâ, in infinitum inducatur, & prohibitionem tàm inter vivos, quàm per ultimam voluntatem complectatur. *Pet. de Petra. Q. 5. num. 19. 42. ſeq. Socin. Jun. conſ. 168. n. 78. lib. 2. Menoch. conſ. 197. n. 23. Roland. à Valle conſ. 23.*

Huic ſententiæ Canonizatæ non deſunt rationes, quinimò ex intentione & mente teſtatoris contrarium ſat ſuperque elici poterit, ne ſcilicet bona fideicommiſſaria ad tales, qui non ſunt de familia (quales ſunt, de quibus opinio contraria ſentit, utpote ſub agnatione & familiâ non exiſtentes) perveniant, ſed perpetuò apud hæredes inſtituentis permaneant, ſicuti in feudis paſſim obvium eſt quæ alienari prohibita ſunt, in quibus hæredis inſtitutio locum non habet, præſertim quando de extero quæſtio incidit. *Moz. de ſubſtant. feud. n. 78. Vultej. 1. feud. cap. 9.*
9 *num. 10. Schrad. de feud. p. 7. cap. 2. num. 1.* niſi tamen omnes de fa-

de familiâ, præter illum, qui teſtamento hæc bona fideicommiſſo ſubjecta relinquere conſtituit, extinctos eſſe fuerit comprobatum: tùm enim ultimus hicce poſſeſſor poteſtatem nactus eſt, ad hoc, ut quovis modo transferre poſſit. *Natta conſ. 470. n. 3. & 5. Dec. conſ. 182.*

Præterea, poſitâ illâ priori ſententiâ nihil operaretur prohibitio illa, aut ſi quid operaretur, produceret contrarium, & apertè contra mentem teſtatoris ageret, voluntatemque ejus everteret. Quod ſi ergò ſalvam quis voluntatem illam ſupremam velit, neceſſariò & prohibitionem illam ſalvam dicere compelletur. Salvâ autem pro- 10
hibitione illâ, prohibitus etiam cenſetur omnis actus, per quem dominii translatio evenit. *l. 1. Cod. de fund. dotali. Maſcard. de probat. concluſ. 1246. num. 94.* nec non omnis ſpecies, quâ res in alium transferri poſſet: qualis eſt, quæ per ultimam voluntatem fit: quæ aliàs locum non habet, quando ex Jure ſanguinis & ex Lege ſucceditur, prout ex- 11
emplificari poteſt in Regno, quod certo Jure & certâ Lege defertur, in cujus fraudem Rex alium in ultimo Elogio denominare non poteſt, id ſi fiat, irritum reputabitur ejusmodi teſtamentum, eò, quod commodum ſucceſſionis, non beneficio defuncti, ſed ſanguinis, generis ac familiæ 12
intuitu habeat. *Tiraq. de Primog. Q. 35. num. 5. & ſeq.* & non Jure hæreditario, ſed Jure Regni debeatur, ſicuti in Galliâ, quod explicat *Beloy. (apud Pierre Olhagamy Liure* 13
Dernier del Hiſtoire de Comtes de Foix, Bearn & Navarre. p. 769.) Il y a eſpece de continuation de poſſeſſion, laquelle ſe remarque particulierement en la ſucceſſion de la Couronne, alaquelle le plus proche Prince du Sang du Roy defunct maſle, & deſcendant des maſles, ne ſuccede pas au decede, ains en vertu de la Loy du Royaume, la Famille ou Sang entiere y eſtant appellé, le plus proche eſt inveſti de la place, en quel degrè quil ſe trouve, & conſecutivement chacun diceux, ſelon ſon ordre & rang comme enfants adoptés, par la Loy du Royaume ſubſtitués

& ſubroges les un' apres les autres. Datur aliqua continuatio poſſeſſionis, quæ ſpecialiter deprehenditur in ſucceſſione in Regnum, ad quod ſemper venit proximior Princeps ſanguinis Regis defuncti maſculus & deſcendens à maſculis, non tanquam ſucceſſor defuncti, ſed per Legem Regni, ad quod tota familia ſanguinis vocatur, & ex illa proximior cæteris locum occupat, quoto etiam in gradu ſit, & conſequenter quilibet eorum, ſecundum ordinem & gradum, tanquam filii adoptati per Legem Regni, ſubſtituti, & ſibi invicem ſurrogati. Quam ſucceſſionem legitimam vocat *Cabotius libr. 1. Diſp. cap. 14. p. 53.* eò, quod Lege vel Conſuetudine deferatur.

14 Non minus Leges hanc noſtram aſſertionem probant ſacratiores, & quidem Primò *l. 69. §. 3. de Leg. 2.* hiſce verbis: *Fratre hærede inſtituto petit, ne domus alienaretur, ſed ut in familia relinqueretur. Si non paruerit hæres voluntati, ſed demum alienaverit, vel extero hærede inſtituto deceſſerit, omnes fideicommiſſum petent, qui in familia fuerunt.* Quid quæſo clarius hoc textu? quis unquam dicet, prohibitionem non eſſe extendendam ad ultimas voluntates, ſed per inſtitutionem exterum declarari poſſe hæredem in hujusmodi bonis familiæ? Cum contrarium expreſſiſſimis verbis ſtatuatur eâdem *l. 69. §. 1.* ubi dicitur, exterum inſtitui non poſſe in prædio extra familiam alienari prohibito.

Secundò probatur per *l. 78. §. 3. ff. de Leg. 2.* ubi hæc verba ſunt: *Prædium pater de familia liberorum alienari verbis fideicommiſſi prohibuit, ſupremus ex liberis, qui fideicommiſſum petere non potuit, non minus actionem in bonis ſuis reliquiſſe viſus eſt, quod hæredem extraneum ſine liberis decedens habuit.* quâ conceditur alienatio ſaltem hoc caſu, quando ultimus poſſeſſor ſine liberis deceſſerit, & nulli de familiâ ſuperſint. *Molin. de Hiſp. primogen. Peregrin. de fideicomm. art. 14. num. 50.*

Cer-

Certant fortaſſis contrariæ ſententiæ patroni authoritate Scriptorum. Ecce opponuntur æquè graves & magni nominis Juriſconſulti. *Bart. in l. Si ita quis. §. Eâ Lege. ff. de verbor. oblig. Gail. libr. 2. obſerv. 137. num. 1. Philipp. Matth. Mapurg. conſil. 20. num. 42. ſeq. & conſ. 31. num. 33. Beſold. conſ. 11. num. 1. 25. & conſ. 38. num. 166. Natta conſil. 320. in fin. Deci. conſ. 86. num. 1. Socin. conſ. 251. princ. vol. 2. Covarr. in l. Raynald. num. 8. verſ. Quod ſi ſui. X. de teſtam. Gœdd. in l. 28. num. 5. ff. de verbor. ſign. Pariſ. in conſil. 74. num. 23. libr. 2. Cravett. conſ. 130. Curt. Jun. conſ. 114. Roland. a Valle conſ. 23. lib. 4. Petr. de Petra de fideic. Quæſt. 5. num. 19. 42. & ſeq. Alciat. conſ. 577. num. 4. Rub. conſ. 11. in fin. & plures alii, qui huic opinioni ſubſcribunt.*

Hinc appoſitè quoque ad cauſam Inteſtati argumentari licet, eam alienationem in fideicommiſſis ſimiliter ab inteſtato interdictam eſſe, cum æquè ſapiat alienationem ac inter vivos, & extra familiam transferri poſſint, contra mentem inſtituentis. *Fuſar. Quæſt. 711. num. 5. & 6. Socin. conſ. 43. libr. 3.* Ratio eſt: quoniam cauſa teſtati ſive proviſio hominis fideicommiſſum inſtituentis obſtat, ne bona, quamdiu familia duret, atque ex eadem quidam ſuperſit, alienentur, atque ad exteras manus transferantur. Subſiſtente verò cauſâ teſtati, inteſtati cauſâ ſubſiſtere nequit. *l. 39. ff. de acquir. hæred. l. fin. Cod. de pact. convent.* Concluditur ergò non tantùm ſubſiſtere prius teſtamentum, ſed etiam per ſubſequens aliud priorem illam voluntatem minimè interverti, multò minus cauſam inteſtati prævalere, & per conſequens neque inter vivos, neque per ultimam voluntatem, aut alio qnovis modo, quo ſaltem aliquam alienationis ſpeciem ſuſpicari liceat, gravatum in præjudicium cæterorum agnatorum familiæ ſubducere poſſe. *Gail. 2. obſerv. 127. num. 1. Nicol. Everhard. conſ. 71. num. 10.* quod eò extenditur, ut nequidem
ad pias cauſas de hujusmodi bonis teſtari liceat. Nec ob- 15

ſtat allegata. *l. 77. §. 28. ff. de Leg. 2.* Ubi adverſarii totum fundamentum eorum ſententiæ ponunt. Cum ipſis potius contrarietur: quia in eâ non agitur de familiâ ſumptâ pro agnatione, ſed in latâ ſignificatione, & non tantùm maſculos, ſed & fœminas comprehendit, *quod §. Ipſe.* notat, ubi mater liberta ad partem iſtius prædii fuit admiſſa: quæ in noſtro caſu minimè admittuntur.

16 Species alienationis quasdam afferre libet: Primò quidem, cui prohibita eſt alienatio, prohibita cenſetur venditio, quæ verè talis eſt, & per eam dominium transfertur. *l. 11. §. 2. l. 50. §. fin. ff. de act. empt.* Unde non malè quærit *Knipſch. cap XI. de fideicom. famil. num. 39.* An va-
17 leat alienatio, & non cadat in commiſſum, ſi venditio fiat cum pacto de redimenda? Negativa probabilis eſt. Quemadmodum enim, ſi Emphiteuta vel vaſallus, vel alius prohibitus alienare, ad actum alienationis devenerit, rem tamen non tradiderit realiter & cum affectu, non cadit Jure ſuo. *Alb. de Roſ. in l. fin. Cod. de Jur. Emphyt.* Ita similiter non cadet Jure ſuo alienans fideicommiſſum familiæ ſine effectu, & non tantùm, quando res ſtatim fuit recuperata, etiam ſine conſenſu agnatorum, & quidem ex æquitate Canonicâ ſcripta *in cap. Si quis Presbiterorum. X. de reb. Eccleſ. alien. vel non.* ſed etiam, quando ex intervallo recuperavit, quo caſu ſalvum Jus manet, quia plus attenditur effectus, quàm actus. *Jaſon. in l. Filiusfam. §. Divi. n. 75. ff. de Leg. 2.*

Nec minus retinent bona, poſt illam recuperationem factam, naturam fideicommiſſorum, ac ipſa bona avita, quæ ſi alienentur ſub pacto de retrovendendo, & poſtea redimantur, non ob id avita eſſe deſinunt, ſed priſtinam naturam retinent, quoniam res recuperata dicitur eſſe ejusdem qualitatis, prout erat ante venditionem. Ratio: quia pacti de retrovendendo ea eſt natura, ut, quando redimitur res vendita, non dicatur novus contractus celebrari,

brari, vel de novo aliquid acquiri, ſed omnia ad priſtinam cauſam & ſtatum reduci, in quo fuerant contractus primi tempore, perinde ac ſi res vendita non fuiſſet. Argumento *Leg. 27. §. 2. ff. de pact. l. 23. ff. de lib. & poſth. Hartman. Piſtor. p. 3. Q. 24. n. 23.*

Secundò ponitur in ſolutum datio, quæ æquiparatur venditioni & emptioni. *l. 4. Cod. de Evict.* Oppignoratio. *l. fin. Cod. de reb. alien. non alien.* & fidejuſſio. *Gylm. Symph. Tom. 2. p. 1. art. 3. n. 28. fol. 57.*

Tertiò, bona fideicommiſſo ſubjecta non conſtituantur in dotem, cum ſit alienatio quædam, neque de iis tranſigere permiſſum. *l. 3. §. 1. ff. de Tranſact.* Ratio: qui prohibetur alienare, prohibetur tranſigere. *Fuſar. de fideicomm. Q. 78. n. 6. ſeq.*

An autem ſaltem uſusfructus in iis conſtitui poſſit? 18
inquirit *Knipſch. Quæſt. 11. num. 117. de fideicomm. famil. Bartolus in l. penult. ff. de Leg. 2. tradit*: quod ſi prohibitus alienare conſtituat Jus uſusfructus in ejusmodi bonis alienari prohibitis, cenſeatur contrafeciſſe præcepto teſtatoris. *per l. fin. Cod. de reb. alien. non alien.* Aliud autem diſpoſitum videatur in obligatione perſonali ad dandum fructus provenientes ex iſtâ re prohibitâ, quoniam facultas fructuum percipiendorum diverſa eſt à facultate uſusfructus percipiendi, & hæc non tantùm procedunt in formali, ſed & in cauſali uſufructu, ut vult *Alb. in l. Is cujus. ff. de Leg. 2.* quam ſententiam veram eſſe cenſeo, eò, quod utile dominium in alterum transferatur. *Bart. in l. fin. Cod. de reb. alien. non alien.*

Quartò, bona fideicommiſſi neque in feudum, *Vultej.* 19
lib. 1. de feud. cap. 10. num. 18. neque in perpetuam emphyteuſin. *d. l. fin. Cod. de reb. alien. non alien.* neque in perpetuam locationem dari poſſunt, *Cravett. conſil. 20. num. 14.* ubi concludit, quod concedens titulo locationis perpetuæ dicatur in emphyteuſin concedere, nullâ habitâ ratione

verbi locationis, cum per locationem iſtam ad longum tempus conſtituatur Jus in re ad favorem conductoris, & conſequenter alienatio eſt. *l. 1. ff. Si ager vectigal.* Cujus ſpecies omnes hic referre longum foret, ideoque benevolum Lectorem *ad Philipp. Knipſch. d. Q. 11. & Pet. de Petra d. Q. 8.* remittimus, Et ſaltem generaliter adhuc indi-
20 camus. Alienatione prohibitâ omnem alium actum prohibitum cenſeri, quo res vel hujusmodi fideicommiſſum familiæ in alium tranſire, & contra voluntatem teſtatoris à familiá & agnatione recedere dici poſſit. *l. 28. l. 67. & l. fin. ff. de verb. ſign. & ibi Bart. Bald. Salicet. Sichard. Cod. de reb. alien. non alien.*

21 Et hæc ita ſe habent ex defectu conſenſus agnatorum & reliquorum de familiâ. Quid ſi ergò omnes de familiâ in alienationem conſentiant, an tùm permiſſa & valida erit alienatio?

Bart. in l. Qui Romæ. §. 3. ff. de V. O. & ibi Ang. Socin. Tuſch. lit. F. concl. 283. n. 147. Menoch. Arbit. Jud. Quæſt. col. 37. n. 2. & 3. non tantùm validam hujusmodi alienationem dicunt, ſed & extendunt ulterius, ſufficere ſaltem ſi fiat denunciatio reliquis de familiâ, rem fideicommiſſo ſubjectam vendendam extraneo, ſi fortè emere recuſent, quod quàm facilè aſſeritur tàm facilè negatur. *à Schneid. de feud. p. 8. cap. 5. num. 12. Hartm. Piſtor. Lib. 2. Q. 7. n. 9. & aliis.* non ſine fundamento, eò, quod teſtator expreſſè juſſerit, bona remanere in familiâ, & extra illam non alienari. Quomodo ergò invito teſtatore, & invitis agnatis, & illis de ſanguine aliis conferre poterunt? potiſſimum propter Jus acquiſitum & radicatum in perſonâ eorum, quod tolli non poteſt, quid ergò ſi ad inopiam ita ſint redacti, ut ex perſonis eorum emptio fieri non poſſit, an tum Jure ſuo cadent? Certè hæc impoſſibilitas, aut etiam recuſatio ipſis præjudicio eſſe non debebit. Nec eſt, quod contrarii multum invocent. *l. 122. §. 3. ff. de verb. oblig.* quæ tantum loqui-

loquitur de prædio communi. Hoc pacto, ut ſi quis illud vendere velit, cohæredi & ſucceſſoribus ejus vendat, quibus repudiantibus permiſſum erit cuilibet alii vendere, quæ argumentatio caſui noſtro omninò non obſtat.

Igitur exploſâ hâc extenſione ſtatuitur interveniente conſenſu agnatorum & eorum de familiâ, quorumque intereſt, alienationi præſentium nec contradicentium. *Menoch. 3. præſumpt. 116.* validam eſſe alienationem. *Fuſar.* 22
Q. 560. num. 1. ſeq. eò, quod favori pro ſe introducto renunciare poſſint, conſequenter ſibi ipſis præjudicent, talique conſenſu Jus ſuum irrevocabile amittant. *Pariſ. conſ. 81. num. 45. & conſ. 82. num. 16. lib. 2.* præjudicium afferentes quoque ipſorum hæredibus, qui majorum facta obſervare, approbare & rata habere tenentur. *Decian. Reſp. 55. num. 99. & ſeqq.* quod tamen vix probari videtur. *Philipp. Knipſchilt.* qui contrarium tenet *Q. 11. num. 344.* ſcilicet hunc conſenſum non præjudicare natis & naſcituris, & conſequenter per eos revocari poſſe. Ratio: quia teſtator bona in familiâ conſervari in infinitum juſſerit. *Vid. Knipſchilt.* cum ſuis ibidem allegatis authoribus & rationi- 23
bus. Cui ego non conſentio propter inconvenientia inde emergentia: ſequeretur enim, bona avita & reliqua bona alienari prohibita, nunquam alienari, aut factâ alienatione revocari poſſe, quod expreſſè contrariaretur conſuetudini hodiernæ.

Dicta tamen extendenda non ſunt ad reliquos cognatos, qui alienationi conſenſum præbere recuſaverint, quo- 24
rum Jus ſalvum & integrum remanet, & alienata bona revocare poſſunt. *Ludov. Molin. de Hiſpan. primog. lib. 1. cap. 8. num. 27.* Sed pro reſtrictione dices, non ſemper ejusmodi conſenſum requiri, cum & ſine eo aliquando alienatio 25
permittatur. *Gail. 2. obſerv. 117.* Primò, quando agitur de præſtatione legitimæ liberis debitæ: quoniam ad eam uſque valet alienatio rerum fideicommiſſo ſubjectarum.

Pereg.

Pereg. de fideicomm. A. 39. num. 2. & 3. Quod etiam in cauſâ alimentorum obſervatur, pro quibus obtinendis fideicommiſſum alienari poteſt. *Bart. & Bald. in Auth. Contra cum rogatus. Cod. ad SCtum Trebell.* nempe *dictam Auth.* non ſolum habere locum in cauſâ dotis & donationis propter nuptias (quæ duo ſingulariter ibidem exprimuntur) ſed etiam in cauſâ alimentorum earum perſonarum, pro quibus teneretur fideicommittens, vel ipſius gravatus, quando ſcilicet fructus aliorum bonorum non ſufficiunt. Non immerito hîc aſcripſeris, res pro recuperandâ valetudine neceſſarias, veluti pro Medicis, Pharmacis, &c. quæ alienato fideicommiſſo comparari poſſunt.

Secundò licita eſt alienatio pro redimendo filio ab hoſtibus vel latronibus capto. *Menoch. 4. præſump. 192.* Rationem addit *Pet. de Petra. Q. 8. n. 485. Quia ſicut pater tenetur vivens alere filium, ita etiam tenetur eundem à captivitate redimere.* ubi appoſitè monet; ſecus eſſe in redemptione à carcere ob delictum vel æs alienum per filium contractum. *Caſt. conſ. 80. in fin. lib. 1.* Quod ſi autem pro ære alieno alienentur bona ejusmodi, valebit alienatio quamdiu remanebit apud hæredem: poſtea verò revocabitur. *l. 69. §. 1. ff. de Leg. 2.*

26 Tertiò permittitur alienatio ex cauſâ æris alieni à defuncto Inſtitutore contracti, licet expreſſè contrarietur prohibitioni ipſius. *l. 114. §. 14. ff. de Leg. 1. l. 38. pr. ff. de Leg. 3.* Ratio: quia defunctus non videtur ſenſiſſe de eo caſu alienationis. *Gail. lib. 2. obſerv. 137. num. 4. Petr. Peck. de teſt. conjug. libr. 4. cap. 9. num. 2. Natta conſ. 110. num. 13. & conſ. 145. num. 22.* Huc accedit cauſa neceſſitatis. *l. 13. ff. Famil. Erciſc. l. 1. in fin. ff. de fund. dotal. l. 9. l. 21. in fin. ff. de fideicomm. hæred. l. 69. §. 1. ff. de Leg. 2. Menoch. 4. præſumpt. 189. num. 106.* Cum neceſſitas non habeat legem. *Gail. lib. 2. obſ. 137. num. 4.* ſed potius Lex ſubjaceat neceſſitati. Imò urgente neceſſitate res ſacræ vendi poſſunt.

l. 21.

l. 21. Cod. de S. S. Eccleſ. Favor publicus idem operabitur, qui præponitur privato. *Auth. Res quæ. Cod. Comm. de Leg.* ac ob eundem permittitur alienatio.

Quartò, non admittitur alienationis prohibitio in rebus ſterilibus, & quæ ſervando ſervari non poſſunt, adeò rectâ ratione venduntur, & caſu, quo non alienantur, culpa committitur. *Gail. 2. obſ. 137. n. 12.* 27

Quintò, alienandi poteſtatem habet hæres fideicommiſſarius, quando fideicommiſſum univerſale relictum eſt ſub conditione, vel etiam in diem, quæ aliàs pro conditione in teſtamentis habetur. *l. Dies incertus. ff. de condit. & demonſt.* quâ pendente alienatio permiſſa. Eâ porrò exiſtente revocabitur per fideicommiſſarium propter impetratum Jus dominii, contra quemcunque poſſeſſorem ex rei vindicatione. *Gail. lib. 2. obſ. 137. n. 5.*

Sextò quæritur, an alienatio ex cauſâ dotis ſit permiſſa? id affirmat *l. 22. §. 4. ff. ad SCtum Trebell.* hiſce verbis: *Cum proponeretur quidam filiam ſuam hæredem inſtituiſſe, & rogaſſe eam, ut ſi ſine liberis deceſſiſſet, hæreditatem Titio reſtitueret, eaque dotem marito dediſſe certæ quantitatis, mox decedens ſine liberis, hæredem inſtituiſſe maritum ſuum, & quæreretur, an dos detrahi poſſit? dixi, non poſſe dici in everſionem fideicommiſſi factum, quod & mulieris pudicitiæ & patris voto congruebat, quare dicendum eſt dotem decedere, ac ſi quod ſuperfuiſſet, rogata eſſet reſtituere.* &c. Idem ſentit *Gail. 2. obſerv. 137. num. 17. Rickius de Unio. prol. Menoch. 4. præſumpt. 189. num. 1. & ſeq.* Confirmatur quoque *Auth. Res quæ. Cod. Comm. de Leg.* Cujus verba ſunt: *Res, quæ ſubjacent reſtitutioni, prohibentur alienari quidem vel obligari, ſed ſi liberis legitima portio non ſufficit, ad dotis ſive donationis propter nuptias obligationem permittitur, res prædictas in eam cauſam alienare, vel obligare pro modo honeſtati congruo. Ea, quæ communiter omnibus proſunt, his, quæ ſpecialiter quibusdam utilia ſunt, præponimus.* 28

Connumeratur autem hæc dotis alienatio inter res neceſſarias, quæ fundata eſt in præſumptâ voluntate & mente teſtatoris. *Decian. conſ. 376. Socin. Sen. conſ. 23. lib. 3.*
29 nam præſumitur, teſtatorem voluiſſe reſtitui fideicommisſum exceptâ tamen cauſâ dotis, quam ipſemet, ſi vixiſſet, ipſi filiæ dare coactus fuiſſet: quoniam pater tenetur dotem conſtituere filiæ. *l. ult. Cod. de dot. promiſſ.* quantumvis etiam à teſtatore expreſſè prohibita fuerit alienatio ex cauſâ dotis. *Guid. Pap. Q. 66. Petr. de fideicomm. Q. 8. n. 436.*
30 Ratio fundata eſt noſtro caſu in impotentiâ teſtatoris, qui non poteſt ſubjicere bona fideicommiſſo in præjudicium earum, quibus habet conſtituere dotem. *Menoch. 4. præſumpt. 189. num. 116.* quidquid contradicat *Tiraqu. de Jure Primog. Quæſt. 61. c. 78. Molin. libr. 4. de Hiſpan. primogen. c. 6. num. 11.*

31 Hæc tamen ita limitantur, ut intelligi debeant, quando alia bona, quàm quæ ipſi fideicommiſſo ſubjecta ſunt, non habeantur: quoniam in ſubſidium hæc alienatio permittitur, & inde vocatur remedium ſubſidiarium. *Curt. Jun. in d. Auth. Res quæ. num. 15. Socin. Sen. conſil. 75. num. 1. libr. 1.*

32 Hiſce ita præmiſſis, & perſonis ſuccedentibus expoſitis, inquiremus adhuc cum DD. An in familiarum fideicommiſſis, & bonis extra familiam alienari prohibitis ſucceſſio in infinitum extendatur, an verò certo aliquo gradu extinguatur? *Roſenth. de feud. c. 7. concluſ. 25. num. 25.* ſucceſſionem ultra quartum gradum inter agnatos non admittit, ſi ſimpliciter teſtator rem extra familiam alienare prohibet, per *Nov. 159.* Idem ſentit *Franc. Hotoman. conſ. 61. num. 12. Baldus verò conſ. 334. lib. 3.* decimo gradu finiri credit ejusmodi ſucceſſionem. Alii tempus centum
33 annorum præſcribunt. Alii denique diſtinguunt, an prohibitio tendat in rem, & tunc perpetuò durare dicunt: an verò in perſonam: & non eſſe perpetuum.

In hâc diverſitate opinionum non eſt, quod me tantoperè fatigem, cum ex antecedentibus circa hanc quæſtionem veritas erui poſſit. Diximus enim de præſumptâ voluntate teſtantis pluribus, ne ſcilicet unquam bona extra familiam alienentur, pro conſervatione domus & decoris ipſius tanquam cauſâ finali, & fine ultimato teſtantis. Jam autem mihi vix, ſpero, negari poterit, conſervationem familiæ non ita ad tempus fuiſſe reſtrictam, adeò ut teſtator tempus conſervandæ, & tempus deſtruendæ ſerio & ſimul cogitarit, quod evenire deberet, ſi ad tempus alienationem prohibuiſſet familiæ, quæ nullo certo gradu vel generatione extinguitur. Conſequetur ergò 34
neceſſariò, quod quamdiu familia duret, tamdiu quoque ipſa fideicommiſſa eorumque ſucceſſiones, & alienationis prohibitiones durent, & ſic perpetua & infinita ſint, utut etiam nihil de eo in ultimâ voluntate diſpoſitum eſſe dicatur. *Molin. de Hiſpan. primog. libr. 1. cap. 4. num. 18. Mant. de conject. ult. volunt. lib. 8. tit. 2. num. 21. Colleg. Jurid. Argent. lib. 30. tit. 1. n. 61.*

Et ſaltem conjecturis colligatur voluiſſe teſtatorem perpetuum eſſe fideicommiſſum. *Covarr. lib. 3. variar. reſol. cap. 5. num. 14.* multò ergò magis, ſi expreſſè juſſerit ejusmodi perpetuitatem. Explicationem *Nov. 159.* contra noſtram ſententiam allegatæ, videre licet apud *Philipp. Knipſchilt. cap. 9. num. 119. de fideicomm. famil.* deſumtam ex *Jacobo Cujac.*

Ultimatus ergò finis & cauſa finalis fideicommiſſorum 35
familiarum, ut dixi, erit conſervatio earundem, & agnationis fœlix perpetuitas, ut benè geſtorum memoria majorum cum nomine & bonis in perpetuum ſuperſtes ad imitationem virtutis & actionum impelleret. *Petr. Gregor. Tholoſ. in Syntagm. libr. 45. cap. 13. num. 4.* Stante autem 36
hujusmodi conſervatione, non minus conſiſtet ſplendor Reipubl. cujus ſummoperè intereſt, ut familiarum ho-

nor, dignitas & opulentia conſervetur. Quâ deficiente deficit quoque ſplendor familiæ & irrepere conatur inopia,
37 quæ ſperni videtur, licet ſapientia concomitetur illam. Secundùm illud *Eccleſ. cap. 9. verſ. 16. Sapientia pauperis contempta eſt.* Econtrà pecuniæ obediunt omnia, & appoſitè refert *Knipſch.* hanc ſequentem comparationem *cap. 7. num. 31. Quod eſt Doctor ſine Lege, Paſtor ſine Grege, Comes ſine Comitatu, Eques ſine equo, Epiſcopus ſine Epiſcopatu, Abbas titularis, Canonicus ſine præbendâ, Rex Schachorum, Imperator Græcorum, id Nobiles ſunt ſine opibus, hoc eſt, Nullatenſes & Equites in herba.*

Sectio XIX.

De Præſtatione in hujusmodi Fideicommiſſario requiſitâ.

SUMMARIA.

1 *Connexio cum prioribus.*
2 *Res cum ſuo onere, commodo & incommodo tranſit.*
3 *Requiritur cautio idonea de fideicommiſſis ſartis tectis conſervandis.*
4 *Gravatus tenetur ad confectionem inventarii.*
5 *Item onera realia fideicommiſſo inhærentia præſtat.*
6 *Onera non tantum intellige privata, ſed & publica, ut tributa, & collectas &c.*
7 *In obligationibus munerum ſemper attenditur cauſa proxima.*
8 *Legatarius tamdiu ad exſolvendas collectas non tenetur, quamdiu poſſeſſione Legati non gaudet.*
9 *Novi poſſeſſores ditionum in Imperio ſitarum onera ipſis inhærentia præſtant.*
10 *In concurſu plurium de familiâ quis onera ſuſtineat?*
11 *Partes viriles tamen à conſortibus per actionem quærit.*
12 *Etiam onera præterita poſſeſſor præſtare debet, eò, quod bona illa tacitè ſint hypothecata.*
13 *Limitatur.*
14 *Uſufructuarius etiam ad onera realia tenetur.*
15 *Quæ damna fideicommiſſarius reſarcire debeat?*
16 *An etiam præſtet caſum fortuitum?*
17 *Quas meliorationes reſtituat?*
18 *Quænam competant actiones ad com-*

conſequendum fideicommiſſum familiæ inter vivos conſtitutum?

19 Quænam per ultimas voluntates?

20 An competat actio realis ſcilicet Rei vindicatio?

21 An agi poſſit actione Hypothecariâ?

22 Remedia poſſeſſoria quoque locum habent.

23 Pœna illius, qui propriâ authoritate ſibi Jus dicit.

24 Quando fœminæ admittantur?

25 Quando Fideicommiſſum pereat?

26 Extinguitur per revocationem factam ab inſtituente.

27 Ex capite ingratitudinis & inimicitiæ?

28 Per ademptionem ceu indigno factam.

29 Poſt alienationem.

30 Per ſententiam Judicis fideicommiſſum familiæ non agnoſcentis.

HActenus de perſonis ſuccedentibus in fideicommiſſo, 1
de cauſa efficiente, conſtitutione nempe inter vivos & diſpoſitione in ultimâ voluntate, item de cauſâ materiali, in bonis immobilibus conſiſtente, nec non de cauſâ formali & modo ſuccedendi ex Legibus Civilibus, & denique de fine ultimato, nempe conſervatione familiæ ejusque effectibus parvâ methodo tractatum, nunc quædam de oneribus quemcunque poſſeſſorem, tanquam lepra leproſum inſequentibus, quædam afferre congruum judico.

Sciendum autem eſt ſecundùm decantatam Juris re- 2
gulam, quamlibet rem cum ſuo onere, commodo & incommodo tranſire, *l. 24. §. fin. ff. de fideicom. libert. l. 27. ff. de contrah. empt.* Quicunque igitur vigore fideicommiſſi poſſeſſionem bonorum nactus eſt, onera realia ipſi prædio inhærentia per conſequentiam inevitabilem in ſe ſuſcipere præſumitur, & ad præſtationes quasdam tenetur.

Et Primò quidem, præter cautionem idoneam de fi- 3
deicommiſſis ſartis tectisque ſervandis, & ſucceſſori integrè reſtituendis. *l. 69. §. 3. ff. de Leg. 2. Betſius de pact. famil. Illuſtr. cap. 8. fol. 485.* tenetur hæres gravatus, ad confe- 4
ctionem inventarii. *Guid. Pap. deciſ. 251. Ant. Fab. Cod. lib. 6. tit. 25. defin. 25.* ſi non ſolennis, ſaltem minus ſolennis, ex

quo conſtare poſſit de qualitate & quantitate rerum hæreditariarum, idque ſumptibus fideicommiſſarii, & non hæredis, præjudicium affert *Bened. Carpzov. P. 3. Conſt. 9. def. 39. Pract. Forenſ.* hiſce verbis: Es verbleiben aber nach Abſterben der Wittiben Euch die unbewegliche Güter Jure fideicommiſſi billich/ derowegen auch mehr beruhrte Wittib ein inventarium auffzurichten / und cautionem de fideicommiſſo præſtando & non alienando zu beſtellen ſchuldig.

5 Secundum, quod gravet hæredem, onus eſt, ut onera realia ipſi prædio vel fideicommmiſſo inhærentia, ſicuti præſtitit inſtituens, præſtet & ipſe fideicommiſſarius, aut in ſingulos annos, aut neceſſitate id flagitante: quod
6 non tantùm intelligendum de oneribus privatis, ſed & publicis, Tributis ſcilicet, collectis & aliis: quantumvis etiam ſolam poſſeſſionem, aut fructuum perceptionem quis
7 habeat, non etiam dominium. Ratio: quia poſſeſſio eſt cauſa proxima obligationis, dominium remota, in obligationibus munerum autem ſemper attenditur cauſa proxi-
8 ma: Exemplum patet in Legatario, in quem quamprimum poſt mortem teſtatoris tranſit dominium Legati, non tamen tenetur exſolvere munera & collectas, quamdiu necdum traditionem nactus, & hæres poſſeſſione Legati gaudeat.

9 Quod autem novi poſſeſſores ditionum in Imperio ſitarum onera iisdem inhærentia ſuſtinere debeant, edocet *Receß. Imp. de A. 1594. §.* Demnach dann. 7.

10 Quod ſi verò plures de familiâ concurrant, & ditiones diviſæ inter eos reperiantur, onera præſtat ille, qui domus gentilitiæ poſſeſſione gaudet. *Receß. Imp. Ratisb. de An. 1576. §.* Bey Berahtſchlagung. 101. *&c. Ibi:* Erklären und ordnen Wir / daß in obgeſetztem Fall / allemahl der Stand / ſo das Stamm-Haus beſetzlich innhat / zu Erlegung der Reichs-Steuren mit Recht von unſerm Fiſcal angelangt. &c. Et hic poſſeſſor col-
11 lectas & tributa erogare tenetur, cum hâc tamen limitatione,

tione, ut à conſortibus partes viriles per actionem in Ca-
merâ Imperiali repoſcere poſſit. *Receſſ. Imp. eod. in f.* Doch
demſelben ſeine Forderung gegen ſeine Miterben oder Mitbeſitzern
derſelben Herrſchafft zu Vergnügung Ihrer Gebührniſſen / auch da-
ſelbſt ahn Unſerm Kayſerl. Cammergericht zu verfolgen in alle Weg
hiemit vorbehalten. *Caſp. Klock. de contrib. cap. II. num. III.* qui
eo dictam propoſitionem extendit, ut non tantùm pro fu-
turo, ſed etiam præterito tempore, quo modernus poſ-
ſeſſor non poſſidebat, teneatur: ex hâc ratione: quia illa 12
bona cenſentur tacitè hypothecata pro collectis, præ-
ſertim ſi ſint poſita in æſtimio. *Ant. Teſſ. Deciſ. 164. n. 3.*

Limitantur jam dicta, ſi notificaverint Cameræ Im- 13
periali hi familiæ conſortes diviſionem inter ſe factam:
tum enim quilibet pro ſuâ quotâ tenetur onera ferre. *No-
bilis Dn. ab Andler Corp. Conſtit. Imperial. vocab.* Cammerge-
richts-Unterhaltung. *Receſſ. Imp. de Anno 1644. §. 16.* his ver-
bis: So dann bleibt/vermög der A. 1576. gemachter diſpoſition/
daß der Cammergerichtliche Unterhalt und Extantien bey dem
Stammhaus oder deſſen poſſeſſore zu fordern und zu exequiren;
Es wäre dann / daß das Haus / oder Familie Ihre Herrſchafft ſo
wol / als der Cammergerichts Unterhalt / unter ſich zertheilt / und
ſolches dem Cammergericht notificirt hätte / uff welchen Fall erſt-
gemeldte Forderung und execution gegen jeden poſſeſſorn pro
quota zu richten wäre.

Ex prædictis ad uſufructuarium quoque argumen- 14
tantur, ut & hic de oneribus realibus teneatur. *Fab. Tur-
ret. conſ. 53. num. 4. Gratian. deciſ. 20. num. 12. Ant. Peregr.
Art. 50. num. 20. de Fideicommiſſ. Hartman. Piſtor. libr. 1.
Quæſt. Juridic. 46. num. 33. & ſeqq. Klock. cap. 11. num. 116.
117. & ſeqq.*

Tertium onus eſt, ut reſarciat, & reſtituat fideicom- 15
miſſarius omne id, quod culpâ ipſius deterioratum eſt. *l. 47.
§. 4. ff. de Leg. 1.* ſive per dolum vel latam culpam, ſive per
levem propter emolumentum. *dict. l. 47. §. 5.* non autem 16
caſum

caſum fortuitum. *d. l. 47. §. fin.* quoniam nemo ad eum obligatur. *l. 23. ff. de R. J.* ad hunc ſcilicet finem, ut bona ſarta tecta conſerventur, & ex mente Inſtituentis in familiá perpetuò illæſa permaneant, quilibetque alii legitimi agnati & ſucceſſores ſuo ordine emolumentum habere queant, quod utique ceſſaret, ſi ultimus poſſeſſor, non eodem, quo ipſe accepit modo, ad proximiorem transferret, ſcilicet deteriorem rei uſum. Tenebitur ergò ultimi poſſeſſoris hæres rem ipſam & fideicommittentis propriam.
17 *l. 41. §. 3. ff. de vulg. & pupill. ſubſtit.* Augmentum inſuper & meliorationes. *l. Quod ſi rem. §. Si quis. ff. de Leg. 1.* Acceſſiones tàm naturales ſine facto hominis advenientes, quàm Civiles, v. gr. per præſcriptionem. *Schrad. 2. p. 9. ſect. 2. num. 6. & 7.* per conſolidationem uſusfructus, per Jus accreſcendi, vel alio modo acquiſitas, & quidem proximioribus Agnatis. *l. 32. §. 2. l. 69. §. 3. l. fin. §. ult. ff. de Leg. 2.* non tantùm ultra quartum gradum, ſed & in infinitum reſtituere :. Dixi *proximioribus*, ad excluſionem remotiorum Agnatorum, ſi eos teſtator non vocaverit. Quibus poſtmodum pro fideicommiſſo conſequendo, diverſa dantur actionum genera, cum hâc diſtinctione:
18 Aut enim conſtitutum eſt fideicommiſſum inter vivos, aut in ultimâ voluntate cum prohibitione de non alienando. Si primum: dabitur actio ex contractu, vel etiam actio perſonalis ex quaſi contractu: quoniam hæres adeundo hæreditatem cenſetur contrahere cum fideicommiſſariis. *§. Hæres quoque. Inſt. de oblig. quæ ex quaſ. contr. naſc.* Si ſe-
19 cundum; fideicommiſſum ſcil. familiæ in ultimâ quâdam diſpoſitione agnatis relictum eſt: hoc caſu ad petendam reſtitutionem fideicommiſſi ſive univerſalis, ſive particularis datur.

Primò, actio perſonalis ex teſtamento. *l. 1. Cod. Commun. de Legat. l. 69. §. fin. ff. de Leg. 1.* Contra gravatum & ejus hæredem. *l. 40. §. 1. ad SCtum Trebell.* adverſus alienan-

nantem. *l. 77. §. 27. ff. de Leg. 2.* aut etiam adverſus non reſtituentem conditione adimpletâ.

Secundò competit hæreditatis petitio. *l. 1. ff. de fideicom. hæredit. petit.* adverſus eos, qui pro hærede vel poſſeſſore poſſident. *l. 9. & ſeq. ff. de hæred. petit.*

Tertiò, ſi non intenderet agere actione perſonali contra hæredem gravatum & alienantem: licitum erit contendere actione reali contra tertios & quoscunque poſſeſſores rerum fideicommiſſariarum, ſive ſciverit emptor earum qualitatem, ſive neſciverit, qui ſi ſciverit eas hoc onere gravatas fuiſſe, ſibi imputet, quod ſibi non proſpexerit melius, ſi neſciverit, venditor ipſi tenebitur de evictione, & ad eandem agere poterit. *l. 6. l. 27. Cod. de Evict.* etiamſi nihil de ea convenerit. *l. 60. ff. de Evict. Gail. 1. obſerv. 116.* 20

Erit autem actio illa realis, rei vindicatio competens contra quemcunque rei fideicommiſſariæ detentorem. *d. l. 1. Cod. Commun. de Legat.* quæ etiam tùm locum habebit, quando poſſeſſor bona dilapidat & diſſipat. *l. 16. §. 11. ad SCtum Trebell.* vel etiam contra expreſſisſimam prohibitionem in alium transferat: quoniam ejusmodi alienatio ipſo Jure nulla eſt. *Pet. de Petra. de fideic. Q. 3. n. 2. Decian. conſ. 23. num. 77. lib. 4.* quo caſu etiam mandatum SC. impetrari poterit contra poſſeſſorem de non alienando. *Gylm. Sympho. Tom. 2. part. 3. tit. 12. fol. 258.*

Quartò agere ipſis agnatis integrum eſt actione hypothecariâ. *§. 2. Inſt. de Legat.* tàm contra hæredem, quàm contra tertium poſſeſſorem. *l. fin. §. Sin autem. Cod. Comm. de Legat.* 21

Quintò non deficiunt media poſſeſſoria: Interdictum *Quorum bonorum*, contra illum, qui pro hærede & poſſeſſore poſſidet. *l. 1. ff. Quor. bonor.* ſicuti etiam interdictum *Uti poſſidetis*, competens turbato in poſſeſſione ſuâ. *l. 1. pr. & §. 6.* 22

ff. Uti poſſidetis. contra turbantem quovis modo. *§. 4. Inſt. de Interd.*

Ad hæc notandum, non immeritò hæc Juris ſubſidia & actiones pro conſequendo fideicommiſſo introductas eſſe, ne fideicommiſſarius propriâ authoritate rem huic oneri ſubjectam occupare præſumat, ſed ut potius de manu hæredis capere, & pœnam evitare ſciat. *l. Non eſt dubium.*
23 *5. Cod. de Legat.* Vis enim in Jure prohibita eſt. *l. 13. ff. Quod met. cauſ.* Imò ſi quis ante adventum Judicialis arbitrii auſus fuerit invadere rem etiam ſuam, non modò rem ablatam reſtituet, ſed & ejusdem rei dominium amittet. *l. 7. Cod. Unde vi.* Quæ omnia ceſſant, ceſſante agnatione & Jure ſanguinis: Deficiente enim cauſâ deficit effectus, cauſa fideicommiſſi eſt familiæ conſervatio, quæ interit cum
24 ipſâ familiâ. Quo caſu ceſſat etiam excluſio fœminarum, quæ aliàs non admittuntur ex præſumptâ voluntate teſtantis; quâ tamdiu fœminæ pro excluſis habentur, quamdiu quis ex agnatis ſuperſtes eſt, qui familiæ decorem, ſplendorem, & propagationem ulterius promovere poſſet: ſicut & in feudis hæreditariis obtinere paſſim obvium eſt.

25 Quemadmodum deficientibus maſculis perit ipſum fideicommiſſum familiæ: Ita etiam deficiente re, & bonis fideicommiſſo ſubjectis intereuntibus, illud deficiet. *Fuſar. Quæſt. 520. de fideicommiſſ. ſubſt.* Exemplo uſusfructus, qui rei interitu amittitur. *l. 5. §. 2. l. 30. ff. Quib. mod. uſusfruct. amittat.*

26 Extinguitur præterea per revocationem ab inſtituente factam.

Primò, ex ſupervenientiâ liberorum. *l. 8. Cod. de revocand. donat.*

27 Secundò, ex ingratitudine & inimicitiâ fideicommiſſarii erga inſtituentem. *l. fin. Cod. de revoc. donat.* ubi quinque ingratitudinis cauſæ recenſentur.

Tertiò

Tertiò amittitur per ademptionem bonorum in pœnam ceu indigno factam. *l. 1. Cod. de hered. inſtit.* Evictione quoque factâ legitimo modo. *l. 55. §. fin. ff. ad SCtum Trebell.* præſcriptione. *l. Si hæres inſtitutus. §. fin. ff. eod.* 28

Quartò deſinit eſſe fideicommiſſum poſt factam alie- 29
nationem. *Fuſar. de ſubſtit. Queſt. 718. num. 1.* Renunciatione. *Gail. 2. obſerv. 139. num. 7.* Abuſu, non exiſtente conditione. *Petr. Queſt. 6. num. 5.* Tempore finito, ſi certum tempus fuerit conſtitutum. *Decian. conſ. 9. n. 18. ſeq. lib. 3.* & denique ſententiâ Judicis fideicommiſſum non agno- 30
ſcentis. *Petr. Q. 7. n. 549.* Et hæc de fideicommiſſis familiæ pro inſtituto noſtro ſufficiant.

SECTIO XX.

De Succeſſione ex cauſa Legatorum.

SUMMARIA.

1 *Ratio Methodi.*
2 *Legatum generaliter & ſpecialiter ſumptum quid contineat?*
3 *Definitio Legati.*
4 *Legata quinam relinquere poſſint.*
5 *Qui ea capiant?*
6 *Quæ res per Legata relinqui poſſint?*
7 *Quæ res legari probibeantur?*
8 *An res aliena legari poſſit?*
9 *Quæ dicatur res aliena reſpectu aliorum?*
10 *Rejicitur Legatum, quod inutile foret Legatario.*
11 *Quomodo ratione modi relinquendi vitietur Legatum?*
12 *Quid dicendum quando pluribus eadem res legatur?*
13 *Quando Legatum evaneſcat ratione cauſæ extrinſecus advenientis?*
14 *Conditio impoſſibilis in Legatis, Fideicommiſſis, pro non ſcriptâ habetur.*
15 *Secus in Contractibus, qui per eam vitiantur.*
16 *Ratio diverſitatis.*
17 *Conditio talis tendens contra ſubſtantiam matrimonii nulla eſt, & vitiat illud.*
18 *Quid de conditione poteſtativâ, caſuali & mixtâ dicendum?*
19 *An conditio non nubendi appoſita Legatario valeat?*
20 *Quid importet conditio, ſi honeſtè poſſit huic vel illi nubere?*
21 *Si intraverit monaſterium, an valeat?*

22 *Quomodo revocetur Legatum?*
23 *Quomodo expreſsè & tacitè?*
24 *An res pleno Jure alienata à teſtatore Legatario debeatur?*
25 *Quomodo quoad partem minuatur Legatum?*
26 *Quomodo præſumatur teſtatorem revocaſſe Legatum?*
27 *An re legatâ per teſtatorem oppignoratâ, illa adempta cenſeatur?*
28 *Quam pœnam luat, qui propriâ authoritate Legatnm occupat.*
29 *Limitatur.*
30 *Quæ actiones competant Legatario ad conſequendum Legatum?*
31 *Quæ actiones Jure antiquo competierunt?*
32 *Revocatur Legatum quando non impletur conditio poteſtativa, caſualis & mixta.*
33 *An Legata debeantur hæreditate non aditâ.*
34 *Hæres per aditionem hæreditatis quaſi contrahit cum Legatariis.*
35 *Conſuetudo Hiſpanica quâ absque aditione hæreditatis Legata exſolvuntur.*

1 PLuribus jam viſum fuit, quâ ratione hæreditas ſeu univerſa ſucceſſio teſtamento directè & obliquè deferatur, conſequens nunc erit inquirere in rem particularem ex teſtamento cuique obvenientem, ut ea, quæ ob vicinitatem atque affinitatem divelli nequeunt, junctim tra-
2 ctentur, quale eſt Legatum. Cujus appellatio generatim ſumpta in LL. duodecim Tabularum omnem continet diſpoſitionem. *l. 20. ff. de V.S.* ſpecialiter autem, cum teſtator titulo particulari quid de ſuâ maſſâ hæreditatis detractum tribuit.

3 Definitur Legatum multipliciter, & aliter in Digeſtis, & aliter in Inſtitutionibus.

In Digeſtis: Primò *l. 36. ff. de Leg. 2. Quod ſit donatio teſtamento relicta.* ad differentiam fideicommiſſorum, quæ debebantur tàm ex teſtamento, quàm ab inteſtato. Secundò: *l. 116. pr. de Leg. 1. Quod ſit delibatio hæreditatis, quæ teſtator ex eo, quod univerſum hæredis foret, alicui quid collatum velit.*

In Inſtitutionibus. *§. 1. de Leg.* ſecundùm hodiernum modum definitur: *Quod ſit donatio quædam à defuncto relicta.*

Qui-

Quibus plerique addunt *ab hærede præſtanda.* Seu rectè cum *Bernhard. Sutholt. diſſert. II. num. 4.* dixeris, hæc poſtrema verba non attendi debere: quoniam nec libri manuſcripti nec *Theoph.* nec *Harmenop.* ea agnoſcunt, non ſine ratione: quia dantur caſus, in quibus non quæritur de facto hæredis, cum aliquando ſine eo Legatum transferri poſſit, velut ſi ab ipſo teſtatore Legatum detur hâc Lege, ut ex cauſâ præcedentis legati apud Legatarium maneat.

Relinquere poſſunt Legatum, quicunque non prohibentur. De quibus *vid. ſupra Sect. 5. per totam.* idque vel Jure & ſimpliciter, in diem vel ſub conditione, ſub modo, ſub demonſtratione, & denique ſub aliquâ cauſâ. *Gloſſ. in rubr. de condit. & demonſtrat.* capere econtra teſtamento permiſſum eſt iis, qui factionem teſtamenti paſſivam habent, *§. 24. Inſtit. de Legat.* 4 5

Legata relinqui poſſunt, quæ neque ratione rei, vel modi relinquendi, vel ratione cauſæ extrinſecus advenientis ad Legatarios pervenire minimè impediuntur. 6

Ratione rei: quæ extra hominum commercium eſt, idque primò ſimpliciter & abſolutè, ut res ſanctæ & religioſæ: quarum in locum nequidem æſtimatio debetur. Secundò, ſecundum quid: quæ eſt Juris publici & uſus hominum & non cujuscunque, ut res in patrimonio Cæſaris conſtituta *l. 39. §. 8. ff. de Leg. I.* Tertiò ex accidenti: quæ aliàs alienari poterat, ſed non amplius alienatio permiſſa eſt, ut marmora & alia ædibus juncta: de quibus nequidem æſtimatio debetur. *l. 45. §. I. & ſeqq. l. 42. l. 43. ff. de Leg. I.*

Item prohibentur legari res, quæ in rerum naturâ non ſunt ſive potentiâ ſive actu. *l. 108. §. 10. ff. de Leg. I.* Secus ſi aliquando in naturâ eſſe ſperantur, ut partus naſciturus ex ancillâ, fructus ex fundo, vel fœtus ex animali. An legatum in re alienâ conſiſtere poſſit? quæritur. Illa vel eſt aliena reſpectu Legatarii, vel aliena reſpectu aliorum. 7 8

Reſpectu Legatarii res aliena legata non valet, modò dicatur ſcienter legata, & pleno Jure eam detineat Legatarius & non oneratam, aliàs ſi onere quodam affecta comprobetur, loco Legati efficietur Dominus pleno Jure. *l. 71. §. penult. & ult. de Leg. 1.* ſed quid ſi tempore Legati, poſſeſſionem illius non habuerit, poſtmodum autem Dominus efficiatur? Et reſpondeo, quod aut ex cauſa lucrativâ conſequatur legatum: & non poteſt petere æſtimationem: Quoniam duæ cauſæ lucrativæ in eundem hominem, & eandem rem concurrere non poſſunt. *§. 6. Inſtit. de Leg. l. 17. ff. de oblig. & action.* Aut titulo oneroſo rem ſibi legatam acquirit, v. gr. cum emat ab alio, id eſt, vero Domino, in vita teſtatoris vel poſt mortem ejus, ſcienter vel ignoranter, & dico, non admitti Legatum, ſed poſſe peti pretium & æſtimationem rei. *l. Planè. 34. §. Quod ſi rem. 7. ff. de Leg. 1.* ſecus tamen ſi emeret ab ipſo hærede; quoniam videretur renunciare legato. *arg. l. 77. ff. de acquir. hæred. Paul. de Caſtr. d. l. Planè. n. 3. Aretin. in l. 3. §. Ex pluribus. ff. de acquir. poſſeſſ.*

9 Dicitur etiam res aliena reſpectu aliorum, quæ etſi ſcienter legetur, tamen valere dicitur legatum, debeturq; æſtimatio, tunc ſcilicet quando res iſta probetur legata extraneo. Secus ſi legetur perſonæ conjunctæ. Textus eſt utilis & notabilis, ſecundùm *Caſtrenſ. & Jaſon. in l. 10. Cod. de Legat.* Quæ probatio ſcientiæ Legatario incumbit: quia ſemper ei, qui agit, incumbit onus probandi cauſam

10 ſuæ intentionis: Eo modo non valet Legatum, quod inutile foret Legatario, eò, quod ſit titulus lucrativus: Exemplum erit in Legato debiti creditori facto. §. *14. Inſtit. de Leg.* niſi amplius ſit in Legato, quàm in debito. *d. §. 14.*

11 Ratione modi relinquendi vitiatur Legatum. Primò, quando ultra dodrantem relinquitur, vel ſaltem id, quod ultra dodrantem legatum eſt. Secundò, quando eadem res ſæpius uni legata eſt: quia tunc legata ſemel debetur.

l. 34.

l. 34. §. 8. *ff. de Leg.* 1. propter præſumptam voluntatem teſtatoris. *l.* 66. §. 5. *ff. de Leg.* 2. niſi apertè conſtet de contrariâ ejus intentione. *l.* 53. §. 2. *ff. de Leg.* 1. quæ ratione multiplicationis in dubio à Legatario probari debet. *dict. l.* 34. §. 3.

Quid ſi autem pluribus una res legata ſit? & dico intereſſe quâ conjunctione conjuncti ſint, ſi reali, facient partes concurſu, ſi verbali, æquæ portiones jam deſignatæ ſunt, ſi denique mixtâ: hæc potior erit. *l.* 89. *ff. de Leg.* 3. Unde reſultat ſubtilis admodum materia Juris accreſcendi, de quâ in ſuperioribus, cum de ſucceſſione univerſali ex Inſtitutione plurium perſonarum prolixius in *Sect.* 13. *per totam.* tractavimus, jam dictum. Quo Benevolus Lector remittitur. 12

Ratione cauſæ extrinſecus advenientis, Legatum dicitur evaneſcere, quando ſcilicet conditio impoſſibilis, quæ de facto, naturâ, vel de Jure fieri non poteſt, Legatario adjicitur. *De Facto* quidem: ut ſi montem aureum dederis. *Naturâ:* ſi ignis frigeſcat. Aut denique *Jure:* ut ſi ducat in uxorem, quam de Jure ducere non poteſt. Similes conditiones impoſſibiles in inſtitutionibus, legatis, fideicommiſſis & libertatibus pro non ſcriptis habentur. §. *Impoſſibilis. Inſtit. de hæred. inſtit.* quod etiam de Jure Canonico obtinet. Et ne in totum concidere poſſit inſtitutio, utpote caput teſtamenti, & legatum, meritò pro non adjectis habentur, & ipſo Jure tolluntur de medio ſalvis omnibus. 13 14

Adverte tamen aliud eſſe in Contractibus, quibus adjecta eſt hujusmodi conditio impoſſibilis, quæ non tantùm pro non adſcriptâ habetur, ſed etiam negotium contractus in totum vitiat, cujusmodi etiam formæ & naturæ ſit, ſive bonæ fidei, ſive ſtricti Juris. *l. Impoſſibilis.* 7. *ff. de verb. obligat.* & conſequenter nullam producit actionem, aut obligationem. *l. Impoſſibilium.* 185. *ff. de R. J.* neque fideijuſſorem 15

rem admittit. *l. Si ſub impoſſibili. 29. ff. de fidejuſſ.* diverſitatis rationem addit *Mantz. Tit. Inſtit. de hæred. inſtit. §. 10.*
16 quia in Contractibus omnium voluntas ſpectatur, & imputare ſibi aliquis debet, qui conditionem talem appoſuit, vel apponi paſſus fuit, eò, quod jocari videatur: In ultimis voluntatibus autem nemo præſumatur jocari, ſed ex perturbatione mentis potius conditionem talem adjeciſſe.

17 Eandem doctrinam extende ad matrimonialia, ita ut adjecta conditio impoſſibilis tendens contra ſubſtantiam matrimonii, vitiet illud, veluti ſi prolem non generaveris, vel ſi te ad quæſtuoſam libidinẽ proſtitueris. *c. fin. X. de condit. appoſ.* Secus tamen in aliis, in quibus nihil contra ſubſtantiam fit, ut ſi quis fidem ita dederit puellæ, ſi patrem occidat, quæ conditio pro non aſcriptâ habetur propter favorem matrimonii. *Zenner. in dilucid. Reg. Jur. in 6. Reg. 6. pag. 116.*

18 Quid verò ulterius dicendum erit de reliquis conditionum ſpeciebus? Primò ſcilicet de poteſtativâ, cujus ſcilicet implementum eſt in poteſtate & facultate adimplere debentis. Secundò, de caſuali, quæ pendet ex viribus & adventu fortunæ. Ut *ſi navis ex Aſiâ venerit.* Tertiò de mixtâ, quæ pendet ex facto adimplere debentis & ex viribus fortunæ, v. gr. contrahere negotium cum aliquo ultrà mare?

Reſpondeo has non tantùm rectè apponi, ſed etiam neceſſariò adimplendas eſſe, & quidem poteſtativam conditionem poſt mortem teſtatoris & non ante. *l. 2. ff. de condit. & demonſtr. l. Hæc conditio. 10. ff. eod.* quod tamen intelligendum eſt de conditione reiterabili, v. gr. dandi vel faciendi: non verò de irreiterabili v. gr. manumittendi ſervum. Ratio: quia ſi jam eſſet adimpleta etiam in vitâ teſtatoris, ex poſt facto cenſeretur impoſſibilis.

Caſua-

Caſualis autem & mixta adimpleri poteſt, vel in vitâ teſtatoris, modò teſtator ignoret implementum ejus, vel poſt mortem. Ratio differentiæ eſt: quia quando eſt caſualis & mixta, non pendet à voluntate honorati, & ideò conſideravit teſtator effectum tantum & implementum ejus: & ſic ſufficit adimpleri quocunque tempore. Poteſtativa verò pendet à voluntate honorati, & per ipſum debet adimpleri ſecundùm voluntatem defuncti, quæ regulariter adimpletur poſt mortem ejus, conſequenter etiam conditio, & quidem in formâ ſuâ ſpecificâ, & non aliter, neque modo æquipollente. *l. Qui hæredi, 44. ff. de Condit. & demonſtr. ibique Bartol.* & communiter Doctores. Ratio: quia conditio & implementum ejus conſiſtit in facto, & ea, quæ ſunt facti, cohærent perſonæ, & non tranſeunt ad alium.

Quæramus ſpecialius an Conditio appoſita Legatario, non nubendi, valeat? Reſpondetur, ſi ſimpliciter deneget matrimonium & inducat viduitatem, eam non admitti: cum inhoneſta, turpis & contra bonos mores reputetur. Secus ſi non inducat viduitatem generalem, ſed ſpecialem, v. gr. cum tali & tali perſonâ, hoc vel illo loco nubat. *l. Sed ſi hoc. 62. §. fin. & l. ſeq. ff. de Cond. & demonſtr.* 19
Similiter valebit conditio, ſi honeſtè poſſit huic vel illi nubere. Quid ſi autem adjiciatur Conditio, ſi intraverit monaſterium, anne toleratur & approbatur? Reſpondeo quod ſic. Ex ratione: quia vita contemplativa majoris perfectionis eſt, quàm vita activa & matrimonialis, ideo ab ea non debent retrahi ſpe præmii. 20 21

Revocatur denique Legatum. Primò, vel in totum, vel in parte à teſtatore expreſſè in eodem Teſtamento & codicillis. *l. 2. ff. de Adimend. legat. & §. Un. Inſtit. eod.* Et tacitè ex præſumptâ voluntate, v. gr. propter ortas inimicitias capitales inter Legatarium & Teſtatorem poſt legatum conceſſum, niſi reconciliati fuerint, quia tunc le- 22 23 24

gatum reconvaleſcere dicitur. *l. 3. §. fin. l. 2. ff. de Adim. leg.* Similiter quando res legata pleno Jure alienata fuit à teſtatore, quo caſu præſumptio facti militat contra Legatarium, intercedente vel maximè titulo lucrativo. *l. Rem legatam. 18. ff. d. t.* Secus ſi fiat oneroſo, ex neceſſitate alienandi proveniente, non autem ex voluntate liberè alienantis dependente, quod clarè notat textus *in l. Fideicommiſſa. 11. §. Si rem. 12. ff. de Leg. 3.*

25 Quoad partem minuitur Legatum, quando Lex permittit minuere portionem Legatorum, uti Lex Falcidia detractionem Quartæ ab hærede faciendam. *tot. Tit. ad Leg. Falcid.* quando ultra dodrantem legatum eſt: niſi prohibeatur à teſtatore, uti ſuperius in detractione Trebellianica dictum. Unde autem dicatur Lex Falcidia & à quo rogata fuerit, jam ſupra quoq; relatum eſt, quæ an & in Codicillis, in Teſtamento peſtis tempore condito, in Donatione mortis cauſâ, in Teſtamento apud Acta & ad pias cauſas ſibi locum vendicet? ordine explicatum reperitur infra, ubi de ſucceſſionibus minus ſolennibus agimus.

26 Dixi paulò ante *pleno Jure alienationem fieri debere ad hoc, ut validè præſumatur, teſtatorem revocaſſe Legatum:* ſcilicet ad diſtinctionem pignoris vel hypothecæ: quoniam
27 non cenſetur hoc caſu ademptum legatum, ſed hæres rem luere & Legatario ſolvere tenetur. *l. 3. Cod. de Leg.* Ratio: quia licet pignus & hypotheca ſint ſpecies alienationis. *l. fin. Cod. de reb. alien. non alien.* tamen non eſt propria, plena & perfecta alienatio, eò, quod non tranſeat dominium, ſed quoddam Jus in re. *Jaſon. & alii in d. l. 3. Cod. de Leg.* quanquam ſubtilius poſſit dici: quod in plena alienatione, ut in donatione, venditione, &c. non refulgeat ſpes reluitionis, ſed perpetuò penes recipientem maneat, quod aliud eſt in pignore & hypothecâ, in quibus Jus perpetuum reluendi ſupereſt. Adverte tamen hæc ita intelligi debere, quando teſtator videtur ſimpliciter legaſſe rem, ut

tra-

tradatur vel habeatur Jure Legati, quod benè notandum: aliàs debebitur æſtimatio, uti ſuprà dictum eſt.

Revocatur Secundò, Legatum ipſo Jure, quando Legatarius propriâ authoritate rem legatam occupare præſumit. *l. Non eſt dubium.* 5. *Cod. de Leg. ibique Bart. Bald. Alex. Jaſ.* Et non tantùm interveniente violentiâ expulſivâ. *l. 7. Cod. Unde vi. l. 13. ff. Quid met. cauſ.* ſed ſine illa. Ratio: quoniam hic Legatarius prætendit cauſam lucrativam, & offendit libertatem teſtatoris. *Paul. de Caſtr. in d. l. Non eſt dubium.* Hæc propoſitio notabiliter limitatur, quando hæres jam adivit hæreditatem, aliàs, ſi ante aditionem hæreditatis id factum eſſe comprobetur, hæredi competit interdictum, Quod Legatorum. Deinde quando teſtator permiſit Legatario propriâ authoritate rem legatam ſibi adjudicare: Non enim permittitur Legatario ſibi ipſi Jus dicere hujusmodi viâ executivâ, cum competant tres hoc nomine actiones pro conſequendo Legato, rei vindicatio, actio perſonalis ex teſtamento, & hypothecaria. *d. §. 2, Inſt. de Leg. l. 1. & 2. Cod. Comm. de Leg.* & dantur hæ omnes pro omnibus Legatis. *d. l. 2.* quod olim non licuit, cum rei vindicatio tantùm in Legato vindicationis, actio verò perſonalis in Legato damnationis locum habebat. Non obſtante eo quod Legatarius ipſo Jure efficiatur Dominus, & dominium acquirat à morte teſtatoris, quod non negatur, ſed denegatur ſaltem hicce illicitus procedendi, & poſſeſſionem capiendi inconſuetus modus. 28 29 30 31

Revocatur Tertiò ipſo facto, quando non impletur conditio poteſtativa à Legatario, vel etiam caſuali & mixtâ, non habente effectum, ſcilicet ſi certum tempus fuerit adjectum conditioni, ſecus ſi ſimpliciter adjecta dicatur, & inſit potentia exiſtentiæ. Illud tamen adhuc quæſitum hoc loco velim: An Legata debeantur hæreditate non aditâ? De Jure reſpondetur quod non. adeò ut pro validitate Legatorum, aditio (de quâ infrà *Part. II. Cap. VII.* proli- 32 33

xius in transmiſſione ſucceſſionis dicetur) requiratur, ſic-
ut etiam pro his , quæ in Teſtamento relinquuntur. *l. Si*
nemo. 9. ff. de Teſtam. tut. l. & l. Si hæreditas. 10. ff. eod. Non
tantùm quando ex Teſtamento , ſed etiam cum ex Codicil-
lis ab inteſtato petuntur. *Gloſ. in l. Qui filio. 38. §. 4. ff. de*
34 *Hæred. inſtit.* Ratio eſt : quia hæres per aditionem hæredi-
tatis videtur quaſi contrahere cum Creditoribus & Lega-
tariis, & ſe aſtringere ſolutioni. *§. Hæres. Inſtit. de oblig. quæ*
35 *ex quaſi contract.* Contraria eſt conſuetudo in Hiſpaniâ, quâ
ſolvuntur Legata & omnia alia contenta in Teſtamento
vel Codicillis hæreditate etiam non aditâ.

SECTIO XXI.

De reliquis Requiſitis Teſtamentorum.

SUMMARIA.

1 *Reliqua eſſentialia requiſita Teſtamenti.*
2 *Præſentia ſeptem teſtium ſpecialiter rogatorum.*
3 *Quib. mod. evertatur Teſtamentũ?*
4 *Quando ipſo facto Teſtatoris Teſtamentum dicatur everſum?*
5 *Unde realis mutatio voluntatis cognoſcatur?*
6 *Quomodo ipſo Jure Teſtamentum infirmetur?*
7 *Quando dicatur Teſtamentum irritum fieri?*
8 *Quomodo infirmetur?*

HUcusque de perſonâ habili teſtantis, de neceſſariâ Inſti-
tutione, & etiam ipſâ exhæredatione, de linquendâ Le-
1 gitimâ. Nunc paucis reliqua requiſita eſſentialia recenſere
2 placet ; quæ conſiſtunt in præſentiâ ſeptem teſtium, & non
pauciorum , ſpecialiter rogatorum, Civium Romanorum,
puberum , maſculorum , & Teſtatorem oculis videntium,
nullo Jure prohibitorum , ſe ſubſcribentium, ſigilla ſua im-
primentium, & ex poſtfacto eadem recognoſcentium. *Inſt.*
de Teſtam. ordin. Deindè ut uno eodemque tempore atque
contextu, nullo actu extraneo interveniente, v. gr. contra-
ctu vel alio negotio, perficiatur. *l. 28. Cod. de Teſtam.*

Non-

Nonnunquam tamen accidit, ut non attentis hujusmodi requiſitis omnibus, nihilominus teſtamentum ſolenne ſuis deſtituatur viribus, & ſecundùm regulas Juris Civilis confectum ex poſtfacto evertatur & reſcindatur, quod 3
duobus ut plurimum modis contingere ſolet, ipſo facto, nempè teſtatoris, vel poteſtate Juris.

Ipſo facto Teſtatoris Primò, mutatione voluntatis reali, 4
non verbali, coram ſeptem teſtibus declaratæ, ſe nolle primo teſtamento acquieſcere. *l.27.cod.de teſtam.* quæ realis mutatio voluntatis vel fit teſtamenti facti inciſione, can- 5
cellatione, aut ſigillorum revulſione. *l.1.ff.de his quæ in teſtam. delentur. l.12.l. penult. Cod. de Teſtam.* vel re ipſâ, quando Teſtator condit aliud teſtamentum, *l. 16. ff. de Injuſt. rupto.* perfectum tamen. *l. 2. d. t.* Secundò infirmatur Teſtamentum facto Teſtatoris, ſi poſt Teſtamentum ſe dederit arrogandum, quoniam ita cum capite fortunas quoque ſuas in familiam & domum alienam transfert. *l. penult. §. 2. ff. de bon. poſſeſſ. cont. tab.* Tertiò, ſi teſtator adoptet quem ſuum hæredem, qui non ſit Teſtamento inſtitutus. *l. 23. §. 1. ff. de lib. & poſthum.*

Ipſo Jure evertitur Teſtamentum: Primò, ſi fuerit ru- 6
ptum agnatione ſui hæredis, qui neque hæres inſtitutus, neq; exhæredatus eſt, quæ agnatio triplex eſt: naturalis, ex adoptione proveniens, & ſucceſſio in locum ſui hæredis. *Ulpian. in Frag. tit. Quemadm. teſtam. rump. 23. §. 2.* Secundò
ſi fiat irritum, velut, ſi Teſtator capite minuatur, aut nemo 7
exſtiterit hæres, & hoc caſu ultimo dicitur Teſtamentum 8
deficere. Tertiò, officio Judicis infirmatur Teſtamentum, per ſententiam declaratoriam tanquam inofficioſum, de quo ſuprà ſat prolixè diſputatum fuit. Et hæc de ſucceſſione teſtamentariâ ſolenni tàm directâ, quàm obliquâ ſufficiant. Nunc ad ultimas voluntates minus ſolennes tranſeamus.

CAPUT II.

De SUCCESSIONE EX ULTIMIS VOLUNTATIBUS MINUS SOLENNIBUS.

SECTIO I.

De Codicillis.

SUMMARIA.

1 *Diverſæ ultimarum voluntatum ſpecies.*
2 *Codicillus quomodo ſumatur?*
3 *Origo Codicillorum.*
4 *Definitio eorum.*
5 *Differentia inter Codicillum & Teſtamentum.*
6 *Quomodo Codicilli dividantur?*
7 *An Codicilli teſtamento non confirmati nihilominus vires accipiant?*
8 *Quando Codicilli in teſtamento facti intelligantur?*
9 *Imperfectum teſtamentum Codicilli dici poſſunt.*
10 *Vis clauſulæ Codicillaris.*
11 *An hæredes reſtituentes hæreditatem in Codicillis Trebellianiçam detrahant?*
12 *Scriptus hæres non capit ex Codicillis hæreditatem directò, ſed per interpoſitam perſonam.*
13 *Imperfectio Codicilli tangit ſolennitates, non autem voluntatem defuncti.*
14 *Clauſulam Codicillarem non expreſſam minimè ſubintelligi quidam dicunt.*
15 *Effectus clauſulæ Codicillaris præjudicio Carpzovii confirmatus.*
16 *Econtra alii tenent ſubintelligi illam ex generali conſuetudine.*
17 *Circa hoc dubium ſententia diſtinguens potior eſt.*
18 *Si teſtator omnibus ſolennitatibus, in teſtamento ſolenni neceſſariis, obſervatis, dixerit, ſe velle hanc ſuam diſpoſitionem valere Jure Codicillorum, an teſtamentum vel Codicillus erit?*
19 *Quomodo præſumatur, an quis fecerit teſtamentum aut Codicillos?*
20 *An pater filio in teſtamento ſcienter præterito vigore clauſulæ Codi-*

Codicillaris præſumatur voluiſſe, ut filius ab inteſtato ſuccedens hæreditatem reddat hæredi ſcripto?

21 *Sententia negativa verior eſt.*

22 *An idem in poſthumo ignoranter præterito operetur clauſula Codicillaris?*

23 *Quid lectio clauſulæ apud teſtatorem eam audientem operetur?*

24 *Notariorum errores quandoque craſſi.*

25 *Confirmatio ſententiæ negativæ, ſcilicet clauſulam Codicillarem nihil operari in poſthumi præteriti detrimentum.*

26 *Limitatur in Menocbio.*

27 *Altera differentia primaria inter Teſtamentum & Codicillum.*

28 *Quid Juris in duobus Codicillis eodem die factis, in quibus ea res duobus legatur.*

29 *Quid ſi duo contrarii, unus dans, alter adimens reperiantur, nec ſciri poſſit, uter poſterior?*

30 *Tertia præcipua differentia inter Teſtamentum & Codicillum.*

31 *In Codicillis quinque requiruntur teſtes.*

32 *Confirmatur per Receſſus Imperii.*

33 *Teſtes jurare tenentur Codicillos à teſtatore factos.*

34 *Præjudicium Carpzovii.*

35 *Detractio Falcidiæ ratione Legatorum in Codicillis locum habet.*

DE præcipuâ ultimarum voluntatum ſpecie & perfectâ ordinatione teſtamenti, & quâ ratione ex eodem ſuccedatur, hactenus viſum eſt, de minus perfectis & minus ſolennibus diſpoſitionibus nunc inquirendum.

Sunt autem diverſæ earum ſpecies. Primò, Codicillus. Secundò, Donatio mortis cauſa. Tertiò, Teſtamentum apud Acta. Quartò, Tempore peſtis conditum. Quintò, Ruſticanum. Sextò, Teſtamentum paternum inter liberos factum. Septimò, ad pias cauſas: minus hiſce perfectis non malè adjeceris. Octavò, Pactum futuræ ſucceſſionis. Nonò, Succeſſionem ex unione prolium. Decimò, denique Teſtamentum Juri Canonico conforme. Sit ergò ſermo de Codicillis. 1

Codicillus, non generaliter ſumptus pro eâ materiâ, cui quod inſcribebatur, facilè deleri poterat, ut olim conſueverat ſcribi in ligno vel in cortice & craſſiore arboris parte: ſed ſpecialiter pro teſtamentariâ ſcripturâ. *§.13. Inſtit.* 2

ſtit. de Teſtam. ordin. Harprecht. pr. ad h. t. Cujus origi-
3 nem ſat ſuperque indicat *principium Inſtit. h. t.* Divi Auguſti nempè temporibus in primis L. Lentuli Codicillos uſu invaluiſſe, qui poſtmodum approbatione plurimorum Juriſperitorum ex interrogatione ab Auguſto facta confirmati ſunt.

4 Definitur voluntatis noſtræ ſententia, de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri velit absque hæredis inſtitutione. *Mant. de Conject. ult. volunt. lib. 3. tit. 8. pr.*

5 Ex quâ præcipua deſumitur differentia inter Teſtamentum & Codicillos, propter deficientem hæredis inſtitutionem, quæ caput eſt ſolennis Teſtamenti, ut ſuprà fuit expoſitum, conſulatur *Schneidewin. ad Tit. Inſtit. de Codicill. pag. 681.*

6 Diviſio Codicillorum varia eſt, vel enim teſtamento facto relinquuntur, vel ab inteſtato. *l. 8. pr. l. 16. ff. de Jur. Codicill.* Illi tribus modis ſubdividuntur, ante Teſtamentum, poſt Teſtamentum, & in ipſo Teſtamento. *dict. l. 8.* Quando præcedunt Teſtamentum, olim nullius erant validitatis, niſi Teſtamento eſſent confirmati, quod in deſuetudinem abiit, cum ipſo Jure cenſeantur confirmati. *l. Ante tabulas. ff. eod.* niſi contrarium doceri poſſit. *l. 3. §. fin. ff. de Jur. Cod. §. Non tantùm. Inſtit. eod. Bart. in d. l. Ante tabulas. Gloß. in l. Sive initio. Cod. de Codicill.*

7 Teſtamento autem facto, etiamſi in eo Codicilli confirmati non ſint, vires ex Teſtamento accipiunt, & quæcunque in Codicillis ſcribuntur perindè habentur, ac ſi in Teſtamento ſcripta eſſent. *l. 2. §. 1. l. 3. §. ult. ff. eod.* Cum Codicilli pars Teſtamenti dicantur, & Jus ejus ſequantur. *l. penult. ff. Teſtam. quemadm. aper.* ut ſi ſint facti per nuncupationem, & Teſtamentum ſit conditum in ſcriptis, ipſi quoque dicantur facti in ſcriptis. *Bald. in l. Patris. n. 2. de vulg. & pupill. ſubſtit.*

In Te-

In Teſtamento denique ipſo facti Codicilli eſſe intelli- 8
guntur, quando Teſtator expreſſit, ut ſi Teſtamentum non valeat Jure Teſtamenti, ſaltem valeat Jure Codicillorum, vel omni meliori modo, quo valere poteſt, eò, quod im- 9
perfectum Teſtamentum Codicilli dici poſſint. *l. 3. in fin. ff. de Milit. teſtam.*

Clauſulæ hujus vis eſt, ut ſi teſtamentum non valeat, 10
hæredes ab inteſtato venientes per eam rogati intelligantur, hæreditatem cæteraque in eo relicta reſtituere iis, qui in ipſo Teſtamento inſtituti fuerunt, vel quibus aliquid aliud per fideicommiſſum vel Legatum, relictum eſſe apparet. *l. 41. §. 3. ff. de vulg. & pupill. ſubſtit. Harprecht. ad §. 1. h. t. num. 8. Gail, lib. 2. obſ. 114. n. 1. 2. & 3. Bart. in l. 1. ff. h. t. Decian. Conſ. 242. n. 2. & 320. n. 1. & 2.*

Hæredes autem reſtituentes hæreditatem ex Codicil- 11
lis Trebellianicam Jure retinent, cum eadem hîc cauſa ſubſit, ac in Teſtamento mandante reſtitui hæreditatem, ſive cum Teſtamento ſint confecti, ſive ab inteſtato. *l. Ab inteſtato. 16. ff. de Jure Codicill.* Et hoc modo obſervatur ultima voluntas, non quidem, ut Teſtamentum, ſed ut Codicillus, ita ut ſcriptus hæres non capiat hæreditatem di- 12
rectò, ſed per interpoſitam perſonam, ſcilicet legitimi hæredis, cui Lex defert hæreditatem ab inteſtato, ut hæredi ſcripto reſtituat eam tanquam per fideicommiſſum. *Schneidewin. h. t. in f.* ubi benè monet, iſtam imperfectionem intelligendam ratione ſolennitatum requiſitarum, non ve- 13
rò ratione voluntatis ipſius Teſtatoris.

Cùm ergò tàm inſignis ſit hujus clauſulæ effectus, abſonum videretur eandem omittere, vel ideò, quoniam, ſi 14
expreſſa minimè fuerit, eam intelligendam non cenſeat *Carpzov. p. 3. c. 4. d. 38. num. 5. Boer. in Deciſ. 33. num. 8. Socin. Jun. in Conſ. 147. num. 23.* Videatur *l. 1. ff. de Jur. Cod.* & præjudicium *Capzov. d. l.* hiſce verbis: Hat Jonas N. ein 15
Teſtament gemacht / und euch darinn zum universal Erben eingeſetzt/

T daneꝛ

daneben die clauſulam Codicillarem ausdrücklichen mit angehengt. Ob nun wol ſonſten/ vermög derſelben / ein Teſtament auch für fünff Zeugen / als ein Codicill beſtändig / und auch dannenhero Jure fideicommiſſi die Erbſchafft / jedoch nach Abzug Quartæ Trebellianicæ von den Erben ab inteſtato übergeben werden müſte. ꝛc. Quanquam contrarium defendat *Socin. Jun. in l. Hæc verba. ff. de Leg. 1. num. 44.* quod hujusmodi clauſula Codicillaris debeat ſubintelligi, quia communiter appo-
16 ni conſuevit, & ita ex generali conſuetudine præſumatur appoſita, nec non Notarius cenſeatur rogatus, ut apponat omnes clauſulas ſolitas apponi. *Bald. in l. ult. Cod. de Fideicomm.*

17 Hiſce non obſtantibus diſtinguerem ego cum *Mantica. lib. 1. Tit. IX. num. 3.* ut quando à Notario Teſtamentum ſit confectum, & rogatus talem clauſulam omiſerit, tùm cenſeatur illa ſubintelligi: quando verò à Teſtatore ipſo Teſtamentum conſcriptum probetur, eo caſu nullo modo ſubintelligi, quoniam ſi voluiſſet, facilè illam potuiſſet exprimere. Aliud tamen dicendum eſſet, ſi quis inter liberos vel ad pias cauſas teſtatus proponatur. *Socin. Sen. in l. Cum avus. num. 13. Cod. de cond. & demonſt.* aut de Teſtamento militis ſermo ſit. *l. 3. ff. de Teſtam. milit.* aut de aliis modis, de quibus *Mantica dict. Tit. IX. à num. 4. usq;*
18 *ad finem.* Sed quid, ſi Teſtator nullâ ſolennitate intermiſſâ hæredem inſtituerit, & diſpoſuerit, ſe velle diſpoſitionem ſuam valere Jure Codicillorum, an Teſtamentum vel Codicillus feciſſe intelligatur?

Quidam concludunt, talem diſpoſitionem valere Jure Teſtamenti. Quidam diſtinguunt: An inſtituantur legitimi hæredes eo Teſtamento, & tùm valere tanquam Teſtamentum: An verò extranei: & tùm relinquitur eorum arbitrio, utrum ex Teſtamento, an ex Codicillis ſuccedere malint. Cum quâ ſententiâ utpote probabili tenendum cenſeo, quam in judicando obſervari monet *Alciat. con-*

ſil. 6

ſtl.68. num.6. lib.9. In dubio autem, an quis feciſſe præſumatur Teſtamentnm, aut Codicillos? difficilis conjectura videtur. *Mant. Lib.1. Tit.3.* Ex mente *Baldi* & *Alexandri* non ineptè diſtinguit, quibusnam ſcilicet verbis uſus fuerit Teſtator? Si enim verba directa reperiantur, & nihil quoad ſolennitates deficiat, præſumptio erit pro Teſtamento, ſi verò obliquis, pro Codicillis, ſi denique verbis communibus, & ſubdiſtinguitur: An diſpoſitio poſſit valere ut Teſtamentum, & habebitur Jure Teſtamenti: ſecus verò ſi hoc modo non poſſit valere. *l. ult. Cod. de Jur. Codicill.* 19

Virtute hujus clauſulæ Codicillaris gravis admodum, 20
(ut inquit *Menoch. 4. Præſumpt. 32.*) & perplexa oritur diſputatio circa filium ſcienter præteritum in Teſtamento, in quo alius ſcriptus eſt hæres. An ſcilicet per hanc clauſulam Codicillarem pater præſumpſiſſe dici poſſit, ut filius tanquam ab inteſtato ſuccedens hæreditatem reddat ſcripto hæredi?

Eſt hæc diſputatio tota conjecturalis, quemadmodum Doctores admittunt. Plerique enim in affirmativam deſcendunt, quos magno numero ex *Anton. Gabr.* recenſet *Menoch. d. Præſumpt. 32.*

Contraria tamen opinio contra prætenſam commu- 21
nem verior mihi videtur & Juribus conformior. Ratio: quia per præteritionem iſtam Teſtamentum jam ipſo Jure nullum eſt, & irritum tanquam à demente factum. *l.13. ff. de Inoffic. teſtam. l. 30. ff. de Leg. 2.* Nec non leges Teſtamentum hoc modo reſcindentes, filiis præteritis ab inteſtato ſucceſſionem deferunt, qui aliàs vi hujus clauſulæ excluderentur, *Omniſque*, ut inquit *Harprechtus. §. h. t. num. 24. ferè honor liberis debitus ex honorabili Titulo Inſtitutionis minueretur, ſi reſciſſo Teſtamento hæreditatem nihilominus ſcriptis hæredibus reddere cogerentur.*

22 Æqualis ferè eſt inter Doctores contentio de poſthumo ignoranter præterito. An ſcilicet Teſtator præſumatur, voluiſſe clauſulam illam Codicilarem conceptam verbis futuri temporis operari reſtitutionem fideicommiſſi ipſi ſcripto hæredi à poſthumo, ſeu à ſuccedentibus ei ab inteſtato?

Affirmativa innumeris penè Doctoribus placet. *Cravett. Conſil. 34. num. 2. Ceph. Conſil. 38. num. 32. Volum. 1. Salicet. in l. fin. Cod. de Codicill. num. 18. Decian. in l. 17. ff. de Leg. 1. & alii congeſti ab Ant. Gabr. in Lib. 6. Comm. Concluſ. Tit. de Clauſ. Concluſ. 8. n. 7.*

Negativæ non pauciores ſubſcribunt. *Menoch. 4. Præſumpt. 32. num. 9. & Conſ. 499. num. 5. Mant. de Conject. ult. vol. lib. 1. tit. 10. Bart. in l. 1. num. 10. de Jur. Codicill. Bald. Conſ. 387. lib. 5. & 424. lib. 4. Jul. Clar. lib. 3. Sent. §. Teſtamentum. Q. 46. num. 2. Fachin. libr. 4. Controv. cap. 12.* moti ideò, quia non elicitur deliberata voluntas diſponentis in caſu, in quo requiritur voluntas ſpecialis & deliberata, prout requiritur ad excludendum filium, quem non eſt veriſimile Teſtatorem voluiſſe excludere, quod eſſet maximi effectus. Nil moratur, quòd quidam objiciunt, quod Teſtator Notarium legentem audierit, & perceperit clauſulam fortè ab eodem interpretatam: non inquam mora-
23 tur, quoniam non ſtatim ſequitur, audivit legi illam clauſulam, ergò virtutem ejus intellexit: Idem dicendum, ſi Teſtator mandaverit Notario, ut apponeret clauſulam, quoniam non ſequitur, ergò intellexit illius effectum: Nec eſt obſtaculo, quod Notarii vulgarizaverint ipſam clauſulam coram Teſtatore: cum itidem non ſequatur ergò vim percepit ejus, quam fortè Notarius ipſe non intelligit,
24 cum ſubindè ſint Idiotæ, & ignorent ſenſum & intellectum verborum: *Quo fit* (ut inquit Mantica) *ut eorum imperitia deſtruat mundum, & conſcientiam bonorum virorum ſæpè in periculum deducat, & quia neſciunt, quid ſcribant, plerumque*

teſtan-

teſtantium voluntates pervertunt, de quo ſummopere conqueſtus eſt Ang. in Conſ. 295. pr.

Et benè *Ripa in l. Si unquam. n. 42. in fin. C. de Revocand. donat.* inquit: Et ſi nos ad ſanum reducamur intellectum, 25
nullus erit, qui arbitretur Teſtatorem, qui non ſit maximus Juriſta, cogitaſſe clauſulam Codicillarem operari hunc notabilem effectum, ut Teſtamentum ruptum nativitate poſthumi, quem ignorans præteriit, ſuſtineatur Jure fideicommiſſi, cum de hoc dubitent ſummi Legum vertices, & plures ſint ſaltem Authoritate majores, qui tenent hanc clauſulam nihil (quantum ad iſtos terminos) operari. Rationes aliæ & plures videri poſſunt apud *Harprecht. §. 1. Inſtit. de Codicill. num. 12. & ſeqq.*

Aliud tamen dicendum eſſet, ſi hoc caſu extarent 26
conjecturæ, quibus poſſet colligi, Teſtatorem voluiſſe poſthumum illum præterire, & gravare onere reſtitutionis fideicommiſſi ſi rumpat Teſtamentum. *Menoch. 4. Præſumpt. 32. num. 10.* qui totam hujus materiæ ſubſtantiam enodavit.

Altera differentia primaria inter Teſtamentum & Co- 27
dicillum eſt, quod diſcedens unum ſaltem Teſtamentum relinquere poſſit, Codicillos verò plures. *l. 6. §. 1. ff. de Jur. Codicill.* qui ſubſiſtent, niſi ſibi invicem contrarientur. *d. l.*
6. §. 2. Quod ſi igitur duo Codicilli eodem die facti ſint, & 28
in uno res legetur Titio, in altero eadem res legetur Cajo. hi Codicilli cum ſibi non ſint contrarii, ſed diverſi, ideò unus per alterum non tollitur, ſed ambo concurrunt, ſimulque ex voluntate defuncti admittuntur facientes partes per concurſum, cum ſint re conjuncti. *Gloſſ. in l. Cum proponatis. Cod. de Codicill. l. Unic. §. fin. Autem. Cod. de Cad. toll. Jaſ. in l. ult. Cod. de Edict. D. Hadrian. toll.* At res non adeò expedita eſt in caſu, quo duo reperiuntur Codicilli, unus dans, alter adimens, nec tamen appareat, uter prius aut poſterius confectus fuerit. *Gloſſa in d. l. Cum*

29 *proponatis. & Bartol.* contendunt ratione incertitudinis non valere : *Bald.* verò & alii contrarium docent, quod nempe poſterior videatur is : qui adimit Legatum, eò quod privatio præſupponat habitum præceſſiſſe, & ademptio præſupponat datum fuiſſe. *l. 4. ff. de Juſtit. & Jur. l. 16. ff. de Verbor. oblig.*

30 Tertia præcipua differentia conſiſtit in numero Teſtium, quorum ſeptem in Teſtamento requiruntur, qui
31 ſint ſpecialiter rogati, quinque verò in Codicillis & non rogati. *l. fin. Cod. de Codicill.* ſine quibus Codicillus reſiſtere nequit. *d. l. ult. Prænob. D. ab Andler. Corp. Conſtit. Imperial.*
32 *verb.* Notarien. *Rubr.* Teſtamenten. *Receß. Imp. de Anno 1512. §. 2. pag. 977.* Und ſollen die Notarien. *verb.* Aber in Codicillen nemlich / darinn auſſerhalb Anſetzung oder Machung anderer Erben / etwas nach eines Tod von deſſelben Erben zu reichen und zu empfangen / geſetzt / vermacht / verlaſſen / oder zu treuen Händen befohlen wird / oder ihme übergeben / von Tods wegen geſchehen. Item / und auf dem Gaw / wo Bauersleut Teſtament machten / und mehr Zeugen nicht zu bekommen wären / aufs wenigſt fünff Zeugen / ꝛc.
33 qui jurare, & medio Juramento deponere tenentur, Codicillos à Teſtatore factos fuiſſe. *l. ult. Cod. de Teſtam.* quod præjudicio confirmat *Carpzov. P. 3. conſt. 4. def. 31. in fin.*
34 hisce verbis : Ob nun wohl in ſolcher Verordnung keine *inſtitutio hæredis* zu finden / und dahero dieſelbe als ein Teſtament zu Recht nicht beſtehen kan / da aber dannoch vorgedachte fünff Zeugen / ſo dabey geweſen / vermittelſt Eyds außſagen und berichten würden / daß bemeldte Verordnung von dem *Teſtatore* alſo beſchehen und auffgericht worden / ſo wäre berührte *diſpoſition* als ein Codicill oder Vermächtnus der Legaten zu Recht kräfftig und beſtändig / und wäre demnach der Wittiben das Jenige / ſo Ihr darinn *legirt* worden / und denen Erben *ab inteſtato* billich entrichtet und ausgeantwortet. V. R. W.

35 Coronidis loco & illud diſquirendum venit, an detractio Falcidiæ ratione Legatorum locum habeat in Codicil-

lis:

lis? & locum habere certum eſt. *l.77.§.1.ff. de Leg. 2.* quod de Jure Saxonico obſervari quoque tradit *Carpzov. P. 3. c.1.d.6.*

SECTIO II.

De Succeſsione ex Donatione mortis cauſâ proveniente.

SUMMARIA.

1 *Mortis cauſa donatio quid ſit?*
2 *Quæ ſint illius ſpecies?*
3 *Quæ bona in eam cadant?*
4 *An opus ſit illam fieri judicialiter?*
5 *Quid ſentiendum de donatione inter virum & uxorem?*
6 *An valeat donatio inter virum & uxorem irrevocabiliter facta, & cum clauſula de non revocando?*
7 *Dominium transfertur ſub tacitâ conditione in donationibus mortis cauſâ.*
8 *Donationes inter virum & uxorem prohibentur, etiamſi Juramento confirmentur.*
9 *An ex donatis reciprocis Filii Legitimam detrahere poſſint?*
10 *Donationes mortis cauſâ nullæ ſunt, niſi morte confirmentur.*
11 *An ita & illis Falcidia detrahatur?*
12 *Præjudicium Carpzovii.*
13 *Neceſſario in iis requiruntur quinque teſtes.*
14 *Forma harum donationum eſſentialis per Juramentum non poteſt impleri.*
15 *Juramentum actui ipſo Jure null adhibitum nihil operatur.*
16 *Diſtinctio Bachovii circa numerum teſtium.*
17 *Refutatur illius ſententia.*
18 *Explicatio textus* in l. ult. Cod. de Mort. cauſ. donat.
19 *Imperator omnes donationes mortis cauſâ intellexit.*
20 *An Notarius contineatur ſub numero quinquenario teſtium?*
21 *Textus Receſ. Imp. de An. 1512.*
22 *Quinam mortis cauſa donare poſſint?*
23 *An vi clauſulæ ſi non valet eo Jure, quæ valere poteſt, ſaltem valeat, ut donatio mortis cauſâ, ſi filiusfamilias condiderit Teſtamentum patre conſentiente?*
24 *An donatarius omnium bonorum obſtringatur creditoribus?*
25 *Quid Juris ſi certa res donetur in fraudem creditorum?*
26 *Quomodo exſpirent hæ donationes?*
27 *An fructus quoq; reſtituendi ſint?*
28 *Differentia inter donatioes mortis cauſâ & inter vivos ratione fructuum.*

Non

NON minus mortis cauſâ donatio inter ſpecies ultimarum voluntatum minus ſolennium connumeratur ac Codicillus, ut ſupra monuimus: ideoque ordine quædam
1 de ea inveſtiganda proponuntur, quæ eſt: *Cum magis ſe quis velit habere, quam eum cui donat, magisque eum, cui donat, quàm hæredem ſuum. §. 1. verſ. Et in ſumma. Inſtit. de Donat. l. 1. ff. de Mort. cauſ. donat.*

2 Hujus donationes tres recenſentur ſpecies: Prima, quæ fit ab homine ſanæ mentis, nullo adhuc metu imminentis periculi perculſo, tamen ſolâ mortis cogitatione. Secunda, cum quis imminenti periculo commotus ita donat, ut ſtatim fiat accipientis. Tertia, ſi quis periculo motus non ſic dat, ut ſtatim faciat accipientis, ſed tunc demum cum mors fuerit inſecuta. *l. 2. ff. de Mort. cauſ. donat.*

3 Non tantùm autem in parte bonorum fieri poteſt donatio, ſed etiam in omnibus bonis præſentibus & futuris. *l. 30. ff. de Mort. cauſ. donat. l. 8. Cod. de Revocand. donat.* ſub quibus comprehenduntur mobilia & immobilia, Jura & Actiones.

4 Notandum tamen, in quibusdam locis non obtinere, etiamſi ſeptem teſtes & Notarius adhibiti fuerint, ſed neceſſe ſit judicialiter illam fieri, *Carpzov. P. 1. C. 1. def. 22.* Fiunt quoque hæ donationes inter virum & uxorem. *l. Si*
5 *eum. 9. in fin. l. Sed interim. 11. §. 1. ff. de Donat. inter vir. & uxor.* adeò ut ſi præmoriatur conjux, cui donatum eſt, donatio revocari poſſit: præmoriente verò conjuge, qui do-
6 navit, confirmetur & trahatur retrò ad diem donationis. *l. ult. ff. de Mort. cauſ. donat.* Quod ſi facta ſit donatio inter virum & uxorem irrevocabiliter, & clauſula de non revocando, expreſſè adjecta fuerit, uti fieri poteſt. *l. 35. §. 2. l. 13. §. 1. ff. eodem.* non video, quomodo ſubſiſtere poſſit, cum non ſemper mortis cauſâ donationes ſubſiſtant, quæ mortis cogitatione fiunt. *Menoch. 3. Præſumpt. 35. num. 1.*

eò,

eò, quod ſapiant donationem inter vivos. *l. 27. d. t. Menoch. d. l.* ex apertâ præſumptione, exqua dominium, ſepoſito omni Jure revocandi, purè transfertur contra naturam donationum mortis cauſâ, in quibus non transfertur, aut ſi transferatur, ſaltem ſub tacitâ conditione id fiat. 7
d. l. 2. ff. de Mort. cauſ. donat. quam ſententiam tenent *Bart. Ang. Caſtrenſ. in l. Ubi ita donatio. ff. de Donat. Mant. Conſ. 102. col. 1. Natta Conſ. 104. num. 6. lib. 1. Maſcard. de Probat. Concluſ. 161. num. 6. Curt. Jun. Conſ. 39. num. 6. Harpr. §. 1. Inſtit. de Donat. Menoch. d. lib. 3. num. 21.* ubi declarat, quod prædicta multò magis locum habeant, quando Juramentum intervenerit de non revocando, ut tùm ſit potius actus inter vivos, quàm mortis cauſa donatio. Vid. *Menoch. d. l.* cum ſuis limitationibus. Jam autem ejusmo- 8
di donationes inter virum & uxorem prohibitæ cenſentur, etiamſi juramento ſint confirmatæ. *Bald. Conſ. 29. vol. 1. Bart. in l. 1. num. 1. ff. de Donat. inter vir. & uxor. Curt. Sen. Conſ. 46.* ex rationibus non ſpernendis: Ergò & hæc ſub pacto de non revocando facta, participans de donatione inter vivos, nulla erit, niſi ſit reciproca & remuneratoria: ita tamen, ne liberi legitimâ fraudentur, quæ ſi propter nimiam donationem integra relicta minimè fuerit, ſubſiſtente hac donatione conjugum reciprocâ, li- 9
beris vel parentibus ex bonis donatis exſolvenda ac ſupplenda erit. *Carpzov. P. 3. C. 1. def. 10. in fin.* ſecus erit in donationibus ſimplicibus mortis cauſâ: quia pro irritis & invalidis habentur nulliusque effectus. *Nov. 115. cap. 5.* 10
niſi morte confirmentur, & cenſeantur Jure ultimarum voluntatum, & capiantur ad exemplum Legatorum. *l. ult. Cod. de Mort. cauſ. donat.* unde hoc reſpectu Falcidia rectè 11
detrahitur per hæredes venientes ab inteſtato. arg. *l. 27. ff. de Mort. cauſ. donat. Gail. libr. 2. obſ. 4. num. 5. Jul. Clar. 4. ſent. §. Donatio. Q. 9. num. 6. Carpz. P. 3. C. 1. def. 2.* ubi refert præjudicium. So iſt ſolche euerer Schweſter mit ihrem 12

Eheman̄ getroffene Ubergab auf den Todfall zu Recht kräfftig / und dieweil gedachter eurer Schweſter Mann ans Verordnung der Rechten nicht / als den vierdten Theil ſeines verſtorbenen Weibes Güter / zu Recht *Falcidia* genannt / unvermindert zu laſſen ſchuldig. 2c.

Hæc ita interpretanda ſunt, ſi ſolennitates requiſitæ
13 obſerventur, præſertim circa numerum teſtium, quorum quinq; deſiderantur in notabili. *l. ult.* §. *3. Cod. de Codic. l. ult. Cod. de Mort. cauſ. donat.* & ita neceſſarii ſunt, ut pro forma eſſentiali ad donationem mortis cauſa requirantur, quam aliter non valere dicit. *Carpzov. Part. I. Conſt. I. d. 29. n. 9.* etiamſi juramento eſſet corroborata, cum forma eſſentia-
14 lis per juramentum non poſſit impleri *ex Zang. de Except.*
15 *p. 3. c. II. num. 20.* ſed potius contrarium locum habeat: juramentum nempe actui ipſo Jure nulli adhibitum, nihil operari. *l. 5. Cod. de Legib.* nec refert tamen, utrum teſtes ſint rogati, vel etiam ſint fœminæ, quoniam mortis cauſâ donationes per omnia ferè Legatis & codicillis ſimiles ſunt. §. *I. Inſt. de Donat.* in quibus eadem obſervantur.

Huic opinioni noſtræ generali contradicit *Bacchov. in*
16 *Not. ad Treutl. Diſp. 9. lit. E.* qui diſtinguit utrum ſumma, quæ in donationem mortis cauſa incidit, excedat numerum quingentorum Aureorum, vel non: ſi excedat, facilè concedit & approbat numerum quinque teſtium, quoniam in locum inſinuationis, quæ antea neceſſaria erat, introducta eſt ſolennitas quinque teſtium.

Si verò non excedat: tunc, quia non opus erat inſinuatione, ſed duo teſtes ſufficiebant, nunc quoque ſufficere docet, cum mens & ſententia Juſtiniani conſideranda videatur, & cauſa impulſiva promulgationis *d. l. ult.* quæ conſiſtebat in neceſſitate inſinuationis ratione numeri excedentis quingentos ſolidos.

17 Sed nimis ſeſe involvere videtur ſubtilitatibus Bachovius, ſpretis etiam textibus expreſſis, ut ſuis præſumptionibus eò liberalius indulgere poſſit. Mirum, cur tàm promptus

ptus & liberalis in iis inveniatur, cum tamen contraria præſumptio *in d. l. ult. Cod. de Mort. cauſ. donat.* ipſius conjecturam minimè probatam manifeſtè refutet: dubitatum enim olim erat, an donatio mortis cauſa inter ultimas voluntates conſtituenda, an verò donationi inter vivos annumeranda ſit? Imperator Juſtinianus *dubietate eo-* 18
rum exploſa (ut ipſe loquitur) *omnes* (notetur) mortis donationes non tantùm actis minimè indigere ſancivit, ſed numerum quinquenarium teſtium neceſſariò obſervari præcepit, ut *omnes* effectus ſortiatur, quos ultimæ habent liberalitates, eò, quod *in quacunque parte eis abſimiles non intelligantur*. Quid ergò talem affingere diſtinctionem, & apertiſſimos textus poſtponere opus eſt? Si enim omnes 19
Donationes mortis Imperator intellexit, ergò nullam excepit, quod probat *d. l. ult. Cod. de Codicill. §. 3.* ubi in omni ultimâ voluntate, excepto Teſtamento, hic numerus quinquenarius præſcribitur, ſi in omni, ergò etiam in Donatione mortis qualicunque, quæ eſt indubitata ſpecies ultimæ voluntatis per modo allegatam. *l. ult. Cod. de Mort. cauſ. donat.* præſertim cum *in quacunque parte ultimis voluntatibus abſimilis non ſit.*

Nec huic doctrinæ obſtabit, ſi quatuor tantùm teſtes 20
inſuper tamen Notarius reperiatur, quoniam Notarius ſub numero quinquenario continetur, quemadmodum in Teſtamento ſub ſeptenario quoq; Notarius deſignatur. *Nob. D. ab Andler. Corp. Conſt. Imp. vocab. Teſtam. ad R. I. de A. 1512.* von Teſtamenten. *§. 2.* his verbis: Und ſollen die *Notarii* Auffmerckung haben / daß nach den Käyſerl. Rechten zu Auffrichtung aller oder ietzt gemeldten Teſtamenten aufs wenigſt ſieben Zeugen / nöhtig ſeynd / zu denen der *Notarius* auch gezehlet wird. *&c.* qui Teſtes nullo, ſuper actu hoc, facto inſtrumento, jurare tenentur, 21
cum aliter eis non credatur, quàm ſi jurati ſint. *l. 9. Cod. de Teſt. Carpz. P. 1. C. 1. d. 31. ibi afferens præjudicium.*

22 Poſſunt autem donationem hanc facere omnes, qui teſtari non prohibentur. *l. Tamis. 25. ff. de Mort. cauſ. donat.* Unde tamen excipitur filiusfamilias, qui patre permittente donare poteſt, non verò teſtari. *d. l. 25. §. 1.* ſed quæres
23 utrum clauſula illa: *Si non valet eo Jure. quo valere poteſt,* an valeat ſaltem, ut donatio cauſâ mortis, ſi patre conſentiente condiderit Teſtamentum filiusfamiliâs? quod negant Doctores, quoniam ſpecialis & ſpecifica requiritur conceſſio, ad hoc ut filius cauſâ mortis donare poſſit. *l. 7. §. 5. ff. de Donat.* his verbis: *Sed enim meminiſſe oportebit, ſi cui donare quoque permiſſum eſt, niſi ſpecialiter etiam mortis cauſâ fuerit permiſſum, non poſſe mortis cauſâ donare.* ſpecificum autem eſt, quod ab omni generalitate eſt abſtractum.

24 Porrò, quoad effectum notabilem harum donationum ſciendum eſt, donatarium omnium bonorum obſtringi Creditoribus, ſicut obſervatur in donatione inter vivos. *l. 15. Cod. de Donat. l. 72. ff. de Jure Dot.* Secus erit, ſi cer-
25 ta res donetur, & præſertim in præjudicium Creditorum, quoniam revocatur talis donatio. *l. 17. ff. de Mort. cauſ. donat.*

26 Denique revocantur hæ Donationes tribus modis: Primò, poſt recuperatam ſanitatem. *l. 9. poſt pr. ff. de Reb. cred.* Secundò, pœnitentiâ. *§. 7. Inſt. de Donat.* Tertiò, morte donatarii ante donantem. *dict. l. 19. dict. §. 1. Inſt.*
27 *de Donat.* An quoque fructus percepti veniant reſtituendi & revocandi, non immeritò quis quæret? ſed diſtinguendum eſt, utrum Donatio inter vivos ſit revocata: & fructus non revocantur, uti indicat *Gloß. in l. Generaliter. §. Planè. ff. de Fideicommiß.* aut revocata ſit Donatio mortis cauſa: & revocantur fructus cum Donatione re-
28 vocatâ. Ratio eſt: quoniam Donatio mortis cauſa ſtat in ſuſpenſo, donec donator moriatur, inde non poteſt fructus facere ſuos. Donatio verò inter vivos nullo modo in ſu-

ſpenſo

ſpenſo eſt, ſed valida à principio, & conſequenter fructus ſuos facit, quod probè notandum.

Sectio III.

De Succeſſione ex Teſtamento Principi oblato & apud Acta condito.

SUMMARIA.

1 *Vigor Teſtamenti in calatis Comitiis confecti.*
2 *Surrogatum illius eſt Teſtamentum Principi oblatum.*
3 *In quo nulli requiruntur Teſtes.*
4 *Ponitur caſus curioſus ultimæ voluntatis coram Teſtibus declaratæ.*
5 *Vigor Teſtamenti Principi oblati.*
6 *Eadem authoritas Teſtamenti ad Acta conditi ſine præſentiâ Teſtium.*
7 *Acta habent vim Teſtium.*
8 *An requiratur ad hunc actum ordinatio Judicii ſolennis?*
9 *Quodnam dicatur Teſtamentum ad Acta conditum?*
10 *An Teſtamentum ad Acta ſemper confici debeat in loco, ubi perſonæ ad Judicium pertinentes, convenire ſolent?*
11 *Acta ibi intelliguntur, ubi aliquid fit authoritate Judicis.*
12 *Senſus l. 22. ff. de Teſtib.*
13 *An ſolennitates quædam requirantur in extrajudiciali oblatione Teſtamenti?*
14 *An non propter fraudis ſuſpicionem Teſtes, ad minimum duo, ſcilicet Senatores, admitti debeant?*
15 *An hi fortuito caſu advenientes ſufficientes habeantur?*
16 *Quid ſi Barones & Nobiles in ſuis territoriis ad Acta teſtari velint, an ſuperiorem adire teneantur?*
17 *An repetitio teſtamenti ab Actis importet revocationem?*
18 *Cautela pro iis qui teſtantur ad Acta.*
19 *Quando tacitè Teſtatorem hoc Teſtamentum revocaſſe dicendum ſit?*
20 *Circa has diſpoſitiones Statuta locorum vel maximè inſpicienda.*

ANtequam Populus Rom. poteſtatem ſuam uni, nempè 1
Principi, contulit: Teſtamentum coram eo in calatis Comitiis confectū non tantùm valere dicebatur, ſed & maximum vigorem habebat, undè non immeritò ſurrogatum 2
ipſius nempè Teſtamentum Principi oblatum, & apud

Acta conditum eundem valorem, eundem vigorem atque effectum ſortietur. *Reuſn. Tract. de Teſt. P. I. cap. 10. n. 6. & ſeqq.* ſed absque tot ambagibus ſolennitatum, quæ quo-
3 que coram populo præciſæ erant. Et conſequenter nunc numerus Teſtium certus ſupervacuus erit, & inutilis contra Accurſium *in l. 19. Cod. de Teſtam.* ſolaque Principis authoritas ſufficiet. *d. l. 19. Donell. lib. 6. Comm. c. 6. Jul. Clar. 3. Sentent. §. Teſtamentum. Q. 56. num. 7. Maſc. de Probat. lib. 3. Concl. 1352. num. 27.*

4 Ponunt caſum Doctores: Si quis Teſtamentum in ſchedulá quâdam clauſum & obſignatum apud religioſum depoſuit, convocatisque ſeptem Teſtibus dixit: ſitis Teſtes, quod hæc ſchedula contineat Teſtamentum meum. An hoc valeat? quæritur, & valere reſpondent. *Berl. p. 3. c. 4. num. 25. in fin. Paul. de Caſtr. in l. 21. §. Per nuncupationem, 2. Cod. de Teſtam. Alciat. conſ. 106. num. 6. libr. 2. Jul. Clar. 3. Sent. §. Teſtam. Q. 4.* Quod ſi igitur valeat ejusmodi
5 Teſtamentum coram Teſtibus tantùm declaratum, quidni etiam valeret Teſtamentum Principi oblatum? *per dict. l. 19.* in hiſce verbis: *Cum hoc ipſum, quod per ſupplicationem auribus noſtris intimatur*; id eſt: per preces ſupplices oblatum, ut ad Acta referatur, per quam oblationem robur additur Teſtamento ita inſinuato. *d. l. 19. Cod. de Teſtam.* etiam absque Teſtibus, quibus absque dubio prævalet authoritas Principalis, aut ſaltem ad minimum æquivalens eſt.

6 Eadem dubitatio ſolvitur in Teſtamento ad Acta condito, quod etiam ratione Teſtium non requiratur major ſolennitas. *d. l. 19.* quoniam pro paribus reputantur Principi oblatum, & apud Acta conditum. Quod igitur in uno obſervari præcipitur, id quoque in altero ſtatui debet, ſed non requiritur ullus Teſtis in Teſtamento Principi oblato, ergò nec in eo apud Acta, ceſſante præcipuè fraudis ſuſpicione tanquam cauſâ. *dict. l. 19. Vaſq. de Succeſſ. creat.*

part. I.

part. 1. lib. 3. §. 24. num. 7. Mynſ. Cent. 6. obſ. 29. num. 1. 2. num. 4. & ſeqq. cum Acta habeant vim Teſtium, & conſe- 7
quenter ſuperfluum eſſet, vel ſaltem nihil eſſentiale tribuens ejusmodi Teſtamento. *Mynſ. d. l.* Attamen ad A- 8
ctum hunc perficiendum neceſſaria non eſt ordinatio Judicii ſolennis, ſed ſufficit illud Judici coram Actis inſinuati. *l. 19. Cod. de Teſtam.* per ipſum Teſtatorem *Carpzov. P. 3. Conſt. 3. Def. 23.* non autem per Procuratorem. *Vultej. Conſil. 34. num. 37.* aut intermediam perſonam *Modeſt. Piſt. ad dict. l. 19. Hartman. Piſt. Q. 28. Addatur. d. l. 17.* expreſſè id diſponens.

Dicitur autem Teſtamentum coram Actis conditum, 9
id eſt: in loco, ubi judicium conſtituitur à perſonis pro Tribunali ſedentibus, aut ubi aliquid fit authoritate Judicis quocunque etiam loco extra Judicium. *l. 5. ff. de Manumiſſ.* quæ duo ſummopere confundi ſolent in Quæſtione ſequenti. An ſcilicet Teſtamentum apud Acta ſemper & 10
quocunque tempore confici debeat in loco, ubi perſonæ ad Judicium pertinentes convenire ſolent? *Vultejus* præciſè hunc locum Judiciarium requirit, adeò, ut ſi extra eum, Teſtamentum factum eſſe comprobetur, invalidum cenſeatur. Sed rectius meo judicio concludit *Weſembecius in Paratit. ad Dig. Qui teſt. fac. poſſ. n. 10.* non tantùm validum eſſe, authoritate publicâ confirmari, ex ratione ſtatim allegatâ, ſcilicet Acta ibi intelligi, ubi authoritate Ju- 11
dicis quid perficitur, propter Actum voluntariæ Jurisdictionis in Teſtamentis, qui ubicunque expediri poteſt. *§. 2. Inſt. de Libert. l. 2. de offic. Proconſ.* quod primum abundè probat *l. 22. ff. de Teſtib.* hiſce verbis: *Curent Magiſtratus* 12
cujusque loci teſtari volentibus, & ſeipſos & alios teſtes ſignatores præbere, quo facilius negotia explicentur, probatio rerum ſalva eſt. Quæ Lex potius ad Teſtamenta referenda eſt, quàm ad Teſtimonium. *Gothofr. in Not. ad hunc locum. Joann. Coppen. Deciſ. 45. num. 16. Berlich. P. 3. Con. 4. n. 9.*

per

per tot. Carpzov. P. 3. Conſt. 3. Def. 16. num. 4. cum præjudicio infra poſito.

13 Poſitâ verâ hâc ſententiâ permittente Teſtamenti factionem etiam extra judicium conſuetum authoritate Judicis; nihilominus tamen negotium non adeò expeditum adhuc videtur ſine quadam ſaltem accedente ſolennitate: præſertim cum cauſa, quâ non admittitur numerus teſtium in Teſtamento in loco Judicii condito, hic minus ceſſare videatur: ſcilicet fraudis ſuſpicio facilè committenda in ejusmodi loco privato. Ideoque effectus in totum ceſſare non poterit: ſolennitatis nimirum extrajudicialis ſpecies ſi non perfecta, ſaltem minus perfecta. Quamobrem facilè induci me poſſe video, ut ſententiam teneam conformem illi, quam approbat *Berlich. P. 3. Concluſ. 4ta.*
14 *num. 15.* ubi numerum duorum ad minimum, vel trium Senatorum adhibendum putat, rejecto uno, propter emergentem fraudis ſuſpicionem, quod tamen non ita de plano accipiendum, ſed neceſſe eſt, ut ſpecialiter hi à Magiſtratu authoritate judiciali ad Actum hunc Teſtamentarium
15 ablegentur. *Carpzov. d. Conſt. 3. Def. 20. num. 1.* ſi enim rogatos, vel fortè quosdam venire contingat, Actus inter eos geſtus pro privato habebitur, deficiente authoritate judiciali. *Berlich. d. Concluſ. 4. num. 17.* quâ deſtituti actum hunc perficere non poſſunt, quantumvis etiam coram perſonis alioqui Judicialibus paganis, v. gr. Schulteto & Scabinis factum eſſe dicatur, ob defectum Jurisdictionis. *Matth. Berlich. Deciſ. 93. num. 9.* Cum potius Miniſtri ſeu Executores eorum habeantur, quibus Jurisdictio in loco competit. *ex Matth. Coler. de Proceß. execut. p. 2. c. 1. n. 131. Carpzov. d. Conſt. 4. Def. 21. n. 5.*

16 Sed quid ſi Nobiles, Barones, Comites Jurisdictionem habentes, teſtari velint, quomodo hi teſtabuntur ad Acta? an tùm fortè neceſſarium erit ad ſuperiorem revocare? *Bald. in l. 34. Cod. de Donat. col. 2. num. 7. Bart. & Jaſon in d.*

in d. l. 19. tradunt hoc caſu ſufficere, ſi ſimpliciter in Caſtro, in quo omnimodam Juriſdictionem habent, Teſtamentum faciant, quod æquè valebit, ac ſi apud ſuperiorem confectum eſſet, quod confirmat *Hartm. Piſt. lib. 3. Q. 9. n. 26. Vaſqu. in Tract. de Succeſſ. creat. lib. 3. 322.* Tutius tamen erit adhibere Schultetum & Scabinos Paganos. *Herm. Piſt. Q. 9. n. 25.*

Ultimò denique adhuc diſquirere lubet, an receptio 17
vel repetitio Teſtamenti, ab Actis importet revocationem, & an Teſtator præſumatur revocaſſe Teſtamentum per iſtam repetitionem? Quidquid afferant quidam pro negativa, nempe non cenſeri revocatum hoc Teſtamentum, ſi expreſſè revocatio non concurrat: Dubius tamen adhuc hæreo propter fraudis ſuſpicionem, quæ fortè inde oriri poſſet, ideoque cautius aget, ut cum
Carpzovio ſtatuam, qui Teſtamentum Signo Judiciali ob- 18
ſignari & confirmari curet, quo facto quocunque tempore illud ad ſe recipere poteſt, ſalvâ nihilominus ſuâ Ultimâ Voluntate, quæ per hoc non cenſetur revocata, niſi expreſſe, ut jam dictum, voluntatem ultimam ju-
dicialiter revocaverit, quod tamen tacitè fieri poteſt, 19
quando nimirum aliud Teſtamentum fecerit, adhibitis ſeptem teſtibus, tùm enim ipſo Jure primum per ſecundum revocatum reputatur. *§. 7. Inſt. Quib. mod. Teſtam. infirm.*

De cætero hæc diſpoſitionis ſpecies multum à praxi 20
& conſuetudine locorum ratione ſolennitatum, vel etiam requiſitorum dependet, adeoque ſecundum Statuta eorundem judicare oportebit.

X SECTIO

SECTIO IV.

De Succeſſione ex Teſtamento tempore peſtis facto & Ruſticano.

SUMMARIA.

1 *Peſtis ultionis Divinæ indicium.*
2 *Definitio peſtis.*
3 *Unde dicatur?*
4 *Peſtis, ut genus, plures ſub ſe comprehendit ſpecies.*
5 *Cauſa impulſiva privilegiorum eo tempore conceſſorum.*
6 *Enumerantur remiſſiones quædam à Jure.*
7 *An detur remiſſio teſtium in Teſtamento tempore peſtis condito, per l. 8. Cod. de Teſtam.*
8 *Definitio contagii.*
9 *Quot ſint ſpecies contagionis?*
10 *Peſtis ſine contagio eſſe non poteſt.*
11 *Explicatio textus d. l. 8.*
12 *Abſurdum ex correctione textus veniens.*
13 *Morbus ſonticus, ſive comitialis non eſt contagioſus.*
14 *An ſolennitates in Teſtamento ſolenni præſcriptæ in hoc quoque Teſtamento ſervari debeant?*
15 *Sententia diſtinguens, an peſtis ſit vehemens vel levis?*
16 *Quid intelligatur per peſtem vehementem?*
17 *Quando dicatur peſtis gravior ratione cauſæ?*
18 *Quæ ſit peſtis levis?*
19 *Alia ſententia diſtinguens.*
20 *De Jure verius eſt ſeptem Teſtes adhibendos in hoc Teſtamento.*
21 *De praxi aliud obſervatur.*
22 *Etiam de Jure Saxonico.*
23 *Non attentâ vehementiâ & levitate peſtis.*
24 *Ratio pulchra Carpzovii.*
25 *Limitatur.*
26 *Quid Juris ſit, ſi neque Teſtator infectus ſit, neque ejus domus?*
27 *An domeſtici ad Teſtimonium admittantur?*
28 *An teſtes Teſtatorem videre debeant?*
29 *Fraudis ſuſpicio in iis evitanda?*
30 *Extenditur hæc ſententia ad quemlibet morbum contagioſum, & timorem inevitabilem.*
31 *Differentia inter peſtem & epidemiam.*
32 *Simile Jus erit de dyſſenteria peſtilentiali.*
33 *Præjudicium Carpzovii.*
34 *An Teſtamentum tempore peſtis conditum invalidetur, ſi Teſtator priſtinam recuperet ſanitatem?*
35 *Quid in Teſtamento minus ſolenni Ruſticano remiſſum ſit?*
36 *Approbatur quoque per Receſſum Imperii de Anno 1512.*

Bar-

B*Artolus in l. 5. ff. de Uſucapion. num. 13.* meritò dixit: Deum mortales per funeſtam hanc humanæ imbecillitatis (peſtis nempe) cladem ob peccata cœlitus immiſſam velle intueri, ut hâc ratione ad ſubmiſſam ſe recipiant deditionem: Adeoque Ripa JC. non inconvenienter Bartoli ſententiæ definivit peſtem: quod ſit bellum Dei, cui humanæ vires nequeunt reſiſtere. Sed quoniam de rei natura nihil continet, aliam definitionem requirunt Doctores, ut ſcilicet ſit *morbus contagioſus à nutrimentorum vel aeris infectione procedens.* 1 2

Dicitur autem peſtis à depaſcendo, quoniam non paucos tantùm miſerè deperdit, verum totas etiam Civitates depaſcitur, cujus nomen generale ad multa alia mala tendit, neque enim una certa ſpecies eſt, ſed genus quoddam comprehendens ſub ſe plures morbos noxios & pernecabiles, atque ſubitam mortem inferentes. Hinc non levis Legatorum & Magiſtratuum & de Jure diſponentium finis ſurrexit, ut moti ſint juſtiſſimâ de cauſâ ad privilegia concedenda ipſo tempore triſti, ut cuicunque ſaluti ſuæ eò melius conſulere atque ex conventionis neceſſitate proveniens periculum evitare liceret. Quare plurima à conſueto judicandi & Juſtitiam adminiſtrandi ſtylo deviantur: Quædam enim à legibus aliàs denegata tùm temporis permittuntur, & permiſſa denegantur, unde dicunt Primò, contractum mulieris ſine ſolennitatibus & proximiorum præſentiâ celebratum valere. Secundò, juſtiſſimam abſentiæ cauſam eſſe peſtem, adeò ut dicantur tentare Deum, qui ad ejusmodi locum accedunt. *Maſc. de Prob. concluſ. 20. num. 3.* Tertiò excuſat à reſidentiâ. Quartò purgat à morâ contumaciæ. *Maſc. dict. loc.* Quintò, quod mulier poſſit eſſe teſtis. Sextò peſte poſſe dirimi matrimonium, ſi non ſit conſummatum. *Alciat. in Rub. ſol. matr. n. 16.* Septimò, quod ob contagioſam infirmitatem monachus poſſit relinquere monaſterium, ſi in periculo ſit. *Rod. Q.* 3 4 5 6

Can. 149. art. 4. Octavò denique importat remiſſionem quandam in Ultimis Voluntatibus ratione teſtium. *l. 8. Cod. de Teſtam.*

7 Circa quam ultimam propoſitionem non leves & mirè variantes controverſias de Teſtamento peſtis tempore condito tàm inter Theoricos quàm Practicos, oriri, cuiq; in Jure verſanti notum eſt, quæ originem trahunt ex *d. l. 8. Cod. de Teſtam.* quam anxiè & contra ſenſum verborum detorquet & retorquet *Bachov. ad Treutl. vol. 2. Diſp. 10. th. 6. lit. I.* concludens, in eâ non agi de teſtamento peſtis tempore confecto, ſed tantùm de morbo comitiali uni ex teſtibus contingenti: Sed quæſo ad quid ergò verbum contagionis, quod in eâdem expreſſè refertur? Sed inſpiciamus quidnam ſit contagio? definitur enim à *Fracurt.*
8 *lib. 1. de Contag. cap. 1. quod ſit ab uno in aliud tranſiens infectio.*
9 Triplicem habet ſpeciem, unam immediatam, quæ fit per contactum immediatum corporum, ex quorum altero in alterum per illum contactum tranſit infectio. Secunda, quæ eſt per fomitem, non quemcunqve, ſed rerum perſonarum, ut quæ incorruptæ permanentes conſervare, aptæ ſunt contagioſi morbi ſeminaria: ut ſint indumenta, &c. Tertia, quæ fit per aerem inſpiratum, non ſolùm quando corruptus eſt, ſed etiam quando infirmis hoc contagioſo morbo afflictis aſſiſtentes, vel eorum exſpirationem
10 excipientes per eam inficiuntur. Hinc inferunt contagium cum peſte ex neceſſitate ita eſſe conjunctum, ut peſtis ſine contagio eſſe non poſſit, imò peſtem per contagium definierint: peſtem nempe eſſe morbum contagioſum, ſi igitur ex plerorumque tum JCtorum tùm Medicorum ſententiâ peſtis ſine contagio eſſe non poſſit, conſequetur neceſſariò eſſe peſtem, quo fundamento ergò dici poterit *in dict. l. 8.* (ubi expreſſa vocabuli contagionis mentio fit) ſermonem eſſe de morbo ſontico ſive comitiali, cum divinatio potius ſit, non novi, ſed abſurdi quid inducentis, idqve

idqve multò magis, ſi accedatur ad correctionem textus non neceſſariam & inutilem, prout fecit Bacchovius ponens in locum vocabuli : *oppreſſo, oppreſſos.*

Majoris lucis causâ apponamus textum. *d.l. 8. Caſus* 11
majoris ac novi contingentis ratione adverſus timorem contagionis, quæ teſtes deterret, licet aliquid de Jure taxatum eſt, non tamen prorſus reliqua Teſtamentorum ſolennitas perempta eſt. Teſtes enim hujusmodi morbo oppreſſo (hîc corrigit Bacchovius, & ponit oppreſſos id ad teſtes referens) *ab eo tempore jungi, atque ſociari remiſſum eſt, non etiam conveniendi numeri eorum obſervatio ſublata eſt.* Ex quâ correctione abſurdis- 12
ſimum hoc ſequeretur, Teſtatori remitti ſolennitates in Teſtamento, propter morbum atrociorem teſti obvenientem, quod quomodo ſubſiſtere poſſit, nullis perſpicillis opus erit, cum copia ſit aliorum inſuper teſtium habendorum.

Denique quis unquam Medicorum dixit morbum ſon- 13
ticum ſive Comitialem eſſe contagioſum ? ita ut cæteros teſtes hoc modo terrere poſſit, ut ad teſtimonium in ultimo elogio perhibendum non accedere cogantur? permanet igitur firma & indubitata concluſio : *dict. l. 8.* loqui de contagione vel peſte, ſive per cauſam immediatam, ſive per fomitem, ſive etiam per inſpiratum aërem advenien te, ita ut juſto terrore perculſi homines privilegia quædam conſequi oporteat. Quæ verò & quomodo in ultimis 14
elogiis locum habeant? Diſquirendum eſt, & primò quidem de ſolennitatibus : An ſcilicet omnes, quæ in Teſtamento ſolenni præſcribuntur, etiam in ſæviſſimæ peſtis tempore condito obſervari neceſſe ſit, præſertim autem ſeptenarium numerum teſtium?

Hieronym. Schurff. Conſ. 8. n. 1. & ſeqq. vol. 4. Stephan. Bertrand. Conſ. 212. n. 1. & ſeqq. lib. 2. firmiter tenent quinq; teſtes ſufficere. Ratio : quia propter luem iſtam receditur

à Jure Communi, & neceſſitas non habeat legem. *l. 1. C. de Oper. libert.*

15 *Franciſc. Ripa Tract. de Peſte. c. 2. Nicol. Boer. Deciſ. 228. num. 11. Joann. Coppen. Deciſ. 45.* diſtinguunt, an peſtis ſit magna & vehemens, aut parva & levis, ſi primum, requiri dicunt quinque teſtes; ſi ſecundum numerum ſe-
16 ptenarium: Hinc non inconvenienter quæritur, quid allegati Authores per vehementem vel levem peſtem intelligant? Plurimi Medici gravem ſive vehementem dicunt illam, quæ adeò pernicioſa & contagioſa eſt, ut plurimam & majorem ægrotorum partem rapiat. Quod etſi hoc modo ſe habeat, nihilominus inter graves datur adhuc gravior quædam, etiam graviſſima, quæ gravitas deſumitur non modò ratione contagii & perniciei, & reſpectu ſymptomatum magis aut minus horribilium, ſed etiam ratione cauſæ & ratione multitudinis morientium, & ratione brevitatis morbi, ratione numeroſitatis locorum, quæ inficiuntur, ratione longitudinis, ratione differentiæ temporum, in quibus viget, & tandem ratione varietatis & indifferentiæ ſpecierum, ſexuum, ætatum, temperamen-
17 torum & hujusmodi, quibus peſtis inſerta eſt. Ratione cauſæ gravior & periculoſior ea peſtis eſt, quæ cauſam habet univerſalem, & originem trahit ab aëre, qui intemperatus eſt & corruptus, atque verè & propriè ſic dicta peſtis eſt. *Marcatus lib. 3. de Morb. part. 1. Claſ. 1.* & maximè periculoſa: quia cum ex neceſſitate, ut vivamus, aërem attrahere reſpirando cogimur, & is tunc corruptus ſit, illum in nos ipſos tanquam præſentaneum aliquod venenum ingerimus.

18 Levem quis non malè dicit illam? Primò etiam ratione cauſæ, habentem ſaltem cauſam particularem, quæ particularem aliquam perſonam aut domum invadit, præ ſe tamen ferês omnia ſigna & characteres peſtis veræ, quæ reſpectu univerſalis cauſæ levior cenſetur. Secundò, ratione

tione paucitatis morientium, nam etiamſi morbus popularis ſit & Epidemicus, habens cauſam communem, nihilominus tamen, ſi major pars ægrotantium convaleſceret, non adeò gravis diceretur. Tertiò, ratione contagii, quod vel omninò abſit à peſte, aut ſaltem non ita perniciosum.

Diſtinguit quoque *Roland. Paſſag. Tract. de Teſt. & ult. vol. Rub. 35. num. 2.* An Teſtator ſit correptus peſte, & ita 19
in diſcrimine vitæ: Et tunc permittit numerum duorum teſtium non rogatorum: Aut ſit in loco peſtis, ſed non infectus, quo caſu requirit duos teſtes ſpecialiter rogatos. Aut denique exiverit ex loco Epidemiæ, tùm remittit teſtantem ad Jus ſcriptum exemplo diſpoſitionis bellicæ.

Ludov. Rom. in Auth. Similiter. Cod. ad Leg. Falcid. Matth. de Aſſlictis. Deciſ. 25. And. Fachin. libr. 5. Controv. cap. 92. Arumæus Exercit. Inſt. 7. th. 11. Berlich. p. 3. c. 5. n. 6. explosis reliquis opinionibus & diſtinctionibus tempore 20
peſtis ſeptem teſtes adhibendos cenſent. *per l. 8. Cod. de Teſtament.* ubi Impp. Diocletianus & Maximinianus reſcribunt, tempore peſtis aliquid de ſolennitatibus remiſſum eſſe in Teſtamentis, non tamen ita, ut numerus Teſtium ſit minutus, ſed ſaltem congreſſum ſimultaneum eſſe ſublatum, non item ordinem ſucceſſivum Teſtium. *dict. l. 8. Harprecht. §. 3. & 4. Inſtit. de Teſtam. ordin. num. 37. 38. & ſeqq.*

Et hanc opinionem utpote veriorem, & Juris fundamentis magis innixam præ reliquis amplectendam cenſerem; potiſſimum ſi de Jure diſceptatio foret, ex regulâ generali. *in l. 21. Cod. de Teſtam.* quod nimirum regulariter in Teſtamentis requirantur ſeptem teſtes: quæ regula planè non infirmatur. *per d. l. 8.* At de praxi hodiernâ 21
res aliò devenit. *Mynſing. Centur. 1. obſerv. 96.* duos ſufficere teſtes ait. Hanc quoque opinionem, utpote æquiorem, Cameram ſequi apertè pronuntiat. *Gail. libr. 2. obſerv.*

ſerv. 118. num. 18. Idem Bart. in l. De Ætate. ff. ad SCtum Trebell.

22 Hoc ipſum obſervari de Jure Saxonico dicit *Berlich. p. 3. c. 5. num. 8, Carpzov. p. 3. c. 4. def. 1.* ut Teſtatoris voluntas conſervetur, cui imputari non poſſit, quod plures teſtes non requiſierit, cum propter contagionis ſuſpicionem alii ad ægrotos accedere graventur. Iſtam praxin *Berlich. d. l.* eò extendere non veretur, ut, non attenta ma-
23 gnitudine & vehementiâ (quemadmodum voluit *Coppen. Deciſ. 48.*) aut parvitate & levitate peſtis, plures teſtes non deſideret: Et benè addit rationem *Carpzov. d. l.* propterea non minus eſſe periculum, quod hic vel ille ſolus
24 hoc morbo laboret, quàm ſi multi conflictentur, ſicut non minus eſt perfecta muſca vel formica, à naturâ Elephantis. Advertat tamen Lector, hæc ita procedere in ipſo Te-
25 ſtatore peſtiferato, vel ſaltem cujus domus infecta eſt, non verò in illo, qui neque peſte ipſe laboret, vel ejus domus
26 morbo hoc peſtifero infecta ſit: Jure enim Communi teſtari tùm compelletur.

Ad prædicta Primò notandum, quod, quantumvis duo hi teſtes etiam non rogati, ſive maſculi ſive fœminæ fuerint, Teſtimonium dicere queant, *Gail. lib. 2. obſ. 118.*
27 *num. 17.* Domeſtici tamen non admittantur. *§. 6. §. 9. Inſtit. de Teſtam. ordin.* Et Teſtatorem ipſi viderint, & ex ejus ore ultimum ſuum elogium perceperint, neceſſe ſit, ſicuti in
28 Teſtamento ſolenni, quo requiritur præciſè præſentia Teſtatoris ſanæ mentis, adeò ut teſtes illum videre, ac probè cognoſcere poſſint. *l. 9. l. 12. Cod. de Teſtam.* quod Jus in Teſtamento tempore peſtis confecto correctum non repe-
29 ritur, in quo non minus fraudis ſuſpicio evitanda, aliàs vocem ſuam vel aſſimilare, vel alio modo ignotam reddere poſſet, ut facilè ſit teſtes decipere. Sicut Patriarcha Iſaac decipiebatur, *Vox hæc Jacobi, ſed manus Eſaui. Geneſ. cap. 27. verſ. 22. & 23.*

Notan-

Notandum Secundò ſententiam noſtram practicam,
& fermè ubique receptam, non tantùm de verâ peſte, ſive
ex cauſa univerſali, ſive particulari deſcendente exaudien- 30
dam, ſed etiam de quolibet morbo contagioſo, qui ſolet
hominibus timorem incutere *L. 8. Cod. de teſtam. Ripa. de
Peſte cap. 2. num. 7.* qualis eſt Epidemia peſtilentialis &
notabilis, quanquam nullam inter peſtem & illam interce-
dere differentiam quidam arbitrentur, & confundant, u-
niusq; attributa faciant alterius: Attamen differenti-
am notabilem deprehendo: cum omnis peſtis ſit quidem 31
Epidemia; non tamen è converſo omnis Epidemia eſt
peſtis, Eſt enim Epidemia genus generaliſſimum eorum
morborum, qui cauſam habent univerſalem, comprehen-
dens ſub ſe duo genera ſubalterna, videlicet morbos peſti-
lentes, & populares;

Idem dic de dyſſenteriâ quam Epitheto peſtilentiali 32
cumulare fas eſt: & contagioſam eam eſſe nemo nega-
bit. Jam verò ſi ipſemet teſtator hoc morbo ſit correptus,
vel ejus quoq; domus infeſta reperiatur, non minus homi-
nes deterret & teſtes, quàm ipſa ſæviſſima peſtis; Ex iden-
titate igitur rationis ad eadem trahendus eſt hicce mor-
bus, potiſſimum cum ſæpius repetita *L. 8. Cod. de teſt.*
indefinitè loquatur de contagione. quod præjudicio con- 33
firmat *Carpz. d. c. 4. def. 2.* Da nun der teſtator Ewrem Vor-
geben nach am Durchlauff kranck gelegen und verſtorben/ deßwegen
dann iederman mit Jhme umbzugehen Scheu getragen/ und zum we-
nigſten zween Zeugen/ daß ſie gedachte Verordnung aus deß teſtato-
ris Mund eigentlich gehört/ vermittels Jhres leiblichen Eyds auſſa-
gen würden ꝛc. ſo iſt ſolch Teſtament zu Recht beſtändig.

Notandum Tertiò ejusmodi teſtamentum tempore
peſtis coram duobus vel tribus teſtibus conditum non id-
circo revocari vel invalidari, ſi teſtator priſtinam recupe- 34
raverit valetudinem *Peckius lib. 3. de Teſt. Conjug. Böer. deciſ.
228.* quoniã perpetuo valere dicitur & tamdiu, quãdiu te-

Y ſta-

ſtator in eâdem voluntate perſeveraverit *Rauchb. p. 2. Q. 20. num. 33.* Ratio rationis: quia in teſtamento inſpicitur tempus teſtamenti conditi *L. 1. Cod. de Teſt.* & ſufficit teſtatorem tempore conditi teſtamenti habilem & idoneum inventum fuiſſe *Carpz. d. c. 4. def. 5.*

35 Teſtamentum Ruſticanum æq; inter minus ſolennes ultimarum voluntatum ſpecies recenſetur ac illæ, quæ jam prolatæ ſunt, Hinc permiſſum eſt Ruſtico teſtari ſub numero quinq; teſtium etiam Illiteratorum ex ſpeciali ſanctione *L. ult. Cod. de Teſtam. Schneid. ad Inſtit. Tit. de Teſtam. ordin. Rub. de Teſtam. ſolen. num. 15.* Cum hac tamen limitatione, ſi plures haberi non poſſint, & teſtamentum ruri factum comprobetur. Quæ ſanctio confirmata

36 eſt ab Imp. Maximiliano I. Receſs. Imp. Colon. de Anno 1512. Tit. von Teſtamenten &c. §. 2. his verbis. Item und auff dem Fall / wo Bauers-Leuthe Teſtament machten / und mehr Zeugen nicht zu bekommen wären / auffs wenigſte fünff Zeugen.

SECTIO V.

De ſucceſſione Filiorum ex Teſtamento Patris minus ſolenni.

SUMMARIA.

1. *Teſtamentum Patris inter liberos Jure Digeſtorum privilegiatam cauſam non habebat.*
2. *Quæ ſolennitates in eo remiſſæ ſint?*
3. *An reqvirantur teſtes.*
4. *An ſufficiat ſchedula manu Patris ſcripta absq; teſtibus?*
5. *Quid Juris in extraneo inſtituto?*
6. *Quæ reqvirantur in teſtamento Patris nuncupativo?*
7. *In quorum favorem ſolennitates remiſſæ ſint?*
8. *Jul. Clar. tenet in favorem liberorum.*
9. *Alii in favorem Parentum & liberorum.*
10. *Verior ſententia reſpiciens favorem liberorum.*
11. *Reſolutio objectionum.*
12. *Imperfectum quid dicatur?*
13. *An hujusmodi teſtamentum paternum propriè ſit teſtamentum?*
14. *Liberi æq; eo ſuccedunt ac ex ſolenni.*
15. *Quinam liberi eo ſuccedant?*

16. An

16. *An legitimati præcipue per Reſcriptum Principis ad illud admittantur?*
17. *Quid dicendum de liberis naturalibus, & an ratione eorum pater ſine ſolennibus teſtari poſſit?*
18. *Jus gentium & Naturale inter naturales & legitimos non diſtinguit.*
19. *Quid verba (quocunq; modo) importent?*
20. *Quid naturalibus relinqui poſſit legitimis & naturalibus extantibus?*
21. *Præjudicium Carpzovii.*
22. *An hæc diſpoſitio Juris etiam locum habeat in matre?*
23. *Quænam requiſita in hoc teſtamento obſervanda ex præſcripto N. 107.*
24. *Non licet quocunq; modo, ſed titulo honorabili inſtitutionis liberis relinquere.*
25. *An teſtamentum paternum poſſit everti ſi liberi ex partibus inæqualibus inſtituantur?*
26. *Sententia diſtinguens.*
27. *Pater poteſt in inæqualibus partibus filios inſtituere.*
28. *Legitima tamen non eſt minuenda.*
29. *Quid importet ſubſcriptio teſtatoris?*
30. *Quid operetur ſubſcriptio filiorum?*
31. *Quid Juris ſi nulla reperiatur ſubſcriptio?*
32. *An poſſit fieri comparatio literarum?*
33. *Ratio Harprechti pro Comparatione literarum & explicatio textus. N. 73. cap. 1.*
34. *Ad alias quàm liberorum perſones hoc privilegium non extenditur.*
35. *Etiam in Legatis extraneo relictis.*
36. *Et obſervatur de praxi.*
37. *Quomodo infirmetur teſtamentum paternum?*
38. *An teſtamentum liberorum inter parentes eodem Jure habeatur.*
39. *Diſtinguitur quo ad punctum Juris.*
40. *De jure ſuſtineri poteſt.*
41. *Ex naturâ Correlatorum, etiam eodem modo ſuccedunt liberi parentibus & parentes liberis.*
42. *Quoad praxin aliud ſtatuendum.*
43. *Nulla lege cavetur.*
44. *Textus odioſus & correctorius ultra ſuos fines extendendus non eſt.*

INter teſtamentorum genera minus ſolennia meritò 1
numeratur teſtamentum Patris inter Liberos confectum, quod antea Jure Digeſtorum privilegiatam cauſam non habebat, verum Pater eandem, qvam in teſtamentis extraneorum adhibebat ſolennitatem, adhibere

tenebatur, quæ poſtmodum per Jura Codicis *in L.ult. Cod. Famil.erſciſcund.* ſublata eſt; tandem etiam per Impp. Theodoſium & Valentinianum *in L. 21. §. 1.Cod. de Teſtam.* quoad remiſſionem ſolennitatum extenſa â patre ad matrem reperitur. *Sichard. ad d. L. 21. pag. 744.*

Hic textus, quandoquidem hujus materiæ clavis ſit teſte *Julio Claro Lib. 3. Sent. §. teſtamentum. qvæſt. 8. n. 1.* idcirco prolixius diſcutiendus, & inde reſultans Nobilis praxis teſtamenti paterni exactè, compendioſè tamen, tractanda venit.

Privilegiatam hujus teſtamenti cauſam ex eo animadvertere licet, qvod olim & de Jure Civili conſtitutum fuerat, ut non valeret aliter teſtamentum, qvam ſi adhi-
2 berentur ſeptem teſtes liberi, puberes, maſculi, rogati, cum ſubſcriptione & ſigillatione eorum, eodem loco & tempore, nullo extraneo actu interveniente: quæ hodie omnia remiſſa videntur *ex d. L. ult. Cod. Famil. erciſcund.* præſertim ea, quæ circa numerum ſeptem teſtium ſpecialiter in aliis ultimis voluntatibus rogandorum verſantur, qui non tantum pro parte, ſed & in totum remiſſus eſt.
3 Cui tamen contradicunt *Giphan. in d. L. 21. §. 5. Cod. de Teſtam.* nec non *Cujacius*, qui præſentiam teſtium neceſſariò requirunt, ſed contra mentem Legislatoris, Quod *Auth. Quod ſine. Cod. de Teſtam.* ſufficienter demonſtrat: quà diſpo-
4 nitur: Quod ſi reperiatur ſchedula ſcripta manu teſtatoris, in quâ contineatur ejus diſpoſitio inter liberos, talis ſchedula valeat, & illi ſtandum ſit, etiamſi in eâ conficienda non intervenerint teſtes, neq; illi ſe ipſi ſchedulæ ſubſcripſerint. *Alex. Conſ. 105. in f.*

5 Nec minus probat *Nov. 107. C. 1.* in quâ tractat Juſtinianus de iis rebus extraneo relictis, qvorum intuitu ſolennitatem illam teſtium adhibendam præcipit, quod tamen de parente inter liberos omiſit: Iſta intellige de teſtamento ſcripto, non verò nuncupativo imperfe-

fecto, in quo aliud ſtatuitur propter deficientem probationem, ad quam ſaltem duo teſtes requiruntur *d. L. 21. §. 1. Boer. deciſ. 240. Alex. conſ. 105. Fernand. Vaſq. de ſucceſſ. creat. §. 21. num. 58. Didac. Covarr. C. relatum n. 4. & 5. X. de teſtam.* Etiam fœminæ non rogatæ *Gloſſ. in Auth. quod ſine. Tiraq. de LL. connub. lib. 9. n. 19. Dec. conſ. 160. n. 2.* 6

In quorum verò favorem an parentum vel liberorum hujusmodi ſolennitates remiſſæ ſint? adeo expeditum non eſt, propter diverſas hac in re concurrentes opiniones. Alii namq; *uti Mantic. lib. 6. de Conject. ultim. volunt. c. 2. num. 12. Natta conſ. 423. num. 12. & conſ. 622. num. 4. 5. 6. & 15.* eo tendunt, ut dicant in merum favorem parentum â communi diſpoſitione juris receſſum eſſe, quia textus *d. l. 21. §. 1. Cod. de Teſtam.* non reſpicit Liberos, ſed immediatè parentes, Et hanc ſuam aſſertionem quoque probant *ex Nov. 107.* in quâ Juſtinianus dicit Conſtantini Legem teſtari: Oportere morientium voluntates, quando ſunt parentes, omnibus modis inter filios tenere, quaſi nimirũ erubuerit lex ſubjicere parentum voluntates ſolennitati Juris communis. *Mich. Graſſ. §. teſtam. Q. 11. n. 1. inf.* ubi addit & hanc rationem, quod fundata ſit in quadam reverentiâ debitâ â liberis parentibus *propter quam noluit Legislator* (ſunt verba *Graſſi*,) *quod liberi reſcinderent Paternum judicium in eo, quod ad ipſos pertinet liberos, ſed qualecunq; eſſet, illud amplecterentur.* quam dicit ex *Natta* veriſſimam & concludentisſimam rationem. 7

Julius Clarus *d. §. Teſtament. qv. 8. num. 1. And. Fachin. L. 4. Contrav. cap. 2.* tenent hujusmodi teſtamenta mero favore liberorum introducta eſſe, quia, cum cauſa teſtati foveat cauſam inteſtati, ceſſetque timor falſitatis & fraudis ſuſpicio, propterea tantis ſolennibus opus non eſt. Deinde quod Impp. *d. l. 21. §. 1.* conſtituerint, ut ſi alia perſona extranea in hujusmodi teſtamento mixta fuerit, tantum pro parte liberorum ſuſtineatur, pro altera 8

verò parte deſtituatur in perſonâ extraneâ, quæ pars deficiens ipſis liberis accreſcit conceſſa in ipſorum favorem, excluſo extraneo. Cui adſtipulatur *Sichard. d. l. 21. §. 1. Ant. Faber. de Error. Pragmat. Decad. 35. Err. 3. & Dec. 36. Err. 3.*

9 Alii non tantum in favorem liberorum ſed & parentum & ultimæ voluntatis reſpexiſſe Impp. dicunt, idque probant ex *L. 16. Cod. Famil. erciſ. L. ult. Cod. eod. d. l. 21. §. 1, & deniq; Nov. 107.* qvæ tam liberorum, quàm parentum & ultimæ voluntatis mentionem faciunt, adeoq; in eorum favorem inductum hoc teſtamentum imperfectum palam profitentur. *Caſp. Schiferdecker. lib. 2. Diſput. Forens. tract. 11. qv. 2. Ludwell. tr. de ulti. volunt. P. 2. C. 3. Reg. 1.*

10 Quibus non obſtantibus veriorem cenſeo ſententiam *Sichard. in d. l. 21. §. 1.* reſpicientem ad ſolum favorem Liberorum: Nam quamvis Primo non ita expreſſe mentio fiat Liberorum in uno aut altero, aut ſaltem ad voluntatem defuncti attendatur, inde tamen firmiter concludi non poteſt, in parentum favorem omnia tendere, eo quod, niſi inter ſolos liberos valeat.

Pro ſecundo miror, Michaëlem Graſſum totum fundamentum ponere in reverentiâ, parentibus â liberis debitâ, quæ tamen nihil commune cum teſtamentorum jure habet, aut ad minimum qvod imperfecta hæc voluntas propter reverentiam iſtam ſuſtineatur, probari, ſicut etiam quod in favorem parentum fieret, *in d. Nov. 7.* exprimi deberet.

11 Tertio non multum important textus pro tertiâ ſententiâ allegati, non enim ſequitur, Impp. voluntatem hanc parentum teneri volunt, ergo partim parentum, partim ultimæ voluntatis favore imperfectum teſtamentum

12 Paternum inter liberos eſt receptum: Quoniam ex cauſâ favoris liberorum eſt introductum. Dicitur autem imper-

perfectum, Primo ratione voluntatis, quando pater cœpit quidem teſtari, & ordinariè voluntatem ſuam inter Liberos declarare partem relinquens v. g. Titio: Et volens alii partes ſuas legare, morte interceptus eſt, vel in furiam incidit. Secundò ratione ſolennitatis omiſſæ: quando præſcriptæ ſolennitates non obſervantur, quas lex Civilis & poſitiva introduxit, remittens tamen quandoq; eaſdem. *Sichardus d. l. 21. §. 1.* rejicit eam ſententiam, quæ tenet teſtamentum imperfectum hic dici ratione Voluntatis; eò qvod nullo modo & generaliter valere poſſit ſive â Parentibus, ſive ab aliis fiat; rationem addit: *quia cum deeſt aliquid de voluntate, quæ voluntas naturaliter debet concurrere, imò dominari in ultimâ Voluntate. Certe defectum naturalem lex poſitiva non poteſt remittere, aut circa eum diſpenſare: Cum ſciatis Vulgo naturalia jura eſſe immutabilia. §. Sed naturalia. Inſt. de Jur. Nat. Gent. & Civil.* Ita ſentit *Jul. Clar. qv. 9. §. teſtamentum.* â quâ conſulendo & judicandò non eſſe recedendum docet *Soc. Jun. lib. 2. conſ. 147. num. 30. Gail. lib. 2. obſ. 112. num. 14. Mynſing. Cent. 5. obs. 28. num. 4. Fachin. lib. 4. Controv. C. 4.* Communiter approbatam dicit *Ruin. Conſ. 15. num. 2. lib. 2.* quod ita teneant omnes profert *Paul. de Caſtro in d. §. Imperfecto. num. 3.* Communem dicit *Alex. Conſ. 76. n. 13. lib. 3. Jaſ. Conſ. 155. Col. 2.*

Huic opinioni non refragatur *L. ult. Cod. Famil. ercíſ.* in quâ dicitur cœptum teſtamentum, nondum tamen impletum cuſtodiendum eſſe: quod intellige de teſtamento, quod nō eſt impletum, quantum ad ſolennitatem, ſed benè quoad Voluntatem nec propterea deſinit eſſe teſtamentum propriè tale, licet careat ſolennitatibus. *Clar. 3. ſent. §. teſtamentum qv. 13. num. 1. Bald. ad L. 16. num. 5. Cod. Famil. ercíſ.* quod *Schröter in tract. de Teſtam. Patris int. Liber.* non ſine fundamento deducit, dicens: ſi teſtamentum paternum non eſt verum, ſed propriè teſtamentum, tùm vel vitium eſſe in formâ ejus genericâ vel ſpecificâ. Sed tamen. 13

men.

men in neutrâ eſſe, non in primâ: quia teſtamentum parentum inter liberos, tantam habet perfectionem, qvantam in ſuo genere habent teſtamenta ſolennia. Non in formâ ſpecificâ. quia licet non habeant eandem vel ſimilem formam, non inde ſequitur quod non ſit propriè teſtamentum factum inter liberos, ſed hoc tantum non eſſe ſolenne teſtamentum; ſi enim haberet formam ſpecificam aliorum teſtamentorum, non eſſet teſtamentum imperfectum, ſed ſolenne & perfectum. quare igitur cum habeat propriam formam & peculiarem, propterquam verè teſtamentum eſt: non video cur non pro tali habeatur, nihil enim ipſi deeſſe videtur, ratione perfectionis, ſed ſaltem hoc, quod non tanta reperiatur perfectio, ac in teſtamento ſolenni. Et bene addit Schröter d. l. imperfectionem hanc, quæ de teſtamento paterno prædicatur, non eſſe privatam, ſed negativam, hoc eſt non eſſe carentiam perfectionis, quæ ineſſe debet, ſed quæ ineſſe non debet. Sicuti teſtamentum militare dicitur imperfectum, quoad iſtam perfectionem negativam. Si igitur ſubſiſtat verè ac propriè hoc teſtamentum tanquam perfectum, perfectione legali ſivè in legibus fundatâ quoad formam, ſequitur inde

14 neceſſario liberos ex teſtamento ſuccedere, non ſecus atq; ex alio ſolenni, & omnibus numeris abſoluto teſtamento, & cum utilitate. Quia ſi valet ut teſtamentum, ſuſtinebitur ſubſtitutio pupillaris, item exhæredatio, tutoris datio &c. non autem ab inteſtato. Ita tenent *gloß. in l. 16. Cod. Famil. erciſc. Alex in §. imperfecto. Cod. de Teſtam. Dec. conſ. 610. num. 3. Fernand. Vaſq. de ſucceß. creat. §. 21. num. 47. & ſeq. Graſ. in §. teſtamentum qv. 11. num. 2. Bertrand. conſ. 141. num 5. lib. 3. Caſp. Schifferdecker, qvem allegat Schröter*, qui omnino videatur *d. Tract. de Teſtam. Pat. inter liber.* in quo fundamenta contraria profert, & cum ratione refutat, afferens mentem *L. 16. & L. ult. Cod. Famil. erciſc.*

15 Quinam autem liberi ſuccedant ex hoc teſtamento im-

imperfecto? nunc dignoſcendum. Et Reſpondetur, omnes liberos legitimos & naturales, ſuos vel etiam mancipatos, quos Prætor ad ſucceſſionem vocat. *l. ult. Cod. Famil. erciſc.* & non tantum primi gradus, ſed & ulterioris *Alberic. de Roſate in d. §. Ex imperfecto. Boër. in deciſ. 241.* appellatione enim filiorum veniunt nepotes, de quibus dubium non eſt. Sed de legitimatis & eorum ſucceſſione ex teſtamento 16
paterno à Doctoribus diſputatur. In eo tamen conveniunt, legitimatos per ſubſequens matrimonium rectè ſuccedere ex privilegiato teſtamento parentis, cum ſint de Agnatione, ſuccedantq; in omnibus, & per omnia æquiparentur legitimis, ut ſupra vidimus Cap. I. *Sect. 17. circa finem.* Idem tenent *Clar. 3. Sent. Q. 12. n. 3. Boër. Deciſ. 251.*

Sed difficilior nodus eſt de legitimatis per Reſcriptum Principis, An & hi ſuccedant ex teſtamento imperfecto? Reſpondeo: ſi legitimi non extent, ſine dubio ſuccedere. Si autem extent legitimi, & facta ſit legitimatio per Reſcriptũ Principis adjectâ clauſulâ non obſtãte, & de plenitudine poteſtatis: Concludo firmiter etiam ejusmodi legitimatum antecedente conſenſu patris rectè admitti. Ratio: quia tranſit in poteſtatem patris, & per conſequens Agnatus ei efficitur. Salicet. *in Auth. Item ſine. Cod. de Natural. Liber. Gail. lib. 2. obſ. 142. num. 8. Perez. ad Cod. de legit. hæred. num. 14.* De hiſce uberior dicendi locus erit, quando ſucceſſionis ab inteſtato materiam aggrediemur.

De Liberis naturalibus & eorum ſucceſſione ex teſta- 17
mento patris, non minores oriuntur controverſiæ. *Gailius 2. obſ 112. num. 18.* communem dicit filios naturales patri non ſuccedere. Ratio: quia quoties lex loquitur de filiis, de filio naturali & legitimo intelligitur *L. Filium cum definimus. ff. de his qui ſui vel. alien. Jur. ſunt.* Idem ſentit *Clar. lib. 3. ſent. §. Teſtamentum. Q. 12. num. 1.* qui addit hanc rationem quod ſcilicet in *d. l. ult. Cod. Famil. erciſcund. d. l. 21. Cod. de teſtam.* tantum agatur de ſuis & emancipatis, quibus natura-

rales accedere non poſſunt. Quod etiam tuetur *Sichard. in d. l. 21. Fachin. lib. 4. Controv. cap. 3. Dec. Conſ. 610. n. 2.*

Hac tamen communi opinione non obſtante in contrariam ſententiam magis inclino *cum Speculatore in Tit. de Inſtrum. Edit. §. compendioſe, verſ. quid ſi pater. Paul. Caſtr. in d. l. 21. §. 1.* Quoniam, cum jura indifferenter remittant patribus ſolennitates teſtium *d. l. 21. §. 1.* idem quoq; inter naturales recipiendum erit. Rationem aliam addit *Carpz. p. 3. Conſt. 4. def. 24. num. 4.* quod teſtamentum
18 Patris inter liberos nitatur jure Gentium ac Naturali, & ſecundum illud reguletur, atqui jus Gentium ſeu Naturale inter liberos legitimos & naturales non diſtinguit: Ergo. Fundamentum hujus ſententiæ poſitum eſt *in l. ult. Cod. de confirm. tutor.* in his verbis: *Naturalibus liberis providentes, damus licentiam patribus eorũ in iis rebus, quas quocunq; modo eis dederint vel reliquerint, & tutorem eis relinquere.* Ex quâ patet patrem poſſe quocunq; modo naturalibus relinquere, & conſequenter etiam ex teſtamento minus perfecto
19 & ſolenni. Quæ verba (*quocunq; modo*) ad quaſcunq; ultimas voluntatis ſpecies interpretanda ſunt, non ad diverſas relinquendi ſpecies, ut ſibi perſuadet *Fachin. d. l.* quod exinde patet, quod verba (*quocunq; modo*) in clauſula Codicillari ad unam ultimæ voluntatis ſpeciem retrahantur etiam minus ſolennem, ut ſuperius vidimus. Cur ergo hoc noſtro caſu ſeparatam habebit naturam?

20 Veruntamen hæc noſtra opinio ſecundum Jus commune & uſitatum accipienda eſt, ut extantibus legitimis liberis non plus Uncia relinquatur. *l. 2. Cod. de Natural. liber.* his deficientibus ſicut & legitimâ uxore ultra unciam accipere poſſunt. *Auth. Licet. Cod. eod.* de cœtero pro hac opinione affert præjudicium *Carpz. d. l. his verbis:* hat Hanß
21 Albert in Beyſeyn dreyen Perſonen einen letzten Willen auffgerichtet/ und denſelben beym Rath zu Andorff hinderlegen zu laſſen befohlen/ darinnen er ſeiner mit Chriſtinen Vogelin auſer der Ehe erzeugter

Toch-

Tochter/ſo ihme in ſeiner langwierigen Kranckheit gewartet und Kindliche Trew geleiſtet/ zu Erben aller ſeiner Güter eingeſetzet/ da nun bemeldte Zeugen Eydlichen erhalten wurden/daß ſie ſolche Verordnung von ihm angehöret und vernommen hätten/ſo wäre dieſelbe als ein teſtamentum unter den Kindern aufgerichtet/ zu recht beſtändig. V. R. W.

Hæc Juris diſpoſitio etiam locum habet in matre vigore aperti textus. *d. l. 21. §. 1.* loquentis de utriusq; ſexus parentibus. Sic tenet *Natta, Sichard. ad l. 21. Gail. lib. 2. obſ. 112. n. 20. Weſenb. Conſ. 90. n. 21. Jul. Clar. d. Q. 12. n. 2. Boër. Deciſ. 240. n. 13.* qui tamen matrem illuſtrem excipiunt. 22

Quantumvis autem hujusmodi teſtamenta cauſam habeant maxime privilegiatam propter ſoleñitatum civilium remiſſionem, nihilominus tamen certis quibusdam in *Nov. 107.* præſcriptis requiſitis validitatem accipere videmus. Et primo quidem quoad ejus veram formam requiritur, ut tempus conditi teſtamenti probè inſpiciatur, ratio eſt: ut extantibus pluribus teſtamentis, quod prius vel poſterius ſit, dignoſci poſcit, ne utrumque propter incertitudinem vitietur. *gloſ. in l. fin. in verb. miſſus eſt. Cod. de Edict. Div. Hadr. tollend.* ubi dicit, quod quæſtio hæc ſit Sabbathina *Boër. Deciſ. 311.* His conſequenter rectè dicitur annum, menſem & diem neceſſario ex præſcripto *Nov. 107.* apponendum formaliter & ſpecifice, quemadmodum inquit *Clarus d. §. Teſtamentum Q. 14. n. 2.* ut ſi aliqua falſitatis ſuſpicio ſubeſſet, facilè deprehendi poſſit. *Matth. Berlich. p. 1. deciſ. 90. n. 2. & 3. Sichard. Jaſon. Gilken. in Auth. Quod ſine Cod. de teſtam.* pro hac ſententiâ in facultate Juridica Tubingenſi judicatum fuiſſe teſtatur *Harprecht. ad §. 3. & 4. Inſtit. de Teſtam. ordin. n. 193.* Quam oppugnat *Matth. Weſenb. Conſ. p. 2. Conſ. 90. num. 17.* qui argumentatur â reliquis privatis ſcripturis ad hoc teſtamentum, quod minimè procedit, alias eadem eſſet con- 23

ſequentia in teſtamentis ſolennibus ut benè notat *Schröter Tract. de Teſtam. patr. inter liber. cap. 6. pag. 61.*

Secundo ut literas ſciens pater manu ſuâ Filiorum nomina adſcribat *d. Nov. 107. cap. 1. & Auth. Quod ſine Cod. de Teſtam.*

Tertio ut unciæ, ſive quantitates unciarum, quæ fi-
22 liis relinquuntur, ſine ſignis & notis exprimantur *Clar. 3. Sent. §. Teſtamentum Q. 14.* Ubi putat quod procedat tantum circa numerum unciarum, vel ſummam pecuniæ ſignis Aritmeticis exprimendam, in quibus de facili poſſit falſitas committi, quod in reliquâ diſpoſitione minus ob-
23 ſervari docet, eo quod ſufficere videatur illam eſſe ſcriptâ eo modo, quo cœteræ ſcripturæ communiter ſcribi ſolent. *Cujac. lib. 3. obſ. 3. & in Nov. 107.* per quam correcta reperitur *l. ult. Cod. Famil. erciſc.*

Quarto ut inſtituantur hæredes liberi *d. Nov. 107.*
24 nec, ſufficit aliquid iis quocunq; modo relinqui, ſed titulo honorabili inſtitutionis, ut ſupra in teſtamento ſolenni diximus, adeoq; omiſſo titulo inſtitutionis nullum erit, cum de Jure requiratur inſtitutio. *Salicet. in Auth. Noviſſima. Cod. de inoffic. Teſtam. Alex. Conſ. 75. num. 17. lib. 3. Curt. Jun. in d. l. 21. §. 1. Cod. de Teſtam. n. 13. Jaſ. in Auth. Noviſſima.* Ubi hanc communem Legiſtarum & Canoniſtarum dicit. Ratio: quoniam hoc teſtamentum in favorem liberorum conditum non debet retorqueri in ipſorum odium. *l. Quod favore. 6. Cod. de Legib.* Quod utiq; fieret ſublato hoc titulo inſtitutionis, atq; eorum conditio redderetur deterior. *Clar. d. Q. 8. n. 7.*

25 Quid ſi autem ex inæqualibus partibus inſtituantur, an cenſebitur facta eorum conditio per hoc deterior, adeò ut teſtamentum evertere poſſint? *Tyraquell. de Jur. Primog. Q. 4. n. 4. Roman. Conſ. 179. num. 16. Dec. Conſ. 105. num. 6.* putant inæqualitatem rejiciendam, quoniam æqualitatem ſervari jura præcipiunt. *Nov. 107.*

Cur-

Curtius Jun. & Jaſ. in d. l. 21. §. 1. num. 2. Cod. de Teſtament. Alex. Conſ. 168. vol. 5. Clar. lib. 3. ſent. §. Teſt. ... 14. num. 8. inf. Meyer in Tract. de Succeſſ. ab inteſt. lib. ... 14. n. 10. & 25. diſtinguunt utrum teſtator non magnam & injurioſam, ſed parvam & modicam inæqualitatem ... ſervaverit inter liberos.

Alii verò, ſicuti *Paul. de Caſt. in d. l. 21. §. 1. Vaſq. de ſucceſſ. creat. lib. 3. §. 1. n. 67. Boër. Deciſ. 240. n. 10. Michael Graſ. in §. Teſtament. Q. 11. n. 8. Fach. lib. 4. controv. cap. 2. Franc. Mantic. de Conject. ult. Volunt. lib. 6. t. 2. n. 12. Gail. lib. 2. obſ. 112. n. 23.* concludunt parentem in teſtamento liberos partibus inæqvalibus inſtituere poſſe, non attento, an ſit parva vel magna inæqualitas. Quam opinionem facile amplector ex hiſce rationibus: Primò ſi obſervari deberet æqualitas, fruſtratoria eſſet diſpoſitio parentum de imperfectis eorum teſtamentis, & nullam afferret utilitatem, cum eodem modo ab inteſtato ſuccedere poſſint. Secundò diſponitur in d. *Nov. 107.* patri incumbere, ut literarum ſcribat uncias clarè in quibus liberos inſtituere ſibi proponit, quod ſanè abſurdum foret, ſi æqualiter inſtituendi eſſent, cum neceſſaria inæqualitas ſequatur, ubi Unciarũ eſt expreſſio, modo ſaltem illis debita legitima relinquatur. *l. 8. Cod. de Inoffic. teſt.* Nec multum refert ſi in jure dicatur obſervari debere æqualitatem inter liberos, cum ſimilia jura pro- 28
cedant, niſi expreſſa teſtatoris voluntas obſtet in contrarium, cum ſaltem in dubio lex velit ſervari æqualitatẽ inter liberos *L. 17. Cod. de Collat. & ibi Bartol. num. 1.* De hac quæſtione plura cumulavit *Card. Tuſch. Tom. 8. pract. concluſ. Concluſ. 115. n. 90. & multis ſeqq.*

Quinto neceſſaria eſt ſubſcriptio teſtatoris *d. Nov. 107. cap. 1. Jul. Clar. d. Q. 14. num. 4.* Quoniam ſubſcri- 29
bens cenſetur omnia virtualiter ſcribere contenta in ſcripturâ, quam ſua ſubſcriptione confirmat *Paul. de Caſtr.*

 conſ.

Conſ. 93. num. 2. lib. 1. Natta. Auth. Quod ſine n. 44. & ſeq. quæ ſubſcriptio ſpecialis eſſe debet, ut pulchrè refert *Clar. d. l.* niſi tales præſumptiones & probationes ſint, qui-
30 bus deferri poſſit: Tùm enim ſubſcriptio generalis ſufficiet, etiam nulla, modo per alios ſcriptum ſit teſtamentum, puta per filios ipſos *Natta in d. Auth. quod ſine num. 51.*
31 ſecus autem ſi nulla reperiatur ſubſcriptio; quæ per teſtes utiq; probanda eſſet, qui atteſtentur ſe fuiſſe præſen-
32 tes, cum ſchedula propoſita ſcriberetur. *Alex in l. 31. ff. de Jurejur.* vel etiam per comparationem literarum in ſubſidium coram judice, prolatâ tamen antea verâ & indubitatâ ſcriptura teſtatoris *L. 20. Cod. de Fid. Inſtrum.* quæ probatio ſufficiens eſt, nihil obſtante *Nov. 73. cap. 1. & ſeq.* quo Illegitima cenſetur probatio deſumpta ex comparatione literarum: qnoniam *d. Nov. 73.* loquitur de ſcripturis ad contractus pertinentibus, non etiam ad teſtamenta, adeoq; ad illa minimè extendenda erit, eoquod correctio Legum ſtricte interpretanda ſit. *l. 14. ff. de Legib.* & priores Conſtitutiones per poſteriores, non cenſentur correctæ, niſi ſpecialiter ſit expreſſum *l. 32. in fin. Cod. de Appellat.* ſed ſpecialiter expreſſum non eſt ſubſidiariam ejusmodi probationem in teſtamento inter liberos ſublatam eſſe: Nec malè meo judicio addidit rationem ſequentem *Harprecht.*
33 *ad §. 3. & 4. Inſt. de Teſtam. ordin. num. 74.* quoniam, etſi illam Conſtitutionem nempe *Nov. 73. cap. 1.* etiam ad teſtamentum paternum inter liberos acommodaverimus, non tamen ſequeretur inde teſtamentum inter liberos comparatione literarum probari non poſſe, quam illud inde deſumendum foret, per iſtam Conſtitutionem requiri, ut in hoc genere teſtamenti, quemadmodum in contractuum inſtrumentis teſtes adhiberentur, atq; adeò omnia jura quibus teſtamentum patris manu conſcriptum approbatur, ſublata & correcta eſſe, quod tanquam abſonum nemo dixerit.

Cau-

Cauſa impulſiva, Cur Juſtinianus hanc Conſtitutionem promulgavit, in eo verſatur, ne per ejusmodi comparationes in contractibus fraudi locus eſſet: quæ ſane ratio in hoc teſtamento non adeò probat, quia circa illud non tàm facilè via fraudibus patet, ſicuti circa alias apochas, præſertim cum ſoleant poſt confectionem à teſtatoribus ſub arctâ cuſtodia & ſecreto aſſervari. *Schröter d. Tract. de teſt. patr. int. lib. pag. 71.* qui omninò videatur, ſicuti etiam *Harprecht d. l.*

Sed advertas velim hæc omnia ita ſe ſe habere & remiſſionem concedi quoad liberorum perſonas ſive inſtitutas, ſive ſibi invicem ſubſtitutas *Carp. 3. Sent. Q. 10. n. 7. & 2.* non autem quoad alias quibus hoc privilegium non competit. Nec in favorem aut commodum alicujus extranei, id eſt talis perſonæ non privilegiatæ, quæ non ſit ex numero liberorum teſtatoris, licet ſanguine ſit juncta, ſuſtinetur, ſed habetur pro non appoſito, & liberis accreſcit *L. ult. Cod. Famil. erciſc. l. 21. §. 1. Cod. de Teſtam. ibi Gilken. num. 25. Hartm. Piſtor. p. 1. Q. 2. num. 3. 4. 5. Sichard ad d. l. 21. §. 1. num. 9.* quod & in legatis obtinere ſatis innuit *d. l. 21. §. 1. Cod. de Teſtam.* ubi quoad extraneam immixtam perſonam defuncti voluntas eſt prorſus nulla. Idem dices de legatis uxori factis, quæ irrita ſunt, modo ſine teſtibus relinquãtur, & in ſcriptis tantum, *d. Nov. 107. cap. 1.* in quâ uxor & extraneus expreſſè nominantur. *Bald. in Auth. Quod ſine. Cod. de Teſtam.* Et hanc opinionem in praxi uſu ſuo non deſtitui docet *Carpz. p. 3. Con. 4. Def. 19.* in præjudicio ſequenti. Das Aſmus N. teſtamentum inter liberos, ſo viel die 400. fl. und was er ſonſten euch als ſeinem Eheweib legirt, und beſchieden/ betrifft/ aus Ermangelung gebührender ſolennitäten zu recht nicht kräfftig;

34

35

36

37

Denique infirmatur teſtamentum patris inter liberos, primò per confectionem alterius teſtamenti, quo revocet priorem voluntatem. Secundò ſi extranea perſo-

na

perſona ſit inſtituta, & coram ſeptem teſtibus fiat teſtamentum. *Nov. 107. cap. 2.* Et hæc de teſtamento patris inter liberos.

38 Non immeritò & vice verſâ quærere licet, utrum te-
39 ſtamentum liberorum inter parentes iisdem privilegiis gaudeat? *Jul. Clar. 3. Sent. Q. 12. num. 6.* diſtinguit quoad punctum juris, & quoad praxin. Quoad punctum juris
40 quidem: Eo quod eadem ſit ratio correlativorum, & inde bene ſequi: hoc eſt conceſſum parentibus erga liberos, ergo è diverſo debet etiam concedi liberis erga parentes, quia ſunt correlativa pater & filius, & ſtatutum circa unum ex correlativis extenditur etiam ad alterum.

41 Altera ratio eſt, quia eodem modo ſuccedunt liberi parentibus, & parentes liberis præ cæteris conſanguineis & ex naturali æquitate, ergo etiam idem jus ſtatui debet.

Tertia ratio conſiſtitit in favore teſtamentorum, quæ ut plurimum ſuſtineri debent & tueri. *Vid. Harprecb. ad §. 3. & 4. Inſt. de Teſtam. Ordin. pag. 697. & 698.*

42 Sed non obſtante primâ ratione propter diverſitatem rationis, ſecundâ propter inverſum ſucceſſionis parentum ordinem, & tertiâ propter repugnantiam legum diſponentium ita de teſtamentis, veriorem cenſeo opinio-
43 nem, alteram negantem hanc poteſtatem parentibus. Siquidem Primo nullâ lege caveatur, Secundò textus *d. l. 21.*
44 *§. 1.* ſit odioſus & correctorius, & ideo extra ſuos fines non extendendus, quo cautum eſt inter ſolos liberos valere, cum quo conſentit *Nov. 107. pr.* oportere morientium voluntates, quando ſunt parentes, omnibus modis inter filios tenere. *Alex. in d. §. imperfecto. & ibi Natta & Riminald. Boër. Deciſ. 240. in f.* de reliquo videatur *Harprecht. ad d. §. 3. & 4. Inſt. de Teſtam. Ordin.* ubi per totum quæſtiones varias examinat in hac materiâ utili.

SECTIO

SECTIO VI.

De Succeſſione futurâ ex pacto inductâ.

SUMMARIA.

1 *Pacta futuræ ſucceſſionis ad minus ſolennes ſuccedendi modos referri poſſunt.*
2 *Quare pacta privatorum de ſucceſſionibus futuris non præmittantur?*
3 *Quare & in filiis rejiciantur?*
4 *Ratio hujus rejectionis.*
5 *An pactum cum filio de certâ ſummâ, ne querela inofficioſi ageret, valeat?*
6 *De Jure Canonico pacta hæc ſucceſſoria non admittuntur.*
7 *Rationes cur improbentur hujusmodi pacta.*
8 *An pactum in dotali inſtrumento interpoſitum ut bona mulieris, quæ titulo dotis obligata non ſunt, ad te perveniant, ſint contra bonos mores?*
9 *Quid ſit contra bonos mores de Jure Canonico & Civili?*
10 *Mutua hæc conjugum conventio eſt obligatio conditionalis.*
11 *De conſvetudine Germaniæ recepta eſt hæc ſucceſſionis ſpecies.*
12 *Coram quinq; teſtibus pacta ſucceſſoria confecta Ultimæ Voluntatis robur obtinent.*
13 *An pacta dotalia per teſtamentum infirmari poſſint?*
14 *An pactum dotale, quo conventum, ut ſi pater vita fungeretur ex æquâ portione ea, quæ nubebat, cum fratre hæres eſſet, ſit contra bonos mores?*
16 *An pactum Unionis prolium ſit contra bonos mores?*
15 *Generali conſvetudine Germaniæ valet.*
17 *Quot modis facultas teſtandi adimi dicatur?*
18 *An pactum, de quo N. 8. auferat facultatem teſtandi?*
19 *An pactum, de quo N. 14. auferat teſtandi facultatem?*
20 *An pactum conjugum reciprocum inducat votum captandæ mortis?*
21 *An pactum, de quo N. 14. inducat hoc votum?*
22 *An leges deſtruant pactum de futurâ ſucceſſione?*
23 *Conſuetudinis inductæ eadem eſt poteſtas ac legis rogatæ, & lex in conſvetudinem ut parem non habet Imperium.*
24 *An pactum, de quo N. 14. contra authoritates legum impingat?*
25 *Quæ ſit authoritas unionis prolium?*
26 *Fictiones legum faciunt filium, qui filius non eſt, ſcilicet adoptatum, quid-*

quidni etiam conſuetudo ſimiles fictiones inducere poſſet?

27 *Pactum Unionis prolium non manet in terminis ſimplicis & privati pacti, ſed publici inſtrumenti.*

AD minus ſolennes ſuccedendi modos æq; referri poſ-
1 ſunt ea, quæ ex pactis privatorũ de diſpoſitione fortunarum ſuarum obvenire dicuntur: Verum enim verò, cum non ita firmiter huic aſſertioni aſſiſtere poſſimus, antequam de valore hujusmodi pactorum de futura ſucceſſione, inquiratur, Ideoq; paulo accuratius vim earundem examinabimus, maximè cum primâ fronte obſtare videatur legum authoritas, quâ pactiones ejusmodi privatorum infirmantur, *l. 3. Cod. de Collation.* & ad quatuor tantum modos, quibus per univerſitatem res nobis acquiruntur. *§. ult. Inſt. Per quas perſ. cuiq. acqu.* nullâ ſanè factâ mentione hujus pacti de futurâ ſucceſſione, Jura civilia quem-
2 que remittunt, & non ſine fundamento: Ne ſcilicet quis temerè & per quandam fortè incogitantiam, ut inquit *Rick. de Union. prol.* promiſcuè alteri promittendo ſeu paciſcendo, continuo in laqueos obligationis incidat, naufragiumq; & jacturam omnium ſuorum bonorum unico momento faciat, eumq; habere cogatur ſucceſſorem, qui peſſimè de ſe aut jam meritus ſit, aut impoſterum mereri poſſit. Hiſce patrocinatur *l. Hæreditas. 5. Cod. de Pact. convent.* quâ diſponitur, non poſſe hæreditatem dari pacto, ratio: quia eo modo teſtamenti ſolennitas everteretur contra *l. Nemo poteſt. 55. ff. de leg. 1.* ſicut nec ſtipulatione, *l. 61. ff. de verb. oblig.* quoniam eodem quoq; modo libera teſtandi facultas impediretur: Cum hac ulteriori extenſione, ut non ſolum inter eos, qui ſpem â ſucceſſione re-
3 motam habent & in dubio verſantur *l. ult. Cod. de Pact.* verum etiam qui ſpem ad ſuccedendum proximam & certam habent ut filii, pacta de viventis hæreditate non ſubſiſtant *l. 15. Cod. d. Pact. Harprecht. Inſt. de Succeſſ. ab Inteſt. §. 1.*

l. num. 12. & 13. Hujus aſſerti duæ afferuntur rationes. Prima quod ſit contra bonos mores de re alienâ paciſci. Se- 4
cunda quod conventio hæc utpote triſtis eventus plena notam captandæ mortis inducat, *Tiraq. de Primog. Q. 6. num. 16. Socin. Jun. Conſ. 441. n. 45. lib. 2. Dec. Conſ. 475.* quod non de totâ tantum, verùm etiam de ſolâ hæreditatis quotâ, intelligunt. *Alex in l. ult. Cod. de pact. Tiraquell. de Primog. Q. 6. num. 14. inf. & num. 19, Socin. Jun. Conſ. 44. n. 13. lib. 3.* qui reſpondet non valere pactum inter duos fratres, qui altero eorum decedente ſine filiis maſculis, alter ſuperſtes in dimidiâ bonorum ipſius decedentis ſuccedat. Ex hac ratione: quia hoc modo eſſet reſtringere teſtandi facultatem, quæ libera eſſe debet. Sic Pactum patris cum 5
filio, qui certas â patre pecunias ſub hoc pacto accepit, quatenus querela inofficioſi adverſus teſtamentum paternum minimè moveretur, irritum redditur *l. ſi quando. 35. §. 1. Cod. de Inoffic. Teſtam.* Rationem addit Imperator ipſe: *quia meritis magis filii ad obſequia paterna provocandi ſunt, quam pactionibus adſtringendi.*

De Jure Canonico non minus ac civili ſimilia pacta 6
de ſuccedendo in Eccleſiaſticis miniſteriis, ſeu etiam beneficiis Eccleſiæ, antequam vacent, ſeverè prohibentur; *ne deſiderare quis mortem proximi videatur, in cujus locum & beneficium ſe credit ſucceſſurum. Cum enim in ipſis etiam legibus gentilium inveniatur inhibitum, turpe eſt, & Divini plenum animandverſione judicii, ſi locum in Eccleſia Dei futuræ ſucceſſionis exſpectatio habeat, quam ipſi etiam gentiles condemnari curarunt Lib. 3. Decret. de conceſſ. Præb. nd. C. 2. Ex Concil. Later.*

Hiſce addunt pactum in dotali inſtrumento interpoſitum, ut poſt mortem mulieris bona illius ad te pertinerent, quæ dotis titulo tibi obligata non ſunt. Et dicunt Impp. Dioclet. & Maximianus *in d. l. Hæreditas. 5. Cod. de Pact. convent.* maritum nullâ actione experiri poſſe adver-

 ſus

ſus hæredes & ſucceſſores uxoris, ut ſibi reſtituantur, cum nullo modo debeantur.

Improbant ſimiliter pactum in dotali inſtrumento comprehenſum, *ut ſi pater vitâ fungeretur ex æquâ portione ea, quæ nubebat, cum fratre hæres patri ſuo eſſet.* Ratio quoniam libertas teſtandi patri auſſerri non poteſt. *l. 15. C. de Pact.* & major videatur & potior favor liberi arbitrii. *Dec. in d. l. 15. num. 7. Tiraquell. de Primog. Quæſt. 6. num. 17. & 20.*

Deniq; rejiciunt pacta interpoſita in unione prolium ex rationibus allegatis, quoniam futuram hæreditatem reſpiciunt, & votum captandæ mortis inducunt *Jaſ. in l. 61. ff. de verb. oblig.* cumulemus nunc omes rationes hæc & ſimilia pacta prohibentes.

7 Prima Quod ſint contra bonos mores & minus obligatoria *C. Non eſt obligatorium de Reg. Jur. in 6.* adeoque turpia. Secunda quod liberam auferant teſtandi facultatem. Tertia inducant votum captandæ mortis, & impingant deniq; in Legum authoritates.

Quæ & ſimiles rationes, quanquam primo aſpectu prægnantes videantur, tamen non minima mihi movent dubia, imprimis autem in tribus poſtremis mox allegatis pactorum prohibitorum ſpeciebus, ſcilicet de pacto dotali futuræ ſucceſſionis inter conjuges interpoſito *d. l. Hæreditas. 5. Cod. de Pact. convent.* deinde de æqualitate ſucceſſionis promiſſa filiæ. *in d. l. 15. Cod. de Pact.* & tandem de fu-
8 turâ ſucceſſione ex unione prolium. Quantum igitur ad pactum inter conjuges oppoſitum attinet, in quibus ſupradictæ rationes contrarientur, deprehendere non licet. Primo enim eſſe contra bonos mores & non obligatorium quomodo probabitur? Aut enim id conabuntur per jus Canonicum, aut Civile: ſi per jus Canonicum; profectò non multum ponderis afferet, quo-
9 niam illud dicitur eſſe pactum contra bonos mores de Ju-

re Canonico, quod turpè eſt & inhoneſtum. *Dec. in l. 15. Cod. de Pact.* & quod inducit ad peccandum. *Bald. Caſtr. Dec. in l. 6. Cod. de Pact. Socin. Sen. Conſ. 77. Col. pen. lib. 1. Jaſ. Conſ. 169. num. 6. l. 4.* de Jure Civili verò contra bonos mores, nihil aliud eſt, quàm bonis moribus vetitum eſſe & contrarium; ſic quãdo dicitur pacta futuræ ſucceſſionis eſſe vetita legibus Romanis, non ita accipi debet, ac in eo proxima cauſa prohibitiva ſit fundata, quaſi honeſtati bonorum morum ſint repugnantia, vel certam introducentia turpitudinem; ſed quoniam legibus Romanis improbantur, Ideo quod Legumlatores & mores Civitatum ægrè ferrent, teſtamentorum Jura, quæ ab initio publico populi Romani conventu Calatis Comitiis fieri voluerant, ita labefactari, & fraudem iis paulatim atteri, ut privatis pactiunculis & domeſticis cautionibus everterentur. At modo dicta minimè ſtringunt hoc pactum inter conjuges appoſitum, ſi non ſimpliciter ſed ſecundum quid ſumatur; ſcilicet ratione dubii eventus & incertitudinis, item reciprocationis, quorum intuitu plurima in jure ſuſtinentur, quæ alioqui reſciſſioni ſubjecta vel nulla eſſe viderentur *l. 11. Cod. de Transact.* Exemplum patet in donatione inter virum & uxorem, quæ regulariter & ſimpliciter in Jure prohibita eſt. *l. 21. ff. de Donat. int. Vir. & Uxor.* Secus ſi reciproca ſit *l. 7. §. 2. ff. eod.* Itaq; hoc pactum inter Conjuges reciprocum valet propter ſpem viciſſitudinariam & incertum eventum. *Ratio:* quia tollit ſiniſtram illam ſuſpicionem deſiderandi mortem alterius *Gail. lib. 2. obſ. 126.* ubi dicit: mutuam illam conventionem, non eſſe 10
pactum futuræ ſucceſſionis: Quia bona non promittuntur ut ſucceſſio futura, ſed ut obligatio conditionalis, ſi alteruter ſine liberis præmoriatur: quæ obligatio eveniente conditione ad tempus conventionis retrotrahitur.

Accedit & hoc qvod conſvetudine totius fermè Germa- 11
niæ hanc ſucceſſionis ſpeciem invaluiſſe videam, *Klock.*

quem allegat *Generoſ. Dominus ab Andler in Egregiâ Juriſprud. ſuâ, pag. mihi 575. & 576. num. 39. & 40. Petr. Heig. lib. 1. Q. 23. num. 35.* & Cameram Imperialem in judicando ſequi profiteatur *Mynſing. Cent. 2. obs. 39. num. 10. & 11.* & Alii ab eo allegati, quæ conſvetudo utpotè rationabilis
12 legem anteriorem latam abrogare poteſt, per vulgata: adeò ut coram quinq; teſtibus confecta, etiamſi ſucceſſio in ejusmodi pactis dotalibus deferatur, Ultimæ Voluntatis ſeu Donationis mortis causâ robur obtineant. *Weſenb. de Pact. Dotal. num. 4. Jaſon. in l. 35. num. 12. Cod. de Pact.* qui numerus teſtium in omni ultimâ Voluntate neceſſarius eſt. *Richt. de Pact. pag. 369. num. 18. & 19.* Et contra noſtram aſſertionem pronunciare religionem eſſe dicit *Schneidw. Inſt. de hæred. quæ ab inteſt. defer. Tit. de Succeſſ. int. Vir. & Uxor.* & fruſtraneam de eo dubitationem *Petr. Heig. lib. 1. Q. 23. num. 44.* talem quoq; conſvetudinem introduci poſſe inter eos, de quorum ſucceſſione agitur, affirmat
13 *Vaſq. de Succeſſ. creat. lib. 2. §. 18. n. 258.* Quibus ſtrictè inſiſtere coguntur, niſi ſecundum *Weſembec. d. t. de Pact. Dotal.* retractentur, ſtantibus ſcilicet ejusmodi Statutis, ut vult *Petr. Heig. d. l.* Secus vero eſſet, ſi Statutum vel Conſvetudo induceret, ne liceret mutare hujusmodi pacta, cui & ego conſentio, Jus enim Civile per ejusmodi Statuta & pacta corrigi, & conſequenter per ultimam Voluntatem mutari poteſt, quoniam hæc ſunt ſpecies quædam teſtamentorum, aut ad minimum ultimarum Voluntatum innominatæ, ut dicit *Weſemb. d. l.* Citatus Dominus *Ab Andler d. l.* ubi notanter ſequentia ſcribit: *præſertim etiam quod pacta dotalia, quatenus tractant de futurâ ſucceſſione, habeant ſpeciem ultimarũ Voluntatũ in tantum ut novis omniũ gentium moribus tertium genus conventionalium ultimarum Voluntatum Veteribus JurisConſultis incognitum proveniat. Addatur Sichard. ad l. 3. Cod. d. Collat. num. 6. Vid. Treutler. Vol. 2. Diſp. 8. th. 7.* quanquam diſſentire videatur *Berlich. Deciſ.*

Aur.

Aur. 286. *num.* 177. Conſtitutionem Saxonicam potiſſimum reſpiciens, quam ad Jus Statutarium tantum pertinere obvium eſt.

Idem dicendum de altera ex ſupra nominatis pactorum futuræ ſucceſſionis ſpeciebus. *in l.* 15. *Cod. de Pact.* Scilicet: *ut ſi pater vitâ fungeretur, ex æquâ portione ea, quæ nubebat cum fratre hæres patri ſuo eſſet.* 14

Quod pactum contra bonos mores non eſt, contra *Tiraqv. & Franciſ. Viv. in Collect. Comm. opinion.* ſed potius ſecundum bonos mores, quod nempe permittit filiæ illud, cujus jam vivo patre eſt domina *l. In ſuis.* 11. *ff. de Lib. & Poſth.* & quod Lex ipſa defert mortuo patre ex communi naturæ & parentum voto: adeoq; efficax erit, & utile, propter æqualitatem ſervandam, quam toties inculcat Juſtinianus, præcipuè vero *in Nov.* 22. *cap. ult.* his verbis, *Si enim inteſtatis eis mortuis lex omnes ex æquo vocat, competens eſt ipſos imitantes Legem non vehementer magnis abbreviare minutionibus erubeſcentes Legem. Sic enim erunt patres optimi & noſtrâ digni Legislatione.* Paulo poſt: *Hanc itaq; partem de æqualitate filiorum ex priore & ſecundo matrimonio venientium adhortantes magis quam ſancientes dicimus.*

Idem probatur Authoritate Juris Canonici *in C. quamvis. de Pact. in 6to.* quod loquitur quidem de renunciatione ſucceſſionis ſub pacto, quid ni ergo ad æqualitatem conſervandam inter liberos tendere & valere deberet? Non immerito ad ſtabiliendam theſin afferre debeo *Novellam.* 19. *Leonis. Philoſ. Conſtitutionem* quâ per præceptam in hoc caſu æqualitatem ſervandam *d. l.* 15. abrogata dici poteſt. *Cujac. ad l.* 61. *d. V. O.* nec in Baſilicis, quæ ex Digeſtis, Codice, Novellis collecta ſunt, fuit poſita, quibus ſolis uſum in judiciis & ſcholis eſſe voluit Leo Philoſoph. qui multis poſt Juſtinianum annis in par Imperium ſucceſſit. Et quanquam non inficietur *Ant. Cont. in Tract. de Pact. fut. ſucceſſ. in f.* dictam Novellam non eſſe receptam, nihilominus

ta-

tamen, quoniam æquitas ejusdem in Senatu & Legibus Salicis recepta fuit, eam adhuc recipiendam putat.

Nec abſimilis erit argumentandi ratio ad pactum unionis prolium, vulgò Erb-Kindſchafft (de quâ Sect. ſeq. u-
15 berius diſſerere lubet) nunc ſaltem de pacto illo quærimus.

Aut enim pactum hoc in ſolis terminis unionis & filiationis reciprocæ nullâ mentione ſucceſſionis, conſiſtit: Et tum jure foveri poteſt, ut ſupra jam de reciprocis conventionibus attigimus. Aut agit in ſpecie de ſucceſſione futurâ, & quidem irrevocabili, & tum receptum dicitur moribus totius Germaniæ, & expreſſis Principum ſcriptis, Statutis & Ordinationibus.

16 Jam ſi primum procedat textibus juris, alterum, conſvetudine generali totius Germaniæ rationabili, & optimo medio ad amputandas lites procedere poterit. Quomodo ergo dici poteſt eſſe contra bonos mores? niſi forte dicas eſſe contra antiquas Leges Civiles, utpote nihil ſimile producentes, hoc verum eſt, cum jure non ſcripto, & inveteratâ conſvetudine introductum ſit, cujus finem in hoc conſiſtere arbitramur; qvod non principaliter erigatur ſuper ſucceſſione futurâ, ſuper filiationis jure, & quaſi mutuæ & individuæ confraternitatis. *quo ſcilicet* (*ut inquit Rickius cap. 3. num. 7.*) *Conjugalis amor, & fraterna inter utriusq; matrimonii proles dilectio, tanto facilius coaleſcat, & progreſſu temporis firmiſſimum quaſi robur accipiat, quæ nullâ ferè re conſervatur melius, quàm ſuccedendi æqualitate* L. 6. §. 2. Cod. *de Bonis quæ liberis. his verbis: quatenus in omni pace inter ſe ſucceſſio ejus permaneat, nec altercationis cujusdam, maximè inter fratres oriatur occaſio.*

Nunc ad ſecundam contradicentium rationem accingor, ſcilicet ſimilia pacta auferre liberam teſtandi facultatem. Et quæro, utrum hæ noſtræ tres propoſitiones contra leges alioquin teſtamentorum favorem undique am-

amplliantes immediatè inſurgant & paciſcentibus liberam teſtandi facultatem auferant, ſimulq; in Jus publicum (quo proditum eſt nihil magis hominibus deberi, quam ut ſupremæ Voluntatis, poſtquam aliud velle nòn poſſint, liber ſit ſtylus, & licitum, quod iterum non redit arbitrium *l. 1. Cod. de Sacroſ. Eccleſ.*) impingant? Ad hujus Quæſtionis deciſionem afferenda diſtinctio *Rickii cap. 3. n. 17. de Union. prol.* qui teſtandi facultatem abalienatam in quatuor dividit modos. Primò adimitur privilegium teſtandi Legis ſcirptæ & Principis Authoritate. Secundò quando quis nullo dato, recepto promiſſo, omnia ſua tàm præſentia quàm futura bona, pacto vel contractu in alium transfert, expreſſè & nimis liberaliter abdicans à ſe teſtandi facultatem. Tertiò, quando conventione aliquâ reciproca incertâ, non etiam ſuper tota hæreditate, ſed ſaltem quotâ bonorum initâ præjudicium in bonis, de quibus convenit, generatur, ſed non tota teſtandi facultas adimitur. Quartò, Quando Author hanc Legem dedit, ut non niſi in certas poſſet alienari perſonas. 17

Jam quæramus de pacto futuræ ſucceſſionis inter conjuges, an facultas teſtandi omnino auferatur, & quo ex hiſce quatuor modis? non primo & ultimo, ut patet, Ergo aut ſecundo aut tertio. Secundo quidem modo, ſcilicet per pactum de ſuccedendo in Univerſale jus, Sed reſponſio facilis erit, Nam, quantumvis aliquando liberaliores exiſtant amantes, aut matrimonio ſe jungere cupientes inlinquendâ totâ hæreditate, id tamen omninò non impedit teſtandi facultatem, cum de eo utiq; ipſis teſtari liceat, quod ex beneficio competentiæ ne egeant, reliquum erit, cui renunciare non poſſunt. 18

Tertio verò modo privatur quis teſtamenti factione, ſcilicet quando pactum initum eſt de quotâ hæreditatis linquendâ, quod valere contendunt *Dec. in l. 15. Cod. de Pact. Col. ult. vers. 2. Jas. Cons. 60. Col. 2. lib. 3.* Et certe

quis non videt, talem, quoad reliqua bona teſtatum decedere poſſe? Ergo non adimitur teſtandi facultas. Sed quid multis nos fatigamus, cum ſuperius abundanter dictum ſit, pacta dotalia ſpeciem ultimæ Voluntatis habentia revocari poſſe per ſubſequens teſtamentum. *Weſemb. ad Tit. de Pact. Dotal.* quomodo ergo adepta cenſeri poteſt teſtandi facultas?

19 Eodem modo dices de ſecundâ propoſitione diſponente de pacto inter patrem & filiam, ut ſuccedant in æquales partes cum fratribus: Patri enim teſtandi facultas per iſtud pactum adempta non cenſetur, eo quod patri liceat ſaltem æquales, aut in legitimâ ſubſiſtentes, aut etiam eam excedentes partes facere, de reliquo autem liberè diſponere, alium quendam, etiam extraneum unà cum liberis hæredem inſtituere, aut Legata communiter relinquere uſq; ad conceſſum modum. Et hoc modo aliud nihil ademptum cenſetur, quam liberum arbitrium inæquales liberorum portiones faciendi, cui pater tanto magis renunciare poteſt, quoniam æqualitas liberis omnibus Jure naturæ & ſuitatis, etiam ab inteſtato debentur, cur ergo etiam non deberetur per quaſi teſtamentum vel aliquam ſpeciem ultimæ Voluntatis, & maximè ad tenendam concordiam? Quemadmodum etiam in pacto Unionis prolium, ad covellendam & radicitus extirpandam litium & diſſidiorum materia. Quod liberum diſponendi arbitrium minime tollit, etiam in bonis ipſi pacto obnoxiis, ſed Voluntatem, quæ alias ad ſupremum uſq; ſpiritum ambulatoria, & mutabilis erat futura, â tempore initi pacti arctat, & obligatoriam facit, ſeu neceſſitativam eam, quæ ſemel libera fuit, & ſic non teſtandi potius, quam teſtamentum ſemel factum mutandi poteſtatem aufert arg. eorum *quæ tradit Petr. Peck. in tr. de Teſt. Conjug.*

Tertio contradicitur ex tertiâ ratione ſupra allegatâ, pa-

pactum nempe tendens in ſucceſſionem futuram, inducere votum captandæ mortis.

20 Quæ ratio quamprimum refutatur in pactis conjugum reciprocis de futurâ ſucceſſione, quæ non præſumitur, eoquod qvisq; jam certus videatur de ſuâ ſucceſſione. Non immerito quærit *Rick. d. t. de Union. prol. pag. 82.* qvis ille ſit qui genus humanum incomperti cujusdam latrocinii reum facere aggreditur? iſte enim metus in profligatiſſimos tantum & ſceleratiſſimos homines cadit, qui inſidias ob leves res facilè ſtruere ſolent his, quorum pactas & deferendas hæreditates venantur, qvod exemplis demonſtrari poſſet. Sed

Deſine paucorum diffundere crimen in omnes.

Quilibet præſumitur bonus, donec probetur contrarium, hominem enim homini inſidiari nefas eſt, & natura ipſa abhorret *l. 3. ff. de Iuſt. & Jur.*

Deinde ſi tam firmum ponatur fundamentum ſuper hac tertiâ ratione, quid quæſo aliud importarent teſtamenta, fideicommiſſa, legata, ſubſtitutiones, ſucceſſiones ab inteſtato, donationes mortis cauſâ, & reliquæ ultimarum Voluntatum Species, quàm votum captandæ mortis alterius? ſuccedens enim ab inteſtato inhiabit æq;, Anne ergo eliminandum foret hoc ſalutare ſucceſſionis remedium? abſit abſit hoc à ſanctitate Legum & venerandâ Juriſconſultorum prudentiâ. Dicendum igitur erit idem de hoc pacto reciproco Conjugum, præſertim qvod neſciamus, qvid ſit in animis paciſcentium *Bald. in C. Moribus. Si de feudo defuncti contentio* ſed ſciamus non tendere in diſpendium ſalutis æternæ.

Multo minus pactum patris & filiæ de æqvalitate ſucceſſionis de præſumpto hoc voto operabitur quidquam, qvin potius ex fortioribus rationibus â ſe abdicabit. Aliud eſſet, ſi inter duos pluresve de tertii cujusdam viventis ſive extranei, ſive cognati proximi hæreditate pa- 21

ciſceretur: hoc etenim Leges damnarent *l. ult. Cod. de Pact. l. 29. §. 2. ff. de Donat. l. 2. §. ult. ff. De his quæ ut indign. aufer.* aut etiam quando ſtipulatio intercederet de futurâ ſucceſſione pœnâ adjectâ, hoc modo: *ſi hæredem me non feceris tantum dare ſpondens?* qvoniam contra bonos mores eſſet *l. 61. ff. de V. O.* & pactum omninò injurioſum. Qvæ rationes in noſtro caſu non obtinent, ubi de æqvalitate agitur, ſecus ſi inæqvalitas adeſſet: qvoniam tum hoc pactum Votum captandæ mortis inter patrem & filium inducere poſſet, dum uni ademptum alteri tribueretur. Has allatas rationes ad pactum Unionis prolium qvoqve adhibebis.

22 Qvarto deniq; implorant Legum authoritates, ut deſtruant hoc pactum de futurâ ſucceſſione inter conjuges reciprocum. Sed qværo qvid ſentire ergo qvis debeat, de donatione inter virum & uxorem mutuâ, an & illa invalida? & reſpondebunt, ut ſupra dictum fuit, valere *l. 7. §. 2. ff. de Donat. int. Vir. & Uxor.* propter ſpem viciſſitudinariam & dubium eventum. Cur Ergo idem Jus non erit in noſtro hoc pacto? ſupra allegata conſvetudo generalis Germaniæ, quæ paſſim freqventatur & â qvâ, utpote qvæ in moribus poſita eſt, & uſu reccpta, validè argumentari licet. *l. 31. §. 28. ff. de Ædil. Edict.* controverſiam terminat, hac enim poſitâ, grave foret conſvetudinem minimè captioſam, qvaſi ad vivum præſcindere & eliminare; cum

23 tamen ejuſdem jam inductæ eadem ſit poteſtas, qvam Legis rogatæ, qvam in Legem peccare ridiculum eſſet dicere, qvia Lex in conſvetudinem non habet Imperium ut parem *l. 4. ff. de Recept. arbit.* Sed potius lex ipſa utpote prior â conſvetudine abrogatur *l. 1. C. de Leg. & Conſtit. §. Ex non ſcripto. Inſt. d. I. N. G. & C. cum ſimil. Bald. in l. 11. ff. de Leg. 3.*

24 Eadem ratio parum infert in ſecundo noſtro caſu, ſcilicet in pacto patris & filiæ ratione æqualitatis, cum non

tan-

tantum non cenſeatur Legum authoritate, ſed potius expreſſè earundem Legum Authoritatem admittat *in d. Nov. 19. Leon. cap. ult. l. 15. Cod. de Pact.* penitus abrogante ut vidimus. Omiſſâ altera ratione ex æqvalitate deſcendente, & æqualitatem inter Liberos undiq; ſvadente.

De Authoritate Unionis prolium leges nihil decerpe- 25
re queunt propter contrariam & Principum placitis confirmatam conſvetudinem, ratione â pari deducta: qvia 26
ſicut Leges fictionibus ſuis filium & hæredem conſtituunt eum, qui filius non eſt, qvalis eſt adoptatus, qvidni etiam poterit conſvetudo ſimiles fictiones inducere? quæ tamen non manet in terminis ſimplicis & nati pacti, ſed publici 27
inſtrumenti fidem & robur accipit, eo qvod Authoritate publicâ ejusmodi pacta ſuſtineantur, & ad Acta ut plurimum reponantur. Conſeqventer *ſecurus quis erit*, dicit *L. 19. Cod. de Teſtam. qui Actis cujuscumq; Judicis aut Municipum, aut auribus privatorum mentis ſuæ poſtremum publicaverit Judicium, ita nec de ejus ſucceſſione unquam tractabitur, qui nobis mediis & toto jure, quod in noſtris ſcriniis eſt conſtitutum, tutè ſuccedit.*

SECTIO VII.

De ſucceſſione Liberorum ex pacto Unionis Prolium.

SUMMARIA.

1 *Utilitas pacti Unionis prolium.*
2 *Quid ſit Unio prolium?*
3 *Ejus primarium requiſitum in Authoritate Judicis conſiſtit.*
4 *Quid Judici in ea perpendendum?*
5 *An & Conſenſus Agnatorum ſit neceſſarius?*
6 *Quid Juris ſi deficiant Agnati & proximiores?*
7 *An deſideretur Authoritas tutorum & curatorum?*
8 *An conſenſus uniendorum adhibendus ſit?*
9 *An requiratur intimatio ad Acta publica?*
10 *Hoc pactum nudâ voluntate erectum corruit.*

11 *In teſtamento patris induci non poteſt.*
12 *Limitatur.*
13 *Pactum firmiter ſtabilitum ab unâ tantùm parte reſcindi nõ poteſt.*
14 *Effectus Unionis prolium in totam poſteritatem.*
15 *An uniti, mortuis Patre & Matre ſuccedant aſcendentibus ſuperſtitibus?*
16 *Cautela pro paciſcentibus.*
17 *Secus in ſucceſſione activâ aſcendentium, qui ſint paciſcentes.*
18 *Correlativorum eadem eſt natura etiam in argumentatione affirmativè factâ.*
19 *An omne lucrum hæreditarium quocunq; modo uni parti unitæ adveniens, alteri quoq; parti ſine fratribus unitis communicetur & pro ratâ acquiratur?*
20 *Sententia negativa verior eſt.*
21 *Pactum Unionis prolium ſtricti Juris eſt.*
22 *Exceptio.*
23 *Reſolutio objectionum.*
24 *Quid Juris in ſucceſſione paſſivâ collaterali?*
25 *An extraneus unitus fratribus Unitis, & hi contra illi ſuccedant ab inteſtato.*
26 *Diſtinguitur inter bona.*

1 PAucis delibata fuit inveſtigatio Pacti Unionis prolium, & valor ejus aliqvantulum hinc inde perpenſus eſt, & tandem concluſum, hocce pactum contra bonos mores non eſſe, aut etiam teſtandi facultatem auferre, multo minus votum captandæ mortis inducere, verum tanquam fomentum amicitiæ & extirpationem litium valere, & generali qvadam Germaniæ rationabili conſvetudine confirmari *Gail. lib. 2. obs. 125. num. 1. & 2.* Attamen cum grano ſalis iſthæc accipienda ſunt, ut modo legitimo, & in Statutis, vel etiam hiſce deficientibus in Legibus expreſſo modo conficiantur, quem ex nobili & huic ſimili adoptionum materiâ facilè qvilibet colligere poterit.

2 Eſt autem Unio prolium, pactum Magiſtratus authoritate ſubnixum, qvo diverſi matrimonii liberi in hæreditatem proximorum deficientium parentum, & hi in illorum, pariter ſucceſſuri, ab his qvorum intereſt, declarantur.

3 Primarium reqviſitum ex authoritate Judicis ordinarii & cognitione judiciali elicitur, ad hoc, ut diligenti inqvi-

ſitione bonorū, ætatis, conditionum atq; valetudinis utriusqve parentum præhabitâ conſtare poſſit, Primò Utrum ſalutaris & proficua futura ſit Unio, aut etiam non magnam ſit allatura inæqualitatem vel damnum. Textus eſt Capitalis *in l. 17. §. & primum. ff. de Adopt.* ne erigendæ Unionis obtentu alter, in alterius conjugis bonis graſſari, illisq; inhiare, quam conjugalis amoris perpetuitatem deſiderare videatur. *l. 2. Cod. de Adopt.* Secundò quænam ſint facultates eorum, quorum nomine petitur pari- 5
ficatio prolium. Tertiò utrum conſenſus agnatorum & cognatorum utriusq; lineæ interceſſerit, quemadmodum in arrogatione obſervatur in Lege notabili & eleganti *2. Cod. de Adopt. l. 39. ff. de Adopt. l. 6. Cod. de Suspect. tutor. l. 5. §. 1. ff. quib. ex cauſ. in poſſeſſ. eat.* ſicuti pleraq; Statuta exactè obſervant, ex qvibus videatur Wormatienſe. Deficientibus cognatis & proximioribus æqvum videbitur ſub- 6
ſtituere intelligentes & probos viros. *l. 223. §. 1. ff. de V. S. l. 58. ff. de Hæred. Inſtit.* Rationem pulchram annectit *Jaſon. in l. 12. ff. de Procurat. num. 4.* quod quidquid diſponitur inter conjunctos ratione ſanguinis, hoc ratione affectionis locum habet inter amicos magnâ affectione conjunctos. Hinc Salomon inquit Proverb. 18. Vir amicabilis ad ſocietatem magis amicus erit quam frater.

Deſideratur quarto authoritas Tutorum & Curato- 7
rum *Gail. d. obs. 125. num. 5.* qui ſi conſtituti non ſint, conſtituendi erunt. arg. *l. Quod ne. 8. ff. de Adopt.* non attento eo, quod proviſio parentum ſufficere dicatur: Leges enim minus fidunt propter ſuperinductionem vitrici & novercæ *Auth. Ex Teſtamento. Cod. de Secund. Nupt.* & propterea contriſtari dicitur anima defuncti per tranſitum ad ſecunda vota. *Nov. 28. §. Proſpeximus. & §. Qvæ vero nunc.* Hinc religio Jurisjurandi neceſſariò ipſis imponenda eſt, quod ſcilicet putent, & firmiter credant, hoc pactum ſalutare fore liberis uniendis, quo caſu ſufficiet Juramentum credulita-

litatis non veritatis, ne anceps fortè incurratur perjurium. *arg. l. 1. §. 1. ff. de Ventr. Inſp. verb. ſi renunciant prægnantem videri.*

8 Non minus quintò Conſenſus uniendorum adhiberi debet, ſi tamen infantes minimè eſſe comperiantur *l. fin. Cod. de Adopt. l. penult. Cod. de Emancip. lib.* qui ſi apertè non exprimatur, præſentiâ eorum ſufficiet *l. 5. ff. de Adopt.*

9 Deniq; requiritur inſinuatio ad Acta publica *l. 4. Cod. de Adopt.* quia quidquid coram Judice ut Judice fit vel agitus, debet in ſcripta & monumenta ſeu Archiva publica referri *l. fin. Cod. de Rejudic.* Et conſequenter excluduntur teſtes, alioquin in ultimis Voluntatibus neceſſarii, ita ut etiam hoc pactum unionis Naturam & effectum teſtamenti reciproci & mutuo inter conjuges facti habere videatur. Textus eſt expreſſus in *l. 31. Cod. de Donat.* Ibi *non eſſe neceſſarium judicamus vicinos vel alios teſtes adhibere, nam cum publica monumenta ſufficiant, ſuperfluum eſt privatum teſtimonium.* Hæc requiſita compendioſe tractavit in *Jurisprud. ſua. pag. 224. & 225. num. 7. 8. 9. & 10. Generoſ. Dominus ab Andler.* Ex hiſce infertur primò pactum nudâ voluntate & unice cupientium ſolo conſenſu erectum facilè corruere & invalidari, non obſtante eo, quod generali conſvetudine ita promiſcuè permittatur, cum potius corruptela cenſeatur non Conſvetudo *Gail. d. obs. 125. num. 11.* adeoq; ut dictum, Judicis authoritas robur addet, qvod non de conſenſu ſimplici tantum intelligi debet, ſed de expreſſo â Judice interpoſito Decreto.

11 Infertur ſecundò Unionem prolium, quæ non ſolum bona teſtantis, ſed etiam reliquorum parentum æqualiter dividi vult, in teſtamento Patris induci non poſſe, Ratio: Qvia, uti jam ſtatim attigimus, conſenſus unicus ad perficiendam unionem non ſufficit, qvod utiq; fieret in propoſito caſu.

12 Limitatur, niſi accedat authoritas Judicis, præſentia tu-

tutorum, Curatorum, Agnatorum, & cætera ſupra recenſita requiſita adhibeantur. Deinde etiam niſi utriuſqve matrimonii liberi ex eo unionem erigere volente, procreati ſint, qvoniam ejusmodi æqualitas in ultima Voluntate facta non tantum toleratur, ſed & præcipitur *Nov.* 22. §. *ult.* Porrò, ſi non tantum ſui liberi, ſed etiam uxoris ex alio matrimonio concurrant, ita ut diſtribuat his æqualiter cum ſuis in teſtamento, præſertim autem ſi ſuis liberis portio legitima relinquatur. *Auth. Noviſſima. Cod. de Inoffic. Teſt.* qvoniam eo caſu parificationem teſtator facerere poterit.

Infertur tertiò poſitâ hujusmodi Authoritate Judicis confirmatâ, & utriusq; conſenſu approbatâ parificatione, eam ab unâ ſaltem contrahentium parte reſcindi non poſſe, ab initio enim fuit Voluntatis, jam erit neceſſitatis: ſicuti omnes contractus inter vivos celebrati, præſertim accedentibus Actis publicis, niſi tamen magna & enormis læſio, & immoderata iniquitas, ab alterutrâ parte reſultaret, quia vix dubium ſupereſt ullum, quin liceat parti læſæ ad diſtractum convolare, aut ſi maluerit æqvalitatem â Judice petere, quemadmodum in contractu emptionis venditionis ad implementum agitur. 13

Deniq; infertur poſt mortem Parentum ſolis liberis unitis ſucceſſionem paternam & maternam utrimq; æqvaliter dividendam deferri, niſi res qvædam Jure Communi ab onere deferendi ſint exemptæ, & qvas filii præcipuas habent in ſuceſſione Parentum, qvæ non communicantur unitis. Hinc rectè ſtatuitur, neq; Libros, neq; alias impenſas ſeu ſumptus, quos Pater in ſtudia vel honores Doctorales unius horum filiorum impendit, conferri debere. *l.* 50. *Famil. erciſc.* de qvo ſupra aliqvid retulimus, cum de imputatione legitimæ ſermo fuit.

Effectus Unionis prolium in eo conſiſtit, ut non tantum Liberi in ſucceſſione Parentem æqventur, & vim ſuam 14

exerceat in contrahentium perſonas, ſed etiam in totam earum poſteritatem quamvis invitam, hoc jus propagetur, adeò ut nepotes & deſcendentes perpetuò ſuccedant, & ad hanc teſtamentariam ſeu fideicommiſſariam pacti diſpoſitionem vocentur, quantumvis etiam tempore unionis erectæ nondum nati, vel etiam concepti dicerentur; qvia hoc pactum prodeſſe potius, quàm obeſſe præſumitur, vel maximè cum de commodo alicujus in utero exiſtentis agitur, qui pro jam nato habetur. *l. 7. l. 26. ff. de Stat. homin. l. 47. §. Paulus ff. de Bon. libert.* Neqve novum eſſe dicit *Rick. ex l. 10. l. 21. §. in his qui ejusdem. ff. de Pact.* ſi nunc paciſcar, & poſt decennium naſcatur mihi filius, inde ego decedam, pactum filio meo hæredi proderit, ſive ab inteſtato, ſive ex teſtamento, ſive ex diſpoſitione conventiali poſteritati nondum natæ & in utero matris exiſtenti, ſed & nondum conceptæ provideatur. text. *in C. Filii nati. Si de feudo def. cont.* Ratio: qvoniam hoc principaliter intendit teſtator aut paciſcens tempore pacti, ut ſibi provideatur & naſcituro, cui per conſequentiam tantum Jus illud pacti cum univerſo ſucceſſionis Jure trāsmittitur. & hæc de deſcendentibus.

35 De Aſcendentium ſucceſſione major oritur difficultas in Liberis unitis. Ponatur Caſus: parentes diverſos eorum liberos vi unionis conjunxerunt, ambo contrahentes moriuntur, relictis utrimq; avis. Jam quæritur: An nepotes ficti & veri poſt mortem avorum jure repræſentationis avis ſuccedant? ſi de Juri communi reſpondere liceret; utique ſalva res eſſet, cum nullum dubium ſit, hanc ſucceſſionem indiſtinctè deferri debere, præſertim cum contrarium non inveniatur diſpoſitum. *Nov. 118.* Quo non obſtante, altera ſententia verior eſt, ex ratione, quæ ſupra fuit allata, quia ultra liberorum perſonas non extenditur, adeoqve aſcendentes excluduntur. *arg. l. 10. ff. de Adopt.*

36 quemadmodum etiam nepotes à ſucceſſione avorum fictitio-

tiorum repelluntur. Sit tamen Cautela pro paciſcentibꝰ hoc modo, ut expreſſe propoſitum caſum eo extendant, ut inſtrumento comprehendatur ſucceſſio in ſpem & hæreditatem avorum vel Lineæ aſcendentis, adhibito tamen eorum conſenſu, quo omiſſo & ipſa ſpes evaneſcit, & ſimbulum, ut inquit *Zaſ. in l. 61. ff. de V. O.* ſine hoſpite facient *L. f. Cod. de Pact.* & benè Baldus, quod non cantat inſtrumentum, nec ego cantabo. Quæ Cautela tamen pro non 17
neceſſariâ & omninò ſuperfluâ reputatur in ſucceſsione activâ aſcendentium propiorum & ipſorummet paciſcētium, qui, uti jam ſuperius monitum fuit, quamvis ordine naturæ inverſo ſuccedere videantur, nihilominus ad ſucceſsionem præmortuorum unitorum vocantur, ex vi genuinâ hujus pacti, quæ in reciprocatione conſiſtit, & cor- 18
relatione qvadam, Correlativorum autem eadem eſt natura, etiam in argumentatione affirmativè facta, & expreſſè diſpoſitum in uno, diſpoſitum qvoq; in altero non expreſſo cenſetur, quatenus diſponens idem in caſum tacitum expresſiſſet, ſi de eo vel minima ſeſe obtuliſſet cogitatio. *l. 47. ff. de Leg. 1. l. 22. & 25. ff. ad S. C. Trebell.* Eſt hic ordo ſucceſsionis, â quo non receditur, cum nihil magis naturale reputetur, quàm ut filius patri, & pater filio ſuccedat. De hiſce latius diſcurrendi occaſionem habebimus. parte 2. hujus operis.

Nunc paucis diſcutiamus ſucceſſionem Collateralem ex Unione prolium reſultantem, & primò de activa vi- 19
deamus: An ſcilicet omne lucrum hæreditarium, aut etiam donationis, vel aliunde provenientis lucri commodum uni parti unitæ poſt erectionem pacti acqviſitum, alteri quoq; parti ſive fratribus unitis communicetur, vel pro ratâ acqviratur, puta ſi qvid tàm ſagâ qvàm togâ ex liberalitate collateralis cujusdam cùm agnati, tùm cognati, vel propriâ induſtriâ puta ex negotiatione una pars conſequatur, aut aliundè proveniat? ad propoſitam qvæſtio- 20
nem

nem ſine hæſitatione reſpondendum cenſerem, hæc & ſi-
21 milia bona adventitia fratribus reliquis nullo modo communicari debere. Ratio; qvia hoc pactum ſtricti Juris eſt, & non ultra actum extenditur, cum jam non de bonis parentum (quæ verè alias veniunt) ſed de collaterali ſucceſſione ſermo ſit, quæ nullo modo unionis effectum reſpicit. Sit pro aſtructione hujus aſſertionis, Etymologia vocabuli germanici Ein Kindſchafft / id eſt unitas prolium, non Ein Brüderſchafft / id eſt unitas fratrum; conſequens ergo erit, hos ex alterâ parte unitos fratres â prætenſâ communi-
22 catione rectè repelli, & illis ſolummodò deberi, quibus vel Jure vel facto alias deberetur etiam viventibus parentibus vel alterutro mortuo; Niſi contrarium expreſſè reperiatur diſpoſitum in paciſcentium voluntate, titulum ſcilicet hunc lucrativum vel qvamcunq; favorabilem obventio-
23 nem omnibus profuturam. Nec qvidqvam remoratur, ſi in alterutra Unitorum acqvirendâ acqviſitione tantum communicatio illa exprimatur, quoniam, ut clarè deduxi, natura hujus pacti & reciprocatio ejusdem vix admittit, ut aliud ſtatuere poſſim, Primò, propter ſummam inæqvalitatem inde reſultantem, quâ unus ſemper commodum cum ſummo detrimento conjuncti, alter verò ſemper detrimentum cum perpetuo commodo primi hujus ſentiret, qvam inæqvalitatem verè leoninam contractus ſocietatis utpote jus fraternitatis qvoddam continens *l. 63. ff. pro ſoc.* non immerito deteſtatur. Secundò ex præſumptâ paciſcentium voluntate, qvæ idem operatur ac expreſſa, *Bald. in l. 1. §. Si is qui. ff. de Exercit. act. Peck. in tr. de Teſtament Conjug. Lib. 11. cap. 6.* Veriſimile namq; non eſt, parentes, maximè vero v. g. parentem & naturalem & legitimum ſuis commodum demere, aliisve ſine ullâ compenſatione donare voluiſſe, quod probandum foret, cum aſſertio contraria in facto conſiſtat. Tertiò, ſummoperè ſententi-
am

am noſtram confirmat æqviſſimum Prætoris Edictū: Quod quisq; Juris in alterum ſtatuerit, ut eo ipſo utatur.

In paſſivâ ſucceſſione Collaterali ex pacto unionis diu immorari neceſſe non erit, illatione præſertim factâ ex propoſitione modo adductâ; ſi enim vivis parentibus il- 24
lud, quod recenſitis modis unus ex unitis acqviſivit, hac reali acquiſitione reliqvos tanqvam extraneos quosdam vel remotos excluſit, qvidni etiam hi pro extraneis habebuntur poſt mortem Parentum & ipſius acqvirentis, tamdiu, qvamdiu proximiores agnati & cognati ſuperſint, qvi ſuccedant? ſit caſus: Titius & Sejus fratres conſanguinei unione prolium conjuncti ſunt, Titius decedit ſine liberis ab inteſtato, relictis fratribus germanis, qværitur de ſucceſſione? Et declaratur Fratres germanos ſuccedere excluſo fratre Sejo unito conſanguineo, deficientibus autem germanis admittetur Conſangvineus frater Sejus, non qvidem vi Unionis, ſed ex jure communi *Nov. 118. §. Conſeqvens.*

De purè extraneo unito difficultas quoque eſt, an hic 25
fratribus unitis, & econtra hi ipſi ſuccedant ab inteſtato deficientibus Fratribus germanis, vel conſangvineis aut Uterinis?

In probabilem ſententiam non absqve fundamento deſcendunt ii qui ſtatuunt excludi, & in dubio fictos hos fratres non vocari propter deficientiam cognationis, quam alias deſiderat communis ſuccedendi modus; & 26
hæc opinio vera eſt, ſi loqvaris de bonis illis aliundè qvàm ex pacto unionis provenientibus, ſecus autem dicendum foret, de reliquis pacto aſtrictis, ſicut doctè exponit *Rick. d. cap. 7. num. 39.* Quoniam conjunctione perſonarum, conjunctionem quoq; bonorum inſeparabilem, adeoque ſucceſſionem ſimilem pacto hoc unionis paciſcentes intendiſſe præſumuntur, ut & hi admitterentur.

CAPUT III.

De SUCCESSIONE EX PACTIS FAMILIARUM ILLUSTRIUM SEU CONFRATERNITATUM.

SUMMARIA.

1 Pactum de futurâ ſucceſſione quatenus admittatur?
2 Viciſſitudinarium & mutuum maximè toleratur.
3 An inter illuſtres familias etiam obtineat?
4 Pacta Gentilitia qvomodo Germanicè exprimantur?
5 Qvid in hæc pacta incurrat?
6 Differentia inter fideicommiſſum & pactum Familiæ.
7 An privata familia pacta & Statuta condere poſſit?
8 Qvomodo familia habens omnimodam Jurisdictionem id poſſit?
9 Qvid ſit conventio Jurata, der Burgfrieden?
10 Pacta ſucceſſoria in Germaniâ & Galliâ graviſſimis de cauſis tolerantur.
11 Aſſertur authoritas Gailii.
12 Hæ conventiones etiam Erbeinigung vocantur.
13 Rationes cur hæc pacta tolerari debeant?
14 Non tantum inter privatas, ſed etiam florentiſſimas Principum familias, inter fratres & conſangvineos ob inæqvales ſucceſſionis partes luctuoſa exempla proſtant.
15 Hæ conventiones ad pacem & trãqvillitatem Imperii ac defenſionem ſubditorum tendunt.
16 Status Imperii hujusmodi leges rebus ſuis imponere poſſunt.
17 Aliæ rationes.
18 Cautela ad tollendas difficultates.
19 Pactum inter fratres pro conſervatione agnationis, factâ inter ſe paternorum bonorum diviſione an valeat, ſi exiſtentibus maſculis fœminæ excludantur?
20 Exempla pactorum Gentilitiorum.
21 Circa quæ ineantur pacta Gentilitia.
22 In pactis ſucceſſionis de quibus præcipuè agatur?
23 Conſervatio familiæ in conſervatione agnationis conſiſtit.
24 Pacta dubia qvomodo interpretanda ſint?
25 Pactum inter fratres initum nullâ factâ mentione nepotum & ulterio-

teriorum deſcendentium cum clauſulâ pro ſe & hæredibus ſuis ratum habituros, an ſit reale?

26 *Qvomodo favor illius extendendus?*

27 *An pacta excludentia fœminas in favorem agnationis inducta eſſe cenſeatur?*

28 *Dos filiabus competens relinquenda in Caſu excluſionis â legitima?*

29 *An ad Implementum agere poſſint, ad id quod deeſt Legitimæ?*

30 *Quomodo fiant pacta, ſi de acquirendâ inter paciſcentes agatur hæreditate?*

31 *Pacta quæ fiunt ſuper Univerſitate bonorum in illuſtribus familiis an valeant?*

32 *Quid obtineant inter privatos?*

33 *Qvando pacta Familiarum publica & privata cenſenda ſint?*

34 *Quatenus pacta ab inferioribus confecta publica haberi debeant?*

35 *Quid Statibus Imperii in Inſt. Pac. §. Gaudeant. confirmatum ſit?*

36 *Differentia inter conventiones publicas & privatas.*

37 *Quid ſi Principes & Reſpublicas ſuperiorem non recognoſcentes conventionibus non contingat ſtare qvomodo compellendi?*

38 *Quomodo pacta Illuſtrium familiarum robur accipiant?*

39 *Scilicet per confirmationem & conſenſum Summi Principis.*

40 *Confirmatio Cæſaris neceſſaria eſt qvoad Feuda Imperii.*

41 *An Confirmationi Cæſareæ inſerantur clauſulæ ſalutares?*

42 *Inqviritur an Familia habuerit poteſtatem ejusmodi Statuta & pacta condendi?*

43 *An requiratur Conſenſus Agnatorum & ſubſcriptio eorum?*

44 *Quid operetur conſenſus liberorum, quorum parentes in erectione pacti non conſenſerunt?*

45 *Confirmationis Cæſareæ præclarum exemplum ſuper pactis inter Fridericum Daniæ Regem & ejus Patruos.*

46 *Memorabilis effectus denegatæ Confirmationis Cæſareæ ſuper pacto Philippi Palatini Septemviri & Georgii Ducis Bavariæ.*

47 *Miſer exitus controverſiæ, quam bellum cruentum terminant.*

48 *Palatinus ſupplex ad Imp. Maximilianum Comitiis Colonienſibus præſentem adducitur.*

49 *Quid Clementiâ Cæſaris victus obtinuit?*

50 *Tenor Cæſareæ confirmationis pacti ſucceſſorii Principibus Anhaldinis conceſſæ.*

51 *Cauſa finalis horum pactorum in qvo conſiſtat?*

52 *Omnis alienatio circa hæc bona probibetur.*

53 *Quid ſi inter ſe alienare velint?*

54 *Quæ actio detur ad rem alienatam conſeqvendam?*

55 *An poſſint mandata inhibitoria de non alienando S.C. in Camerâ obtineri?*

56 *Cau-*

56 Cautela contra alienationes per adjectiones clauſularum pœnalium annullantium.

57 Quid clauſulæ mutuæ hypothecationis & conſtituti poſſeſſorii importent?

58 Tenor harum clauſularum.

Quantumvis olim & ante editum Codicem Juſtinianeum pacta de viventis hæreditate pro nullis habitæ, *l. 15. Cod. de Pact. l. 5. Cod. de Pact. convent. l. 4. Cod. de Inutil. Stipul.* aut etiam de univerſali & quacunq; hæreditate cum effectu paciſci omninò permiſſum non fuerat, ut ſectione antecedēte diximus,
1 hic rigor tamen perConſtitutionem in *l. ult. Cod. de Pact.* emollitus eſt, ut hujusmodi pacta vigorem atq; effectum deinceps conſequerentur, maximè verò ſi conſenſus illius acceſſerit, de cujus ſucceſſione pactum, atq; in eodem ad ultimum vitæ ſpiritum usq; perſeveraverit, ne teſtandi fa-
2 cultas adempta videatur. Aut etiam viciſſitudinarium & mutuum inter duos pluresve initum ſit, quo alterutro ſine liberis mortuo ad ſuperſtitem bona pervenirent, qua-
3 le omninò inter privatos valere vidimus. An & quando ſimiles conventiones inter illuſtres perſonas procedant? in ſequentibus examinare, & cum Tiraquello & Franciſco Hottomanno inquirere lubet.

4 Pacta familiarum Illuſtrium hæreditaria & gentilia de mutuâ ſucceſſione Græci vocant ἀλληλοκληρονομίαν, germanicè Erbverbrüderung und Erbeinigung/ auch Erbverträg und Burgfrieden/ quibus paciſcitur, ut unâ familiâ extinctâ,
5 altera ſuccedat; huc pertinent & pacta Ganerbiorum der GanErbſchafft. de quibus ſectione ſequenti. Hiſce affinia quoq; ſunt Fideicommiſſa Familiæ vulgò Stamm-Güter/ quatenus ad conſervationem familiæ unius, & non immediatè ad ſucceſſionem alterius tendunt, & plerumq;
6 â capite familiæ conſtituuntur, atq; adeò diverſam induunt ſpeciem, legesq; ſortiuntur quasdam particulares, de quibus part. hac prima cap. I. Sect. 17. diſputatum.

An

An autem Privata familia, domus aut progenies ſimi-
les conventiones, pacta & ſtatuta condere poſſit? mirifice
inter ſe diſceptant Juris Interpretes, & adeò variare depre-
hendere licet ut *Andreas Tiraquellus*, Vir plurimæ Lectionis,
& Juriſconſultus Conſummatiſſimus quæſtionem hanc
perplexam in *Tract. de Jure Primog. Quæſt. 16.* per totam ex
profeſſo tractans, & authoritatem Doctorum tàm pro af-
firmativâ quàm negativâ adducens, nihil determinati aut
certi concludat, & hinc inde pro utrâq; fluctuans duas has
contrarias opiniones certis limitationibus admittat, atq;
diſcrepantes hoc modo conciliandas exiſtimet, ut una fa-
milia hujusmodi pacta inſtituere poſſit in iis, quæ perti-
nent ad modum experiendi ea, quæ incumbunt domi aut
familiæ, ut circa onera inter eos dividenda: In illis verò,
quæ ad cauſarum deciſionem pertinent, ſimiles conventi-
ones induci non poſſint ſine confirmatione populi, quod
ultimum membrum limitat ipſe *Tiraqv. d. l. num. 7.* in Fa-
miliis Illuſtribus & omnimodam jurisdictionem habenti- 8
bus, quibus talia pacta gentilitia & hæreditaria condendi
Jus attribuit. Itidem diſtinguit *Meichsner. Tom. 3. Deciſ.*
24. num 85. & ſeqq. & tandem concludit, familiam merum
& mixtum Imperium habentem Statuta & Leges familia-
res inducere poſſe, ſecus verò ſi fuerit domus privata, &
nullam habens Jurisdictionem in ſuo territorio, multo mi-
nus in Conventione Juratâ zu Auffrichtung deß Burgfriedens/ 9
quæ eſt pactum ad communem conſervationem, dignita-
tem, tranquillitatem, pacem atq; concordiam alicujus fa-
miliæ initum. *Meichsner. d. Deciſ. num. 25. fol. 468. & 69.*
fol. 482. Vide affirmantem *Henr. Breulæum. de Renunc. Fili-*
nrum. nobil. Caus. 4. cap. 5. fol. 176. Quæ pacta etiamſi ju- 10
ri communi adverſari videantur, graviſſimis tamen de cau-
ſis in Germaniâ & Regno Galliæ tolerantur, quemadmo-
dum claris verbis exponit *Gail. 2. obs. 127. num. 1. pacta & ſta-* 11
tuta de mutua ſucceſſione in caſu deficientium Liberorum maſcu-

lorum inter Principes Comites & Barones Imperii, adeoq; inter nobiles Germaniæ in uſu ſunt frequenti, & conſvetudine hominum memoriam excedente confirmata valent. add. *Papon. 20. arreſt. 2. §. 16.* ea communiter recepta eſſe atteſtatur *Socin. Conſ. 101. n. 1. vol. 3. Calderan.* ait *Conſ. 319. Cons 1. & Cons. 2.* olim hac in re diverſas fuiſſe opiniones, ſed hodie illas ad hanc concordiam revocatas, & ea ex rigore & æquitate Civili & naturali, & ex conſvetudine paſſim in orbe terrarum uſitatâ recepta & comprobata eſſe, adductis authoritatibus D.D., & exemplis Magnorum Principum Germaniæ,
12 & aliarum familiarum, inter qvas ejusmodi conventiones, quas fraternitatis, noſtrâ linguâ Erbeinigung appellant, initæ ſunt, *vid. Francis. Hottom. Cons. I. vers. quæſitum ad ſecundam objectionem. Sichard. Cons. Feud. I.*

13 Cur verò hæc pacta gentilitia tolerari debeant, rationes â *Gail. d. obs. 127.* adducuntur. Prima, quod in Principalibus & Illuſtribus perſonis omnis ſiniſtra opinio aut ſuſpicio captandæ mortis alienæ ceſſet, quæ quidem ratio quantumvis Germaniæ Principibus propter innatam ſinceritatem propria dici poſſit, non deſunt tamen indicia contraria, quæ per univerſam Europam ſeſe extendunt, & particularem hanc exceptionem evertunt, dum fortè apud exteras nationes ceſſare poſſit, & conſequenter explodenda veniat, non enim inter privatos tantum triſtem hunc eventum quis animadvertet, ſed & in Regibus & Principibus talia luctuoſa exempla per nefarios, vel ambitionis, vel avaritiæ ſtimulis agitatos executioni mandata
14 fuiſſe quivis hiſtoriæ gnarus novit, potiſſimum inter fratres & conſangvineos ob inæquales ſucceſſionis partes, quarum intuitu Parricidia, Fratricidia & alia deteſtanda facinora promanarunt, & non tantum in Italia, ſed & in Germaniâ horrendæ tragædiæ inter florentiſſimas familias tanquam in theatro ſuperioribus ævis & hoc ipſo exhibi-

hibitæ ſunt, quæ oblivioni tradere ſatius erit, quàm hiſce ſcriptis parum circumſpectè patefacere.

Secunda Gailii ratio eſt: quod hujusmodi pacta & ſtatuta gentilitia, quæ vulgo Erbeinigung vocantur, favorabilia ſint; quia ad pacem & tranquillitatem Imperii, defenſi- 15
onem ſubditorum tendunt: quorum intereſt, ne alienis & ignotis dominis ſubjiciantur. Tertia ratio: quod, cum Status Imperii omnimodam habeant jurisdictionem, 16
ideo tàm publico, quàm privato familiarum ſuarum bono, hujusmodi Leges rebus ſuis imponere poſſint.

Quarta: quod pactum de ſuccedendo jure ſpeciali inter milites conſiſtat *l. Licet. Cod. de Pact.* quorum Privile- 17
giis Principes gaudere dicit. Addi poſſunt & illæ: quod in Familiis Illuſtribus ita ſibi mutuo ſucceſſionis pacto ſubſtitutis, exiſtentibus pluribus utrimq; agnatis, improbabile & deteſtandum votum captandæ mortis alterius, ſive voluntatem ſive poteſtatem ſpectes, non tàm facilè præſumendum ſit, ut in ſingulis perſonis. Deinde quod teſtandi facultas per ſimilia pacta non auferatur ſingulis earum familiarum membris, ſed tantum ultimo, cui, cum hæc pacta plerumq; de immobilibus & corporibus univerſalibus ineantur, veluti Ducatibus, Comitatibus, Baronatibus & his ſimilibus, de iis rebus teſtandi facultas adempta non cenſetur, quæ extra hanc Univerſitatem poſitæ, non propropriè ad familiam, ſed ad ipſum ultimum extinctæ familiæ membrum jure proprio pertinuerunt. Plures rationes videantur apud *Zaſ. Cons. 1. n. 11. & 12. & ſeqq. vol. 2. Soc. Cons. 143. n. 34. cum ſeq. Vol. 1.* Cautelam addit *Gailius* 18
2. obs. 127. num. 9. inf. ad tollendas omnes difficultates, hujusmodi pacta mutuæ ſucceſſionis fieri poſſe per ſtipulationem in vim donationis, & non ſimplicis promiſſionis de ſuccedendo, quo caſu etiam inter privatos valere dicit, multoq; magis inter ſplendidiores, & etiam ut vocant Patritiorum in Civitatibus, familias, quæ quantumvis mero

 aut

aut mixto Imperio, ut vult Meichſnerus, careant, ſingulari tamen favore & ſplendore, quem conſervarunt, merito prodeſſe debent, etiam absq; allegatâ Gailii cautelâ.

19 Hinc ſequitur pactum inter fratres pro Conſervatione agnationis, facta inter ſe bonorum paternorum diviſione, ut in iis exiſtentibus maſculis fœminæ excludantur, & neq; ab inteſtato neq; ex teſtamento ſuccedant, validum eſſe; multoq; magis ſi conventio iſta ſuper quibusdam rebus poſt mortem relinquendis, & non ſuper univerſâ hæreditate conficiatur, cum ſuperſit liberum teſtandi arbitrium in reſiduo, quam deciſionem Evangelicam eſſe teſtatur *Jaſon in l. Stipulatio. n. 16. d. V. O.* ſi enim ſuper univerſitate pactum fuerit, & omnibus bonis, improbat *Gail. d. obſer. num. 7.* etiamſi juratum eſſet, & forent geſchworne Brüder/ puta inter privatos. De pactis univerſalibus Familiarum Illuſtrium, & quid ex iisdem reliquis alimenti aut Appanagii loco debeatur? paulo poſt videbimus. Exem-
20 plo pactorum Gentilitiorum & Confraternitatum notabilia extant: ut confraternitas & ſucceſſio conventionalis Ducum Saxoniæ & Landgraviorum Haſſiæ, item Ducum Saxoniæ & Marchionum Brandenburgenſium, ſalvo tamen Ducatu Pomeraniæ, nec non Comitum Hennebergenſium & Ducum Saxoniæ Lineæ Coburgenſis. Sic Auſtriæ & Bohemiæ, item Auſtriæ & Hungariæ pacta hodie ſunt hæreditaria.

21 Ad prædicta ſciendum eſt, pacta gentilitia fieri vel circa ſucceſſiones, vel circa adminiſtrationem vel alienationem: In pactis ſucceſſionis, ſecundum *Graſſ. in §. Succeſſio*
22 *ab inteſtato. Quæſt. 9.* vel agitur de conſervandâ hæreditate, vel de eâ omittendâ, aut de non ſuccedendo, aut denique de hæreditate vel ſucceſſione acquirendâ per eum,
23 qui de Jure non ſuccedit. Si igitur ſermo ſit de conſervandâ hæreditate, & tuendis bonis Illuſtris cujusdam Familiæ in antiquo ſplendore atq; potentiâ, certè illa conſerva-

vatio in alio conſiſtere non poteſt, niſi in Agnatione, facta bonorum diviſione ut excludantur fœminæ, ne ſuccedant, aut ex teſtamento vel ab inteſtato. Quæ pacta, ſi dubia vi- 24
deri poſſent, verba, mentem, intentionem & affectionem in hujusmodi Statutis & pactis familiaribus ſcrutanda, & ſecundùm ea interpretationem faciendam eſſe putarem, ita, ut ſi ex illis colligi poſſit, eos non ſolo agnationis favore, vel ſaltem quorundam agnatorum intuitu hoc modo ſtatuiſſe, extenſio & reſtrictio Legis aut Pacti ex mente & animo illorum facienda ſit: quemadmodum ex Caſu facilius patere poterit; *dum fratres pactum ineunt nullâ nepotum* 25
& ulteriorum deſcendentium factâ mentione, ſed hac ſaltem adjectâ Clauſulâ: Se pro ſe & hæredibus ſuis conventionem ratam habituros. Hoc pactum profectò reale potius quis dixerit, quam perſonale, atq; adeò ad hæredes tranſitorium, & per modum ultimæ Voluntatis magis, quàm in modum contractus conceptum videtur, nec non etiam filius conſideratur ratione agnationis aut familiæ, cujus diſpoſitione & nepotes comprehenduntur. Si itaq; à teſtatore, & alio erigente pactum conſiderata fuerit agnationis diſpoſitio, illa non tantùm ad primi gradus liberos, ſed ad alios etiam extendetur: *Anton: Gabr. Comm. Concl. lib. 6. de verb. ſignif. Con: 1. num: 37. & ſeq. pag. 504.*

Huc appoſitè revocatur ſecunda ſupra allegata ra- 29
tio Gailii pro ſtabiliendo pacto familiæ: quod conventio hæc, uti & alia pacta gentilitia ad conſervationem agnationis & proſapiæ defenſionemq; ſubditorum, quorum intereſt, ne alienis & ignotis dominis ſubjiciantur, tendentia, favorabilia ſint, & ideo agnationis favore, quamdiu illa ſupereſſet, extendenda videantur, potiſſimum quod majores ſolennitates adhibeantur, quàm ad diſpoſitionem ad primum gradum liberorum reſtringendam de Jure requirun- 27
tur; Et hæc pacta quoq; excludentia fœminas ratione conſervandæ agnationis inducta cenſeantur. *Gabr. de Statut.*

Concl. 6. pr. nec non á paciſcentibus ea ratio ita conſiderata videatur, ut ex illâ arguere liceat ac ſi expreſſa eſſet *Jaſ. in Conſ. 205. pr. Socin. Jun. Conſ. 23. num. 22.* Relictâ ta-
28 men filiabus, quas quis ſuperſtites reliquiſſet, competente dote: ut alimenta neceſſaria habeant, maximè vero ſi Statutum ex rationabili cauſâ, favore ſcilicet agnationis tollat Legitimam, quale eſt Statutum hoc excludens fœminas â ſucceſſione Parentum maſculis extantibus *Gail. 2.*
29 *obs. 122. num. 12.* In effectu tamen Statuto Legitima non adimitur, licet minus Legitimâ accipiant, neq; ad ſupplementum agere poſſint *Dec. Conſ. 105. num. 7.* alias Statutum ſive conſvetudo illa adimens Legitimam, nec in alio, quod vicem ejus habeat, compenſationem faciens, contra omnem rationem, omnemq; Legem tàm naturalem quàm Divinam, Canonicam & Civilem foret. *Gail. d. obs. num. 13.* De Excluſione fœminarum in feudis, & an illæ ſemel excluſæ, perpetuò cenſeantur excluſæ? in feudali ſucceſſione infra videbimus.

30 Quod ſi agatur de acquirendâ hæreditate inter agnatos vel diverſas familias, illa pacta vel fient in certis rebus & bonis, ut ſcilicet uno ſine Liberis mortuo ſuperſtes illa conſequatur, quibusdam relictis, de quibus teſtari poteſt: vel fiunt in Univerſitate: primo caſu, ut diximus, ſimilia pacta valent. *Ant. Gabri. Concl. Comm. Lib. 3. Tit. de Pact. Concl. 1. num. 1. & 3. Graſſ. §. Succeſſio. Quæſt. 9. num. 10.* Quia non auferunt liberam teſtandi facultatem, nec inducunt votum captandæ mortis. Quanquam non defuerint magni nominis Juriſconſulti, qui hujuſmodi pacta â perſonis omni Jurisdictione carentibus inita, aut niſi verba conventionis in perſonam hæredis concepta fuerint, minimè valere putaverint; quandoquidem tunc non diceretur pactum futuræ ſucceſſionis, ſed promiſſio poſt mortem. Hac tamen non obſtante opinione, authoritatibus etiam gravibus contrarium verius eſſe ſatis atteſtatur

Socin.

Socin. Conſ. 101. num. 1. vol. 3. & gentium omnium uſu receptum.

Quæ autem fiunt in univerſitate ſive omnibus bonis æq; in Familiis Illuſtribus valent, idq; vigore Juris Primogeniture, qvod in Regnis & Provinciis admitti diximus, hoc Cap. 3. Sect. 2. ubi de conſervatione familiarum per primogenitum egimus. Non ita ſimpliciter tamen inter privatos procedunt, maximè verò eos, qui extranei, & nullo ſanguinis vel matrimonii vinculo inter ſe devincti ſunt, adeò ut ne quidem à Statuto vel Conſvetudine robur accipiant: ſecus verò in pacto reciproco inter fratres, agnatos, & alios hujusmodi neceſſitudinis Lege aliquâ invicem aſtrictos, quia illud valet & ex generali Germaniæ conſvetudine ſervandum eſt. *Tiraq. de Jure Primog. Quæſt. 6. num. 31. Mynſing. Cent. 2. obs. 33. num. 10. Gail. obſer. 127. pr.* Quando autem pacta hæc ſucceſſoria publica, & quando privata cenſeri debeant, ex eo colligitur. Et publica quidem: quando conventiones reſpectu publicæ utilitatis à Supremis Magiſtratibus initæ ſunt, vel iis, qui eam poteſtatem acceperunt, *L. 5. ff. de Pact. & ibi Gloſſ.* qualia pacta ſunt pacis fœdera, induciæ, item pacta amicitiæ & ſocietatis, æqualia vel inæqualia contra communes hoſtes ad mutuam defenſionem ſancita, præcipuè ſi hujusmodi pacta ſucceſſoria vel alia ad communem Reipublicæ Statũ ſpectantia à Principibus ſuperiorem non recognoſcentibus confecta eſſe dicantur. Sed quid ſi ab inferioribus vel intermediis, nihilominus tamẽ reſpectu Statuum illis ſubjectorum ineãtur? Certè intuitu Domini Superioris aut Imperii publica cenſenda non ſunt, niſi ratione publicæ utilitatis ſancita ſint, & in ejus emolumentum redundent. Cujus generis ea ſunt, quæ à Statibus Romani Imperii conficiuntur, quemadmodum iis nuper in *Inſtrumento Pac. Monaſt.* §. *Gaudeant.* ſatis proviſum, vigore cujus fœdera pangere, ſocietatesq; inire licet ad mutuam defenſionem

Margin numbers: 31 (Quæ autem), 32 (Non ita), 33 (Quando autem), 34 (Sed quid), 35 (ſatis proviſum)

nem Provinciarum atq; Urbium Imperio ſubjectarum, vel publicorum Jurium conſervationem. Publica etiam dici poſſunt ſi pro talibus â SupremoDomino habeantur & confirmata fuerint. Ex quibus facilè differentia inter con-
36 ventiones publicas & privatas elici poteſt: quod ſcilicet publicæ vim Legis obtineant, privatæ non item, etiamſi â publicis perſonis celebratæ ſint. Quas porro Cautelas tranſigentes in pactis publicis obſervare debeant, in ſuc-
37 ceſſione Illuſtri bono cum Deo aliquando videbimus. Illud ſaltem hic annectere lubet, ſi pacta publica inter Principes & Reſpubl. ſuperiorem non recognoſcentes non ſervari contingat, Arbitri, qui plerumq; in ſimilibus conventionibus nominari ſolent, ſumendi erunt, qui additâ ſuperioris nominatione, qui votis inter illos æqualibus exiſtentibus, interceſſione ſuâ rem controverſam decidant, Jus dicere ſolent. Quod ſi verò hæc interceſſio inanem ſortiatur effectum, & in vanum concordia per Arbitros tentata fuerit, ad arma neceſſariò devenietur, ita ut vel Arbitri ſuis viribus & potentiâ, vel ipſæ partes Jus ſuum contra perfidos pactorum initorum contemptores exequi debeant & poſſint, donec iterum in ordinem redigantur. *vid. Bod. in Lib. de Republ. cap. 8. Hotom. Q. Illuſt. Q. 7.*

38 Ut ad priora me rurſus convertam, neceſſariò monendum reor, ad hoc, ut ejusmodi pactiones plenum robur conſequantur, conſenſum & Confirmationem Summi
39 Principis id eſt Imperatoris requiri, Cæſaris enim authoritate & abſoluta poteſtate ſuffulta malorum morum reprehenſione carent, & affectatæ mortis votum tollitur, adeoq; plenitudinis arbitrio effici poteſt, ut paciſcentes fratrum loco habeantur, licet pacto aut Statuto verè naturales fratres fieri nequeant: cum Jura ſanguinis ſint immutabilia
40 *Gail. 2. obs. 127. num. 5.* ubi apppoſitè addit, talem confirmationem omninò neceſſariam eſſe quoad feuda Imperii, ut cauſa cognitâ, perſpicuum fiat, an ſimilia pacta & Statuta

tuta Imperio ſint futura nocumento, quibus inſeruntur clauſulæ ſalutares & conſvetæ, videlicet ſalvo Jure Imperii 41
& cujuscunque; Dem Heil. Reich und männiglich an ſeinen Rechten ohnnachtheilig. *Mynſing.* ulterius procedit & dicit, *Cons. 10. num. 89.* eum, quiStatutum allegat uſu & conſvetudine receptum, ejusq; confirmationem à Superiore factam non probet, cauſâ cadere debere: Et inquiritur, ob Gebrüdere oder Geſchlecht in ihren Fürſtenthumen / Gebieten und Herrſchafften unter ſich ſonderliche Geding der Erbfolg 42
oder ſucceſſion haben machen können? Nam niſi confirmatio Cæſaris acceſſerit, nullius erit momenti. Addatur & conſenſus Agnatorum, ut ſcilicet à viventibus adhuc agnatis, quorum intereſt, eorum ſubſcriptionibus & ſigillis, 43
hæc pacta ſucceſſoria roborentur, ne iis defunctis fruſtra adhibeant conſenſum, & *ut Bald. ait in L. Cum ſcientia. Cod.* 44
Quando provoc. non eſt neceſſe. ſi ex poſtfacto conſentiant hujusmodi diſpoſitioni eorum liberi, conſenſus ille pro nihilo babeatur, eoquod non babeat materiam ſuper quâ fundari poſſit. poterunt quidem novam omninò inire transactionem, ſe referentem ad priorem conventionem, ſednovus actus erit & reiteratus labor, qui iisdem ſolennitatibus, quibus prior ſtabiliri debet, præſertim ad hoc ut tertio opponi poſſit.

Confirmationis hujus Cæſareæ monumentum deſcribit *Thuan. Libr. Hiſtor. 15. pag. 626.* in pactis inter Fridericum Daniæ Regem ejusq; patruos Joannem & Adolphum de occupandâ & dividendâ inter ſe in tres æquales univerſâ Diethmarſiâ initis, & à Ferdinando Imperatore Anno ſexageſimo ſuperioris ſæculi confirmatis. Quantum roboris Cæſarea Confirmatio habuerit, vel unum Exemplum, in Sereniſſimâ Electorum Palatinorum domo, & Bavarica Familia Ducali ſufficere poſſet, quod ex Chronic. Carion. *Lib. 5.* accepimus, de quo *Betſius de Pact. Famil. Illuſtr. pag. mihi. 697.* ita ſcribit: *Philippus Palatinus* 45 46

ſeptem-vir filio ſuo Ruperto nuptias conciliarat filiæ Georgii divitis Bavariæ Ducis, qui vi pactorum dotalium inter utramque familiam initorum, Ruperto Genero præter auri argentiq; vim omnem & ſuppellectilem planè Regiam, legavit vel teſtamento reliquit eam Bavaricæ partem, quam hæreditario vel ſucceſſionis Jure tenebat. Hoc teſtamentum ut Maximilianus primus Imperator ratum haberet, ſuoq; Diplomate confirmaret, inſtabant Georgius Bavariæ Dux, & Elector Palatinus Philippus, Alberto Bavariæ Duce è contrario id in fraudem ſuam contra Imperii Leges & Feudorum Jura conditum aſſerente, ideoq; ejus confirmationem apud Imperatorem humiliter deprecante: Cujus ſupplicationi cum annueret Cæſar, teſtator ad Pontificem confugit, qui Diplomate ſuo teſtamentum approbavit. Poſt mortem teſtatoris cum Gener teſtamēto Soceri ſibi relictam hæreditatem adiiſſet, Imperator controverſiæ Judex Legitimus quamvis & hæres ſcriptus, & ejus Conjux ex Bavaricâ Stirpe deſcenderent, & hæc quidem patris de Jure communi indubitata heres exiſteret, neq; de Imperii detrimento ageretur utpote cui omnia jura ſalva & illibata conſervarentur, imò etiam ad Familiæ Bavaricæ ſplendorem, hujusmodi Provinciarum conjunctio pertineret, tamen reſciſſo teſtamento, inter litigantes has conditiones tulit, ut hæreditatis vel Bavarici Ducatus controverſa pars in tres trientes divideretur, quorum unus Palatinæ domui ratione dotis attribueretur, alter eidem cederet in compenſationem eorum, quibus illa ſe â Ludovico Bavaro defraudatam & ſpoliatam fuiſſe, ſæpius conqueſta fuerat; tertius rediret ad Albertum Feudalem ſucceſſorem. Philippo autem has conditiones recuſante, & integram Georgii ditionem armis occupare annitente, Maximilianus Legitimè monitum, & in contumaciâ perſeverantem tanquam Imperii hoſtem publico proſcriptionis fulmine perculit. Hinc bellum exortum eſt Palatinæ Familiæ detrimentoſum, totique
47 *Imperio multis præſtantibus viris vel veneno necatis, inter quos fuere Rupertus Princeps & ejus Conjux, vel in acie trucidatis aut extremo ſupplicio affectis, funeſtum, in quo ſemel totis viribus*

bus per aliquot horas morte dubia certatum eſt, Ruperto Bohemicis auxiliis adjuto pertinaciſſimè pugnam urgente, aciemq; ſicubi labaret, fortiter reſtaurante, ſed tandem ſuis ad exiguum numerum redactis (nam ex Bohemicis ſolis ceciderunt circiter bis mille) victoriam hoſti concedere coacto. Belli autem hujus hæc fuit cataſtrophe, ut poſt tot clades, funera & calamitates Fridericus Saxoniæ Elector, qui ſtrenuam Maximiliano in eo bello navaverat operam, neceſſitudinis, quâ ſibi Electores invicem devincti ſunt, & vetuſtiſſimæ conſanguinitatis memor, nobiliſſimæq; familiæ, ac tot populorum Principum culpâ extremè afflictorum miſertus, ſe medium interponeret, & negotio ad pacificationem ſuâ interceſſione deducto ad leniendam & placandam Maximiliani iram, Electorem Palatinum ſupplicem ad Maximilianum in Comitiis Co- 48
lonienſibus adduceret, qui hac ratione veniam commiſſorum à clementiſſimo Imperatore obtinuit. Sed etiam tanta fuit in victoriâ Benigniſſimi Cæſaris Moderatio & Clementia, ut victi nepoti- 49
bus, Ruperti jam defuncti filiis, partem controverſæ Regionis attribueret, eam nempe, quæ intra Danubium & Nabum ſupra Ratiſbonam limites veteres Palatinæ ditionis attingit, & in quâ Palatini adhunc usq; diem rerum adhuc potiuntur. Ita Philippus Elector, quod neq; teſtamento non ritè condito, neq; Pontificis favore injuſtè emendicato, neq; armis infeliciter in cauſâ non ſatis juſtâ contra Legitimum Magiſtratum motis obtinere potuit, aliquâ ex parte Victoris benignitate omnibus ſæculis prædicandâ conſecutus eſt. Albertus verò legitimi Magiſtratus auxilio id obtinuit, quod Agnati potentiâ ſuâ freti ei injuſtè eripere conabantur, Illuſtri Exemplo, authoritatem Magiſtratus etiam à Potentiſſimis Imperii Ordinibus non eſſe violandam aut contemnendam, & ſine ejus interventione & approbatione non eſſe rata, quæ illi ſat quovis prætextu conſervandæ & amplificandæ Familiæ in aliorum injuriam & detrimentum moliuntur. Tenor confirmationis Cæſareæ Pacti Succeſſoris præclare videri poteſt in Confirmatione Leopoldinâ Principibus Anhaltinis conceſſa die 23. Septembris Anno 1666.

Wir Leopold von Gottes Gna-
den/ Erwöhlter Römiſcher Kayſer zu allen
50 Zeiten Mehrer deß Reichs / in Germanien/ zu
Hungarn/ Böheimb / Dalmatien / Croatien und
Sclavonien ꝛc. König/ Ertz-Hertzog zu Oeſterreich/ Her-
zog zu Burgund/ zu Braband/ zu Steyer / zu Kärnden/
zu Crain / zu Lützemburg/ zu Würtemberg/ Ober- und
Nieder-Schleſien / Fürſt zu Schwaben / Marggraff
deß Heyl. Römiſchen Reichs zu Burgau/ zu Mähren / O-
ber- und Nieder Laußnitz / Gefürſter Graff zu Hab-
ſpurg/ zu Tyrol/ zu Pfierd/ zu Kyburg und zu Görtz /
Landgraff in Elſaß / Herr auff der Windiſchen Marck /
zu Portenau und zu Salins.

BEkennen öffentlich mit dieſem Brieff / und thun kund allermänniglich / daß uns die Hochgeborne Friderich / Johann / Lebrecht / Johann Georg / Emanuel und Victor Amandus Gebrüder und Vetter alle Fürſten zu Anhalt / Graffen zu Aſcanin / und Herrn zu Bergburg / unſere liebe Oheimb / und Fürſten / gehorſamſt für- und angebracht / was maſſen der auch Hochgebohrne Willhelm Ludwig Fürſt zu Anhalt Ihrer Lbd. Lbd. Lbd. Lbd. Lbd. Lbd. geliebter Vetter den 13. Aprilis deß verwichenen 1665. Jahrs / ohne Hinterlaſſung Fürſtlicher männlicher Leibs-Erben / diſe Welt geſegnet / und dardurch dann Sr. Lbd. ingehabtes und beſeſſenes Antheil / auff ſie eingangs benante Fürſten allerſeits eröffnet / und develvirt worden / daß ſie ſich dahero zu Verhütung aller etwa entſtehender / auch künfftigen Widrigkeiten / eines gewiſſen beedes auff dieſen und künfftige Fälle / gerichteten Pacti Succeſſorii vereinbahret und verglichen / Immaſſen Uns dann ſie ſolches Pactum in originali eingeſchicket / und von Wort zu Worten hernach geſchrieben ſtehet / und alſo lautet.

IN-

INSERATUR.

Und Uns darauff Eingangs benante Fürſten Friederichs/ Johañ/ Lebrechts/ Johann Georgs/ Emanuels/ & Victor Amandi zu Anhalt Lbd. Lbd. Lbd. Lbd. Lbd. Lbd. allerunterthänigſt angeruffen und gebeten/ daß Wir dieſes hiervor inſerirtes Pactum Succeſſorium zu mehrer deſſelben Beſtärck- und Bekräfftigung in allen und jeden ſeinen puncten/ clauſuln/ und articuln/ als Römiſcher Kayſer/ gnädigſt zu ratificiren/ zu confirmiren und zu beſtättigen geruheten. Das haben Wir angeſehen/ wahrgenom̃en und betrachtet/ ſolch obbenielter ſämtlicher Fürſten zu Anhalt Lbd. Lbd. Lbd. Lbd. Lbd. Lbd. unterthänigſte gehorſamſte Bitte/ wie auch die angenehme getreue Nutz- und erſprießliche Dienſte/ welche Unſern Hochgeehrten Vorfahren am Heyl. Reich Römiſchen Kayſern und Königen/ und Uns ſelbſten ſeiter angetrettener Unſer Kayſerlichen Regierung das Fürſtl. Hauß Anhalt in unterſchiedliche Wege offt erzeigt und erwieſen hat/ ſolches auch noch thuet/ und hinführo nicht weniger zu thun deß unterthänigſten Anerbietens iſt/ auch wohl thun/ mag und ſolle. Und darumb mit wohlbedachtem Muth/ guten Rath und rechtem Wiſſen vorbeſchriebenes Pactum Succeſſorium, zumahl daſſelbe allein zu ſämptlicher Fürſten zu Anhalt guter Verſtändnuß und Auffnehmen angeſehen und gerichtet/ in allen ſeinen Puncten/ Clauſuln/ Jnhalt: Main- und Begreiffungen/ gnädigſt ratificirt/ confirmirt und beſtättiget/ thun das ratificiren/ confirmiren und beſtättigen ſolches Pactum hiermit von Römiſcher Kayſerlicher Macht Vollkommenheit wiſſentlich in Krafft dieß Brieffs/ und mainen/ ſetzen und wollen/ daß daſſelbe alles ſeinen obgehörten geſchriebenen Jnnhalts in ewiger Zeit ſtet und unverbrüchlich gehalten und vollentzogen/ und darwieder in keinen Puncten durchauß nichts vorgenommen werden ſolle. Doch Uns/ und dem Heyl. Reich/ und männiglichen an ſeinen Rechten unvergriffen und unſchädlich.

Wird gebiethen darauff allen und ieden Chur-Fürſten / Fürſten / Geiſtlichen und Weltlichen Prælaten / Grafen/ Freyen / Herrn/ Rittern/ Knechten/ Land Vögten/ Haupt-Leuthen/ Vitzthomben / Vögten/ Pflegern/ Verweſern/ Ambt-leuten / Landrichtern/ Schuldheiſſen / Burgemeiſtern/ Richtern/ Räthen/ Bürgern/ Gemeinden/ und ſonſt allen andern Unſeren und deß Heyl. Reichs Unterthanen und Getrewen / was Würden/ Stands und Weſens die ſeynd / ernſt- und veſtiglich mit dieſem Brieff/ und wollen / daß ſie mehr berührtes Pactum Succeſſorium alles ſeines Innhalts bey Würden und Kräfften verbleiben / und obbenannte Friedrich / Johann/ Lebrecht / Johann Georg/ Emanuel und Victor Amandus Gebrüder und Vettern aller Fürſten von Anhalt Lbd. Lbd. Lbd. Lbd. Lbd. Lbd. für ſich und Ihre Fürſtl. Erben und Nachkommen / darbey geruhiglich verbleiben / deſſen nutzen und genieſſen laſſen / ſie darwider nicht beſchwehrn/ bekümmern/ hindern/ noch irren / oder daß iemand andern zu thun geſtatten/ ſondern dieſelbe vielmehr von Unſer und deß Reichs wegen darbey ſchützen und handhaben/ in keine Weiß noch Wege / als lieb einem ieden ſeye Unſer uñ deß Reichs ſchwehre Ungnad und Straff/ und darzu ein Pöen nemlich 40 Marck Löttiges Goldes halb in Unſer Kayſerl. Kammer/ und den andern halben Theil obbenannten Fürſten zu Anhalt Lbd. Lbd. Lbd. Lbd. Lbd. Lbd. oder denen jenigen / wider welchen alſo gehandelt würde / unnachläßlich zu bezahlen verfallen ſeyn ſolle. Der geben iſt in Unſerer Stadt Wien den 23. Sept. 1666.

51 Cauſa finalis horum pactorum familiæ in eo conſiſtit, ut bona in familiis conſerventur, potentia augeatur, incrementumq; perpetuum ſequatur, ut alter alteri ſuccedere
52 poſſit, itemq; ſplẽdor & dignitas familiæ cum authoritate concilietur, & conſequenter omnis alienatio prohibeatur, ſive etiam ad potentiorem, ſive alium quemvis bona transferantur; non tantum quando clauſula de non alienando expreſſe adjecta eſt, ſed etiam quando nulla omnino appo-

ſita

ſita inveniatur, cum tacite ineſſe cenſeatur; quoniam familiæ paciſcentes, altera in alterius bonis jus quæſitum habet, quod ei ſine facto ſuo auferri nequit. Et hoc intellige de extraneo, nam inter ſe alienare poſſunt, cum idem in Vaſallis & Emphyteutis locum habeat, ut nempe ſine 53
conſenſu Domini inter ſe, hoc eſt, comprehenſos eâdem inveſtiturâ, vel contractu Emphyteutico Feuda & Emphyteuſes alienare valeant, per ea, quæ prolixè tradit *Tiraq. in Tract. de Retract. Lign. ad verba: Fil eſt plus proche. num. 10. pag. 310.* Quod ſi tamen contra expreſſam vel tacitam hanc prohibitionem nihilominus in extraneum bona hiſce pactis ſubjecta, alienata fuerint, actio in rem ſcripta dabitur, 54
quia hujusmodi conventiones vim Legis obtinent, ea autem quæ contra Leges alienantur, revocari poſſunt ab illis, quorum intereſt, & mandata Inhibitoria S. C. de non 55
alienando in Camerâ Imperiali obtineri, Exempla videantur *in Symph. ſuppl. Camer. Tom. 2. pag. 256. & ſeqq.* Et quidem actione reali: Quandoquidem hujusmodi pacta & contractus inter vivos celebrati rem afficiunt, eamq; ſeqvuntur. quod etiam ſtatuit *Tiraq. de Jur. Retract. pag. 312. num. 12.* Si ſcilicet pacta in rem concepta ſint, & non in perſonas, ut nempè his vel illis alienare non liceat. Videantur dicta ſuperius ubi de Fideicommiſſo Familiæ & ejus alienatione plura diximus. Cautela hac in re conſultiſſima erit, ut paciſcentes ad Exemplum Conſtitutionis Diocletia- 56
ni & Maximiniani quæ *Tit. Cod. de Alien. Jud. mut. cauſ. fact.* habetur, *vel L. Cenſemus. 4. Cod. de Litigioſ.* in ſimilibus pactis alienationes omninò nullas declarent, adjectis Clauſulis pœnalibus annullativis & excutivis, ut ſcilicet qui alienationem fecerit, jure ſuo cadat ad exemplum illius, qui in potentiorem patrocinii cauſâ actionem transtulit, nec non agnatis liceat propriâ aut Judicis authoritate rei alienatæ poſſesſionem apprehendere, & ita ejus dominium in ſe transferre, aut ſi adverſarii potentia metuenda ſit, ab

Im-

Imperatore aut Camerâ Imperiali ſine obſervatione ullâ Judicii petatur, ut alienatio declaretur nulla, aut ſi ignoranter, & ſine dolo in ſe transtulerit, pretium refundatur: ſi verò ſcienter & doloſe in fraudem Legis: ſine pretio ea
57 Familiæ reſtituere cogatur; Ideò ad majorem cautelã addi poteſt utraq; Clauſula mutuæ hypothecationis & cõſtituti poſſeſſorii his verbis: Verſchreiben und verpfänden auch Krafft dieſes Unſers realis pacti zu mehrer Verſicherung hie-
58 mit einander Unſere innhabende Land und Leuth / ſich auff gedachten unverhofften Fall beſchehener Vereuſſerung / ſo wol an den Vereuſſerten/als noch bey Uns übrigen Gütern / per actionem hypothecariam oder per immiſſionem, ſo per viam mandati am Kayſerl. Cammergericht erlangt werden ſolle/ zu erholen haben. Similiter und ſoll auff den Fall der Vereuſſerung der alienator die vereuſſerte Güter nur Jure conſtituti & precarii dermaſſen / daß die intereſſirte nach Ihrem Wohlgefallen ſich deß einen als deß andern Mittels / oder auch beeder ſämbtlich zu Ihrem Vortheil gebrauchen und behelffen mögen/ die vereuſſerte Güter inngehabt/ und die poſſeſſion auff die andere regierende Herrn transferirt haben. Quibus clauſulis utriq; parti ſatis proſpectum eſſe reor.

SECTIO I.

De Ganerbiatu.

SUMMARIA.

1 *Peculiares Fraternitates inter Illuſtres familias.*
2 *Qualis ſit illa inter Ganerbios?*
3 *Differentia inter pacta Familiæ & Ganerbiatum.*
4 *Etymon Ganerbiorum unde ſumatur?*
5 *Definitio Ganerbiatus.*
6 *Quomodo ſumatur in Receſſibus Imperii.*
7 *Enumerantur quædam arces Ganerbiorum.*
8 *Quæ bona poſſint fieri Ganerbica?*
9 *An etiam Feudalia?*
10 *Vaſallus non mutat perſonam reſpectu domini directi ex eo quod det nomen in Ganerbiatum.*
11 *An bona Ganerbiatui ſubjecta alienari poſſint?*

12 *An*

12 *An Ganerbii conveniantur in Camerâ?*
13 *In qvem finem hæ confraternitates introductæ ſint?*
14 *Mutatio primi finis in pejorem ſtatum.*
15 *Maximiliani primi Imp. conſtitutio Pacis Publicæ.*
16 *Pœna graviſſima violatæ Pacis Publicæ.*
17 *Quæ fuerit conſtituta?*

PEculiares quoq; fraternitates erigebantur inter Famili- 1
as quasdam Illuſtres & Nobiles, in eum quidem finem,
ut ſe ſuasq; facultates contra vim & incurſiones hoſtiles &
deprædationes quascunq; defenderent, potiſſimum cum
Familia una vi majori hud ſufficere crederetur, ideoq; eti-
am in tutelam & protectionem Summorum Principum ſe-
ſe recipere melius arbitrati ſunt: Quales dicebantur Ga- 2
nerbii, inter quos fuit ſocietas quædam firma & confœde-
ratio ſui defendendi cauſa inita, certisq; adſcripta Legi-
bus, quas vocarunt den Burgfrieden. Differt tamen Pa-
ctum familiæ, à Ganerbiatu, quod illud ad unam tantum
familiam reſtringatur, & ejusdem nominis, ut natu ma-
jor rerum potiatur, eo mortuo proximior. Ganerbiatus 3
verò non ad unam, ſed diverſas familias extenditur, ita
tamen ut uno mortuo, accedat alius in eâdem Familiâ, aut
ſi non extet, vel nolit, portio deficientis accreſcat cœteris
Condominis.

Unde autem Etymon deſumendum ſit, variè inqui- 4
rit *Paul. Matth. Wehner. pract. obs. Vocab.* Ganerben *cap. 1.*
& tandem eos rectius concludere dicit, qui putant deduci
â verbis: die gemeine Erben / quaſi dicas communes hære-
des, aut Condominos, ut ſint Ganerben/quaſi gemeine Herrn/
Ganerbſchafft / quaſi gemeine Herrſchafft / dieweilen das alte
teutſche Wort Jahn/ oder Gan / für gemein gebraucht wird/
v. g. Er hat ein Jahn Schnitter / id eſt, er hat einen gantzen
Hauffen/oder gantze Gemein Schnitter. Ideo definire videtur
Knich. de Jure territ. cap. 2. num. 2. quod Ganerbiatus ſit 5
communis præſidatus & communis præfectura, ubi Juris-
dictio ad plures ſpectat. Hinc quoq; GanErbgüter rectè

dicuntur ea bona, quæ certá Lege á Condominis poſſiden-
tur, quo ſenſu in Actis & Decretis Comitiorum Imperii Gan-
6 Erbhäuſer oder Schlöſſer nominantur arces plurium Nobi-
lium Familiis communes R. Ab. zu Augſpurg de anno 1500.
Tit. Wider der Ganerben Schloß / *Ordinat. de Pac. Publ.*
Wormat. de anno 1521. Cammergerichts Ordnung *p. 2. tit.*
13. pr.

7 Harum arcium der GanErbhäuſer monumenta recen-
ſentur.

Primò, Arx Rotenbergenſis non procul diſſita Norim-
bergâ, cujus Condomini ſupra ſeptuaginta Nobiles nume-
rantur, ex quibus unus Burggravius *Webn. d. L. cap. 2.* Se-
cundò, Fridberga in Wetteraviâ, quæ itidem Burggravium
habet, & multis ab Imperatore, utpotè Immediato Domino
dotata privilegiis.

Tertiò, Arx Salisburgenſis ad Salam in Franconiâ ori-
entali.

Quartò, Creutzenachum oppidum ſitum ad Rhenū.

Quintò, Schmalkaldia. Sextò, Ganerbiatus Groningen-
ſis in Marchionatu Brandeburgico verſus Noricum. Septi-
mò eſt Ganerbiatus Elebergenſis *vid. Uberius Webner d. L.*

8 Ad pleniorem dictorum intellectum ſciendum eſt,
quod nō tantum bona propria & allodialia poſſint fieri Ga-
nerbica, dummodò Agnati nullum experiantur præjudi-
9 cium, qui quæſitum & par ſucceſſionis Jus jam habent:
ſed etiam bona feudalia, maximè verò ſi cum conſenſu a-
gnatorum conſenſus Domini feudi concurrat, qui neceſſa-
riò adhibendus eſt, ut ut etiam in favorem eorum, & fami-
liæ conſervationem tendant bona iſta ganerbica, quorum
10 intuitu quidem perſona illius non mutatur, nec deſinit eſſe
Vaſallus aut ſubditus illius domini, cujus erat antequam
in ganerbiatum daret nomen. *Webn. d. Vocab.* Ganerben.
cap IV. ubi rationem addit: quia pacta inter me & te
compoſita non debent alicui nocere, cum res ſint inter
ali-

alios actæ, quibus etiam ex poſtfacto renunciari poteſt, ſi-
cuti in quacunq; ſocietate plerumq; fieri ſolet §. *Manet*
Inſt. de Societ. ſi non amplius in confraternitate permanere
libuerit. Quod ſi tamen quis bona Ganerbiatui ſubjecta 11
alienare intenderit, neceſſariò Ganerbiorum conſenſum
implorare debebit, quoniam alias alienatio nulla erit, & ju-
re retractus conventionalis experiri poterunt, potiſſi-
mum, quando, antequam venderentur, oblata non fue-
rint. Videri debebunt pacta ſive Statuta locorum, in qui-
bus de hiſce plerumq; diſpoſitum eſt. Hic omittendum 12
non eſt Ganerbios in Camerâ Imperiali conveniri, & decer-
ni ibidem proceſſus ex continentiâ cauſæ, quamvis etiam
diverſis territoriis & diverſis Principibus ſubeſſe dican-
tur.

De cœtero hæ confraternitates, uti dictum, in defen- 13
ſionem mutuam contra hoſtiles invaſiones initæ, quæ illis
temporibus in Imperio Romano frequentes erant, & Ch-
rodicæ prævalebant, potiorq; vis Jure initium laudabile 14
habuere, quod tamen progreſſu temporis in pejus tan-
dem exiit, ut ex iſtis arcibus, quæ majoris vis propulſandæ
cauſâ contra iniquos invaſores & turbatores publicæ
tranquillitatis exſtructæ fuerant, tandem receptaculo ma-
leficorum devenerint, & Ganerbii freti immunitatibus ſu-
is, non ſolum in defenſionem ſui incubuerint, ſed etiam a-
lios per vim invadere & opprimere cœperint, & tantâ qui-
dam audaciâ ut Imperator Maximilianus I. in Comitiis 15
Auguſtanis Anno 1500. Pacem Publicam ſancire debuerit,
ne amplius quisquam banno Imperiali perculſus ab iis-
dem ullo modo reciperetur, ſub pœnâ graviſſimâ violatæ
Pacis Publicæ, qvæ quadruplex in Comitiis Wormatienſi- 16
bus Anno 1495. conſtituta eſt, & renovata ibidem An 1521. 17
Item Auguſtæ Anno 1541. Deniq; etiam inſerta Ordi-
nationi Cameræ Anno 1555. *p. 2. tit. 13.*

Sectio II.

De Succeſſione ex Jure Primogenituræ.

SUMMARIA.

1 *Primogenitura inter pacta Illuſtrium Familiarum numeratur.*
2 *Ad quem finem introducatur?*
3 *An rectius Principatus adminiſtrentur per unum quàm per plures?*
4 *Ad conſervandum Familiæ ſtatum aliquando ſorti & arbitrio Virginis matrimonium & ſucceſſionem permiſerunt, ad hoc ut unus ſuccederet.*
5 *Memorabile Exemplum Landgraviorum Haſſiæ.*
6 *Quid ſit primogenitura?*
7 *Origo illius.*
8 *Monumenta illius in Sacrâ Scripturâ.*
9 *Natura primogenii.*
10 *Quomodo dividatur?*
11 *Jus Primogenituræ Divinum quod ſit?*
12 *Naturale quod ſit?*
13 *Contigit nonnunquam Regnorum diviſio.*
14 *Exemplum proſtat inter Filios Caroli Magni.*
15 *Aliqvando à pluribus Regna indiviſo poſſeſſa fuêre.*
16 *Jus Primogenituræ poſitivum quod ſit?*
17 *An ſit de Juſtitia Univerſam hæreditatem uni, excluſis reliqvis, tribuere?*
18 *Alimenta reliqvis debentur.*
19 *An poſſit in præjudicium Succeſſorum mutari Jus primogenii?*
20 *Admiſſo ſemel primogenito omnes ex eo deſcendentes admiſſi cenſentur.*
21 *An excluſo ob cauſam patre à Primogenio filius ejus quoq; excludatur?*
22 *An Conſenſus Domini in pacto Primogenituræ intervenire debeat?*
23 *An diviſione feudi inveſtitura mutetur & conſequatur naturam Primogenii?*
24 *An ultra definitam quantitatem alimentorum Primogenitus diſtribuere poſſit?*
25 *An fratribus aliunde alimenta habentibus Primogenitus nihilominus teneatur ea conferre?*
26 *Ex reditibus ſi fieri poſſit alimenta decernenda erunt.*
27 *Conſvetudinem Primogenituræ, & excluſiones fœminarum ut irrationabiles quidam impugnant.*
28 *Refutantur.*
29 *Caroli IV. Imp. Confirmatio Primogenituræ in Electoratibus Sæcularibus per Auream Bullam.*

30 *Sva-*

30 *Svadetur Electorum Clementia adverſus reliquos fratres & ſorores.*

31 *Dicta de bonis non intelligenda ſunt, quæ titulo Electoratus non poſſidentur.*

32 *An pacta Juris Primogenituræ confirmatione Ceſareâ opus habeant?*

33 *Rationes pro Negativa.*

34 *Affirmativa verior eſt.*

35 *An conſultius ſit hanc confirmationem in Comitiis Imperialibus obtinere?*

36 *Rationes cur confirmatio Cæſarea neceſſaria ſit?*

37 *Præclarum Exemplum Primogenituræ in Sereniſſimâ Archiducali Familiâ Auſtriacâ.*

38 *Confirmatio Cæſarea ſuper pacto Primogenituræ in Sereniſſima Domo Brunſvvicenſi.*

39 *Memoratur hiſtoria hujus pacti initi.*

40 *Pactum Primogenii in Ducatibus Cliviæ Montium â Carolo V. & ejus Succeſſoribus confirmatum.*

41 *Cur hoc pactum Maximilianus primus confirmaverit, affert idem Imperator?*

42 *Tenor Confirmationis Juris Primogenituræ â Rudolpho II. Imperat. Ducibus Holſatiæ conceſſæ.*

43 *Quod renovarunt Ferdinandus III. & Auguſtiſſimus Leopoldus Impp.*

44 *An etiam in familiâ privatâ Jus hoc introduci poſſit?*

45 *Quid ſi inveteratâ conſvetudine illo gaviſa fuerit?*

46 *Effectus Juris Primogenituræ.*

47 *Admiſſo ſemel Primogenito omnes ejus deſcendentes admiſſi cenſentur, donec linea ſuperſit.*

48 *Qvomodo Primogenitus Juri ſuo renunciare poſſit?*

49 *An valeat renunciatio in favorem Agnatorum remotiorum?*

50 *Quid Juris, ſi Primogenitus præmortuus ante patrem renunciaverit Primogenituræ, an filii ejus removendi erunt?*

51 *Quid dicendum, ſi Primogenitus abſtinuerit, an reliqui liberi omnes & ſimul vocabuntur?*

52 *An Legitimatus per ſubſequens matrimonium præferri debeat alteri ex intermedio matrimonio procreato?*

53 *Hic Legitimatus præfertur fœminæ ex intermedio matrimonio.*

54 *An natus ante Regnum quæſitum potior ſit eo, qui poſt illud natus eſt?*

55 *Quid Juris ſi gemelli naſcantur, uter præferri debebit?*

56 *Diverſæ de hac qvæſtione opiniones.*

57 *An bona Primogenituræ ſubjecta alienari poſſint?*

58 *An in hiſce Trebellianica detrahatur?*

59 *Num in iis hæredes inſtituti poſſint?*

60 *Si Alienatio expreſſe probibita non*

non ſit, an tunc Primogenitus poteſtatem habeat, aliquid ex bonis alienandi?

61 *Qvid ſi conſvetudine Jus Primogenituræ introductum ſit, an & tunc alienatio adempta cenſeatur?*

62 *An Juri Primogenituræ præſcribi poſſit?*

63 *An omnes perſonæ ad acquiſitionem Juris Primogenituræ habiles ſint?*

64 *Diſtinctiones curioſæ de demente Primogenito.*

65 *An tutius ſit in Regnis, quæ Jure agnationis deferuntur, admittere ſecundo genitum, quàm furioſo Primogenito adjungere Curatorem?*

66 *An qvis per ingreſſum Religionis & factam profeſſionem reddatur inhabilis ad Primogenituram?*

67 *Qvid Juris ſi Monaſterium alleget capacitatem ad hoc ut capiat fructus?*

68 *Si ultimus ex Familiâ Regnans moriatur, & ſuperſit profeſſus in Religione, an expediet hunc ad ſucceſſionem admittere poſtulante id bono publico, diſpenſando cum illo?*

69 *An Exhæredatus ſit capax Primogenituræ?*

70 *An Pater minorem natu magis idoneum majori natu præferre poſſit?*

71 *Exempla duo memorantur notanda de Ladislao Hungariæ Rege, & Joanne Galeacio primo Mediolanenſium Duce.*

72 *An Statutum præferens Primogenitum, comprehendat filiam primogenitam?*

73 *Exemplum præclarum allegatur de Comite Hannoviæ.*

1 INter pacta Illuſtrium Familiarum eleganter numerantur
conventiones, per quas prioritas nativitatis pluribus
dotatur privilegiis, in quibus de ſplendore Familiarum Regiarum, aut Principalium, vel aliarum Illuſtrium Domo-
2 rum retinendo, ejusq; incremento ubiq; promovendo
præcipuè agitur, ad hoc ut in unum Jura totius domus conferantur, per quem deinceps poſteritas in perpetuo flore conſiſtere poſſit, ne in detrimentum Imperii Familiæ
3 diminuantur & deſtruantur *Gloſſ. in cap. Licet. X. de Voto.* aut quia etiam per unum rectius adminiſtretur, quam per plures: inde *Homerus*

Multos imperitare malum, Rex unicus eſto.

Non enim tam magnum dicit *Gail. 2. obs. 151. n. 4.* quod

quod diviſione parvum non fiat *ex Bald. in Auth. Hoc amplius. Cod. de Fideicom. num.* 8. ubi dicit expedire multitudini regi ab uno, nec bonam eſſe pluralitatem Principum: Regnum eſſe quid perfectum, perfectum verò nihil niſi unum: unde infert *Baldus* omne indiviſibile perfectum eſſe, quia perfectum diminui non poſſit. Lege quoq; Evangelicâ diviſio abominatur, *omne Regnum in ſe diviſum deſolabitur.* Et juxta Ariſtotelem *Entia dividi nolunt*, unumqve Regnum ex ſententia Ciceronis duorum non eſt capax. Hinc meritò apud unum ex Familiâ præſertim ſeniorem ſumma rei ponenda eſt, ut bona ſarta tectaq; conſerventur, quam conſervationem & integritatem Principes ſummopere ſuſpexerunt, adeò ut etiam aliquando ſorti vel arbitrio Virginis matrimonium & ſucceſſionem permitterent. Exemplum habet *Munſt. Coſmo. ſuâ lib.* 3. *cap.* 417. *in Genealogiâ* Landgraviorum Haſſiæ, quod exhibet *Betſ. in Tr. de Pact. Famil. Illuſtr. pag.* 390. *quod ſcilicet in hac Familiâ Otto Landgravius quatuor filios reliquerit, ex quibus natu maximus ArchiEpiſcopus Magdeburgenſis declaratus fuerat, ſecundo genitus verò Hermannus ante patrem obierit. Reliqvi igitur duo fratres Henricus & Ludovicus cum Principatum ſuum indiviſum conſervare cuperent inter ſe pacti ſunt, ut unus tantum rei præeſſet, alter verò quibusdam Præfecturis contentus perpetuo à Principatu excluſus, & matrimonii contrahendi poteſtate privatus eſſet, Et ne cui hac in parte injuria fieret, ſed res tota ſorti committeretur, conventum inter eos fuit, ut ambo unam Virginem ambirent, & ejus Arbitrio Electionem abſolutè permitterent. Hunc itaq; in finem cum elegiſſent filiam Marchionis Miſniæ, ambo fratres ad eam profecti, electioni ſe ſtiterunt, à quâ cum major natu Henricus alteri prælatus eſſet, Imperio univerſi Principatus & matrimonio Virginis potitus fuit. Ludovicus autem tametſi renunciationi factæ quoad bona ſatisfaceret, tamen matrimonio ſe prohiberi paſſus non eſt, ſed ductâ in matrimonium filiâ Comitis Spanheimenſis, filium ex eâ ſuſcepit Herman-*

(margin: 4 beside "tur, quam conſervationem…"; 5 beside "in Genealogiâ…")

mannum, qui deficiente ſtatim progenie Henrici à Canonicatu Magdeburgenſi ad Haſſiæ Principatum revocatus reliqvos ejus Familiæ Principes procreavit.

6 Ex agnationis igitur favore reſultat hoc jus uni tributum, quod Primogenituram vocamus, quæ eſt *Jus illud præcipuum, qvod filii primogenii ante reliquos fratres accipiunt.* idq; Græcis πρωτοτοκία, ſive πρωτοτοκεῖα appellatur, aut ſi ſtrictius ex noſtrâ intentione loqui velimus: Eſt Jus illud præcipuum, quod legibus, moribus aut diſpoſitione hominis filio primogenito tribuitur tanquam ei proprium, vel ſub hac conditione, ut de Primogenito ad Primogenitum tranſeat. Vid. *Tiraq. in præfat. ad Tract. ſuum de Jure Primogenit.*

7 Primogenitura ab antiquiſſimo Gentium jure originem trahit *Cujac. 1. Feud. tit. 9.* & à Jure ac conſvetudine
8 Patriarcharum *Geneſ. 25.* ubi Eſau pro lentis edulio vendit Jacob fratri ſuo primogenia confirmata jure Divino. *Deuter. 21.* ubi primo nato, licet minus dilecto, ſua tamen ſervanda ſunt privilegia, & primogenia minimè diminuenda; natura enim primogenituræ eſt, ut dicit *Menoch. Conſ.*
9 *643. per totum lib. 6.* ut bona ipſa integra & ſine aliquâ diminutione gradatim de Primogenito in Primogenitum perveniant. *num. 9. Molin. in alleg. lib. 1. de Hiſpan. Primog.* Quia eſt qvalitas habens actum momentaneum, quæ acquiritur in continenti ipſâ nativitate excluſâ proximitate, quæ tractum habet ſucceſſivum, ideoq; ſecundum qualitatem temporis variatur.

Diviſio porrò hujus Juris Primogenituræ triplex eſt:
10 Et dividitur in Divinum, Naturale & Poſitivum, Divinum,
11 quod ex veteri teſtamento nobis relictum eſt *Deuteron. cap. 21. verſ. 15. & ſeqq.* quo ille natalium jure prior erat, duplicem portionem reſpectu aliorum fratrum accipiebat, idq;
12 mutare patri non licebat. Naturale eſt, quod naturali quadam ratione primo pacto tributum eſt, ut in Provinciis, Regnis Individuis, nec â Superiore quodam dependentibus,

bus, in quibus unus tantum ex natura ipſius Regni ſeu Principatus ſuccedit; Quantumvis ſæpius nobis videre 13
contigerit & adhuc contingat aliquando Regna inter fratres dividi, præſertim quando pluribus Principatibus & longinquioribus Rex potitur; Cujus rei memoriam habemus in diviſione Imperii Caroli Magni inter filios ejus in 14
quatuor partes diſſecti, ut bellum quod inter fratres exarſerat extingveretur. Quandoq; etiam â pluribus Regna indiviſa poſſeſſa fuêre, quemadmodum ex Reſcriptis pluri- 15
um Imperatorum ſimul exiſtentium in Codicem relatis, nec non ex Hiſtoriarum monumentis liquet. Ita enim Valentinianus & Valens fratres, & Valentiniani filius Gratianus Imperium Romanum adminiſtrarunt, idem factum â Gratiano & Valentiniano ſecundo, & iterum â Gratiano & Theodoſio &c. uti ex inſcriptionibus Codicis patet.

Jus deniq; Poſitivum Primogenituræ eſt, qvod gene- 16
rali alicujus Regni aut Provinciæ Lege ſcriptâ vel non ſcriptâ, aut pactis vel diſpoſitione hominum ad conſervandam Familiam illuſtrem introductum eſt, ſcilicet Lege, Statuto item vel pacto Illuſtris alicujus Familiæ, aut alio contractu vel conventione. Subdiſtinguitur autem hoc Jus poſitivum itidem tripliciter vel in univerſâ hæreditate, vel in magna ejus parte puta v.g. duobus trientibus hæreditatis, vel Jure præcipui, quando ſcilicet primogenito arces, oppida, pagi, prædia ex univerſâ hæreditate obveniunt, in reliquis æqualiter ſuccedit, quod in multis Galliæ locis obſervari atteſtatur *Tiraq. de Jure Primog. Q. 71.*

De primo ſubdiſtinctionis membro, nempe de Jure 17
poſitivo univerſam hæreditatem tribuente, quidam dubitant, ejusq; Juſtitiam in controverſiam ducunt, eo quod videant in quibusdam locis obtinere, ut omnia bona primogenitis abdicantur, quæ ſeniori & natu maximo deferuntur maſculo, aut in ejus defectum fœminæ. Moventur autem idcirco, quod per conceſſionem Univerſæ hæredi-

tatis & totius patrimonii liberorum legitima aut tollatur, aut minuatur contra Juris Naturalis æquitatem, & hinc ne per Regiam quidem Dignitatem id licere apertè declarant, ex ratione: quod contra illud Leges Principales nihil poſſint. Hiſce tamen non obſtantibus contrarium affirmandum judico, eo quod Legitima, vel ut vocant Legitimæ debitum, non ſit Juris naturalis tantum, quam etiam poſitivi, & conſeqventer primogenituram inſtituenti Legi-
18 timæ oblivisci integrum eſſe poteſt, & magis quando authoritate Principis id factum fuerit. Alimenta tamen hujusmodi ſuperſtitibus decernenda erunt, ne contra Jus naturæ impingatur, vigore cujus alimenta liberis præſtari debent, ne inſtitutio primogenii illis non ſalvis, ſit dicenda non proba, & non eſſe extra læſionem conſcientiæ ut tradit *Molin. de Primog. lib. 2. c. 1. num. 11.* Quod etiam dicit *Tiraquell. de Jur. Primog. Qvæſt. 4.* Favorabile namq;
19 eſt hoc Jus, & ideò omnibus modis ampliandum, & legitimè ab initio introductum, non poteſt â ſucceſſoribus in præjudicium Domini directi, & alicujus alius, atq; in ipſorum ſucceſſorum detrimentum ne quidem etiam cum conſenſu domini directi aliis pactis mutari, cum hac notabili obſervatione: ut admiſſo ſemel primogenito, omnes
20 ex eo deſcendentes admiſſi cenſeantur, donec linea extinguatur, textus eſt *in L. cum ita. §. Fideicommiſſum. ff. de Leg. 2. Tiraquell. Qvæſt. 10. num. 18. Qvæſt. 14. n. 7. Ludov. Mol. lib. 3. cap. 6. num. 29. & 30.* ubi dicit: quod incluſo primogenito, cenſeantur omnes incluſi ab eo deſcendentes, ſicut & excluſus ſecundo genitus ab eoq; deſcendentes. Econtrario rejecto ſemel primogenito tanquam inhabili, omnes ex eo deſcendentes â ſucceſſione Primogenituræ rejecti dicuntur. *Lib. 3. de Hiſp. Primog. cap. 7. num. 4.* Quod uberius explicat Did. Burgenſis Hiſpanus *in Qvæſt. Civil. n.*
21 *15. 16. 17.* dicens: tùm excludi filium â Primogenio excluſo patre, quando notatus fuerit pater infamiâ, eo quod exclu-

cluſa radice tanqvam infectâ, excludatur quid quid ab eâ provenit. Quam ſententiam vix procedere reor: quoniam ſi primogenitus notetur infamiâ, aut etiam propter delictum confiſcationem omnium bonorum meritus fuiſſet, nihilominus tamen bona illa Primogenituræ ſubjecta, præcipuè verò feuda non publicarentur, aut fiſco deferri deberent in detrimentum aliorum, qui in eâ Primogenitura ſucceſſuri eſſent, *Hoſtiens. in c. Licet. X de Voto. Böer. Qvæſt. 278. num. 6.* & alii Doctores, qui maximè urgent textum *L. 3. ff. de Interd. & Releg.* Ubi ille qui commiſit delictum propter quod bona ejus publicanda forent, ſolum amittit bona propria ſua & libera, non autem ea quæ â genere & ſuis majoribus habuit, & quæ generi ſuisq; deſcendentibus reſtituere debet: Rationem valdè probabilem agnoſco in eo, qvod meritò Primogenitura tàm in feudis quam bonis allodialibus ſine conſenſu Supremi Domini â Subdito & Vaſallo erigi non poſſit, ne ſcilicet dominus Jure ſuo privetur, quod ratione fiſci habet in bonis Subditorum & Vaſallorum, nam tunc jure ſuo cadere aut fiſco locum in æternum dare, & conſequenter Vaſallum ob delictum punire non poſſet, quod apertè contrariaretur Legibus feudo- 22
rum. Itaq; bene notandum, conſenſum domini neceſſario requiri qui ſi ſemel acceſſerit, atq; Jus Primogenituræ legitimè per inveſtituram primam inductum fuerit, per ſubſequentes inveſtituras mutari non poteſt, niſi feudum ip- 23
ſum diviſum fuerit, tum enim inveſtitura qvoq; mutata præſumitur, potiſſimum ſi Primogenitus vel non habeat liberos, vel illi etiam qvorum intereſt, uti & ipſe Primogenitus, pro ſe & hæredibus ſuis in novam illam conceſſionem vel inveſtituram conſenſerint, & hoc non tantùm in feudis individuis, ſed etiam Francorum jure conceſſis. Quia propter continuatum tot annorum conſenſum, qui privilegii inſtar obtinet, ut ait *Tiraquell. de Jur. Primog. Quæſt. 4. num. 45.* feudum illud omninò alterius naturæ & qvalita-

tis factum videtur, qvod aliàs fieri non poteſt, multominus in bonis allodialibus Primogeniture ſubjectis & legitimè conſtitutis, qvia Primogenitus patri ſuccedens aliam diſpoſitionem de hiſce bonis exigere non poteſt, *Menoch.*
24 *Conſ. 504. lib. 6. num. 3. & 49.* ne qvidem qvoad alimentationem reliqvorum Liberorum, ſi ejus qvantitas Statuto definita ſit. *Idem Cons. 322. Lib. 4. à num 66. uſq; ad finem.* ultra qvam qvicqvam ulterius petere non poſſunt *Graſſ. §. Legitima. Qvæſt. 15. num. 4. Quæſt. 42. num. 3. Tiraq. Quæſt. 53. num. 24.* qvod intellige de Statutis generalibus & non de diſpoſitione parentis inter liberos, niſi authoritate Principis aut etiam Statuto ipſo fulciatur, qvoniam tunc & ipſa Legitima Statuto auferri poterit, ut diximus, relictis tamẽ
25 alimentis congruis. Qvidſi aliundè alimenta habeant, an Primogenitus nihilominus ea conferre tenebitur? hac in qvæſtione diſtingvendum puto: aut enim Conſvetudo defert hæreditatem integram primogenito, nec aliqvid dicit de alimentis præſtandis cæteris fratribus: aut reliqvit alimenta ſimplibiter, vel aliquid loco alimentorum, quod ipſi capiant jure hæreditario ac proprio, loco legitimæ ſuæ portionis, ita ut ad eos pertineat, non ad primogenitum qvamdiu ipſi vivunt: Si ſe alere poſſint certe primogenitum alimenta præſtare non teneri, qvidam tenent, ſecus ſi aliunde alere ſe non ſciant. Si verò alimenta ex conſvetudine decernantur, eadem præſtanda erunt ad inſtar Legitimæ, etiamſi habeant unde ſe alioqvin alere poſſint, quia alimenta præterita quis petere poteſt, licet iisdem amplius non egeat, *L. Libertis. §. 1. & ibi Bart. & alii ff. de Alim. & Cibar. Leg. Cyn. in L. Sancimus. ad fin. Cod. de Nupt.* quod ibidem extendit ad conſuetudinem deferentem feudum totum primogenito, & alimenta tantum aliis, quantumvis etiam in reliquis bonis ſuccedant æqvaliter.

Hinc certiſſimè ſtatuerem in conſtitutione primogenitu-

nituræ Legitimè facta reſervatam cenſeri Legitimam ipſorum, vel ejus loco alimenta *Tiraq. Q. 4. & 5.* etiam in caſu quando aliundè alimenta habent. *Molin. lib. 2. cap. 15. n. 25. de Primog. Hiſp.* ſi tamen reditus Primogenituræ ſint o- 26
pulenti, ita ut hæc alimenta commodè ex iis conſtitui poſſint, tunc facilè conceſſerim, primogenitum non eſſe cogendum alienare ex proprietate, ſed poſſe ex reditibus & fructibus præſtare alimenta & dotes fratribus & ſororibus *Molin. lib. 2. cap. 11. in f.*

Quanquam abundè videamus hujusmodi conſvetudines inveteratas & communiter â Gentibus receptas, quibus ſecundogenitus ab omni ſucceſſione excluditur, 27
aut etiam quod tolerabilius eſt, fœminæ in favorem maſculorum removentur, attamen de earum ratione quidam dubitant; & potius cum eâdem pugnare, quàm ipſi congruere exiſtimant, & ita cum ratione & Legibus Romanis pugnantes non tantum tanquam irrationabiles introduci non debere, ſed etiam in iis Regionibus, in quibus antiquiſſimâ obſervantiâ receptæ ſunt, abolendas judicant, juxta mentem Juſtiniani Imperatoris *in Nov. 21. de Armeniis.* declaratam: In eâdem enim inveteratam & univerſalē Armeniorum conſvetudinem expreſſâ Lege abrogavit, & fœminarum ſucceſſiones ab inteſtato, ad æquitatem Juris Romani per omnia revocavit, voluitq; Armeniorum Leges nihil â Romanorum Legibus differre, exiſtimans ſimiles conſvetudines nimium rigoroſas, & cum æquitate naturali pugnare *d. Nov. 21. de Armen.* ubi hæc odioſa Statuta & diſpoſitiones promiſcuè delictis comparantur, & inter Barbaricas Leges referuntur, dum Imperator ait: *ſe Lege velle illud corrigere, quod malè apud illos delinqvebatur, & nolle permittere, ut ſecundum Barbaricam gentem virorum quidem ſint ſucceſſiones, mulierum verò nequaquam.*

At tametſi ſupradictæ illæ conſvetudines rigoroſæ, a- 28
deoq; primâ fronte meritò unicuiq; duræ videantur & into-

tolerabiles, tamen tanquam inveteratæ, quæ cum ipſis Gentibus originem habuerunt, & ſi violentæ, tolerandæ erunt, non enim in perſcrutandis Legum â Majoribus conſtitutarum cauſis, plus æquo ſollicitos anxiosque nos eſſe oportet, alioquin multa ex his, quæ certa ſunt, ſubverterentur. *L. Et ideo. ff. de Leg.* Hinc etiam prudenter admo-
29 dum Invictiſſimus Imperator Carolus IV. Jus illud Primogenituræ jam antè, poſtquam Electoratus eſſe cœperunt, fortè introductum, per fundamentalem Legem Imperii confirmavit, & in Aureâ Bullâ ſtatuit, ut Regnum Bohemiæ, Comitatus Palatinus Rheni, Ducatus Saxoniæ, & Marchionatus Brandeburgenſis tanquam Electorum propria patrimonia primogenitis eorum permitterentur, laudabiliter Primogenium ad præcavenda diſſidia inter filios Electorum, & eorum Agnatos in diviſione Dignitatum Regalium propter generalem Germaniæ conſuetudinem, Item ad conſervandam Imperii Majeſtatem & Electoralium Fa-
30 miliarum ſplendorem ſanciendo: Ita tamen ut Electores erga fratres alios & ſorores ſe clementes, pios & liberales exhibeant, illisq; ſecundum patrimonii facultates proſpi-
31 ciant, nullâ factâ reſtrictione ad nuda alimenta, aut etiam excluſione bonorum, quæ alio quam Electoratus titulo poſſident: Nam meritò hæc Conſtitutio ad alias Provin-
32 cias Electoratui non incorporatas non extenditur. Ut autem hæc Statuta Juris Primogenituræ robur apud poſteritatem firmum, atq; ſtabilitum nanciſcantur, atq; adeò efficaciter continuentur, Quæritur, an Confirmatione Cæſareâ opus habeant?

Sunt, qui adeò Statibus favent, & Jura in ditionibus eorũ eousq; extendunt, ut omninò tali confirmatione opus non habere dicant, præſertim quod Principes, Comites & reliqui Status Imperii in ſuis territoriis tantum poſſint, ac
33 Imperator in Imperio, & conſequenter abſolutâ poteſtate ſine ullâ confirmatione Imperatoris Statuta condere, & or-

di-

linationes de rebus ſuis facere queant, potiſſimum ſi de
hæreditatibus ab inteſtato agatur; Nec etiam in Feudali-
bus talia Statuta Legem Imperatoris de æquali ſucceſſio-
ne *in C. 1. de Succeſſ. Feudi.* tollant, ſed potius declarent &
mitigent, ut hoc caſu ceſſet, quo, & aliàs ex naturâ & con-
ditione rei, de quâ quæritur, non deberent omnes, ſed unus
ſuccedere propter bonum publicum. Quibus tamen non 34
attentis, verius eſt de Jure, Cæſaream Confirmationem
requiri conſentientibus Imperii Statibus, ex ratione: quia
contra Jura, hujusmodi pacta Primogenituræ introducta
cenſentur, & conſequenter validè ſubſiſtere vix poſſent, niſi
hic conſenſus & confirmatio acceſſerit, tùm enim vale-
bunt tanquam Leges Imperii. Hinc rectè ſibi perſvadent 35
illi, tutiſſimum fore, hanc Confirmationem in Comitiis Im-
perialibus obtinere, præſertim ſi Ducatus aut Comitatus
non tantum Feuda Imperialia, ſed etiam alia Feuda ab Im-
perii Electoribus & Principibus depẽdentia complectatur,
ut hoc modo omnium Dominorum Directorum Conſenſus
interveniat.

Cur autem iſthæc Confirmatio neceſſaria ſit? ex tri- 36
bus potiſſimum rationibus perſpicuum erit: Primò, quia
hic agitur de jure jam quæſito tollendo, vel ſaltem ſuſpen-
dendo, quod alicui Principi, vel etiam familiæ Principali in-
tegrum non eſt, ſed Imperatoris proprium, & maximè ad
plenitudinem poteſtatis ſpectans, quæ in Reſcripto expri-
menda erit; plenitudo enim poteſtatis & certa ſcientia
non præſumuntur niſi exprimantur, aliàs talis plenitudo
obreptitia cenſebitur, & Princeps circumventus impor-
tunitate Impetrantis dicetur. Secundò, quod agatur de
ſupplenda Jurisdictione inferioris ſive Statuum Imperii,
quam ſupplere præter Imperatorem & Imperium nemo
poteſt. Tertiò, quod in hac confirmatione primogenii
ſermo ſit de Lege præſcribendâ Statibus Imperii, qui cum
ſolum Imperatorem & Imperium ſuperiores habeant,
non

non poſſunt ab alis Legem accipere inviti, quod eousque quidam extendunt, ut non tantum ſimiles confirmationes impetrandæ, & quidem antequam diſponens vitâ fungatur, præcipuè ſi tractetur de præjudicio tertii, ſed etiam ad valorem earundem per ſucceſſores renovandæ ſint.

37 Præclarum Primogeniture Exemplum in Sereniſſima Archiducali Familiâ Auſtriacâ ſuſpenio reliquorum fratrum Jure nobis ob oculos ponit *Munſter. in Coſmograph. Inter Privilegia Archiducatus Auſtriæ pag. 954.* Daß der Eltiſte unter den Hertzogen die Herrſchafft deß Lands haben ſolle / und nach Ihme ſein Eltiſter Sohn erblich / doch alſo / daß es von dem Stammen deß Geblüths nicht komme / und daß diß Hertzogthum nimmermehr getheilet ſoll werden / und wo gemeldte Fürſten Unerbſam abgiengen / ſo ſoll das Hertzogthum und die Landſchafft an ſeine Eltiſte verlaſſene Tochter fallen. quod Jus ſine Imperiali authoritate conditum non fuiſſe, colligere licet ex literis ab eo allegatis, ex quibus Archiducatus Auſtriaci privilegia deſumpta ſunt *pag. 956.* Similis Confirmationis memoria reſtat in Statuto
38 Primogenituræ in Sereniſſimâ Familia Brunſvicenſi, quæ magno labore & difficili molimine Jus illud introduxit.
39 Cum enim Anno 1374. Fridericus Bernardus, Henricus & Otto fratres ab unâ, & Ordo Equeſtris ac Civitates Ducatus Brunſvicenſis ab alterâ parte, ſuper poſſesſione Ducatus, & translatione ejusdem in ſolum primogenitum deliberarent, tandem Anno 1380. Conventionibus terminatum, ut tres prænominati fratres Friderico primogenito Ducatum totum reſignarent, & ſe adminiſtratione abdicarent. Cum autem Fridericus in Regem Romanorum Electus & ex loco Comitiorum nempe Civitate Francofurtenſi Nonis Jul. An. 1400. in Prælio ad Friſlariam periret, Bernardus & Henricus fratres, neglectâ & abolitâ antememorata transactione adminiſtrationem Ducatus ſuſceperunt, donec tandem poſteri eorum Anno 1535. ſolenni conventione in Comitiis Provincialibus inter Duces Henricum & Wilhelmum

muni fratres, & Eccleſiaſticum atq; Equeſtrem Ordinem ac Civitates Ducatui Brunſvicenſi ſubjectas, illud ipſum Jus Primogenituræ ſtabilitum, & non tantum ſubſcriptione Ducum & Ordinum, ſed & Juramentis & ſigillis confirmatum, parvoq; poſt intervallo in Comitiis Imperialibus ab Imperatore Carolo Quinto, Nec non Rudolpho Secundo & aliis renovatum fuerit.

Memorandum etiam eſt Jus Primogenituræ in Du- 40
catibus Cliviæ, Juliæ & Montium à Carolo Quinto & Succeſſoribus Ferdinando & Maximiliano II. confirmatum, & ad fœminas earumq; hæredes extenſum. Rationem Maximilianus Primus in conceſſione horum Ducatuum de
Anno 1508. addidit, ne per diviſionem vires labefacten- 41
tur, & Imperio non ita prodeſſe poſſint ac ſi uniti manerent. Auch damit die berührte Hertzogthumb und Graffſchafft Ravensperg / nach ſeinen Hertzog Wilhelms Abgang / beſonder dieweil etliche Güter der benannten Hertzogthumb an andere Erben fallen möchten / nicht zertrent / noch Uns noch dem Heyl. Reich deßhalben alſo nützlich und wol gedienet würde.

Jus Primogenituræ Ducum Holſatiæ à Rudolpho II. Imperatore cofirmatum in ſequenti ſchemate exhibetur, in quo dicta ſuperius & dicenda compendioſius exponuntur, ideoq; ſtudio illud ipſum apponendum duxi.

WIr Rudolph von Gottes Gnaden / Erwöhlter Römiſcher Kayſer zu allen
Zeiten Mehrer deß Reichs / in Germanien / zu 42
Hungarn / Böheimb / Dalmatien / Croatien und Sclavonien ꝛc. König / Ertz Hertzog zu Oeſterreich / Hertzog zu Burgund / zu Braband / zu Steyer / zu Kärnden / zu Crain / zu Lützemburg / zu Würtemberg / Ober- und Nieder-Schleſien / Fürſt zu Schwaben / Marggraff

deß Heyl. Römiſchen Reichs zu Burgau/ zu Mähren/ Ober- und Nieder Laußnitz / Gefürſter Graff zu Habſpurg/ zu Tyrol/ zu Pfierd/ zu Kyburg und zu Görtz / Landgraff in Elſaß / Herr auff der Windiſchen Marck/ zu Portenau und zu Salins.

BEkennen für Uns und Unſere Nachkommen am Heyl. Reich öffentlich mit dieſem Brieff/ und thun kundt allermänniglich / daß Uns der Hochgebohrne Johann Adolph Hertzog zu Holſtein/ Unſer lieber Oheimb und Fürſt/ in Unterthänigkeit zu erkennen gegeben/ und vorbringen laſſen ; wiewohl mit etlichen glaubwürdigen Uhralten mehr dann vor anderthalb hundert Jahren von Sr. Lbd. / Vorfahren der Holſteiniſchen Ritter- und Landſchafft gegebenen Privilegien zu beſcheinigen/ daß die Land ewig unzertheilt beyſammen bleiben ſollen. Daß iedoch von Sr. Lbd. Vorfahren anfänglich zwar/ aus beſondern hochwichtigen Urſachen und Bewegnuß / das Fürſtenthum Holſtein mit den incorporirten Landen in zwey Linien/ nemlich die Segebergiſche und Gottorffiſche Regierung vertheilt worden / welches aber von den folgenden Hertzogen zu Holſtein in conſequentiam gezogen/ und unter den Gebrüdern / jeweils Land und Leuthen hochſchädliche Diviſiones und Abtheilungen begehrt werden wöllen / aus welcher ſequel und da dergleichen ſubdiviſiones ferner erfolgen ſolten/ nichts anders als der endliche Untergang deß Fürſtenthums Holſtein/ Stammen/ Titul/ und Nahmen zu beſorgen. Nachdem aber Se. Lbd. nuhnmehr durch ſonderbare Schickung deß Allmächtigen mit dero freundlichen geliebten Brüdern/ dem Hochgebornen Johann Friedrichen Hertzogen zu Holſtein unſerm lieben Oheimb und Fürſten wegen deren zwiſchen beyden Ihren Lbd. Lbd. der Landtheilung halber fürgeweſnen Irrungen gäntzlich verglichen. Als erfordern Sr. Lbd. und dero poſterität höchſte Noht-

Nohtdurfft/ daß dieſelbe/ nach Exempel Ihrer Vorfahren/ dann auch anderer benachbarter Fürſtlicher Häuſer/ auff ſolche Mittel und Weg bedacht ſeye / dardurch die hochſchädliche diviſiones Ihres anietzo innhabenden Antheils deß Fürſtenthumbs Holſtein/ und was denſelben etwa ins künfftig wiederumb accreſciren möchte/ verhütet/ und alſo Sr. Lbd. Fürſtlicher Holſteiniſcher Stamm/ vermittelſt Göttlicher Gnade / dem Heyl. Römiſchen Reich zur Zier/ dero Nachkommen aber Gedeyen und Wolfahrt erhalten werden könne/ und demnach Uns gehorſamlich angeruffen und gebetten/ dieweil Wir ohne das geneigt/ Unſere/ und deß Heil. Reichs Stände Nutz- und Frommen zu befördern / auch dieſelbe in Ihrem wohlhergebrachten Stand und Weſen zu conſerviren und zu erhalten/ darzu Unſere Hochgeehrte Vorfahren am Reich / Römiſchen Kayſern und Königen promulgirte Conſtitution und Satzungen/ de prohibitis feudorum alienationibus & invaſionibus zu denen bey vielen Fürſtlichen/ und Gräfflichen Häuſern im Heyligen Reiche ein zeithero eingeführten Primogenituren oder Erſtgeburts Gerechtigkeit gleichſam Anlaß geben / daß Wir als regirender Römiſcher Kayſer [von ſondern Gnaden wegen Sr. Lbd. und dero poſterität / zu Wohlſtand deß Fürſtlichen Stammen zu Holſtein/ und zu gemeinem Beſten/ Ruhe/ und Frieden deren darbey intereſſirten gehorſahmen Unterthanen das Jus Primogenituræ und Erſtgeburts Gerechtigkeit über Sr. Lbd. innhabenden Antheil deß Fürſtenthumbs Holſtein / deſſen incorporirten Landen / und was demſelben künfftig mehr zuwachſen könte / zu confirmiren und zu beſtättigen gnädiglich geruheten/ das haben Wir angeſehen/ ſolche Sr. Lbd. demüthige ziemliche Bitt/ darzu die getreue nützliche Dienſte / ſo weyland Sr. Lbd. Vorfahren / und ſie ſelbſt Unſern löblichen Vorfahren/ Römiſchen Kayſern und Königen/ auch Uns und dem Heyl. Reich in viel Wege erwieſen/ und hinführo ſamt dero Nachkommen und Erben / und Uns dem Heyl. Reiche nicht weniger zu thun erbiethig iſt/ auch wol thun mag/ und ſoll/ und darum mit

wohlbedachtem Muth/guten Rath/rechten Wiſſen/aus Römiſcher Kayſerlicher Macht und Vollkommenheit/ Sr. Lbd. und dero Nachkommenden männlichen Leibs Lehens-Erben/ ſamt derſelben Erben/und endlichen allen denen/ ſo auff Maaß/ wie hernach vermeldt/zu dem Vor- oder Erbgang der Erſtgeburts-Gerechtigkeit/die nächſten ſeyn/und Anwartung haben werden/ ſolche hivor angezogene / und vor dieſem bey dem Hauß und Stamm Holſtein gebräuchlich geweſne Primogenitur, oder Gewohnheit ſucceſſionis, gnädiglich confirmirt und beſtättiget; confirmiren/beſtättigen auch dieſelbe hiemit und in Krafft dieſes Brieffs wiſſentlich/in beſter Form und Maaß ſolches von Rechts-und Billigkeit wegen beſchehen ſoll und mag. Und wollen das nach tödlichem Abgang obgemeldtes Hertzogen Johann Adolphen Lbd. dero Antheil deß Fürſtenthums Holſtein/ ſamt deſſelben incorporirten Landen / und was demſelben bey Sr. Lbd. Lebzeit oder ſonſt ins künfftig unter was Titul und Nahmen es geſchehen könte/ zuwachſen oder angeleibet werden mögte/ohne einige Theilung folgen und gebühren ſoll/Sr. Lbd. Erſtgebornen Sohn / der eines Lehens fähig/ und der Regierung Land und Leuthe vorſeyn mag/ und nach Ableibung deſſelben abermahls / dem Erſtgebohrnen / und alſo immerfort von Erben zu Erben/oder da ſich zutrüge / daß dieſelbe erſte Linien ohne Männlichen Lehens-Erben gäntzlich verfiele; Alsdann ſein Hertzogen Johann Adolphen Lbd. andergebornen Sohne / ob der noch im Leben wäre/ oder da Er tödlich abgangen/ gleicher Geſtalt ſeinem Erſtgebornen/und da auch deſſelben abſteigende Linien auffhörte/ſolche Nachfolg alsdann auff dritten/vierdten und Nachgebornen und derſelben abſteigenden Linien Männlicher fehlicher Geburth immer und ewiglich dahin zu verſtehen/ daß zwiſchen bemeldten Hertzogen zu Holſtein dieſer Lini Männliches Stammens zu ewigen unauffhörlichen Rechten/ die Succeſſion Sr. Hertzog Johann Adolphs Lbd. Antheils am Fürſtenthumb Holſtein/ deſſen incorporirten Landen/ und was demſelben ins künfftig accreſciren möchte / nach Ordnung und

Erb-

Erbgangs Recht der Erſtigkeit und Primogenitur vererbt/ die Unterthanen zu Land und Städten auch demſelben primogenito und Erſtgebohrner Mann Erben allein gehuldiget ſeyn ſollen. Dagegen aber ſoll derſelbe Erſtgebohrne regierende Herr nicht Macht haben / zu Nachtheil und Schmählerung ſeiner Succeſſorn und Nachfolger / ſeine dergeſtalt ererbte Güter zu verkauffen/ oder in anderen Weg zu alieniren / ſondern/ als viel möglich / dieſelben zu vermehren und zu beſſern befleiſſen / darzu verpflichtet ſeyn/ dem andern ſeinen Gebrüdern/ wann ſie zu Ihren mündigen Jahren gekommen / und ſonſten nicht zu andern Fürſtlichen dignitäten / worvor ſie Ihren Unterhalt haben möchten / befördert werden können/ ſie gewiß Geld deputat/ welches ſich zum höchſten auff (Quantitas) Jährliches Einkommens zu erſtrecken/ ordentlich und richtig zu lieffern / deßgleichen ſeine Schweſtern und weibliche Erben / wie bey dem Fürſtenthum Holſtein hergebracht/ mit nothwendiger alimentation, und Fürſtl. Außſteuer zu verſehen/ daran auch die andere / dritt- und Nachgebohrne Brüder/ ſo wol derſelben Schweſter/ und weibliche Erben gäntzlich begnügt ſeyn / und deßfals an allen Vatter- Mutter- und brüderlichen verlaſſenen Lehen und Erbgütern / wie die Nahmen haben mögen / gegen den Primogenitum und deſſen Erben kein fernere Forderung An- und Zuſprüche/ weder in ſupplementum Legitimæ, oder in andere Weg haben/ beſondern mit ihrem deputat und Abfindung gäntzlich begnüget ſeyn ſollen; Da aber der Gebrüder und Schweſtern zu einer Zeit ſo viel im Leben ſeyn würden / daß der regierende Herr einem jeden der Gebrüder die (quantitas pecuniæ) Jährlichen Einkünffte gefüglich nicht reichen könte / ſo ſoll die Summa deß Jährlichen deputats zur Billigkeit / wie es das Land ertragen kan/ nach Gutachten der nächſten Anverwandten Herrn und Freunde gemäſſiget werden.

Und wann auch Einer oder mehr von denen andern Gebrüdern hernachen zu Fürſtl. dignitäten / wofern etc. befürdert werden könten / ſoll alsdann das verordnete Geld-Deputat

dem als abgefundenen Bruder ferner nicht gereichet / beſondern alle Weg dahin geſehen werden/daß der regierende Herr/ ſo viel möglich/mit übermäſſigen Abgifften verſchonet / und das Land unbeſchwert bleiben möge.

UNd gebieten darauff allen und Jeden Chur-Fürſten/Fürſten / Geiſtlichen / und Weltlichen Prælaten / Graffen / Freyen/Herrn/Rittern/Knechten/Landvögten/Hauptleuthen / Vitzthomben/ Vögten/ Pflegern / Verweſern / Amtleuthen/ Landrichtern / Schultheiſſen / Burgemeiſtern/ Richtern/ Räthen/ Burgern/ Gemeinden/ und ſonſt allen andern Unſern und deß Reichs Unterthanen / und Getreuwen/ was Würden / Stands oder Weſens die ſeyn / von Römiſcher Kayſerlicher Macht/ernſtlich/ und wollen/ daß ſie ob = und mehrgemeldten Hertzog Johann Adolphen / und deſſelben Erſtgebohrnen Männlichen Leibs-Lehns-Erben und Nachfolgern / bey dieſer Kayſerlichen Begnädigung / Verſehung und Beſtättigung der Primogenitur und Erſtgeburts Gerechtigkeit/in allen deroſelben obaußgeführten Innhalt und Begrieff ruhiglich bleiben / ſie dern gäntzlich erfreuen/gebrauchen und genieſſen laſſen / und daran nicht hindern / irren/ noch beſchwehren / noch ſolches Jemand andern zu thun geſtatten / nachſehen / oder verholffen ſeyn / heimlich noch offentlich in keinerley Weiß / alſo lieb einem Jeden ſey/ Unſere und deß Reichs ſchwere Ungnad und Straff / und darzu ein Pöen / nemblich ſiebentzig Marck löthiges Goldes zu vermeiden / daß ein Jeder / ſo offt Er freventlich hierwieder thäte / Uns halb in Unſer Kayſerliche Cammer / und den andern halben Theil dem beſchwehrten und beleidigten Primogenito oder derſelben Erben unnachläßlich zu bezahlen ſchuldig ſeyn ſolle ; Mit Urkundt diß Brieffs beſiegelt mit Unſerm anhangenden Kayſerlichen Inſiegel / der geben iſt auff Unſerm Königlichen Schloß zu Prag/ den acht und zwantzigſten Tag deß Monats Februarii / nach Chriſti Unſers lieben Herrn und Seligmachers Geburth/

Sech-

Sechzehenhundert und im achten / Unſerer Reiche deß Römiſchen im drey und dreyſſigſten / und deß Böhmiſchen auch im drey und dreyſſigſten Jahre.

Rudolph.

Ad Mandatum Sac. Cæſ. Majeſtatis proprium

J. Hertel.

L. P. V. Stralendorff.

Quod Jus Primogenituræ inter Duces Holſatiæ erectum 27. Julii Anno 1638. Ferdinandus Tertius Imperator 43 nec non etiam Auguſtiſſimus Leopoldus 24. Maji Anno 1660. renovarunt.

Et hæc de introductione Juris Primogenituræ in Principali & Illuſtri Familiâ. An autem & in privatâ induci poſſit? meritò dubitare licet, quandoqvidem in præjudicium Jurium tendat, & illis contrarium potius, quàm conforme dici poſſet, adeoque odioſum, & quolibet modo potius reſtringendum quam ampliandum, cum Jus quæſitum impugnet. Igitur rectè concludi puto à Municipio aut Familiâ aliquâ privatâ in Imperio Romano difficilius introduci poſſe, in quo Conſvetudines & Statuta ſecundum Leges Cæſareas examinantur, maximè cum Jure ſpeciali fieri non debeat nec poſſit, quod Jure communi fieri non poteſt. Et Jus Primogenituræ competens ex privilegio fortius eſſe non queat, quam illud quod competit communi nationis alicujus Jure, imò debilius eſſe neceſſe ſit. *Tiraquell. de Jur. Primog. Q. 29. num. 2.* Quod ſi tamen apud 45 privatos, aut etiam inferioris generis homines antiquâ & inveteratâ gentis conſvetudine introductum reperiatur, rationem non invenio, cur damnari debeat, cum in allodialibus non tota maſſa hæreditaria, ſed tantum præcipuum quid

quid Primogenito præ cæteris filiis decerni poſſit, & nullo modo odioſum videatur: Cujus aſſertionis fundamentum in eo ponitur, quod Imperator Juſtinianus, dum æqualem inter liberos diſponendi modum maximoperè cordi habuit, eo non obſtante inæqualiter hæreditatem diſtribuere permiſerit, ut ſi velint inter duos filios ſextam tantummodò partem, alteras reliquas uni adſcribere poſſint. *Nov. 92. de Immod. Donat. in Fil. fac. Vid. quæ Parte 1. cap. 1. Sect. 27. de Teſtam. Patris inter liberos.* diximus. Quidni etiam in tali conſvetudine obtinere, aut pater ſervatâ reliquis liberis Legitimâ in allodialibus Jure Primogenituræ uti poterit, ita ut Primogenitus ſine detractione Legitimæ Succeſſori ſuo omnia bona Primogenituræ ſubjecta reſtituere teneatur? Cum rationabilis cauſa ſubeſſe queat, Conſervatio ſcilicet Familiæ & Agnationis. Advertant tamen illi qui poteſtatem Primogenituræ introducendæ habeant, ut Jus Legitimæ liberis competens diſcretè minuant, & non in totum tollant, ſi fortè Statuto id comprehendatur.

DE EFFECTIBUS PRIMOGENITURÆ.

46 JUs igitur noſtrum Primogenituræ Statuto aut inveteratâ conſuetudine introductum, item de novo Familiis Illuſtribus conceſſum & authoritate Cæſareâ confirmatum, aut etiam inter privatos alios tàm in feudis quàm bonis allodialibus erectum, præclaros habet effectus, inter quos
47 primo loco is conſtituitur, quod admiſſo ſemel primogenito omnes ejus deſcendentes admiſſi cenſeantur, donec Linea ſuperſit, Si itaque Primogenitus ſemel admiſſus eſt, filius ſecundogenitus excluſus cenſetur, ſi deſcendentes primoge-
48 niti relicti fuerint, niſi primogenitus noluerit ſuccedere, & etiam Juri ſuo renunciaverit in favorem ſecundogeniti *Tiraq. Quæſt. 26. n. 3.* quod non tantum expreſſè ſed & tacitè

citè fieri poteſt, tacitè quidem, dum ſecundogenitum feudi onera Domino Directo debita, ſubire patitur. *Tiraquel. Q. 25. num. 3.* Non valet autem renunciatio in favorem Agnatorum remotiorum, qui excluſi cenſentur, aut ſaltem jus eorum in ſuſpenſo eſt *tit. 26. Lib. 2. Feud.* ubi feudum ceſſum remotiori agnato revocatur per mortem cedentis à proximiori, cui proximum eſt Jus, quod illi inverti nequit per poſſeſſorem. *Jas. in L. Is poteſt. 33. ff. de Acquir. hæred.* 49
Quid autem Juris, ſi facta fuerit renunciatio primogeniti præmortui ante patrem, An filii ejus removendi erunt? Certè iſthæc renunciatio liberis obeſſe non debet, quia Jus Primogeniti ipsâ nativitate radicatur in filio primo nato, quod proinde per patrem non rectè diminuitur, cum jus quæſitum, uti diximus, invito non aufferatur. *Tiraquel. de Jure Primog. Q. 26. num. 5.* Et poſito quod non ſit radicatum in nepote ipsâ nativitate, talem tamen non removet renunciatio patris ſui deficientis ante mortem avi, perſonalis enim eſt & concernit Jus quod ſibi apertum erit ſub conditione, quod ſi deſeratur hæreditas. 50

Quod ſi etiam Primogenitus abſtinuerit â Jure ſuo, reliqui liberi omnes & ſimul non revocabuntur (quod tamen quidam affirmant, cum primogenitus adhuc ſuperſit) quoniam abſtentio facit pro mortuo haberi abſtentũ. *L. 6. §. 2. ſeq. ff. de Bon. lib.* Et hoc ex mente primi inſtituentis, qui hoc Jus apud unum eſſe voluit, & quidem antiquiorem in conſervationem & ornamentum Familiæ, quæ in uno capite opibus, & potentiâ prævalente floret, diviſis verò in varias partes bonis vileſcit. An patruus aut nepos in Jure Primogenituræ Regnorum & Principatuum præferendus ſit infra loco quodam oportuno *P. 2. C. 2. Sect. 1. Q. 2.* diximus. Illud verò nunc diſcutere operæ pretium futurum erit, An Legitimatus per ſubſequens matrimonium præferri debeat alteri ex intermedio matrimonio procreato? dubia hæc quæſtio eſt; ad cujus reſolutionem ſe- 51 52

cundum receptiorem & veriorem ſententiam, legitimè natum ex intermedio matrimonio in hoc Jure præferendum non eſſe legitimato per ſubſequens matrimonium, omninò dicendum eſt, *vid. eadem quæſtio tractata infra P. 2. cap. 2. Sect. 5. num. 18. Alex. Conſ. 25. num. 2. vol. 1.* quod multo magis obtinebit, ſi fœminæ ex intermedio matrimonio ſuperſint cum tali legitimato, quoniam hic potior eſt,
53 etiamſi illæ Juris Primogenituræ capaces eſſe dicantur, nam prioritas nativitatis non ponit in fœminis Jus radicatum, cum maſculus etiam poſtea natus iisdem præferatur, quidni etiam poſtmodum legitimatus per ſubſequens matrimonium? *Tiraq. Q. 34. n. 59. Vaſq. Succeſſ. Tom. 2. §. 2. num. 79.* Ratio eſt: quod in caſu quando agitur de conſervatione agnationis & familiæ maſculi ſemper præferantur fœminis, quod autem per talem legitimatum conſervetur agnatio, quis dubitabit? Aliud eſt in Legitimato per Reſcriptum Principis, cum non habeatur per omnia Legitimus, & conſequenter fœminis non præferatur. *Vid. dicta inferius P. 2. cap. 2. Sect. 5. de Succeſſ. Legitimat. per tot.*

54 Non minor etiam oritur controverſia, an natus ante Regnum quæſitum potior ſit eo, qui poſt illud adeptum natus eſt? de hac latè diſputat *Tiraq. Q. 31.* Sed ſemotâ longiori dubitatione omninò præferendum cenſeo natum ante Regalem dignitatem, ſive feuda fuerint antiqua, ſive etiam noviter quæſita, quia etiam Primogenitus Regis dici poteſt, nam ad eſſe Primogeniti aliud nil concurrit, quàm prioritas genituræ ſive nativitatis Legitima. Pro hac ſententiâ *facit L. 5. ff. de Senatorib.* ubi Senatoris filius dicitur, etiam ante Senatoriam Dignitatem natus, accedit quod non oporteat liberis invidere paternos honores *L. 11. Cod. de Dignit. lib. 12. Duaren. 2. Diſp. cap. 20.*

55 Quid verò dicemus de caſu, quando gemelli naſcuntur? Certè ſi conſtet de prioritate Unius etiam per momentum

tum unum, illi omninò ſtandum arbitror: Quoniam aliquid prius & poſterius ratione breviſſimi etiam temporis dici poteſt. Si dubia fuerit prioritas, dubia quoq; erit prælatio, quod ſatis indicat *Tiraq. de Jure Primog. Quæſt.17.* ubi diverſæ hac de re congeſtæ opiniones videri poſſunt: 56
ſunt enim qui parentibus admodum favorabiles exiſtunt, ut optionem iisdem dent, & in quem vellent, transferre poſſint: aſt nimium tales tribuunt, cum hæc gratificatio nullâ omninò Lege cauta reperiatur, aut etiam conſvetudine in alterius præjudicium nitatur. In ſucceſſione Regni nonnulli Magnatibus & Proceribus Electionem concedunt, quod non ſine maximo incommodo Regnorum vix fieri poterit, præcipuè quando diverſæ factionis homines in diverſas abeunt partes. Alii utrumq; rejiciunt in dubio hoc caſu, quo non appareat qui prior. Sed & hæc quoq; ſententia iniqua videtur, quæ proximos excludit admiſſis remotioribus. Quidam utrumq; admittunt, ut uterq; in feudis ſuccedat, aut dividat, aut etiam alternis annis iisdem fruatur. Quam opinionem communem dicit *Tiraquel. d. Q. 17. opin. 4. & Molin. de Primog. lib. 3. cap. 11. num. 20.* & conformem legibus Hiſpanicis. Verum & hæc procedere non poteſt, ubi uni neceſſariò debetur ſucceſſio, ut contra ejus naturalem ſit veritatem duos admittere. Idcirco meliorem & æquiorem viam illorum exiſtimo, qui ſorte rem dirimendam putant, ſi aliter componi non poſſit, quod in frequenti uſu eſt in ſimilibus controverſiis. *L. 5. ff. Famil. erciſc. L. fin. Cod. Comm. de Leg.*

Alter præclarus Juris Primogenituræ effectus in eo 57
conſiſtit, quod primogenitus bona huic Juri ſubjecta nullo modo alienare poſſit. Quia inſtituens omnia expreſſè diſpoſuiſſe cenſetur, quæ propria & naturalia primogenituræ ſunt. *Dec. Conſ. 397. num. 6.* maximè autem naturale eſt, ut bona integra & ſine aliquâ diminutione de Primogenito in Primogenitum gradatim perveniant. *Did. lib. 3.*

var. reſol. cap. 5. num. 3. inſ. non verò alienata vel hypo-
58 thecata. *L. Peto. 69. §. Prædium. ff. de Leg. 2.* Cum hoc additamento, ut ne quidem Trebellianicam detrahere poſſit. *Menoch. Conſ. 643. lib. 6.* ubi ex authoritate Molinæ modo dicta ponit. *vid. Clar. lib. 3. Sent. §. Teſtamentum. Quæſt. 63.* Quemadmodum etiam in præjudicium Primogenituræ & hæredum ejus renunciare non poteſt, præſertim in diviſione feudorum; aut ſibi ſoli præjudicabit, non aliis invitis: Imò ipſe primogenitus, ſi permittat minorem natu inveſtiri tanquam de feudo paterno, ſibi non præjudicat reſpectu aliorum fratrum & Domini directi, quia inveſtito ſine liberis mortuo poteſt venire ad ſucceſſionem. *Ti-*
59 *raq. Q. 26. num. 4.* Porrò hæredes quoq; inſtituere in bonis primogenituræ ſubjectis primogenito integrum non eſt, cum ſit ſpecies alienationis *Tiraq. Q. 53. num. 35.* quæ quocunq; modo prohibita cenſetur, niſi fiant tranſactiones & permutationes ſuper rebus dubiis, lite incertâ, vel rebus Primogenituræ minùs commodis, dummodò aliæ earum loco ſurrogentur.

60 Quodſi verò in Inſtitutione Primogenituræ alienatio expreſſè prohibita non fuerit, An tunc primogenitus ex bonis primogenituræ ne minimum quidem alienare poterit? Et puto omninò alienare non poſſe, cum alienationis prohibitio ſubintelligatur. *Melch. Palaez. in tract. de Major. Quæſt. 1. n. 2.* etiam in detractione Trebellianicæ, vel maximè quando inſtituens vel teſtator primogenitum in infinitum ſuccedere, aut integra bona ei reſtitui vel ſemper ita obſervari voluit. *Menoch. Cons. 643. num. 1. & 10.*
61 Quid ergo erit ſi conſvetudine introductum ſit, ut primogenitus ſolus ſuccedat, an tunc & alienatio bonorum adempta cenſeri debebit? *Tiraquel. Quæſt. 53. num. 11. & multis ſeqq.* diſtinguit inter jus Primogenituræ abſolutè conceſſum primogenito nullo habito reſpectu ſecundogenitorum: & inter Jus Primogenituræ ſuſpenſum reſpe-

ctu ſecundogenitorum ad vitam primogeniti ejusque deſcendentes. Primo caſu in quibusdam locis primogenitus dominus abſolutus Conſvetudine Regnorum & Provinciarum cenſetur, ut liberè de omnibus bonis pro lubitu poſſit diſponere, dummodo terminos legis in ſucceſſione non excedat. Secundo caſu omnis & quæcunq; alienatio prohibita dicenda erit. *Vide eund. n. 22. & ſeq.*

Ex dictis ſuboritur & alia quæſtio, An Juri Primogenituræ præſcribi poſſit? *Tiraquellus Quæſt. 20.* egregiis diſtinctionibus illam expedit, aut enim ſecundogenitus vel alius titulo primogeniti bona Primogenituræ ſubjecta poſſidet, & tunc nullo modo præſcriptibilia ſunt. Aut extraneus in poſſeſſione eorum eſt alio titulo quàm Primogenituræ, ſed tamen habili ad onerandam præſcriptionem: Et tunc bona illa ſunt vel publica, vel privata, ſi publica & publico favore alienari prohibita, qualia ſunt Regni & Magni Principatus Superiorem non recognoſcentes, nullo nequidem immemorabili tempore poterunt præſcribi. Aut non ſunt res publicæ, ſed publico tamen favore alienari prohibitæ, & hæ quoq; præſcriptibiles non ſunt. Quod ſi verò bona huic Juri ſubjecta, ſint privata, & privato tantum favore alienari prohibita, illa erunt vel allodialia vel feudalia. Si primum: tùm rurſum univerſali Lege, Statuto aut Conſvetudine ſunt prohibita alienari, & non poterunt præſcribi niſi præſcriptione centenariâ. Aut ſunt prohibitæ alienari contractu, pactis conſuetudine, vel Statuto Familiæ privato, aut ultimâ diſpoſitione per fideicommiſſum: & tunc iterum vel ſunt confirmata hæc Statuta â ſummo Principe in vim legis cum clauſulâ Decreti annullantis & idem dicendum erit: Si autem non fuerint confirmata, & maneant in terminis privatarum conventionum: eo caſu poterunt præſcribi ſpatio triginta annorum, ſi alienatio facta non fuerit per prohibitum alienare, ſed tertium aliquem, tunc enim præſcriptio decem annorũ 62

locum habebit. Ratio hujus impræſcriptionis eſt: Quia hoc Jus in ſe eſt quid impræſcribile conceſſum ipſi genituræ, ſeu primæ nativitati, unde ut Jus ſanguinis & Agnationis eſt immutabile, ita & Jura â ſanguine dependentia.

63 Deniq; paucis videre placet an omnes perſonæ ad acqviſitionem Juris Primogenituræ habiles ſint: Et primò quidem de demente & furioſo, qui vel habebit dilucida intervalla, vel furor erit perpetuus. Si illud: hoc privilegio
64 privari non debebit. Si hoc: aut furor ſupervenit, aut â naturâ talis fuit, ſi ſupervenerit, primogenitura in ſuo vigore permanebit, quæ ſemel in perſonâ ejus radicata fuit in inſtanti ſanæ mentis. *Molin. de Primog. Lib. 1. cap. 13. num. 5.* Quodſi jam â naturâ talis fuit, ſubdiſtinguitur: aut enim Primogenitura conſiſtit tantum in nudâ & ſimplici ſucceſſione, aut ſecum ratione feudorum importabit ſervitia præſtanda in Perſonâ: ſi conſiſtat in ſimplici ſucceſſione: primogenituræ locus erit, cum tale vitium non ponat deteriorem conditionem quoad jura ſuitatis. *L. 1. ff. de Bon. poſſeſ.* Secus erit in ſecundo membro: Cum vocetur ſub conditione ſi habilis ſit, quæ habilitas deeſt, ut eo caſu admittendus ſit ſecundogenitus, ne inventa in commodum publicum operentur diſpendium. In Regnis ta-
65 men quæ non Jure feudi, ſed agnationis deferuntur, plurimi hujusmodi furioſo Curatorem adjungendum, quam inhabilem removendum putant. Sed tutius tamen crederem ut ſecundogenito ſucceſſio Regia deferatur.

Muti & ſurdi quandoquidem habiles aliquando ad ſervitia præſtanda dici poſſunt, non video cur etiam ad Jus illud Primogenituræ admitti non debeant, ſecus verò ſi inhabiles ſint ad talia obeunda, aut etiam ſervitium vicarium locum non habeat. *Tit. 36. Lib. 2. Feud.*

66 In capax hujus Juris & rediditur is, qui per ingreſſum Religionis & factam profeſſionem alterius juris factus eſt,

ta-

talis enim pro mortuo habetur, & fructus non transmittit. Si tamen Monaſterium capacitatem alleget, tùm ad vitam ſaltem Primogeniti in Religionem ingreſſi poſſeſſione 67
gaudere poterit, niſi expreſſe in primâ illius conſtitutione monachi excipiantur: idq; multo magis in iis, quæ non habent adjunctam dignitatem. Quando autem Regia & Il- 68
luſtris Familia ad interitum tendere videtur, & nullusquam ejusmodi profeſſus ex eâ ſuperſtes ſit, atq; publica requirat utilitas, ut Familia & Dignitas Regia in eâ continuetur, hoc certè caſu Pontifex ita, ut dictum, poſtulante bono publico, cum profeſſo aut ordinato diſpenſare, & â voto liberare poterit, datâ licentiâ ineundi matrimonii: quod non ita pridem contigiſſe in memorabili exemplo in perſonâ Joannis Caſimiri Regis Poloniæ cuiq; obvium eſt.

De Capacitate exhæredati inſuper dubitatur, ſed hic 69
hujus Juris Primogenituræ incapax non eſt: Quia ſicut in feudis non Jure hæreditario, ſed jure ſanguinis vel inveſtituræ removetur, & in iisdem patri offenſo non ſuccedit, ſed primo inſtitutori: Ita hic removeri non debet. Secus 70
tamen ſi jure hæreditario feuda deferantur. Unde etiam ſequens deciſio formari poterit in caſu, quando pater minorem natu Principatui magis idoneum, majori præferre vellet, cum nequidem ex cauſâ ingratitudinis Jus hoc primogenito auferri poſſit, quia illi non voluntate patris, ſed Legibus Regni ſucceſſio defertur. Pulchrum hujus rei e- 71
xemplum affert *Tiraq. in Præfatione de Jure Primog. num. 6.* de Ladislao Ungariæ Rege. Is cum ſe orbatum liberis videret, eſſentq; illi duo nepotes ex Geyſa fratre, Colomannus ſcilicet & natu major, qui propter corporis deformitatem, oris impuritatem, & Barodinenſem Epiſcopatum, cui inauguratus erat, Regno inidoneus videbatur. Hinc Ladislaus Armum natu minorem ſucceſſorem denominavit, ſed tandem deſtinato iſta effectu caruit, dum contra expreſſam defuncti Regis diſpoſitionem Colomannus per

pro-

Proceres Regni prælatus fuit. Simile narrat *num. 10.* de Joanne Galeacio primo Mediolanenſium Duce, qui cum filium natu minorem Regni adminiſtrationi aptiorem videret, illumq; præferendum cenſeret, & eam conſvetudinem, quà Primogenitus prælationem habet, iniquam arbitraretur, nihilominus tamen illam nullo modo labefactandam cenſuit, cum ordo naturæ ſine magnis & urgentisſimis cauſis pervertendus non ſit, etiam in Electione & approbatione Ordinum & Statuum.

72 Coronidis loco & hoc adhuc quærere lubet, an conſvetudo vel Statutum præferens primogenitum, comprehendat filiam primogenitam? Et certè ſi fœminæ in Regnis aliisq; bonis Regali Dignitati annexis ſuccedere poſſint, & capaces inveniantur, omninò admittendæ erunt, etiam hoc in caſu, quando primogenitura ad filios directa fuerit, quoniam & illæ veniunt eodem modo, quo filii, propter generalem illam rationem, ne Regna & Provinciæ in plures partes diviſæ, cum ſubditorum Reiq; publicæ detrimento, debilitentur, quæ Regula tàm in Maſculorum, quàm Fœminarum ſucceſſione locum habet, quod exem-

73 plo demonſtrat *Froſſardus lib. 2. uti refert in ejus epitome Sleidan. pag. 229. n. 5.* dum ait: *Quantum ad Comites Hannoviæ attinet: ſic accipiendum eſt. Guilielmus hujus ditionis dominus, quatuor habebat filias Margaritam, Philippam, Joannam & Iſabellam, Item filium unicum Gvilielmum. Margarita nupſit Ludovico Bavaro Imperatori, Philippam duxit Eduardus Anglus, Gvilielmus non relictâ ſobole occubuit in prælio adverſus Friſones. Itaq; per mortem iſtius ad ſororem natu maximam puta Margaritam ſuccedendi Jus venit, & illa quidem hæreditatem adiit, donec Albertus filius, quem è Ludovico Cæſare ſuſtulit, adultus in paterna bona ſucceſſit, & hujus quidem deinceps filius Guilielmus Burgundi filiam duxit, per quod matrimonium firmæ amicitiæ & deinde ſucceſſionis, cum viciſſim Burgundi filius Alberti filiam conjugem adſciviſſet fundamenta jacta fuerunt.*

Præ-

Prædicta tamen non obtinebunt in aliis bonis hæreditariis, & omninò privatis, ſcilicet non præferri filiam primogenitam vigore Statuti præferentis primogenitum ſecundo-genito. quia excluſio odioſa eſt, & illæ propter maſculos tantum excluduntur. *Anton. Gabr. lib.* 5. *Com. Concl. de V. S. Concl.6. Tiraq. Q.* 10.

SECTIO III.

De Jure Appanagii.

SUMMARIA.

1 *Magnæ ortæ diſcordiæ ratione diviſionis Regnorum & Principatuum.*

2 *Exemplum in filiis Ludovici Pii.*

3 *Contrarius effectus paternæ diſpoſitionis.*

4 *Æqualis poteſtas ſæpius bellorum incendia promovit.*

5 *Fratres renunciare debent ſucceſſioni in favorem primogeniti, nec ullo modo de tenuitate dominii utilis conqueri poſſunt.*

6 *Jus illud utilis dominii Appanagium Francis appellatur.*

7 *Appanagium pro quâ parte bonorum ſumatur?*

8 *Ex quibus Legibus concedatur?*

9 *Penes quem proprietas Appanagii ſit?*

10 *An fœminæ in Regno Franciæ aliquando ad Appanagium admiſſæ ſint?*

11 *An ſi is, qui Jure Appanagii bona tenet, Regnum adipiſcatur, ea bona Fratribus accreſcent?*

12 *Exemplum proſtat in Galliâ occaſione cujus hæc quæſtio eſt mota.*

13 *An reverſo Jure Appanagii ad Regnum nihilominus titulus dignitatis cæteris relinquatur?*

14 *Jus Appanagii in Hiſpaniâ, Angliâ Portugalliâ, nec non multis aliis Ducatibus viget.*

15 *Etiam in Germaniâ In Sereniſſimâ Domo Auſtriacâ apud Brunſvigæ & Schlesvvigæ Duces &c.*

16 *Hi impares reditus habent, pares tamen titulos, dignitates & libertates.*

17 *Probabilis opinio dicens nullos in Germaniâ Principatus magis ad Jus Appanagii accedere quam Electoratus Sæculares.*

18 *Juri Appanagii ſimile eſt Jus Paragii.*

19 *Paragium quid ſit?*

20 *Paragii Jure quæ dicantur poſſideri?*

21 *Aliquando fratres natu minores, majori tanquam ſuperiori ratione*

ne portionis hæreditariæ Homagium præſtare debent.

22 *Quomodo pleno Jure Dominii fratres paternam hæreditatem tenent, inferiore tamen titulo?*

23 *An conſultum ſit portus & limitanea monumenta Jure Appanagii concedere?*

24 *Caroli V. Imperatoris & Hiſpaniarum Regis maturum conſilium.*

1 MAgnas olim inter familias Regias ortas fuiſſe ſimultates & diſcordias ratione diviſionis Regnorum, Provinciarum atq; Principatuum vel unum illud exemplum
2 in filiis Ludovici Pii Imperatoris & Franciæ Regis, ſat abunde demonſtrat, qui A. 817. menſe Jul. Aquisgrani Ditiones ſuas Regias inter filios primi matrimonii dividens, duobus natu minoribus Regna tribuit, Pipino Regnum Aquitaniæ, Ludovico Bavariæ; hac tamen adjectâ conditione, ut tanquam beneficia ea ferrent accepta Lothario natu maximo fratri, quæ tamen poſt mortem patris effe-
3 ctum ſuum minimè conſecuta, ſed potius contrarium operata eſt in eo, quod ſcilicet poſt prælium acre Fontenæi, in agro Altiſſiodorenſi transactio fraterna inita, hac Lege, ut
4 quisq; partem ſuam cum ſummo Imperio & Regio nomine obtineret. Talis æqualis demum poteſtas, bellorum incendia ſæpè promovit, ut tandem etiam ad vitandas ſimiles diſcordiarum turbas fratri majori tota Regia Poteſtas acceſſerit, reliqui verò pro ſuo ſuæq; poteſtatis maſculini
5 ſexus victu & alimentis contenti eſſe debuerint, factâ renunciatione & ſucceſſionis jure repudiato in favorem primogeniti: Non attento quoq; an ampla fuerit Rex ſuccedens hæreditate, cum de tenuitate relicti dominii utilis conqueri nullo modo potuerint; quod Jus utilis Dominii
6 Appanagium vocari conſvevit (quaſi Abbanagium B. literâ mutatâ in P. â Banno, quaſi quis partem excluſoriam dicat) â Francis profectum, quod ſumi ſolet pro eâ bono-
7 rum parte, quæ Regis Franciæ liberis natu minoribus, mortuo patre, & natu maximo ad faſtigium Regni evecto
8 ita conceditur, ut directum dominium Rex in eâ parte retine-

tineat, & ſi poſteri virilis ſexus deficiant utile dominium
cum directo conſolidetur & ad Regem redeat: proprietas
enim hujusmodi aſſignationum penes Regem manet, atq;
verum illius patrimonium, quod extinctâ ſtirpe maſculâ o- 9
mninò ad Regnum redit, quanquam nihilominus aliquan-
do ex temporum neceſſitate non ita ſtrictè familiæ Regiæ
inhæſerint, & fœminæ ad ſucceſſionem Appanagiorum 10
admiſſæ fuerint, prout tradit *Tilius de Rebus. Gall. Lib. 2.*
Tit. de Fil. Reg. eor. aſſign. & benef. Quæ portio ad Regnum
omninò revertitur & conſolidatur & non accreſcit reliquis
fratrib' ſuperſtitib' in caſu, quo is, qui eam Jure Appanagij 11
tenens Jus Regni adeptus, & exinde Rex creatus eſt. Ti-
tulus tamen dignitatis & nomen ſummum reliquis com-
petere poteſt. Exemplum notabile in Philippo Valeſio & 12
Ludovico XII. patet: Quorum quisq; ex collaterali ſuc-
ceſſione ſuo tempore Regnum obtinuit. Valerio autem
erat frater unus, & pariter Ludovico XII. Comes Angoliſ-
morum ex Stirpe minor: Hinc dubitabatur utrum Appa-
nagii Jure aſſignatæ Regiones, quas ante adeptum Reg-
num tenuerunt, eo reverterentur: An verò minoribus
natu fratribus vel agnatis cum Juſto ſuæ Stirpis ſtemmate
accreſcerent? Tandem â Parlamento Pariſienſi deciſum,
eas reverti ad Regnum, titulum autem & dignitatem fra-
tribus vel agnatis relinquendam. Plura ejusmodi veſtigia 13
videantur apud *Tiſium. d. l. pag. 116.* quæ in Galliis ob-
ſervata fuêre. Quanquam etiam non deſint in aliis Reg- 14
nis & Principatibus, & in iis præcipuè qui Jure Primogeni-
turæ gaudent, quemadmodum in Angliâ, Hiſpaniâ, Portu-
galliâ, Bohemiâ, nec non in magno Hetruriæ, Mantuæ, Sa-
baudiæ, Pedemontii, Parmæ, Ferrariæ, Urbini Ducatibus,
in quibus minores fratres plerumq; certis annuis rediti-
bus pro qualitate & facultatibus iſtorum Statuum conten-
ti eſſe jubentur, neque dignitatis ſupremæ titulum, ſed
familiæ nomen tantummodo uſurpant; quod etiam in 15

 Ger-

Germaniâ, exceptâ tituli paritate, obſervatur. Sicuti videmus in Sereniſſimâ Archiducali Domo Auſtriacâ reſpectu Archiducatus Auſtriæ; apud Pomeraniæ, Brunſwigæ, Würtembergæ & Schleswigæ Duces, & ab aliquo tempore
16 in Sereniſſimâ Domo Bavariæ, ubi ſecundo-geniti impares quidem reditus aut Provinciarum ſuarum partes, pari tamen titulo, dignitate, & libertate retinent: quod etiam in Comitatibus obſervatum fuiſſe manifeſtum eſt, in quibus duobus natu maximis fratribus conceſſæ fuerunt Provinciæ omnes diſtribuendæ, reliquis fratribus aſſignatione certorum redituum â gubernatione & ſucceſſione excluſis, quod apud Haſſiæ Landgravios & Comites Waldeckæ
17 uſitatum fuit. De Cætero non immerito ſequendos illos cenſeo, qui dicunt nullos in Germaniâ Principatus propius ad Jus Appanagii accedere quàm Electoratus Sæculares, Palatinatus, Saxoniæ & Brandenburgiæ, uti ex Aureâ Bullâ Caroli IV. cuivis obviam eſt.

18 Juri Appanagii non abſimile jus eſt, quod vocant Paragii, cujus vocabulum in Libris Feudorum invenire non eſt, & illud Barbaricè dictum putat Hottomannus pro pariatione, & eâ quam Feudiſtæ adæquationem hæ-
19 reditatum vocant. Eſtq; titulus quo feudi pars minor â fratribus natu minoribus eorumq; poſteris ita poſſidetur, ut majori fratri majorem partem obtinenti eo nomine neq; fidelitatem neq; hominium debeant, quemadmodum in Galliâ & potiſſimùm in Normanniâ conſvetudo fuit *Ti-*
20 *raquell. de Jure Primog. Q. 42.* Ubi paternorum feudorum ſucceſſione filius natu maximus præcipui jure magnam ſibi partem aufert nimirum beſſem: Cæteris fratribus triens relinquitur, isq; Paragii Jure poſſideri dicitur, quoniam pares non tantum in ſucceſſione cenſentur, ſed & titulo tenus atq; in dignitate & prærogativis, quantumvis in bonis impares, pares omninò judicantur, facta tamen reſtrictione ad ſextum Genealogiæ gradum. Quo jure etiam

tiam Illuſtres Familias in Imperio uſas fuiſſe certum eſt, ſed tamen perpetuo, & non ad certum gradum determinato tempore. Aliquando neq; Paragii neq; etiam Appa- 21
nagii Jure partis debitæ fructu fratribus gaudere permittitur, ſed quàm maximè reſtringitur, in caſu ſcilicet, quando fratres natu minores fratri majori tanquam ſuperiori aut Domino directo, ratione hujus portionis hæreditariæ fidelitatem & homagium præſtare tenentur, quod ſummum jus eſt, & quandoq; etiam in exteris Regnis uſitatum, in Germaniâ raro vel nunquam niſi ex ſpeciali & ſingulari cauſâ contigit.

Pleno quoq; Jure dominii tales fratres partem hære- 22
ditatis ſæpius tenent, non tamen eodem, ſed inferiore titulo, reſpectu tamen fratris primogeniti abſoluto jure gaudentes; Exempla reperiuntur in Belgio, Hiſpaniâ, Angliâ & quibusdam Galliæ locis, ubi natu maximus Ducatu aut etiam Comitatu, Principatu aut Marchionatu donatur, reliqui fratres Baronum, Comitum vel alio Dignitatis Equeſtris titulo, minores ditiones obtinent.

Cautela tamen ſit Principibus quibuscunq;, ne por- 23
tus & limitanea monumenta, quæ inſtar clavium obtinent, in alterius, quàm Regis aut Principis poteſtatem perveniant, ſive Appanagii, ſive alio cujusvis beneficii titulo, ut ſi quē ad res novas moliendas aliquando animum adjicere contingeret, totius Regni aut Principatus jactura evitetur, quod aliàs facilè evenire poſſet, ſi alii portuum, aut etiam monumentorum limitaneorum] potirentur, & quaſi freno vicinos compeſcere, aut etiam totius Dominatus gloriam evertere tentarent, quod optimè deprehendit 24
Carolus V. Invictiſſimus Imperator & Hiſpaniarum Rex, dum animadverteret Aracoſiæ Duces Gaditanā Inſulam ab Hiſpaniæ Regib9 ob res contra Sarracenos præclarè geſtas remunerationis loco accepiſſe, unde ipſi turbæ aliquando imminere poſſent; ideò cum Ludovici tutoribus egit, ut

 ac-

acceptis aliis in continenti Bæticæ in compenſationem reſtituerent.

CAPUT IV.

De SUCCESSIONIBUS CLERICALIBUS

SECTIO I.

De Succeſſione ex Teſtamento Canonico.

SUMMARIA.

1 Inter quas ſpecies teſtamentorum teſtamentum Canonicum recenſeatur?
2 Quare dicatur Canonicum?
3 Quibus ſolennitatibus conficiatur?
4 Quare fieri debeat coram Parocho loci?
5 Parochus Pater Spiritualis dicitur.
6 Sub eo falſitas non ita committitur.
7 Quid ſi eo tempore Parochus haberi non poſſit?
8 Duo teſtes poſſunt gerere vicem Unius etiam maximæ authoritatis.
9 Quot requirantur teſtes de Jure Canonico?
10 An teſtamentum Canonicum ſine numero Civili tertium ſit irritum?
11 An per C. cum eſſes. X. de teſtam. ſublata ſit diſpoſitio Juris Civilis circa ſolennitatem numeri ſeptenarii?
12 Negativa verior eſt.
13 An & qvomodo hoc in caſu à jure Divino recedere liceat?
14 Exemplificantur affirmativa.
15 Rationes cur numero binario vel ternario non ita ſtrictè inhærendum ſit?
16 Quot de Jure Canonico requirantur teſtes in donationibus mortis cauſâ?
17 Quot requirantur teſtes ad convincendum Epiſcopum Cardinalem?
18 Jus Civile circa numerum tertium in Imperio Romano obſervatur.
19 An d. C. cum eſſes. X. de Teſtam. referatur ſaltem ad pias cauſas?

20 Ubi

20 Ubi d. C. obſervetur?
21 Quo Jure gaudeat Pontifex in ditionibus ſibi temporaliter ſubjectis?
22 Quid Juris habeat Pontifex in alienis, præſertim quoad ſpiritualia?
23 Quomodo explicari debeant verba Sacræ Scripturæ: in ore duorum ſtat omne verbum?
24 An ſit etiam Lex Novi teſtamenti?
25 Diſcurſus D. Thomæ de completo Redemptionis generis humani Myſterio.
26 Si Pontifex eam Legem tanquam Divinam valere voluiſſet, cur inſuper Præsbyterum adhibuit?
27 An fœmina in teſtamento Canonico poſſit eſſe teſtis?
28 Negativa probabilior videtur.
29 Jus Canonicum plus deſiderat quàm Jus Gentium, de quo fœmina admitteretur.

INter alias teſtamenti minus ſolennis ſpecies re- 1
cenſetur quoq; teſtamentum Canonicum coram loci Parocho & duobus vel tribus teſtibus conditum. Dicitur Canonicum quia à Sacris Ca- 2
nonibus inductum, qui tanquam cauſa denominationem ei tanquam effectui tribuunt, inſtar purgationis Canonicæ & ſimilium à ſacris Canonibus inductorum, & hinc nomina ſua derivantium.

Jubet autem hoc teſtamentum fieri Alexander Ter- 3
tius Pontifex Maximus, coram Præsbytero ſuo & tribus vel duabus aliis perſonis idoneis, ut expreſsè habetur in Capite illo Celeberrimo & intricatiſſimo *Cum eſſes. 3. X. de Teſtament.* cujus intricantiam explicaturi videamus de ſingulorum horum verborum energiâ.

Dicitur Primò coram Presbytero ſeu Parocho loci, 4
ſuoq; & non alio, qvoniam fides magis indigenis, quàm extraneis (ut pulchrè loquitur cum multis authoritatibus Juris ad *hoc Cap. Panormit.*) adhibenda eſt. Accedit 5
quod proprius Sacerdos Parochialis dicatur pater Spiritualis omnium ſuorum Parochianorum, quos inde ad pœnitentiam & fructus ſpirituales recipit, ut in *C. Omnes. 30. Q. 1.* habetur. Igitur non ita de facili committetur falſitas coram Patre ſpirituali, quam coram extraneo Sa- 6
cer-

cerdote. De quibus *Panormit. ad d. C. 10. de Teſtament. fol. 116.*

7 Quid ſi tempore condendi teſtamenti Parochus loci haberi non poſſit? poteritne aliter conſuli huic pio actui? omninò: Si videlicet duo teſtes loco abſentis proprii Paro-
8 chi, adeoq; in univerſum quatuor adhibeantur: ſiquidem duo teſtes ſatis gerunt vicem unius quantumcunque maximæ authoritatis *C. Licet. C. â nobis. de Teſt. Covarr. ad d. C. Variar. Reſol. Tom. Imo. num. 24. & 25. fol. 52.* Sic in ſimili per ſupplementum quinq; teſtium probetur, quidquid aliàs ſcripturâ ſeu inſtrumento concipiendum foret, etiam contra Statuta, de quo citant præjudicia Cameralia juxta *Mynſing. 1. obſ. 5. & Gloſſ. ad L. 18. Cod. de Teſt.*

9 Dicitur Secundò tribus vel duabus perſonis; etenim ut allegat ibidem Pontifex, in ore duorum vel trium, juxta Sacrum textum, ſtat omne verbum. Hinc Alexander Tertius ad propoſitionem Epiſcopi Hoſtienſis, cum teſta-
10 menta ſine quinquenario vel ſeptenario numero teſtium Juris Civilis condita paſſim reſcinderentur, omnia teſtamenta ſub numero duorum vel trium teſtium & coram Parocho fieri ſub interminatione Anathematis contra improbantes præcipit. *d. C. 10.* Hic Doctores in obſervantia
11 hujus teſtamenti mirum in modum altercantur. Quidam ex relatione *Henrici Caniſii different. Jur. Can. & Civil. 23.* exiſtimant, Juris Civilis ſolennitatem teſtamentariam in ſeptenario numero conſiſtentem per Jus Canonicum & hoc *cap. 20.* ſublatam eſſe, eo quod ratio ejusdem *Cap. Cum. eſſes.* expreſſè nitatur Jure Divino, quo dicitur in ore duo-
12 rum vel trium ſtat omne verbum: ſed in caſſum agunt: quia Biblia Sacra ibi non volunt excludere & prohibere numerum quaternarium vel ulteriorem, ſed ſolum inſinuare, unius teſtimonio nihil credendum, & ad validitatem actus duos ſaltem teſtes requirendos. Unde ſeptenarius
13 numerus teſtium hic non pugnat contra verbum Dei. Acce-

cedit quod poſſit Princeps ex cauſa diſcedere à jure Divino, declarando, illud non habere locum in aliquo caſu, veluti in teſtamentis, ubi ad evitandas mille fraudes, ſubornationes, pericula & falſitates ſeptem teſtes exiguntur. Simili quoq; caſu licet ſceleroſum è medio tollere, & aggreſſorem defendendi ſui cauſa occidere, *L. Ut vim. ff. de Juſt. & 14
Jur. L. 22. ad Leg. Cornel. de ſic. C. Significanti. 18. X. de Homicid. Innocent. ad C. Quæ in Eccleſiarum. num. 4. X. de Conſtit. Covarr. ad hoc. C. cum. eſſes. 1. num. 3.* quamvis occidere 15
Jure Divino & Naturali prohibitum ſit. Et ſi ſtrictiſſimè Canones acquieſcerent huic numero binario vel ternario Juris divini, nec minorem in deſcendendo, nec majorem in aſcendendo admitterent, cur ſtatur dicto Papæ *C. cum à nobis?* Cur de conſvetudine Curiæ ſtatur dicto Unius Cardinalis de iis, quæ dicta vel acta ſunt coram eo? *Thom. de Thomaſet. in Flo. Leg. fol. 337.* Cur juxta eosdem 16
Sacros Canones 5. teſtes in donationibus mortis cauſâ, ut ſupra diximus, requiruntur? Cur deniq; referente & rem ipſam hic ad longum & quidem aliter explicante *Panormit. num. 16.* ad convincendum Epiſcopum Cardinalem per 17
C. Præſul. Septuaginta duo teſtes requiruntur? Igitur nullo modo eruitur per hoc *C. 10.* Jus Civile circa numerum teſtium ſeptenarium correctum fuiſſe. Imò hoc Jus Civi- 18
le circa ſolennitates teſtamenti in toto Imperio obſervari videtur conformiter Receſſui Imp. de Anno 1512 *ſub Titul.* Von Teſtamenten. §. und ſollen. Quidam hoc *C. 10.* ad te- 19
ſtamenta circa pias cauſas ordinata referunt propter connexionem ſequentis *C. 11.* loquentis de actibus ad pias cauſas deſtinatis. Sed hoc quoq; ſine fundamento aſſeritur, quia in hoc *Cap. 11.* duo teſtes tantum ſufficiunt ad condendum teſtamentum piæ cauſæ, ut rectè circa hanc interpretationem hoc caput â priori ſeparatum eſſe videatur.

Deniq; nonnulli (quorum ſententia verior & recep- 20

rior eſt) concludunt deciſionem *d. C. cum eſſes.* locum habere ſolum in ditionibus Pontifici temporaliter ſubjectis, non autem in terris Imperii ubi in contrarium, ut modo ſuperius dictum eſt, Jus Civile practicatur *Jul. Clar. 3. Sent. §. Teſtamentum. Q. 57.*

21 Quod autem Summus Potifex hoc poſſit in ſuis terris, temporaliter ſibi ſubjectis, oſtenditur ex eo, quod in ſubditis temporaliter ſibi ſubjectis Principis authoritate utatur, uti in ſimili utitur in ſuis terris, quando ſubditos illegitimos quoscunq; non tantum quoad ordines Eccleſiaſticos, ſed etiam quoad ſucceſſionem hæreditariam rectè & legitimè legitimat. per famoſum illud *C. Per Venerabilem 13. vers. id autem in patrimonio. X. Qui filii ſint legitimi.*

22 Dixi in ſuis terris temporaliter ſibi ſubjectis: nam in terris Imperii & aliis alienigenis quoad ſæcularia (ſecus quoad ſpiritualia, in quibus totus Chriſtianus orbis ei ſubjectus eſt, juxta modo dictum *C. 13.*) propter defectum Jurisdictionis nihil agit. *L. fin. ff. de Jurisd.* de quâ materiâ Vid. *Henr. Canis. d. differ. 23. fol. 651. Sum. Juris. Can. Item tit. 17. fol. 362. 63. 64. & ſeqq. in ſuis poſthumis de Sponſ.*

Cæterum his ad *C. Cum eſſes.* explicatis, audiamus nunc Theologicum diſcurſum, *ex Henr. Canis. d. Sum. Jur. Can. Not. in tit. 10. Lib. 3. de Teſtam. fol. 292. & 93. ſubſeqq.* formalibus deſumptũ, & ſacra illa verba (in ore duorum

23 &c.) ſic enodantem: *Rectè ſentiunt, qui hunc textum deſumptum ex C. Cum eſſes X. de Teſtam. ſolum obtinere putant in ditionibus Eccleſiæ Romanæ & in foro Eccleſiaſtico, non autem in terris Imperii, in quo Jus civile ſervandum eſt. Sicut videre eſt apud Jul. Clar. 2. Sent. §. Teſtam. Q. 57. nam ejusdem C. cum eſſes. Deciſio directa eſt ad Epiſcopũ Hoſtienſem, qui & in temporalibus ſubjectus eſt Romano Pontifici: Nec movet Lex Divina: in ore duorum vel trium &c. cujus meminit textus in d. c. cum eſſes. & extat Deuter. 17. & 19. cap. quia hæc lex eſt Veteris Teſtamenti, cujus præcepta per mortem Chriſti abolita ſunt,*

quem-

quemadmodum notavimus ad tit. 2. ſup. Lib. 1. neque impediat quod Chriſtus eâdem Lege fuerit uſus in Novo Teſtamento Matth. 24 *18. non enim idcirco eſt Lex Novi Teſtamenti: Idq; ex eo patet, quod tradit D. Thomas. in Ia. 2dæ. Q. 103. Art. 3 ad 2. dicendum eſt, inquit, quod Myſterium Redemptionis humani generis* 25 *completum fuit in paſſione Chriſti: unde tunc Dominus dixit: conſummatum eſt, ut habetur Joann. 19. & ideò tunc totaliter debuerunt ceſſare Legalia, jam veritate eorum conſummata, in cujus ſignum in paſſione Chriſti velum templi legitur eſſe ſciſſum Matth. 27. & ideò ante paſſionem Chriſti, Chriſto prædicante & miracula faciente currebant ſimul Lex & Evangelium quia jam Myſterium Chriſti erat inchoatum, ſed nondum conſummatũ, & propter hoc mandavit Chriſtus Dominus ante paſſionem leproſo, ut Legales Ceremonias obſervaret. D. Thomas. Hæc notanda ſunt ad multorum Canonum declarationem & conciliationem. Quod igitur Summus Pontifex in d. l. Cum eſſes. & in cap. Relatum. 11. X. Cod. Legem veteris teſtamenti adduxerit, id fa-* 26 *ctum eſt confirmandæ deciſionis ſuæ cauſâ: alioqvi, ſi eandem Legem tanqvam Divinam adhuc vigere exiſtimaſſet, fruſtra cenſuiſſet præter teſtes adhibendum eſſe Præsbyterum.* Hæc ſunt formalia Caniſij.

Dicitur Tertiò notanter *coram perſonis idoneis*: exinde 27 quippe inſignis oritur Quæſtio: An fœmina licet honeſtiſſima (quam de Jure Civili â teſtamentario teſtimonio dicendo arceri, indubitati Juris eſt) de Jure Pontificio in teſtamento teſtis eſſe poſſit? In negativam contra communem 28 probabiliter eunt *Covarr. variar. reſol. d. C. 10. Tom. 1. num. 26. hic Alexand. Cons. 70. Col. pen. & Cons. 77. 2. Col. vol. 2. Albert. Brun. in Tr. de Corrett. & Relax. ſolennit. & form. fol. penult. Q. 8. & Tiraquell. 9 L. Connub. n. 45.* quia textus per allegata verba non tantum duos quoscunque ſed præter proprium Parochum, idoneos teſtes requirit, ut in hoc actu Jus Canonicum videatur velle plus deſiderare quàm Jus 29

Gentium quod in reqviſitione teſtimonii dicendi non diſtinguit inter marem & fœminam.

Sectio II.

De Succeſſione ex Ultimis Voluntatibus minus ſolennibus ad pias Cauſas obtingente.

SUMMARIA.

1 *Tria Cap. notanda in Tit. X. de teſtam. & ult. vol.*
2 *De quibus tractet cap. 11.?*
3 *Quæ dicantur cauſæ piæ?*
4 *An Legatum Parocho relictum in piam cauſam imputandum ſit?*
5 *Quæ requirantur ſolennitates in teſtamento ad pias cauſas confecto?*
6 *An fœmina in eo ad teſtimonium admitti poſſit?*
7 *Objectio contra affirmativam propoſitionem.*
8 *An teſtes debeant eſſe rogati in hoc ultimæ voluntatis genere privilegiato?*
9 *An teſtamentum hoc imperfectum ratione voluntatis ſubſiſtat?*
10 *Negativa verior & communior eſt.*
11 *Imperfectum ratione ſolennitatis ſubſiſtit.*
12 *An de Legatis ad pias cauſas detrahatur Falcidia?*
13 *De non detractione falcidiæ præjudicium Carpzovii.*
14 *An ex morâ fructus & uſuræ in actionibus fideicommiſſorum & Legatorum ab aditâ hæreditate præſtentur?*
15 *Intra qvodnam tempus hæres legata pia ſolvere teneatur?*
16 *An & ſimul fructus & uſuras à tempore moræ?*
17 *An res aliena legata ex ignorantia ad pias cauſas vitiet Legatum?*
18 *Quando aliàs res ingnoranter Legata valeat?*
19 *Quid juris in re alienâ ſcienter legatâ?*
20 *An Legatum libertatis ſervo alieno proſiciat?*
21 *Affirmativa vera.*
22 *Favor libertatis explicatur.*
23 *Valet Legatum rei alienæ ignoranter conceſſum piæ cauſæ.*
24 *Rationes pro eâ opinione nec non pro privilegiis piarum cauſarum.*
25 *An ante deductionem Legitimæ deductio horum Legatorum locum habeat?*
26 *Legitima à patre auferri non poteſt licet Deo det.*
27 *An actus ad pias cauſas eum effectu abſq; teſte expediri valeat?*

28 Re-

28 Reſponſio ad objectiones ſententiæ affirmativæ.
29 Ultimæ Voluntates Legibus accommodandæ ſunt.
30 Matrimonium itidem ſecundum præcepta Legum fieri debet.
31 Explicatio Auth. Quod ſine. Cod. de teſtam.
32 Transſcriptio Auth. Perverſe facta.
33 Authoritas Auth. non tanti ſit, niſi in quantum cum Novellis concordantes reperiantur.

TRia ſunt capita in *Tit. X. de Teſtam. & Ult. Vol.* quæ invicem ſubſequntur. Et eſt caput *cum eſſes. 10.* qvod modo explanatum eſt. deinde ſequitur *C. Relatum eſt. 11.* de quo Impræſentiarum agemus & denique reprehenditur *C. Relatum eſt auribus. 12.* de quo paulo inferius traditionem inſtituemus. 1

Eſt autem *hoc caput 11.* valde celebre & verè quotidianum, actus pios ſeu teſtamenta & legata ad pias cauſas condita concernens, in qvod ideò varii multiq; Doctores & interpretes ſcribunt. 2

Dicuntur piæ cauſæ, ſi v. g. Eccleſiæ, Scholis, Xenodochijs, pauperibus, Academijs, pro Redemptione captivorum & ad ſtipendium relictum ſit, *Carpz. Jur. For. P. 3. Conſt. 4. def. 24.* referens Donellum & alios. 3

Ubi quærit: An Legatum Parocho relictũ in piã cauſam imputandam veniat? & rectè decidit, quod non. argumẽto *cap. relatum eſt 12. verſ. nomine Eccleſiæ X. de Teſtam.* & ubi Lex nihil dicit neq; nos dicere debemus *arg. L. De pretio. ff. de Publ. in rem act.* atqvi lex nullibi loquitur de tali favore Parochi, ergo &c. Et quamvis *C. In Judiciis. 12. de Reg. Jur. in 6.* acceptatio perſonarum conſequenter & rerum regulariter habenda non ſit, attamen ſicut præcepto legis ex certis motivis ſubinde ratio perſonarum, veluti minorennium, pupillorum in contractibus, mulierum in Senatus Conſulto Vellejano, filiorum in Macedoniano habetur, ita & ratio habenda erit rerum, locorum, adeoq; piarum cauſarum, quas ideò in hoc *C. 11.* Pontifex in conſiderationem ſummopere trahere voluit. 4

5 Quapropter *hoc C. II.* in favorem piarum cauſarum cavetur & indulgetur, ut teſtamentum ad pias cauſas condere & Legatum relinquere liceat coram tribus aut duob⁹
6 Legitimis teſtibus tantũ, etiam fœminis, imò non rogatis, cum hoc negotium ad jus gentium reduci poſſit, quod non diſtinguit inter marem & fœminam, & inter vocem ſimplicem & rogantem. *L. 36. de Donat. Covar. hic. num. 5. 607.* & argumento eorum quæ dicit *num. 9. Mantz. in f. Tit. 10. de Teſt. Prænobilis Dominus ab Andler Inſtit. de Teſt. milit.*

7 Qvorum primo graviter obſtat, quod præcedenti teſtamento Canonico *n. 28.* deciderimus, fœminam in d. teſtamento minus ſolenni non poſſe eſſe teſtem, ut idem videatur dicendum in præſenti caſu piarum cauſarum & teſtamenti minus ſolennis, aut in utroq; idem negandum. Sed reſpondetur *in Cap. Cum eſſes. 10.* præter proprium Parochum requiri teſtes idoneos, adeoq; non quoscunq;, ut rectè excluſa cenſeatur mulier, quemadmodum ſuperius explicatum jam eſt, quale in præſenti & caſu invenire non eſt.

8 Obſtare Secundo videtur *in d. C.* vocabulum: *requiſitis*, per quod quidam rogationem teſtium evincere conantur, ſed ex eo eorum refellitur opinio, quod hic Canon teſtes appellet requiſitos neceſſarios ad teſtamenti probationem *d. n. 6.*

9 Sed quæritur: An teſtamentum ad pias cauſas factum ſubſiſtat ſi imperfectum ſit ratione Voluntatis?

10 Affirmant *id Bartol. Abbas*, & plurimi alii, contra quos rectè contrariam ſententiam ut veriorem & communem tenet *Harprecht. ad §. 3. & 4. Inſtit. de Teſtam. ordin.*
11 *Tom. 2. n. 49.* quia teſtamentum ipſum eſt noſtra ultima voluntas, ſeu voluntatis noſtræ Juſta ſententia, igitur deficiente voluntate, utpote teſtamenti cauſâ efficiente, deficit quoq; ipſum teſtamentum velut effectus. *L. 1. §. 2. ff. de Minorib.* Teſtamentum autem in ratione voluntatis per-

perfectum valebit, quamvis ex parte ſolennitatum imperfectum eſſet, quo collimavit. *L. Jubemus. 29. Cod. de Teſtament.*

Cæterum eousq; ſe extendit piarum cauſarum favor, 12
ut de Legatis ad pias cauſas & ſtipendia non deducatur Falcidia, inſtar libertatis relictæ, Legati militis, dotis uxori prælegatæ, & ſimilium, ob ſummum ſui favorem legibus Falcidiæ minimè ſubjectorum. *L. Si ſervus. 33. ff. ad leg. Falcid. L. Si poſt miſſionem. 17. ff. & L. 7. Cod. eod. L. in Teſtamento. 2. Cod. de Teſtam. milit. L. Sed uſusfructus. 81. §. 1. ff. ad Leg. Falcid. Nov. 131. cap. 12.*

Huc inſervit hujus rei præjudiciũ *Carpz. Juriſp. Forenſ.* 13
p. 3. Conſt. 1. fol. 88. obſervatum. his verbis: ſo ſeyet Ihr den 4ten Theil/ zu recht Falcidia genannt/ von denen legatis pro ratâ abzukürtzen wohl befugt. So viel aber das im Teſtament der Kirchen zu St. Niclaß gethane Legatum anlanget/ iſt daſſelbe als ein Legatum ad pias cauſas von Abkürtzung der Falcidiæ billig befreyet. Et qvamvis ex mora uſuræ & fructus 14
in actionibus Fideicommiſſorum & Legatorum, imò etiam ex morâ extra judiciali in Legatis & Fideicommiſſis perinde ab aditâ hæreditate præſtentur, ac in bonæ fidei Judiciis *l. 3 §. fin. ff. de Uſur. l. Titi. Sejo. ff. de legat. Donell. tr. de Fruct. cap. 3. Ant. Faber. 7. Conjunct. 3. gloſſ. in l. Mora. de Uſur. Jas. in l. cum fund. n. 12. de Reb. cred. per text. in d. l. Mora. 32. §. an bonæ fidei. 2. L. videamus. 38. §. in cæteris. de Uſur.* cum ſimilibus. 15
Hoc tamen ſpeciale & amplius eſt in Legatis ad pias cauſas quod hæres ſpatio ſex Menſium ſolvere talia Legata differens, fructus & uſuras cum omni legitimo augmento 16
& cauſâ Legatario ſtatim â tempore mortis teſtatoris hæc Legata relinquentis teneatur. *per text. in Nov. 131. In Auth. de Eccleſ. Cujac. d. cap. 18. Tract. de Var. temp. præſcrip. Köppen. lib. 1. obs. 152. num. 1. 2. & 3. fol. 445.*

Nec hæc prærogativa & utilis qvæſtio ad pias cau- 17
ſas prætereunda eſt, An ſcilicet Ignorantia rei alienæ ad piam

piam cauſam Legatæ impediat, qvo minus Legatum valeat?

18 Prænotandum ex *L.* illâ famoſâ utili, & quotidianâ *10. Cod. de Legatis*, quod res aliena ignoranter legata non valeat, niſi duobus caſibus, videlicet primo conjunctarum perſonarum tàm agnatorum tàm cognatorum usq; ad decimum gradum. *§. fin. Inſtit. de Succeſſ. Cog.* Secundò Uxoris, Juxta textum expreſſum *d. L. 10.* de quibus vid. *Sichard. ad hanc Legem n. 1. n. 12. & 16.*

19 Dixi: Ignoranter: nam ſcienter res aliena Legata valet. v.g. ſi teſtator (ſciens rem alienam eſſe) eam Titio legaverit, quo caſu ex præſumptâ teſtatoris voluntate hæres tenetur Legatum redimere, & præſtare. *Sichard. d. tit. num. 1.*

20 Pone ergo jam, quod extra prædictos duos caſus ſcilicet conjunctarum perſonarum & uxoris, Legatum libertatis juxta Caſum ex *L. Quidam. §. Si qvis filium. ff. ad Trebell.* Sticho alieno ſervo reliqverit, qværitur an valeat?

Et qvamvis Legatum rei alienæ ignoranter non valere dixerimus, hic tamen conformiter Gloſſæ & *L. Paulus reſpondit. ff. de Fideicommiſſ. Libertat.* decidendum eſt, quod ſive teſtator ſciat, ſive ignoret eſſe ſervum ſuum propter ſpecialitatem, ſingularitatem & ſummum favorem tene-
21 at hoc legatum libertatis, in cujus gratiam multa contra communes regulas & Juris rigorem conſtituta videmus, *l. Generaliter. 25. §. Si quis ſervo. 10. ff. de Fideic. libert. & §.*
22 *fin. Inſtit. de Donat.* unde libertas res aurea & inæſtimabilis reputatur, *l. libertas. 106. ff. de R. I.* omnibusq; rebus favorabilior habetur. *l. libertas. 122. ff. eod.* Inſuper non res
23 privata ſed publica appellatur, *l. Si qvis rogatus. ff. eod.* Imò pia cauſa dicitur, *l. 1. §. fin. ibiq; Bald. Cod. de Comm. ſer. manū. l. Veterum. 24. ad Sctum Velleianum.* occaſione qvorum ad propoſitam noſtram quæſtionem redituri concludimus, Legatum rei alienæ (ſive ſcienter ſive Ignoranter factum fuerit)

fuerit) pro animâ vel ad piam cauſam relictum valere, deductu argumento â favore libertatis ad piam cauſam, quæ in Jure invicem æquiparantur. *Bart. & Alex. in l. Si unus. Cod. de Teſt im. & Alexand. hic.* Sed ſimilium, & æquiparatorum idem eſt Judicium. *l. Non poſſunt. de Legib.* Ergo &c. Adſtipulatur negatio *l. Sancimus. cod. de S. S. Eccleſ.* Accedit, quod anima ſit pretioſior omnibus rebus mundi, ut inſinuat pulcher textus *in C. cum infirmitas. X. de Pœnitent. & remiſſ.* Quapropter Legata pro animâ, hoc eſt, pijs hominibus vel locis facta præ aliis Jure meritiſſimo privilegiata eſſe debent. *Sich. ad d. l. 10. n. 9. & 10. fol. 919.* In quibus omnibus modo expoſitis, & in hujusmodi, licet piæ cauſæ ſummoperè foveantur, legitima tamen (ut favorabilior) Eccleſiæ præfertur, ita, ut, deductionem legatorum ad pias cauſas ante deductionem Legitimæ locum non habere, concludant *Gloſſ. in l. Si quis ad declinandum. Cod. de Epiſcop. & Cler. in verb. ſimili modo. & Alexand. Conſ. 18. per totum. vol. 4.* Ratio eſt: quia legitima jure Naturæ debetur liberis, & loco alimentorum ſuccedit, quæ alter ſanguis & vita ſunt. *l. cum ratio. ff. de Bon. damnat. Jas. in C. Licet. num. 6.* imò *Bald. in Auth. Si quæ mulier. num. 2. de S. S. Eccles.* â patre legitimam filio auferri non poſſe tradit, etiamſi Deo dare vellet. Quemadmodum ſuperius jam inſinuatum eſt. *Köppen. lib. 1. obs. 129. num. 13. 14. 15. & 16. fol. 402.* 24 25 26

Finaliter hic ex modo dictis magiſtraliter reſolvitur illa ſubtilis Quæſtio: An actus ad pias cauſas ſine omni teſte valeat? Et ſine dubio non valere reſpondendum eſt, quamvis ille ſit valde favorabilis, 27

Nonobſtante Primò quod diſpoſitio teſtatoris manu ſcripta inter liberos, cæteroquin imperfecta & nullos teſtes habens valeat, quemadmodum ſuperius *P. hac I. C. 2. Sect. 5.* oſtenſum eſt, ut idem videatur concludendum de legato ad pias cauſas v. g. Eccleſiæ relicto, quia ut modo 28

rationabiliter deductum eſt, longè favorabilior eſt cauſa liberorum, quàm Legati ad pias cauſas relicti.

Non obſtante Secundò *l. 1. Cod. de SS. Eccles.* præcepto cujus liberè, adeoq; bonâ interpretatione ſine om-
29 ni ſolennitate & teſtibus, Collegiis & piis locis relinqui poteſt: Quia ultima Voluntas (quamvis favorabiliſſima & liberrima). Legibus accommodanda venit *l. Si quando 35. pr. Cod. de Inoff. Teſtament.* aliàs non habebit exitum. *l. Non dubium. 5. Cod. de Legib.* atqui ex juribus duos teſtes ex his actibus requiri jam dictum eſt, & modo inferius dicetur. Ergo &c. Sic in ſimili matrimonia (licet favorabiliſſima & celeberrima ſint *l. Libera. 2. Cod. de Inutil. Stipul. & C. Gemma. 29. X. de Sponſ.*) ſecundum præcepta legum fieri
30 debent. *pr. Inſtit. de Nupt.* cum reliquis. Pari modo reſpondendum eſt *ad l. ſunt perſonæ. 43. de Relig. & ſumpt. fun.* ubi juxta DD. in dubiis ſequi debemus illam opinionem, quæ pro animâ facit, eruiturque, pro Religione ſtandum eſſe. Siqvidem favor Religionis tanti eſſe non poteſt, ut Juris formas tollat.

31 Non obſtante Tertiò & ultimo *Auth. quod ſine. Cod. de Teſtam.* ubi libertas in teſtamento paterno ſine ullis teſtib' condito relinquitur, & idem ex ratione ſimilitudinis decidendum credatur circa legatum ad pias cauſas. quia tranſcriptio hujus Authenticæ perversè facta eſt: unde
32 ſuppleri debet ex fonte unde deſumpta eſt, nimirum ex *d. Nov. de Teſtamentis Imper. 107. cap. 1. verſ. Si tamen aut uxori &c.* ubi clariſſimè & expreſſiſſimè teſtes requiruntur. Quapropter impræſentiarum pro ſciendâ & obſervanda authoritate juris inſigniter notandum, quod juxta Baldum *in Prælud. feud. colum. 3. & Conrad. Rittersb. in Proœmio Nov. cap. 17. num. 1. Covarr. ad c. Si hæredes. X. de Teſtam. num. 7. juxta Exempla. Hartm. Piſtor. Q. 2. num. 5. Georg. Rittersh. in Diſput. de errorib. Irnerian. & Wiſenbach*, tradant: transſcriptionem *Auth.* perversè contigiſſe opera Irnerij atq; aliorum,

rum, qui Juſtiniani Novellas Codici inſeruére, hinq; nullam authoritatem Authenticis eſſe niſi cum Novellis, exquibus 33 deſumptæ ſunt, conſentiant:

Cæterum in actibus ad pias cauſas requiri duos vel tres teſtes ex ſæpius citato *C.Relatum.11.* clarum eſt, & approbatur ut communior ſententia, quam etiam confirmavit Reſponſum aliquod *Juris Coll. Jurid. Lipſiens. referente Jacob.Thoming.Decis.4.n.12.*

SECTIO III.

De Favore, Qualitate & Diverſitate Clericorum, nec non modo ſuccedendi iisdem proprio.

SUMMARIA.

1 *De Clericorum favore.*
2 *Clerici unde dicantur?*
3 *Sæcularibus negotiis ſeſe implicare probibentur.*
4 *Quænam negotia intelligenda ſint?*
5 *An & temporalis poteſtas ſub iis comprehendatur?*
6 *Reſolutio objectionis ex Lucæ 22. cap. deſumpta.*
7 *Enumeratio negotiorum ſæcularium.*
8 *Plures probibitiones recenſentur.*
9 *An Clerici Judicio ſanguinis intereſſe poſſint?*
10 *An Epiſcopi ſæcularem jurisdictionem habentes alteri Jus gladii mandare poſſint?*
11 *Exceptio in Epiſcopo Herbipolenſi & Abbate Campidonenſi.*
12 *Ratio cur à cauſis ſanguinis abſtinere debeant?*
13 *Quid in Clericis ratione vitæ requiratur?*
14 *Verba Concilii Tridentini.*
15 *Pœna Clericorum Uſurariorum & Comam relaxantium, aut cum incontinentiæ ſuſpectâ converſantium.*
16 *Quot ſint Clericorum ordines?*
17 *In ordine Jurisdictionis diſtinguuntur Sacerdotes Epiſcopi Archi-Epiſcopi &c.*
18 *Præeminentia Pontificis Maximi.*
19 *Tranſitus ad quascunque ſucceſſiones Clericorum.*
20 *An Clerici beneficiati abſolutè de bonis quibuscunque diſponere poſſint?*
21 *Quid Juris in Patrimonialibus?*

22 Et iis quæ ex ſucceſſionibus aut aliunde proveniunt?
23 An bona extra cauſam beneficii acquiſita, ſed intuitu tamen ſociorum, patrimonialia ſint?
24 Ratio affirmativæ.
25 An bona, quæ quis parcius vivendo ex proventibus Eccleſiæ obtinuit, æq; ſint Patrimonialia?
26 An Clericus de bonis Eccleſiæ teſtari poſſit?
27 Quæ dicantur bona Eccleſiæ?
28 Cui cedant bona reſpectu Eccleſiæ acquiſita?
29 Cur Eccleſiæ, in quâ habuit beneficium tribuantur?
30 Cauſa movens hujus diſpoſitionis.
31 An ſaltem ad pias cauſas de hiſce teſtari poſſint?
32 An Mobilia de conſvetudine ad pios uſus convertere valeant?
33 Quid tribuat Licentia Pontificis?
34 An non de conſvetudine hodiernâ de hiſce bonis validè diſponant?
35 Affirmativa verior eſt cum certâ tamen reſtrictione.
36 An ea conſvetudo ſit proba, & contra legem Juſtitiæ non pugnet?
37 Rationes pro affirmativâ.
38 Quid per ſpolium intelligatur?
39 An Religioſus poſſit teſtari?
40 Religioſi proprii nil poſſident, ſed monaſterio omnia trans mittunt.
41 Pœna Religioſi proprietati non renunciantis.
42 Quid ſi Pontifex teſtandi facultatem conceſſerit?
43 An Religioſus Epiſcopus effectus, & a voto paupertatis liberatus ſuper hoc expreſſe diſpenſationem habere debeat?
44 An hæc licentia primo actu exſpiret?
45 Ratio Negativæ.
46 An Morte concedentis Licentia in nihilum recidat?
47 An permiſſio teſtandi teſtamentum antea factum faciat convaleſcere?
48 An teſtamentum ante ingreſſum Religionis confectum ſit validum?
49 An Novitii liberè teſtari poſſint?
50 An Eccleſia vel loca Religioſa bona immobilia ex teſtamento capere queant?
51 An ſaltem debeatur æſtimatio?
52 De portione Canonicâ Epiſcopo ex Legatis Eccleſiæ debita, & econtra de eadem Eccleſiæ ex Legatis Epiſcopi debitâ.
53 Limitationes nonnullæ.
54 Quanta ſit portio Canonica?
55 Portio Canonica Parœcialis quid ſit?
56 An Eccleſiæ Parochiali, an verò ubi ſepulturæ locus ſit, debeatur?
57 An propter ingreſſum Religionis, portionem Canonicam Eccleſiæ Paroecialis petere valeat?
58 Quibus Caſibus non debeatur portio Canonica?
59 Quales requirantur Executores teſtamentorum?
60 Quando Epiſcopi Executores efficiantur?
61 Tempus Explendæ voluntatis per (Executores.

62 Quo-

62 *Quomodo in Patrimonialibus ab inteſtato Clericis ſuccedatur?*
63 *Hæredibus Legitimis non exiſtentibus ſuccedit Eccleſia.*
64 *Qnomodo ſuccedat Eccleſia vel Altare in fructibus perceptis intuitu beneficii?*
65 *Quid Juris ſi plures Eccleſias quis habuerit in titulum beneficii, & ſimul ſit concurſus bonorum Patrimonialium?*
66 *Quid in hiſce ex conſvetudine obſervetur?*
67 *Quid ſtatuatur de ſucceſſione fructuum pendentium intuitu beneficii acquiſitorum?*
68 *Quam ſucceſſionem Monachus habeat?*
69 *Monachus factus Epiſcopus ad Eccleſiam defert hæreditatem.*
70 *An Eccleſiæ Prælatus aut Clericus Inventarium conficere debeat in ſucceſſione hæreditariâ, & ultra vires Patrimonii teneatur?*
71 *Rationes Negativæ.*
72 *Affirmativa de Jure verior.*
73 *An Jura Civilia obligent Eccleſiam?*
74 *An de Jure Canonico confectio inventarii approbetur?*
75 *Differentia inter Fiſcum qui ſuccedit ut hæres, & qui non ſuccedit Jure hæreditario.*
76 *An Fiſcus teneatur ad confectionem inventarii?*
77 *Appellatione hominis venit & Fiſcus.*
78 *Quare Monaſterium ſuccedens Monacho non teneatur ad inventarium?*
79 *An Eccleſia non confecto inventario poſſit reſtitui in integrum?*

MAgnus eſt Clericorum, utpote Chriſti & Cœleſtium Militum favor, quem Pontifices in Sacri Juris Canonici Conſtitutionibus benè obſervarunt, Hinc quoq; Alexander tertiꝰ diſpoſitionibꝰ favorabilibꝰ ultimarũ voluntatũ ad pias cauſas in *C. 22.* deductis, optimo ordine ſubjunxit ſequens *Relatum eſt auribus. 12.* ubi de Clericorum diſpoſitionibus ultimis tractatur, Quem ordinem & nos ſecuturi (poſtquam de ſæpius jam memorato *C. Cum eſſes. 10. & 11.* pro ratione inſtituti noſtri & materiæ ſermocinati ſumus) *in C. Proximum. 12.* de Clericorum diſpoſitionibus inquiremus. 1

Clerici (prout hic opponuntur Laicis â Græco verbo λαὸς, quod Latinè populum ſignificat, denominationem trahentibus) dicuntur illi, qui Eccleſiaſticis Miniſteriis obeundis mancipati & deſtinati ſunt, appellati â græco verbo κλῆρος, quod latinè ſors vel hæreditas eſt: quia 2

in ſui ordinatione vel aſſumantur in hæreditatem Domini, vel aſſequantur hæreditatem in ipſo ut cum Propheta verè pſallere poſſint: *Dominus pars hæreditatis meæ.* Hinc etiam in & per Eccleſiam penitus Divinis obſequiis aſcri-
3 buntur. *C. Cum ſecundum. 16. X. de Præb.* & utpote militantes Deo, ſæcularibus ſe implicare negotiis prohibentur. *C. Multa ſunt. 1. X. Ne Cler. vel Monach.* ubi quæritur, qvalia
4 lia negotia hic intelligenda ſint? *Zoes. Comm. ad Jus Canonic. lib. 1. tit. 2. num. 6.* exiſtimat, illum Juris Canonici textum & Apoſtoli verba accipienda eſſe de negatione & minimâ ſollicitudine circa temporalia lucra; Igitur Ec-
5 cleſiaſticis perſonis per illud & ſimilia capita minimè prohibita erit temporalis poteſtas, cujus conjunctio cum ſpirituali ſervit Eccleſiæ & fidelium utilitati atq; commodo ad majorem pacem & unionem, ita ut etiam temporale Regimen melius ſe referre poſſit ad ſpirituale, atque conciliare majorem reverentiam Prælatis.

6 Nec ſolidè objiciuntur verba Chriſti *Luc. 22. Reges gentium dominantur eorum, vos autem non ſic.* quia Chriſtus per ea non prohibuit habere talem poteſtatem ſed inſinuare voluit, quod Apoſtoli & diſcipuli de facto talem non haberent nec uterentur, quod planè per accidens fuit. De cœtero *Zoeſ.* datâ diſtinctione hoc loco non videtur ſatis explicare qualitatem negotiorum ſæcularium, â quibus Clerici abſtinere tenentur, quia hic non tantum á lucroſis, ſed & multis aliis ſæcularibus negotiis abeſſe jubentur, quorum circiter quindecim (ex Concilio Moguntino extracta) *iu d. l. 1.* recenſentur.

7 Et ſunt: primò omnis Carnalis concupiſcentia. Secundò injuſti & turpis lucri appetitus. Tertiò munerum injuſtorum acceptio vel datio. Quartò quæſtus pro aliqvo ſæculari pretio conducti hominis. Quintò amor contentionum, Litium vel rixarum. Sextò Diſputatio in plateis ſæcularibus exceptâ defenſione Orphanorum aut

vi-

viduarum. Septimò Exercitium procuratoris & conductoris ſæcularium rerum. Octavò officium Jaculatoris, turpis verbi vel facti, aut affectus joci ſæcularis. Nonò affectus alearum. 10mò ornamenti inconvenientis affectio. 11mò Delicium vitæ. 12mò ſecutio gulæ & ebrietatis. 13mò. uſus injuſtorum ponderum & menſurarum. 14to. exercitium injuſti negotii. 15to. inſecutio venationis per aves & canes inſtitutæ.

Ad plures prohibitionis hujus effectus remonſtrandos concurrit primo *C. Sed nec. 3. hic.* ubi Clericus generalis Procurator, vel Juſtitiarius Principis & virorum ſæculariũ eſſe non poteſt. Deine *C. Sicut te. 8. hic.* ubi cavetur ne Clericus officium tabellionis exerceat. Præterea *C. Clericus. & C. Sententiam ſanguinis.* in quibus omnes Clerici vigore Sanctorum Conciliorum Judicium ſanguinis agitare, ſanguinis vindictam exercere, ei aut loco ſupplicii intereſſe pro ſanguinis vindictâ literas dictare aut ſcribere ſub pœnâ irregularitatis prohibentur. Unde Clerici & Epiſcopi ſæcularem Jurisdictionem tenentes, Merum Imperium & jus gladii juncta. *d. C. 9.* alteri mandare poſſunt ac debent, contra jus Civile, quo delegatio Meri Imperii non admittitur. *l. 1. ff. de Offic. ejus, cui mand. l. Solet. 6. ff. de Offic. Pro Conſ. Hen. Caniſ. Diff. Jur. Canon. & civil. 30. Sum. Juris. Can. fol. 659.* 8 9 10

Epiſcopus tamen Herbipolenſis & Abbas Campidonenſis ex ſpeciali Pontificis privilegio liberè exercent jus gladii. Unde dicitur illud vulgare: Epiſcopus Herbipolenſis & Abbas Campidonenſis judicant ſtolâ & enſe. 11

Quod autem Clerici à Cauſis ſanguinis abſtinere debeant ratio eſt, ut in manſvetudine, ſepoſitâ omni vindictâ, Chriſtum utpote ſui diſcipuli, imitentur, quibus additur *C. ult. hic.* Cujus prohibitione Religioſi, Profeſſi & Clerici, velut Archidiaconi Decani, Præpoſiti, Cantores, Præsbiteri, & omnes alii perſonatus habentes, Phyſicam & leges ſæculares ſub pœnâ excommmunicationis audire non audent. 12

Cum

13 Cum igitur Clerici ſint de ſorte domini, fovendi & venerandi ſunt, ad cujus conciliationem & comparationem deſiderantur etiam in iis pia vita, honeſtas & inſignes mores, hinc eos Innocentius tertius in Concilio Lateranenſi ita alloquitur. *Præcipimus, ut tàm Epiſcopi quàm Clerici in ſtatu mentis, in habitu Corporis Deo & hominib placere ſtudeant, & nec in ſuperfluitate, ſciſſurâ aut colore veſtium nec in tonſurâ intuentium (quorum forma & Exemplum eſſe debent) offendant aſpectum, ſed potius, quod eorum deceat Sanctitatem, præ ſe ferant. Quod ſi moniti ab Epiſcopis emendare ſe noluerint, Eccleſiaſticis careant beneficiis. Text. eſt in cap. fin. 21. Q. 4. & juxta Concilium Tridentium Seſſione 22. cap. 1. de Reformat. vitam ſu-*
14 *osq; mores ita componere jubentur ut habitu geſtu, inceſſu, ſermone aliisq; omnibus rebus nil niſi grave, moderatum, ac religione plenum præ ſe ferant, levia etiam delicta, quæ in illis maxima eſſent effugiant: ut eorum actiones cunctis adferant venerationem.*

15 Hinc eſt cur Clerici arma portantes, uſurarii, comam relaxantes, & barbam nutrientes, excommunicentur. *C. Cler. 2. C. Si quis. 4. C. Clericus. 5. cũ ſimilibus. X. de vitâ & honeſt. Cleric. Quãvis Hen. Caniſ. in Sum Jur. Can. Lib. 1. Notat. ad tit. vel. fol. 114.* putet, circa barbam & comam conſuetudine illius, Conſtitutionibus derogatum fuiſſe, eamque valere *Cap. fin. X. de conſuet.*

Inſuper illud graviſſimè interdicitur Clericis, ne cum muliere in continentiæ ſuſpectâ converſentur, aut ſuſpectam domi foveant; quia juxta Concilium Moguntinum inſtigante Diabolo, aut in illis ſcelus perpetratum reperitur, aut etiam in pediſſequis eorundem, *C. Inhibendum. 1. X. de Cohabit Cleric.* adde Concilium Tridentinum *Seſſ. 25. Cap. 12. de Reformatione.* De hac omni materiâ hactenus actâ *Vid. capita per totum X. de Præbendis. de Vit. & honeſt.*
16 *Cleric. de Cohabit. cleric.* Clericorum ordines â Theologis ſeptem

ſeptem recenſentur. Videlicet quatuor minores, Veluti oſtiariatus, Lectoratus, Exorciſatus, Accolyſtatus: & tres Majores, ſive ſacri Ordinis Subdiaconatus, Diaconatus & Præsbyteratus. De qvibus vid. *Theol. in Lib. 4. Sentent. diſt. 24. Bellarm. de Cleric. Lib. 1. cap. 11. Concilium Tridentinum Seſſ. 43. cap. 2. de Sacrament. Ord.* quibus ex doctrinâ Sacrorum Canonum duo alii Ordines adjiciuntur: Videlicet Clericalis, *C. Cum contingat. 11. X. de Ætat. & Qualitat.* ſimul & Epiſcopalis *C. 1. Circa princ. Diſtinct. 21. C. 3. Diſtinct. 48. C. 13. Diſtinct. 39. Concil. Tridentin. Seſſ. 23. cap. 6. & 7.* Ratio hujus aſſignatur, quia Theologi Ordines conſiderant, ut habentes ſe ad Divinum ſacrificium, quod æq; â Præsbyteris ac ab Epiſcopis offertur. Quo caſu inter Pontificem & ſimplicem Sacerdotem non eſt differentia. Canoniſtæ autem Ordines obſervant, ut conſtituentes hierar- 17
chiam in Eccleſiâ, quo caſu in ordine Jurisdictionis diſtinguuntur inter ſe Sacerdotes, Epiſcopi, ArchiEpiſcopi, Metropolitani, Patriarcha & Pontifex Maximus, qui omnes Epiſcopos aliasq; perſonas Eccleſiaſticas dignitate, autho- 18
ritate & poteſtate antecellit, â quo reliqui Epiſcopi in partem ſollicitudinis non in plenitudinem poteſtatis vocantur.

Ex modo dictis de qualitate & favore Clericorum atq; 19
perſonarum Eccleſiaſticarum tàm in ſupremo quàm etiam inferiori Jurisdictionis gradu conſtitutarum rectè fit transitus ad commoda aut etiam jus iisdem conceſſum, maximè verò illud, quod liberè de bonis & fructibus Eccleſiaſticis diſponere, & conſequenter de ſucceſſione ſibi providere poſſint. Sciendum autem eſt, non ita ſimpliciter 20
& abſolutè de Jure poſitivo Clericos potiſſimum beneficiatos de bonis quibuscunqve diſponendi facultatem habere, ſed certis tantum, & eo jure expreſſis modis.

Et primò quod ad Patrimonialia attinet, ac ea, quæ 21
ante Clericatum obtinuerunt, vix dubium remanet, quin

de iisdem liberè teſtari, *C. 1. C. Quia nos. 9. C. Relatum. 12.*
22 *X. de Teſtam. & Ult. Volunt. Can. 1. XII. Q. 5.* quinimò & ea donare inter vivos pro arbitratu ſuo & reſervare conſangvineis poſſint. Idem dices de iis, qvæ Clericus acquirit ex ſucceſſione qualicunq;, aut etiam propriâ induſtriâ,
23 proprio labore & perſonali operâ, etiam per eos actus, ad qvod ipſum beneficium obligabat; ut ſi curatus extra proventus ſui beneficii quid lucretur, celebrando miſſas, concionando, audiendo confeſſiones, inſerviendo Capellariæ, Vicariatus officio fugendo, adminiſtrando ſacramenta. Quia taliter acquiſita æquiparantur Patrimonialibus. *Andr. Vallens. in Paratitl. Jur. Can. lib. 3. tit. 26. num. 5.* & quamvis intuitu Eccleſiæ comparata dici poſſint, non tamen immediatè ex ejus bonis perveniunt, adeoq; nulla Eccleſiæ fiat injuria relinqvendo ea aliis. *Covarr. ad d. c. 1. num. 13. per C. Relatum. 12. inf. de Teſtament. & Ult. Volunt.*
24 quia dantur in mercedem laboris ac ſervitii, nec non operæ perſonalis præſtitæ, aut etiam liberaliter in ſuſtentationem absq; ullo onere tacito vel expreſſo erogandi ſuper-
25 flua pauperibus. Prædicta quoq; extendas ad ea bona quæ quis parcius vivendo ex proventibus ſui beneficii congruæ ſuſtentationi ſubtraxit. *Navar. de Redit. Eccleſ. Q. 1. num. 25.* Nec non etiam ad eum caſum, ſi vixerit Clericus utcunq; alias dives, ex reditibus Eccleſiæ, cum nemo teneatur militare propriis ſtipendiis. *C. Cum ſecundum. 14.*
26 *de Præbend.* Secus erit de iis bonis Eccleſiæ, quæ intuitu illius Clericus acquiſierit. Dicuntur autem bona Eccleſiæ,
27 quæ ejus miniſtris conſervata ſunt, ſive ſint immobilia ſive mobilia, ut agri, ſylvæ, domus & alia, quæ quocunq: titulo ſive donationis, ſive emptionis ſive legati ad Eccleſiam pervenerunt, in quibus Clericus nullum jus præter adminiſtrationem ſibi vindicare poterit. *C. 2. de Donat. Can. fin.*
28 *XII. Q. 1.* Bona reſpectu Eccleſiæ acquiſita, ſunt tantũ fructus & provent' beneficiorum, & alia quævis, qvæ Clericis

occa-

occaſione Eccleſiæ obveniunt, & ſecundum Canones Ec-
cleſiæ cedunt, in quâ Clericus beneficium obtinuit *C. 1. C.*
Quia nos. 9. X. de Teſtam. & Ult. Volunt. Can. Placuit. XII.
Q. 3. ut ut etiam domini eorum dici poſſint *Concil. Trident.* 29
Seſſ. 22. cap. 3. & Seſſ. 24. cap. 12. de Reform. eo quod Eccle-
ſia legem & modum circa dominii uſum præſcribere po-
teſt non læſo dominio, potiſſimum cum nihil iniquitatis 30
contineat, ab Eccleſiâ profecta ad eam redire. Accedit
& illa ratio ut perſonæ Eccleſiaſticæ ab inſatiabili opes
congerendi cupiditate arceantur, & in vita liberalitatem
erga pauperes exercere ſtudeant, ſuaq; in uſus pios potius 31
convertant, quam avarè multa accumulata non ſine ſcan-
dalo relinquant, adeò ut nequidem ad pias cauſas de iis te-
ſtari poſſint *C. 1. & 2. Cum in officiis. 7. X. de Teſtament. &*
Ult. Volunt. Addit rationem *Vallens. d. l. num. 7.* quia jus
Pontificium voluit bona hujusmodi non aliâ lege cedere
Clericis, quam ut inde ſibi neceſſaria perciperent, & poſt
mortem beneficiati redirent ad Eccleſiam, incitarenturq;
ad eas res in vita liberaliter in pios uſus expendendas,
quam demum poſt mortem relinquendas, quod denega-
tur: niſi Primò probabilem dicere velis eam conſvetudi- 32
nem, quâ diſponitur mobilia quædam in pios uſus relin-
qui poſſe & in compenſationem beneficii *d. C. Relatum. 12.* 33
Aut Secundò de hiſce teſtandi â Pontifice obtinuerint li-
centiam, quæ conceditur per breve usq; ad certam ſum-
mam, modicam tamen *Petr. Rebuff. in Praxi benef. Rubr.*
de brev. Apoſt. pag. mihi 449. num. 37. ubi addit: quia de mo-
dicis maximè Romani & mulieres non curant, quæ
poteſtas rectè Pontifici tribuitur, cum Eccleſiaſticorum
bonorum adminiſtratio ipſi ſit commiſſa, & hæc prohibi-
tio teſtandi ſit juris humani, cujus relaxandi habet pote-
ſtatem.

Sunt tamen nonnulli, qui putant, Clericos fructuum 34
& proventuum omnium, quos ex beneficiis conſequan-

tur, verè & abſolutè eſſe dominos, non ſolum quoad partem congruæ ſuſtentationi neceſſariam, verùm etiam quoad redundantem, quod probatur ex *Concil. Trident. Seſſ. 12. cap. 3. de Reform. & Seſſ. 23. de Reform.* Quæ poſterior ſententia generali ferè conſvetudine probatur, vigore cujus Clerici non tantum de fructibus beneficiorum ſuo-
35 rum ad pios, ſed etiam ad profanos uſus teſtari poſſunt, cum hac tamen benè notandâ reſtrictione, ne fines illius transgrediantur, ſed ut congruentem portionem erogent in pauperes & pios uſus: Quia hujusmodi prohibitio Jure Divino non fundatur, aut etiam Naturali aut Gentium, ſed tantum merè poſitivo, ut proinde contrario jure poſitivo & conſvetudine mutari poſſit. *Navarr. Tract. de*
36 *Redit. Eccleſ.* modo allegatam conſvetudinem maximè improbat, multisq; argumentis impugnat, potiſſimum verò illo, quod fructus illi non ſint in dominio Clericorum, ſed ex lege Juſtitiæ teneantur eos ſuſtentationi non neceſſarios in pauperes pioſq; uſus diſtribuere, atq; ita videantur de
37 re alienâ teſtari, qvod non poteſt induci conſvetudine. Aſt argumentatio hæc nimis frigidè procedit, cum ſciamus Clericos non tàm lege Juſtitiæ, quàm charitatis teneri ſuperfluos fructus in pios uſus diſpenſare, maximè, uti jam dictum, quod hæc prohibitio jure poſitivo tantum fundetur, & publica tranquillitas ſæpe turbaretur, ſi hujusmodi teſtamenta Clericorum ſubverterentur, & bona tanquam
38 ſpolia (quorum appellatione veniunt bona quocũq; modo à Clericis acquiſita, & ab iis relicta ex fructibus beneficiorum) occuparentur quæ per Conſtitutiones variorum Pontificum Cameræ Apoſtolicæ ceſſerunt. *Navarr. de Spol. Cler. §. 5.*

De Religioſo inſuper quæſtio oriri poſſet, an hic te-
39 ſtamenti factionem habeat, & non obſtante profeſſione de bõnis diſponere valeat? In propoſitâ quæſtione ſolvendâ, non multum difficultatis ſupererit, ſi conſideremus ejusmodi

modi profeſſum ſe bonis omnibus exuiſſe, adeoq; omnem
proprietatem eorum rejeciſſe, nec non etiam voluntati &
arbitrio alterius ſe ſubjeciſſe *C. 2. X. de Teſtam. & Ult. Vol.*
ſcimus enim eos proprii nihil poſſidere, ſed omni proprie- 40
ti renunciare debere, quæ cedit & quæritur Monaſterio
bonorum capaci, quatenus non cohæret perſonæ; Cujus-
modi ſunt beneficia, feuda & ſimilia jura, quæ poſt profeſ-
ſionem demum ad proximiores deferuntur, cum pœnâ 41
hac ulteriori, ut is proprietati rerum non renuncians Mo-
naſterio expellendus ſit, mortuusq; proprii quid habuiſſe
inventus clam ſuperiore ſepulturâ Eccleſiaſtica carere te-
neatur. *C. 2. & 5. X. de Stat. Monach.* Hinc rectè conclu-
ditur, tales ad teſtamenti factionem non admitti, imò eti-
am, cum proprietate careant, cum effectu donare non
poſſe.

Limitatur, niſi teſtandi facultatem Pontifex Max. 42
Religioſo conceſſerit, & ſuper iis, quæ ad illos devolvuntur,
diſpenſaverit, quod omninò facere, & talem Religioſum â
voto paupertatis eximere poteſt. *Covarr. in C. 2. de Teſt.*
& Ult. Vol. num. 17. Quæ diſpenſatio etiam expreſſè in- 43
tercedere decet in caſu, quando Religioſus Epiſcopali di-
gnitate donatus, aliàs â voto paupertatis non liberabitur,
nec etiam teſtamenti factione gaudebit, ſed in omnibus
præcipuè verò in ſubſtantialibus ut antea obſtringatur, ex
ratione: quod nullo Canone id ſtatuatur, ſed contrarium
potius inſinuetur. *in Can. de Monach. XVI. Q. 1. & in C.*
clerici. pen. X. de Vit. & Honeſt. Cleri. ubi in Epiſcopum
Monachus electus, habitum Monachi deferre tenetur.

Effectus tamen hujus licentiæ non ita ſtrictè accipi- 44
endus eſt, ac ſi primo actu exſpiret, in iis enim verum eſſe
poteſt, quod primo actu corruant, quæ actum non revoca-
bilem important, non item quæ revocabilem, qui ex natu-
râ & conditione ſuâ non ita finitur, imò non cenſetur con-
ſummatus, ſi revocetur, qualis eſt actus teſtandi, qui ante 45

mortem teſtatoris firmus non eſt. Ratio dictorum eſt: quia verba & diſpoſitiones debent intelligi ſecundum naturam actus, ad quem referuntur, eſt autem naturâ ſuâ teſtamen-
46 tum revocabile, adeò etiam ut quantumvis mors hanc licentiam concedentis intervertiſſe dicatur, nihilominùs tamen firma reputetur, cum non tàm ad mandatum ſpectet, quàm ad gratiam factam, quæ non extinguitur morte con-
47 cedentis *C. Si cui. 36. de Præbend. in 6.* Non autem eousq; effectum ſuum extendat hæc promiſſio teſtandi, ut etiam teſtamentum antea factum cövaleſcere faciat, quia hæc licentia futuri eſt temporis, & non trahitur retro in confirmationem ejus, quod factum inutiliter; Ex ratione itidem, quod hujusmodi diſpoſitiones ſint odioſæ *C. 1. in fin. de Fil. Præsbyt. in 6.* non admitant extenſionem ad alium actum.

48 Dubitari hic merito quoq; poteſt, an teſtamentum antè ingreſſum Religionis confectum, effectum ſuum ſortiatur, an verò per ipſum rumpatur? Diſtingvunt nonnulli an teſtamentum faciens cogitaverit de ingreſſu vel non; ſi hoc: quod tacitè videtur revocaſſe voluntatem. At veriorem alteram cenſerem opinionem, quæ indiſtinctè validitatem hujus Voluntatis docet, præſertim cum nullus textus diſtinguat, ſed potius liberam teſtandi de bonis ſuis concedat facultatem. *Nov. de Monach. 5. §. illud.*

49 Limitantur dicta in Novitijs, qvi nondum per profeſſionem ſe totos Ordini Religioſo devoverunt, aut etiam voluntatem in alterius remiſerunt poteſtatem, nec bonis ſe ſe exuerunt; hi enim pleniſſimam de ſuis rebus quocunq; modo diſponendi habent libertatem, qui Religioni obligati dici non poſſunt, & habitus Monachum non facit *C. 2. X. de Teſtament. & Ult. Volunt.* Nec eſt qvod nos multum fatiget textus Concilii Tridentini *Seſſ. 25. C. 16. de Regul.* quoniam tantum agit de diſpoſitione bonorum, quæ fit per

peractus inter vivos, non autem illâ, quæ per ſpeciem ulti-
mæ Voluntatis conſtituitur.

Hic paucis videre lubet, an quis de immobilibus ita 50
teſtari poſſit, ut Eccleſia, vel loca Religioſa eadem capere
valeant? Statuta plurium locorum, ſicut etiam Conſtitu-
tio Caroli V. Imperatoris de Anno 1520. in Belgio maximè
obſtant, & clarè contra diſponunt, atq; actum irritum fa-
ciunt, ex qvo conſequens eſt, ejusmodi bonis legatis, ne- 51
quidem æſtimationem deberi, cum pro non adjectis ha-
beantur, niſi evidenter demonſtrari poſſit, teſtatorem ejus
fuiſſe Voluntatis ut pretium ſolveretur, quod utiq; ſolven-
dum eſſet & præſtandum, ſicut reliqua legata omnia Ec-
cleſiæ relicta, quæ omninò præſtari oportet, cũ hàc reſtri-
ctione tamen, ut Epiſcopus de legatis Eccleſiæ in ſua Diœ- 52
ceſi ſitæ portionem Canonicam, quæ reſpectu conſvetudi-
nis cujusq; loci varia eſt, detrahat, imò etiam econtra ex
relictis Epiſcopo eandem portionem Canonicam Eccleſia
Cathedralis conſequatur, quam teſtator diminuere non
poteſt, aut etiam impedire, quominus eam ſalvam habeat
Epiſcopus vel Eccleſia, cum de Jure communi debeatur.

Limitatur hæc ultima concluſio Primò, ſi citra frau- 53
dem legata fuerint relicta Eccleſiæ pro ornamentis, fa-
bricâ, cereis, luminaribus & aliis ſimilibus cauſis, ut pro
alendis pauperibus, maritandis aut in matrimonio collo-
candis puellis pauperibus, *C. ult. X. de Teſtam. & Ult. Vo-
lunt. DD. in c. Officii. 14. eod.*

Limitatur Secundò, ſi Eccleſias ſub Epiſcopali Jurisdi-
ctione ſitas Privilegium expreſſum ab onere collationis
portionis Canonicæ liberet, aut etiam Legitimâ conſvetu-
dinæ exemptæ fuerint. Abbas *in d. c. Officii. X. de Teſt.
& Ult. Vol.*

Limitatur Tertiò, ut Epiſcopus non gaudeat portio-
ne Canonicâ, ſi teſtator citra fraudem ipſi quid reliquerit,

&

& inſuper rogaverit, ut illo contentus eſſe velit; atq; acceptaverit *d. C. Officii. d. t.*

Limitatur quartò reſpectu portionis ab Eccleſiâ detrahendæ, ſi non contemplatione Eccleſiæ Epiſcopo quid relictum fuerit, ſed potius contemplatione perſonæ, hoc enim caſu Eccleſiæ Cathedrali nominata portio non debetur. *C. Requiſiti. 15. X. de Teſt. & Ult. Volunt.*

54 Diximus ſupra portionem Canonicam (quæ Falcidiæ & Trebellianicæ rectè comparatur) ſecundum conſvetudinem cujuscunq; loci variam eſſe; Interdum enim quarta interdum tertia eſt, aut alia etiam prout obſervari
55 conſvevit. Huc quoq; non ineptè revocatur portio Canonica, quæ inſuper vocatur Parœcialis, Eccleſiæ Parœciali ſive Parochiali debita, quæ debetur propriè Eccleſiæ Parochiali ex relictis eo in loco, in quo electa ſepultura. Dicitur in quo electa eſt ſepultura: Nam ex relictis Eccleſiæ, in quâ quis non ſepelitur, non præſtatur hæc portio Eccleſiæ Parochiali *C. 3. lib. 3. Decret. de Sepult.* quia ex
56 ijs tantum debetur, quæ ſepulturæ & funeris cauſâ relinqvuntur. Qvodſi verò Familia certum habeat ſepulturæ locum in certâ & non Parochiali Eccleſiâ, & ubi ſolita fuerit Divinis intereſſe, atq; alibi ſepulturam elegerit, cuinam hæc portio debebitur, An Eccleſiæ, ubi ſepulturam certam habet, an verò ubi Divinis ſẽper interfuit? Certe *ex C. 2. eod. in 6.* quilibet merum concludet, Parochiali, & ubi defunctus Divina audire ſolitus fuit, portionem hanc merito deberi. Verba ſunt: *Cum qvis cujus majores ſunt ſoliti ab antiqvo in aliqvâ Eccleſiâ ſepeliri, eâ dimiſſâ, alibi eligit ſepulturam: Canonica portio dimiſſæ non debetur Eccleſiæ, ſed illi duntaxat, in qva ille officia conſvevit audire Divina, & Eccleſiaſtica recipere Sacramenta. Cum ab eo qvi duo habet domicilia, ſe collocans æqvaliter in utroque, in loco tertio eligitur ſepultura: domiciliorum Eccleſiæ habebunt inter ſe dividere portionem Canonicam.*

Quid

Quid ſi quiſpiam Religionem ingreſſus fuerit, omnia- 57
que bona ſua Monaſterio addixerit, an nihilominus Eccleſia Parochialis portionem Canonicam ſuo tempore petere poſſit? Quo in caſu Negativa verior eſt per textum expreſſum *in C. 4. X. de Sepult.* in verbis: *Si verò ad Religioſa loca ſe in ſanitate transtulerint, de his quæ locis ipſis conferent, cogi non poſſunt aliquid præſcriptis Eccleſiis impertiri, quia liberum eſt eis tunc bona ſua non ſolum Religioſis, ſed etiam quibuslibet privatis conferre perſonis.* Secus eſſet ſi quis æger & morbo affectus Monaſterium intraret, & exinde moreretur, quoniam tunc absq; dubio portionem Canonicam Parœcialem detrahere liceret *d. c. 4.* ne fiat fraus propriæ Eccleſiæ.

Limitantur prædicta *primò*, ſi Eccleſiæ Parochiali tan- 58
tundem relictum ſit, quantum portio Canonica importaret: qvoniam nulla læſio cenſeri poteſt. *Secundò* ſi Fabricæ pro Cereis, item pro ornamentis &c. relictæ ſint, eo enim caſu non diminuuntur. *Tertiò* ſi contenta fuerit Eccleſia illo qvod datum eſt, & acceptaverit. *d. C. Officii. 14. X. de Teſt. & Ult. Volunt.* Ut autem teſtamenta Canonica Executioni eò citius mandentur, Executores ſtatui ſolent â te-
ſtatoribus, qui ſupremæ Voluntatis elogia, judiciaq; eó- 59
rum exeqvuntur, ſive hi ſint Laici, ſive Clerici, ſive hæredes ipſi *C. Si hæredes 7. de Teſtam. ex Ult. Volunt.* ſive alii *c. 17. eod.* qui ab Epiſcopo aut ejus Vicario, vel etiam â Principe
Sæculari cogi poſſunt. Executoribus verò non nomina- 60
tis, Epiſcopi executionem ſuſcipiunt. *Concil. Trid. Seſſ. 22. cap. 8. de Reform.* quo hi tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegati in caſibus â jure expreſſis omnium piarum diſpoſitionum, tàm in ultimâ voluntate, quàm inter vivos Executores nominantur, aut etiam Principes Sæculares in hiſce pijs cauſis: *Nov. 131. de Eccleſ. c. 10. & 11.* cum præventioni locus eſſe poſſit. *Sanch. de Matrim. lib. 2. Diſp. 250. n. 1.*
Tenentur inſuper Executores explere voluntatem defun- 61
cti intra tempus aſſignatum, quod non currit â die facti te-

ſtamenti vel mortis teſtatoris, ſed à die aditæ hæreditatis *l. 3. §. 11. ff. de Statu lib.* Aut eo non aſſignato intra annum *C. 3. de Teſtam. & Ult. Vol.* vel ſi merè pia legata exiſtant, intra ſex menſes ſecundum *Panormitan. in d. c. 3.* aliàs jus exequendi ad Epiſcopum devolvetur.

Et hæc de ſucceſſione Clericorum activâ & paſſivâ ex teſtamento. Nunc videndum reſtat, quomodo his ab inteſtato ſuccedatur? Ad cujus pleniorem intellectum diſtinguendum utrum ſermo ſit de bonis Patrimonialibus, An verò de ijs, quæ occaſione & intuitu beneficij acquiſita ſunt?

62 Quod ad Patrimonialia attinet, diſpoſitioni Juris Civilis in *Novel. 118.* (de quâ parte 2. hujus operis prolixius locuturi ſumus) omninò ſtandum erit, vigore cujus liberi, ſi quos Clericus ante Sacros Ordines legitimè ſuſceperit, primùm vocantur, his verò deficientibus Parentes, quibus itidem non extantibus, Fratres: In quorum defectu cognati ad decimum gradum usq; ſuccedunt. *Can. 1. XII. Quæſt. 4.* pro lineâ & gradus prærogativâ *in d. Nov. 118.* abundè expreſſâ, quæ Jure Canonico non improbatur.

63 Hiſce autem omnibus non exiſtentibus Clerico ab inteſtato ſuccedit Eccleſia, vel Altare cui ſervivit *Can. fin. XII. Q. 5. C. 1.* & ibidem *Gloſſ. & DD. X. de Succeſſ. ab inteſt.*

Illa verò bona, quæ intuitu beneficii acquiruntur majorem difficultatem pariunt, quæ vel reſpiciunt fructus

64 perceptos, vel pendentes. Si fructus perceptos: In his ſanè ſuccedet Eccleſia, ſi titulum habuerit in Eccleſiâ *C. 1. X. de Succeſſ. ab inteſt. d. Can. 1. L. Si quis præsbyter. Cod de Epiſc. & Cleric.* Si verò non habuerit Eccleſiam in titulum beneficij, ſed altare, tunc altare huic ſuccedit: Si autem nec altare, nec Eccleſiam habuerit in titulum, ſuccederet Epiſcopus, non tamen ut ſibi appropriet, ſed in uſus

65 pios vel Eccleſiæ convertat. Quodſi plures habuerit Eccleſias in titulum beneficii, pro ratâ ſingulæ admittentur

C. Re-

c. Relatum. 12. X. de Teſtament. & Ult. Volunt. ubi vel maximè notandum, utrum Clericus defunctus bona ante adeptum Clericatum & aliundè habuerit, tunc enim in concurſu bonorum intuitu Eccleſiæ acqviſitorum, & patrimonialium, pro ratâ inter Eccleſiam & hæredes defuncti diviſio ineunda erit, in dubio tamen bona Eccleſiæ cenſenda erunt, ſi contrarium aliunde conſtare non poſſit. *Cujac. ad Nov. de Eccles. tit. 137.*

De conſvetudine tamen plerorumq; locorum etiam 66
in bonis ab Eccleſiâ quæſitis conſanguinei ſuccedunt, niſi bona ſub nomine, & ad opus Eccleſiæ ſint comparata. Quæ conſvetudo improba non eſt, quamvis aliqvi concedere velint, eam procedere quidem in foro exteriori, non etiam interiori, eodem modo quo teſtantes de bonis per Eccleſiam acquiſitis peccant contra ordinem charitatis omiſſis pauperibus aut Eccleſiâ, relinquendo ea divitibus.

De Fructibus pendentibus ab Interpretibus varia- 67
tur: ſunt enim qui ſucceſſori eosdem tribuant excluſis hæredibus ſæcularibus ab inteſtato, cum tanquam fructuarius bonis Eccleſiæ uſus fuerit, qui alias fructus non perceptos ad hæredem non transmittit, propter Jus perſonale, quod in ejus tantum perſonâ reſidebat. Quidam æqualem diviſionem inter ſucceſſorem & hæredes defuncti ſvadent, ducto argumento â matrimonio carnali ad ſpirituale: Aſt Conſvetudini locorum etiam hic ſtandum erit, quâ vel Eccleſia, aut etiam hæredes & ſucceſſores emolumentum ſentiunt, aliquando plus, ſcilicet annum ſequentem, quem annum gratiæ vocant, conſequuntur, quo domus mortuaria liberrimè gaudet. Nec eſt quod iniquitatem ſimilis conſvetudinis quis alleget, cum pro tali haberi non poſſit, aut etiam in detrimentum Eccleſiæ tendat, ſed potius ſucceſſori (cui idem Jus poſt mortem reſervatum eſt) præjudicium creari videatur, & quidem tale, quod non

improbatur ſaltem quoad partem, per Conſtitutionem *Joann. XXII. in Extravag. Suſcepti de Elect.* Niſi per eam ſucceſſor in beneficio tempore admiſſionis & Inſtitutionis gravetur, quod per *Concil. Trid. Seſſ. 24. cap. 14.* deteſtatur.

68 Monachus deniq; ſucceſſorem aut hæredem alium non habet, quam Monaſterium, cui etiam ea acquiruntur, quæ ex poſtfacto Monacho ex ſucceſſione qualicunq; obvenêre *C. 2. X. de Teſt. & Ult. Volunt.* quod intellige de Monacho poſt profeſſionem factam: Secus enim eſſet ſtatuendum in perſonâ Novitii, nam hic adhuc liberam habet diſponendi facultatem de bonis. Ex ratione: quia ut translatio corporis nulla eſt ante profeſſionem, ita & bonorum: ſequitur enim acceſſorium ſuum principale: niſi tamen absq; teſtamento mortuus fuerit, quia tunc monaſterium ſuccederet, intellige ſecundum Conſtitutiones publicas receptas, præſertim ratione bonorum immo-
69 bilium. Excipitur ab hiſce caſus, quo Monachus Epiſcopali dignitate honoratur, cum non ad Monaſterium, ſed ad Eccleſiam hæreditatem deferat *Can. Statutum. XVIII. Quæſt. 1.*

In ſtabilibus fortè non malè quis dixerit, Eccleſiam excludi à Fiſco ſæculari. In mobilibus autem & nominibus debitorum, quia perſonam ſequuntur, concluſiones prædictæ locum habere poſſunt. Controverſiam illam
70 adhuc afferre placet, cui ſeſe involvunt Doctores: An Eccleſia, Prælatus, aut Clericus, dum hæreditates ipſis deferuntur Inventarium rerum hæreditariarum conficere debeant, adeò ut ultra vires patrimonij defuncti teneantur? Fatendum equidem eſt in hoc articulo fermè quotidiano Canoniſtas in varias trahi opiniones, dum quamplu-
71 rimi negativæ adhæreant, ideò moti: quod Jura Civilia non poſſint obligare Eccleſiam & alia loca pia, nec non præſumptio, quæ militat in hærede extraneo, præſumptio

ptio nempe doli, hoc in caſu ceſſet, imò etiam expreſſa inveniatur ea ſententia. *in Auth. Sicut alienatio. Cod. de S. S. Eccleſ.* quam inſuper confirmant, argumento deducto à Privilegio Fiſci: qui ultra vires hæreditarias inventario non confecto non tenetur. *l. 1. §. An bona. l. Non poſſunt. ff. de Jur. fiſc.* Ergo nec Eccleſia. Sed affirmativam de Jure 72
veriorem eſſe omninò dicendum eſt per textum *in §. fin. in Auth. de Hæred. & Falcid.* qui dicunt illam legem eſſe communem in omni perſonâ privatâ, Militari, Sacerdotali, Imperialiali, aut alterius cujuslibet: & eam communem dicit *Jas. in l. fin. col. fin. pr. Cod. de Jur. deliber.* Hinc in ſpecie concludendum, Eccleſiam, Epiſcopum (qui & tempore adeptæ dignitatis inventarium earum rerum facere debet, quas ipſe ex patrimonio aliòve titulo acquiſivit.) & Sacerdotem, quando hæredes inſtituantur ad confectionem Inventarij teneri, niſi in ſolidum ſeſe obligare velint. *§. pen. in Auth. de Hæred. & Falcid. in verb. Sacerdotali. Salic. in Auth. Sed cum teſtator. in f. Cod. ad Leg. Falcid.*

Sententiæ neganti parum patrocinatur, Jura Civilia 73
non poſſe obligare Eccleſiam: Eo quod Lex Imperialis diſponens ita de inventario propter bonum publicum & ſubditorum viventium & morientium potuit ligare Eccleſiam, quia fundatur ſub honeſtate & pietate, imò confectio 74
iſta Inventarij de Jure Canonico approbatur *in c. Raynald. de Teſt. vid. Vaſq. de Succeſ. Creat. p. 1. §. 1. num. 27.* qui per plures authoritates hanc reſponſionem deducit. Nec mul- 75
tum urgent argumentum deſumtum â Fiſco. Cum maxima ſit diverſitas inter fiſcum, qui ſuccedit ut hæres, & qui non ſuccedit Jure hæreditario, ſed cui bona vacantia deferuntur:

Illo enim caſu, dum ſcilicet Jure hæreditario bona ca- 76
pit, omninò tenetur ad confectionem Inventarij per *d. §. pen. in Auth. de Hæred. & Falcid.* ubi dicitur Conſtitutionem illam de non conficientibus Inventarium in omni per- 77

ſona locum habere; Appellatione enim hominis comprehenditur Fiſcus. *Gloſſ. in verb. Uſurarum. juncto textu in verb. hæres. in l.Eos. Cod. de Uſur.* Neq; præſumitur unquam aliquid ſpeciale magis in Fiſco, quam in aliis, niſi in caſibus in jure expreſſis: ſed hic caſus non eſt expreſſus, ergo tenetur Inventarium facere, ſi non vult in ſolidum teneri, quam concluſionem applicabis Eccleſiæ, vel Clerico non conficienti inventarium.

78 Nihil deniq; juvat, quod dicitur, Eccleſiam ſuccedentem Monacho non teneri ad Inventarium: Monaſterium enim non ſuccedit Monacho Jure hæreditario, ſed Jure cujusdam acquiſitionis naturalis. *Vasque. d. p. 1. §. 16. num. 13.*

79 Advertendum tamen Eccleſiam hæredem inſtitutam non confecto inventario reſtitui in integrum, adverſus confectionem ipſius *Salic. in d. Aut. Sed cum teſtator. Cod. ad Leg. Falcid.* Cum æquiparetur pupillo, qui adverſus omiſſionem reſtituitur. De cœtero de hac confectione Inventarij infra *P. 2. cap. 7. Sect. ult.* pluribus egimus, & ſic erit.

Finis Partis Primæ.

SUC-

SUCCESSIONUM CIVILIUM

PARS SECUNDA

CAPUT I.

De Succeſsionibus ab inteſtato.

SUMMARIA.

1 Duo hæreditatem deferendi modi.
2 Quæ ſit Legitima ſucceſſio?
3 Jure Divino etiam proximioribus defunctorum hæreditates debentur naturæ Lege id ſvadente.
4 Quid Jure veteri de ſucceſſione Agnatorum nec non LL. 12. Tabul. diſpoſitum fuerit?
5 Quid præſumatur de defuncto ſine teſtamento?
6 Cui Juri ſucceſſio Legitima adſcribatur?
7 Definitio hujus ſucceſſionis Legitimæ.
8 Quis dicatur inteſtatus?
9 Qvid Juris in partim teſtato, partim inteſtato?
10 Cauſa teſtati pro parte ſolennibus non deſtituta ad ſe trahit cauſam inteſtati.
11 An non hoc caſu pars ad cauſam inteſtati recidat?
12 Ratio Negativæ.
13 Exceptiones.
14 An econtra cauſa inteſtati prævalens ad ſe trahat cauſam teſtati?
15 Qvomodo defunctus in dubio deceſſiſſe præſumatur?
16 Qvis fuerit antiqvus ſuccedendi modus?
17 Hic omninò mutatus eſt Jure Noviſſimo.
18 Succeſſionum ab inteſtato potiſſima ſedes eſt in Novellâ centeſimâ decimâ octavâ.
19 Ex d. Nov. 118. multæ Authenticæ decerptæ.

20 Huc

20 Huc pertinent quoque aliæ Novellæ, quæ recenſentur.
21 Encomium Novellæ 118. à Balduino deſcriptum.
22 Abrogatio ſubtilitatis lineæ agnaticæ & cognaticæ.
23 Extravagans Juris Prætorii fictio.
24 Quando Nov. 118. ſancita ſit?
25 Cauſa impulſiva promulgationis.
26 Quot ſint de Jure novo ſucceſſionum gradus?
27 Cur ordinem aſcendentium in dictione propoſuerit deſcendentibus?
28 Quo Jure deſcendentibus & aſcendentibus ſucceſſio debeatur?
29 Quinq; recenſentur ſucceſſionum ordines.

REctè & ex Principiis Jurisprudentiæ noſtræ locutus eſt *Theodor. Reinking. lib. 1. claſſ. 4. cap. 18. n. 1. de Regim.*
1 *Secular. & Eccleſ.* duas eſſe regulari & communi modo hæreditatem deferendi vias, ex teſtamento ſcilicet, & ab inteſtato; ſivè mediatam teſtamentariam ſucceſſionem unam, alteram immediatam ab inteſtato. *§. fin. Inſt. Per quas perſ. nob. acquir.* quam & legitimam bene
2 nominaveris cum *Joann. Althus. in Jurisprud. Rom. lib. 1. cap. 22. pr. l. 8. ff. de Hæredit. petit.* quæ immediatè & principaliter Lege defertur, Altera verò, uti jam dictum, mediate, mediante voluntate teſtantis, quæ dominatur Lege confirmante & quaſi cooperante. *Nov. 22. de Nupt. §. diſponit. Fachin. lib. 6. controv. Jur. cap. 41. Hunn. lib. 3. Variar. Reſol. Jur. Civ. Tr. 1. Quæſt. 1. Valent. Forſter. de Succeſſ. ab inteſt. lib. 1. cap. 17. num. 14.* De priori ſive mediatâ teſtamentariâ ſucceſſione parte primâ hujus operis prolixè locuti ſumus. Nunc legitimam & immediatam in ſequentibus tractabimus.

3 Jam olim & ex Jure Divino proximioribus defunctorum hæreditates ab inteſtato deferebantur; quo mandatum erat, ut res ad poſteros ejusdem generis transmitterentur *Num. C. 27.* Naturæ veluti qvâdam Lege id ſvadente *Perez. ad Cod. tit. de Suis & legit. hæred. num. 2.* ut familiæ integræ conſervarentur & perpetuum earum incremen-

mentum & potentia in poſteris eluceret. *Solonem* quoq; *apud Athenienſes* Legem ſimilem condidiſſe patet *ex d. l. Perezii* cui conſentit Lex vetus in verbis : *Patrisfamilias quei endo teſtato moritor, queiq; ſouos hæres nec eſſit, Agnatos proximos, familiam pequiniamq; habeto. Si inteſtatus moritur cui nec ſuus extabit hæres, agnatus proximus familiam habeto.* Et 4
Juſtiſſimâ quidem de causâ, cum Jure ſanguinis & Naturæ, ne dum Civilibus præceptis proximioribus debita cenſeatur ſucceſſio; & inſuper præſumatur, quod qui ſine teſtamento decedere conſtituit, tacite videatur conſenſiſſe in id quod lege jubetur *Menoch. Cons. 922. Bald. Cons. 121. num. 2. lib. 4.* & conſequenter proximos vocaſſe *Menoch. lib. 1. præſumpt. Præſ. 46. num. 20.* Appoſitè itaq; Juri Naturali & Gentium hunc ſuccedendi modum quis aſcripſerit, dictante ita naturali ratione, ut proximus ſuccedat in locū proximi defuncti, ſumpto huc ſucceſſionis vocabulo ſpecialiter pro eâ: quæ *eſt legitima hæreditatis ab inteſtato defuncti per acceptationem acquiſitio.* non autem pro illâ in ſignificato communi acceptâ, ſcilicet pro ſucceſſione in locum aut in officium & dignitatem alterius, quemadmodum *part. 1. pr.* monuimus. Quæ hæreditatis acquiſitio, ſive potius ipſa hæreditas eſt *ſucceſſio in univerſum Jus, quod defunctus tempore mortis habuit. l. Hæreditas. 62. ff. de R. I.* Cujus aditione ſive etiam immixtione, aut geſtione Legitimâ pro hærede, omnia in ſe quis transfert, hæres efficitur, atq; percōſequens Dominus non quidem ipſius hæreditatis; ſed rerum in hæreditate exiſtentium. Secundum *Herm. Vult. lib. 1. Jurisp. Rom. cap. 72. §. qui Jus illud.* de quibus ſuus dicendi locus erit, quando de transmiſſione ſucceſſionis agetur.

5 6 7 (margin)

Senſus multiplex vocabuli inteſtati hic præ omnibus diſcutiendus venit, quis inteſtatus propriè dicatur? Pro cujus declaratione ſciendum, quatuor modis quem dici inteſtatum *l. 1. ff. de Suis & legit. hæred.* Primò: Qui nul- 8

lum omnino condidit teſtamentum, & ſponte omiſit, cum tamen in ipſius poteſtate conſtitutum fuerat, ſupremæ voluntatis Elogium perficere; ſolenne tamen: Nam minus ſolenne v. g. Codicillus, teſtatum quem reddere non poteſt: cum ſit adjunctum hæreditatis eſſe teſtatum, qvæ nullo modo dari aut adimi poteſt in Codicillis, §. 2. *Inſtit. de Codicil.* ex præſumtâ voluntate illos erigentis, qui præſumitur relinquere hereditatem ſucceſſuris ab inteſtato *l. 8. §. 1. ff. de Jur. Codicill.* Secundò, dicitur quis inteſtatus, qui quidem teſtamentum condidit, ſed non ritè *l. 33. Cod. de Fideicommiſſ. l. 21. Cod. de Teſtam.* Tertiò: Cujus teſtamentum ex poſtfacto irritum fit per quærelam inofficioſi; aut Agnatione ſui hæredis rumpitur. *Inſt. Quib. mod. Teſtam. infirm.* Qvartò, dicitur quis inteſtatus decedere, quando nullus ex teſtamento hæres exiſtit, & nulla fit aditio, *l. 64. ff. d. V. S.* quæ neceſſariò requiritur propter factum defuncti ab hærede præſtandum, quo deficiente utpote principali; conſequenter acceſſorium corruere neceſſe eſt ex defectu adeuntis: cum vis omnis teſtamenti ſolvatur, ſi nemo aditione ſe hæredem conſtituerit *l. 9. ff. de Teſtam. tutel. l. 181. ff. d. R. I.*

9 Hinc excipitur ille, qui partim teſtatus, partim inteſtatus decedit: quoniam pro inteſtato non ſemper habebitur, cum cauſa inteſtati hoc in caſu ſe referat ad cauſam teſtati, quæ ſi firma fuerit, illam ad ſe trahet, nec cumulari poterunt, minimeq; abſurdum erit ab unâ ad aliam argumentum ducere, præcipuè quando eadem utriusque eſt ratio. Itaq; ſi cauſa teſtati pro parte ſolennibus non de-
10 ſtituatur, cauſa inteſtati pro parte ab illâ dependebit, quia Lex fingit hæredem v. g. ex certâ portione inſtitutum, in univerſis bonis inſtitutum eſſe *l. 1. §. Si ex fundo. ff. de Hæred. Inſtit. Pet. Gilken in l. Quoties. 13. n. 2. & ſeqq. Cod. de Hæred. Inſtit.* Idem erit ſi plures ex re certâ inſtituerentur: omnes enim tanquam hæredes univerſales in totum

tum ſuccederent. *Forſter. de Succeſſ. ab inteſt. l. 1. cap. 3.*
Nec pars reliqua bonorum ad cauſam inteſtati perve- 11
niet, ſed cauſæ teſtati utpotè firmæ ex certis portioni- 12
bus accreſcet. Ratio: quoniam nemo pro parte teſtatus 13
& pro parte inteſtatus decedere poteſt. Niſi militem exceperis §. *Hæreditas. Inſt. de Hæred. Inſtit.* item inſtitutionem ad pias cauſas *Forſter. L. 1. cap. 19. num. 5. de Succeſſ. ab inteſt.* ubi alias limitationes ſubjicit.

Econtrario idem jus ſtatui oportet, ſi inteſtatus pro 14
parte, non firmè tamen quis deceſſiſſe dicatur: tum enim cauſa inteſtati ad ſe ſimiliter trahit cauſam teſtati in vigore deficientem. In dubio autem hunc vel illum potius inte- 15
ſtatum quàm teſtatum deceſſiſſe præſumi docet *Harprecht. pr. Inſtit. de Hæred. quæ ab Inteſt. defer. Ex Alex. Jaſon. & aliis ad l. 9. Cod. de Collat. Treutler. Diſp. 16. Th. 1.* Nihil obſtante, quod maximus alias ſit favor teſtamentorum, & Judex ad illa ſervanda potius, quàm deſtruenda inclinare debeat: Quia hic favor eousq; ſe non extendit, ut non minorem ſucceſſionis ab inteſtato favorem pro proximioribus militantem elidere valeat, præſertim cum de adhibitione ſolennitatum fortè dubius hæream, quas ſtricti juris eſſe nemo negabit, easq; non præſumi, cum in facto conſiſtant, exploratæ doctrinæ eſt *arg. l. Quæcunq; 13. §. Ult. ff. de Public. in rem act.* Antiqvus ſucceſſionis ab 16
inteſtato modus longè diverſus eſt à moderno Civili. Jure namq; Pandectarum, Codicis, & Inſtitutionum adeoq; Jure veteri, duo tantum erant Ordines: Prior ſuorum, & illorum qui inter ſuos vocabantur. Alter Legitimorum ſive Agnatorum *l. 1. ff. Unde cognati.* Cui poſtmodum duo Prætorii ex Jure nempè Prætorio obvenerunt. Unus Cognatorum, alter Viri & Uxoris. *pr. Inſt. de Hæred. quæ ab Inteſt. deferunt.* ubi veteres illos ſucceſſionis modos exactè 17
deprehendere licet, qui hodie Jure Novellarum noviſſimo, reſciſſis, ut inqvit, *Harprech. pr. Inſt. lib. 3.* antiqvi variiq;

18 Juris ambagibus & ſinuoſis anfractibus, mutati reperiuntur, quo Imperator novum & juſtiſſimum ordinem præſcripſit, cujus potiſſima ſedes eſt in Novellâ centeſimâ de-
19 cimâ octavâ; Ex quâ multas Authenticas decerptas eſſe dicit *Matth. Stephan. ad Nov. 118. num. 4.* & in Codicem relatas *ſub. tit. de Suis & legit. hæred.* nec non *de Legit. tutor.*
20 Item: *Quando mul. tut offic. ſung. poſſ.* Quamvis huc etiam pertineant *Novell. 18. cap. 4. Nov. 21. Nov. 22. cap. 9. 10. 25. & ſeqq. Nov. 53. cap. ult. Nov. 84. Nov. 117. cap. 1. Nov. 127.* quibus infinitæ Veteris Juris ambages, inanesq; lucubrationes rejectæ ſunt. Prout rectè deprehen-
21 dit *Franciſcus Balduinus in extremo Juſtiniani* (ut eum citat *Matth. Steph. d. Nov. pr. & num. 1. in f.*) inquiens, *Si quæ nova Conſtitutio, quæ multas priores abroget, quæ ſubtiliſſima Juris antiqui myſteria peſſumdet, perturbet, evertat: quæ Jurisprudentiam multis ambagibus, inanibus circuitionibus liberet, quæ multos ejus nodos, non tàm diſſolvat quàm ſecet. Deniq; quæ unâ veluti literâ multas Pandectarum paginas deleat: hanc cer-*
22 *tè agnoſco & palam profiteor.* Quod verè ita ſe habet: Quis enim non videt intricatam illam ſubtilitatem Lineæ Agnaticæ & cognaticæ, tàm in materiâ ſucceſſionum, quàm tutelarum? Quis non deprehendit injuſtam excluſionem fœminarum, damnoſam Emancipationem, & ſuorum di-
23 ſtinctionem, nec non hoc in caſu extravagantem Juris Prætorii fictionem? quâ illi qui â Jure Civili rejiciebantur, ad bonorum poſſeſſionem admittebantur, certè non tàm opus erat, ut inquit *Balduinus* hos modos diſſolvere, quàm penitus ſecare, quod per dictam *Novellam 118.* à Glorioſiſſimo Imperatore Juſtiniano factum eſſe in eâdem copioſè
24 videmus, quæ de hæreditatibus ab inteſtato deferendis, & de Agnatorum Jure ſublato agit, atq; ſancita eſt Anno 544. Imperij verò 18. In cujus exordio ſtatim cauſam im-
25 pulſivam proponit; Plurimas ſcilicet Leges temporibus veteribus prolatas ſe inveniſſe, per qvas differentia ſucceſſio-

ſionis ab inteſtato inter cognatos ex maſculis & fœmi- 26
nis non juſtè introducta ſit. Adeoq; ſublatis inanibus
diſtinctionibus & fictionibus tres ſucceſſionis gradus
poſuit, aſcendentium nimirum, deſcendentium &
Collateralium. Sed non mirum videatur Imperato-
rem *pr. d. Nov. 118.* ordinem aſcendentium præfer-
re deſcendentibus in oratione, in ſucceſſionibus verò
poſtponere. Ratio enim in promptu eſt: Qvoniam
ordinem naturæ atq; ætatis reſpexit, quo aſcendentes ſunt
priores *§. Minorem. Inſt. de Adopt.* licet ratione ſucceſſio- 27
nis ſint poſteriores: Jure namq; Naturali & ordine Natu-
ræ ita diſponente deſcendentes ad ſucceſſionem eorum
vocantur atqve vinculo hujus neceſſitudinis naturalis 28
ijs hæreditas debetur. Econtrà verò aſcendentes non jure
Naturæ æque veniunt, ſed præter naturam, & ordine tur-
bato admittuntur. *Treutl. Diſp. 16. th. 1.* & paſſim Do-
ctores omnes quinq; Ordines recenſent Deſcendentium, 29
Aſcendentium, Collateralium, Conjugum & Fiſci. quod
ita eſt. Quamvis in *d. Nov.* ita expreſſi minimè invenian-
tur, & jure ſanguinis omnes non ſuccedant; ſuccedunt
nihilominus ſibi ratione quâdam Civili, ſicuti Vir & Uxor.
Quos ideò Imperator omiſit: Quia in ijs nihil novi conſti-
tuit, ſed ſucceſſionem reliquit talem, qualis erat an-
tea. Pergamus itaq; ad priorem ſucceſſi-
onis ordinem, ſcilicet deſcenden-
tium.

CAPUT II.

De SUCCESSIONE DESCENDENTIUM.

SECTIO I.

Qvi dicantur deſcendentes & quouſqve?

SUMMARIA.

1 *Vocabulo deſcendentium continentur liberi, qvi primo loco ſuccedunt.*

2 *Liberi undè dicantur?*

3 *Liberorum appellatione qui veniant?*

4 *Vetus delatio ſucceſſionis.*

5 *Quid in biſce circa effectum patriæ poteſtatis ſtatuendum?*

6 *In Materiâ ſucceſſionum non quæritur an ſui vel alieni Juris ſint, an virilis, vel fœminini ſexus?*

7 *Filiorum appellatio utrique ſexui communis eſt.*

8 *Excipe materiam odioſam, in quibus filiorum appellatione nepotes non continentur.*

9 *Differentia in appellatione liberorum, & appellatione filiorum etiam in linguâ Germanicâ, qvoad effectum ſucceſſionis.*

10 *Filii ſive* Sohns *appellatio ad primum gradum liberorum,* Kinder *verò ad ulteriorem gradum utrique ſexui communem tendit.*

11 *Exceptiones ab hoc aſſerto.*

12 *An liberorum appellatione etiam veniant legitimi, item naturales tantum?*

13 *An etiam Monſtroſi?*

14 *An quoq; ij, qui ex inceſtu & nefarijs nuptijs procreati ſunt?*

1 DEſcendentium vocabulo liberos contineri certum eſt perſæpius allegatam *Nov. 118. cap. 1.* Adeoque ijdem primo & omnimodo ad cauſam inteſtati vocantur: ſecus verò, ſi cauſa teſtati locum ha-

habeat: Qvoniam tota ſucceſsio non ſemper Lege transfertur, ſed ſecundum diſpoſitionem teſtamenti quandoq; ſucceditur, ut parte primâ diximus.

Dicuntur autem liberi, quemadmodum ſuſpicatur *Chriſtoph. Beſold. Theſ. Pract. lit. K. pag. mihi 799.* quaſi liberalitate Deorum dati, vel qvod liberâ conditione, & naturâ 2
liberi è nobis naſcantur. Liberorum appellatione qui 3
veninnt? *l. 220. ff. d. V. S.* demonſtrat, & comprehendit non tantum liberos primi gradus, ut filios; ſed & ulterioris: ut Nepotes, Pronepotes, Abnepotes, cæteroſq; omnes ex his deſcendentes *l. 56. §. 1. ff. eod. l. 10. ff. de Senat. Menoch. 4. præſump. 189. num. 14. & lib. 3. & 4. præſump. 84. 25. & Cons. 204. num. 49. Fuſar. de Fideicomm. ſubſt. Q. 326. num. 1. Peregr. de Fideicomm. Art. 22. num. 1. & Art. 25. num. 8.* in infinitum *d. l. 220. de V. S. l. fin. Cod. de Legit. hæred. Menoch. Cons. 1. num. 197. Graff. §. Fideicommiſſum. Quæſt. 15.* non tantum in ſucceſsionibus, verum etiam in contractibus. *Baldus in l. Si dotali. ff. ſolut. matr. Carpzov. p. 3. Conſt. 10. def. 6. n. 4.*

Circa quod notandum Jure Veteri non ita ſimpliciter 4
deſcendentibus hæreditatem delatam fuiſſe, ſed certo modo, quo ſoli nepotes vel neptes, qui quæve ex virili ſexu deſcendebant, ad ſuorum ſucceſsionem, nepotes autem ex filiabus & pronepotes ex neptibus nati poſt agnatorum lineam tàm ad avi vel proavi materni, quàm ad aviæ vel proaviæ, ſive paternæ ſive maternæ ſucceſsionem vocabantur. *Pomereſch. in Tyroc. Jur. lib. 3. pr. n. 15.*

Quoad effectum Patriæ poteſtatis tamen prædicta li- 5
mitantur: quoniam ratione illius filius & filia, ſicut & nepotes & neptes cæteriq; ex filio deſcendentes, non item ex filiâ, liberorum nomine continentur *§. ult. de Patr. poteſt. d. l. 220. ff. de V. S.* cùm liberi illi etiam utriusq; ſexus, qui ex filiâ noſtrâ naſcuntur, in noſtrâ poteſtate non ſunt, ſed in poteſtate Parentis, qui eos genuit, aut certè in poteſtate

ſtate avi ſui paterni, per Jura vulgata: Quod ſchema ſuc-
6 ceſſionis non admittit, cujus intuitu non quæritur, an
ſui quis Juris, aut in poteſtate conſtitutus, ſive virilis, ſive
fœminini ſexus ſit, aut etiam ex fœmineo ſexu deſcendat?
7 *Mantic. de Conject. Ult. Volunt. l. 4. tit. 7. num. 28.* Hinc
patet filiorum appellationem utrique ſexui, communem
eſſe, & tàm filios quàm etiam nepotes comprehendere.
l. 84. l. 201. ff. de V. S. Forſter. de Succeſſ. ab inteſt. lib. 4. cap. 6. num. 3. ſeqq. Intellige tamen in ultimis voluntatibus,
& in diſpoſitione aſcendentium ſecundum. *Beſold. Theſ.*
8 *Pract. lit. K. num. 19.* Non item in materiâ odiosâ: quia
tunc filiorum appellatione non continentur nepotes. *Gail. lib. 2. obs. 136. num. 11.* Appellationem iſtam generalem
9 liberorum, & ſpecialem filiorum in linguâ noſtrâ Germanicâ quoad hunc effectum etiam reperire eſt: Vocabulo enim Kinder vulgari continentur omnes in infinitum, quemadmodum in vocabulo latino liberorum. Cui apertè contradicit *Zaſius Cons. 7. Vol. 1. num. 6.* motus Authoritate
Bartoli *in d. l. 220. ff. de V. S.* quaſi deſtituamur vocabulo
vulgari, & illud Kind ſignificet. Aſt benè tàm Bartolum,
quam Zaſium reprehendit *Wehner. Pract. obſerv.* vocabulo
Kinder & ſummopere eos falli contendit, propter ſufficientem diſtinctionem inter Sohn & Kinder / quæ diverſiſſima
ſunt qvoad effectum ſucceſſionis ob generalitatem &
10 ſpecialitatem horum vocabulorum: eo quod, uti diximus,
filii ſive Sohns appellatio ad primum & ulteriorem gradum regulariter tendat, liberorum ſive Kinder denominatio primum & ulteriorem gradum utriq; ſexui communem
comprehendat. *d. l. 220. & l. 34. ff. d. V. S. Menoch. lib. 4. præſumpt. 89. num. 74. Petr. Bojen. in Cons. 5. de Succeſſ. Pro-*
11 *nep. in hæred Avi. num. 1. 2. & 3.* Niſi in caſibus verſemur, in quibus maſculinum non concipit fœmininum,
qvorum quatuordecim recenſet *Knipſchild. de Fideicomm. Famil. cap. 1. num. 49.* ſcilicet quando utriq; ſexui convenire

venire ejusmodi appellatio non poteſt *Valent. Forſter. de Succeſſ. ab inteſt. lib. 3. cap. 23. n. 14.* & quando diverſa militat ratio inter maſculum & fœminam, multoq; magis quando de qualitate maſculi tantum agitur *Peregrin. de Fideicomm. Art. 25. num. 48.* Reliquæ exceptiones ab hac Regulâ videri poſſunt apud *Knipſch. d. l.* ubi accurate illas perpendit.

Ex prædictis ſequitur generalitate vocabuli liberorum non tantum contineri liberos Legitimos & Naturales ſimul, ut ut etiam ex putativo matrimonio nati ſint, ſed etiam Legitimos tantum Legis poteſtate tales factos, nempè per adoptionem Lege inductam *§. 1. Inſt. de Adopt.* item Naturales tantum, qui vel ex concubinâ nati ſunt, & homines degeneres vocantur. *in l. ult. in f. Cod. de Natural. liber.* vel ex liberâ fœminâ, quam quis impotentia amoris victus compresſit: vulgo Liebkinder ſivè Jungfrawkinder. dummodo non monſtroſâ aut prodigioſâ formâ ſint: cum non ſint liberi qui contra formam humani generis inverſo modo procreantur *l. Non ſunt Liberi. 14. ff. de Stat. homin. Harprecht. lib. 5. Inſt. tit. 1. pag. mihi. 34.* 12 13

Nec quoq; excluduntur illi à numero liberorum, qui ex inceſtu adulterino, & nefarijs nuptijs nati ſunt, quamvis Jure Civili quoad effectum pro talibus non reputentur, quo, uti ſupra paucis attigimus, à ſucceſſione paternâ teſtamentariâ & ab inteſtato arceantur, denegatis inſuper alimentis. De horum omnium ſucceſſione permiſſâ vel non permiſsâ ſeparatim in ſequentibus agetur, cum non uno eodemque modo liberi ſint & dicantur. *Forſter. lib. 6. de Succeſſ. ab Inteſt. c. 1. & ſeq.* 14

SECTIO II.

De ſucceſſione Liberorum Legitimorum & Naturalium ſimul.

SUMMARIA.

1 *Liberi qvodammodo domini bonorum paternorum cenſentur.*
2 *Poſt obitum parentum non tam percipiunt hæreditatem, quam adminiſtrationem conſequuntur.*
3 *Naturâ & communi parentum voto ad ſucceſſionem vocantur.*

1 MEritò priori loco liberi ſuccedunt, qui jam antea primas in ſucceſſione legitimâ tenent: Cum vivis Parentibus quodammodo domini bonorum paternorum exiſtimentur *l. 11. ff. de Liber. & poſth.* in ſpe non in re, *Mynſing. Cent. 4. obs. 25.* (in qvo diſſentit *Muſculus de Succeſſ. convent. Claſſ. 1. memb. 2. Conc. 5. lit. F. num. 24.*) poſtq; obi-
2 tum patris hæreditatem non percipere, ſed magis bonorum adminiſtrationẽ conſequi cenſeantur. *§. Sui autem. Inſt. de Hæred. qualit. & differ.* Et natura ſimul & parentum commune votum eosdem ad ſucceſſionem paternam vo-
3 cet *l. 7. §. ult. ff. Si tab. teſt. null. extab. Enenckel. in tr. de Privil. parent. & liber.* ſive illi ſint nati, ſivè naſcituri, ſive poſthumi, modo legitimè & juſtis nuptijs procreati dicantur.

Quoniam itaq; liberorum appellatio (ut cum *Matth. Steph. ad Nov. 118. num. 7.* loquar) ſub ſe nepotes & pronepotes atq; etiam ulteriores comprehẽdit & triplex oriri poſſit quæſtio: Ideoq; pro diverſitate caſuum, triplex quoq; ponetur deciſio in hac legitimorum & naturalium ſucceſſione. Prima, quomodo ſuccedant filii primi gradus? Secunda, Quomodo liberi ſecundi gradus cum liberis primi gradus concurrrant? Tertia, Quomodo deſcendentes ulterioris gradus ad hæreditatem avitam vocentur?

QUÆ-

QVÆSTIO I.

Qvomodo Filii primi gradus Parentibus ſuccedant?

SUMMARIA.

1 *Vetus diſcrimen inter liberos primi gradus.*
2 *Correctio Juris Prætorij.*
3 *An effectus emancipationis adhuc ſubſiſtat?*
4 *Sententia negativa verior eſt.*
5 *Probatio hujus opinionis.*
6 *Reſolutio objectionis.*
7 *Qvomodo ſuccedant liberi primi gradus?*
8 *An dividatur in æquales partes hæreditas?*
9 *Quomodo Germanis hæc æqualitas nominetur?*
10 *An non etiam aliqvando habeatur ratio ſexus & ordinis?*
11 *Hic Statuta locorum vel maximè obſervanda.*
12 *An conſideretur ſexus in Hergewettâ?*
13 *An filii filias in hac excludant?*
14 *Ad Expeditorias Res quæ pertineant?*
15 *Quid ſi filii nulli ſint an Magiſtratus de Jure Saxonico ſuccedat excluſis filiabus?*
16 *Quid Juris in eâ Vaſallo mortuo?*
17 *An econtra filii in ſucceſſione bonorum utenſilium ſive Geradæ excludantur?*
18 *Quid ſit Gerada?*
19 *Quænam res pertineant ad Geradam?*
20 *In his ſorores excluſis fratribus ſuccedunt.*
21 *Filiabus non exiſtentibus in ijs qvis ſuccedat?*
22 *An qvandoque ordo nativitatis conſideretur & filii Jure præcipui quid capiant?*
23 *Jus Primogenituræ qvomodo ſpeciale qvid in ſucceſſionibus importat?*

OLim diſcrimen ſummum inter liberos primi gradus 1
ponebatur ratione ſuitatis, & emancipationis, adeò ut Jure illo veteri Civili ij ad ſucceſſionem parentum admitterentur, qui ijsdem immediatè vi poteſtatis ſubjecti eſſent, excluſo emancipato, qui ſaltem Jure Prætorio vocabatur. Cujus Juris Prætorij vigor, poſtmodum per *Nov. 118.* 2
cap. 1. correctus eſt, ſublatâ illâ ſuitatis & emancipationis differentiâ, eliminatoque Edicto *de Conjungendis* cum e-

mancipato liberis. Quod poſtremum tamen negat Cujacius, qui ad *l. 1. de Conjun. cum emancip. Liber. & ad Nov.*
3 *118.* effectum emancipationis adhuc in eo ſubſiſtere putat, ut emancipatus non tàm Jure Civili, quàm Prætorio ſuccedere videatur. Addit Rationem: Qvod *d. Novell. 118.* non faciat mentionem, ſed tantum dicat venire liberos ſive ſuæ, ſive alienæ poteſtatis, quod non vult pugnare cum
4 Jure antiqvo. Sed contrarium communiter ſtatui verius eſt, quid quid etiam contradicat *Alciat. 3. Paradox. cap. 10.* Inſpiciantur tantum verba *dictæ Novellæ. §. Nullum verò.*
5 ubi omnis agnatorum & cognatorum differentia ſublata eſt, ita ut ſive emancipati, ſive ſui ſint, æqualiter & ſoli ſuccedant, excluſis omnibus reliqvis gradu remotioribus. Quæ ſententia tàm in Jure Divino, quàm etiam in æqvitate Naturali fundatur *l. 7. §. fin. ff. Si tab. teſt. null. extab. l. 7. ff. de Bon. dam. Nov. 18. cap. 1. Francis. de Barry lib. 18. tit. de Succeſſ. ab inteſt. n. 4. Ranch. Deciſ. P. 2. Con. 216. Vaſq. de*
6 *Succeſſ. lib. 2. §. 19. num. 12.* Nec movere debet, æqualitatem inter liberos ſervandam, & ſi ſecus fiat, Juri & æquitati Naturali contrariari: quod verum eſt, ſi alia ratio Naturalis æq; fortis non obſtet, uti hic, dum potius Naturalis ordo ſvadet ut patres ſubmoveant filios *Auth. In ſucceſſionem. Cod. de Suis & Legit. Math. Steph. ad d. Nov. 118. num. 18.* Idem tenet *Vigl. ad §. ſed & hæc quidem. n. 8. Inſt. de Exhæred. liber.*

7 Succedunt igitur ejusmodi liberi primi gradus ex utroq; Parente conjuncti, æqualiter ſive in capita, quod fit,
8 quando hæreditas in tot partes æquales dividitur, quot ſunt perſonæ *Joann. Althus. Jurispr. Rom. lib. 1. cap. 22.* Ger-
9 manis dicitur in die Häupter theilen / item ſo viel Mund / ſo viel Pfund. *Steph. in d. Nov. 118. num. 10.* ubi benè hanc diviſionem exprimit, quaſi ſcilicet *dicatur, quot ora ſeu capita*
10 *ſint, tot fiant libræ ſive partes, ſive quot ſint perſonæ, tot fiant portiones.* nullâ habitâ ratione differentiæ ſexus aut ordinis

nis naſcendi, ætatis, matrimonii prioris aut poſterioris, *l. 4. in f. Cod. de Secund. nupt. Nov. 22. §. 48. Valent. Forſter. lib. 8. de Succeſſ. ab inteſt. cap. 9. num. 9.* Notet tamen Lector 11
Statuta locorum in hiſce vel maximè obſervanda, quan- 12
doquidem aliquando ſexus conſideratur, ſicuti videre eſt in Hergewettâ, quæ comprehendit ſub ſe Res Expeditorias ad armandum militem *Carpz. in Diſput. 11. In Vol. Diſp.* 13
ſuar. in quibus ſoli filii ſuccedunt excludentes filias, utpotè incapaces Hergewettæ, propter ſervitia militaria, quæ præſtare non poſſunt, quemadmodum Jus Saxonicum exactè obſervat Landrecht *lib. 1. art. 27. poſt. pr. vers.* und das Hergewette & alibi. Ad Res Expeditorias autem pertinere dicit 14
Matth. Berlich. part. 3. Concl. 24. num. 6. Viri mortui gladium, equum ejus optimum cum ephippio & fræno, Clypeum ejus & optimam armaturam, veſtimenta ejus qvotidiana, culcitram militarem, id eſt lectum ab optimo ſecundum cum pulvinari & duobus linteamentis, mappam unam, mantile unum, duas patinas, ahenum unum pro coquendis piſcibus, & climacterem. In quibus meritò præ 15
filiabus ſuccedunt filii, ijs verò non extantibus, Magiſtratus loci *Conſt. Elect. 30. §.* Da aber keine Erben. *verſ.* auf den Fall ſolten. quod tamen *Carpz. d. l.* intelligit de Rebus Expeditoriis plebeiorum, ſecus foret in Vaſallo mortuo nullis 16
relictis liberis ſive Agnatis; quoniam eo caſu Dominus feudi in ijsdem ſuccederet. *Matth. Coler. P. 1. Deciſ. 72. num. 11.*

Econtrà qvoq; in quibusdam filij excluduntur à filia- 17
bus, quando de ſucceſſione bonorum utenſilium, ſivè Geradæ quæritur *Schneid. ad tit. Inſt. de hæred. quæ ab inteſt. defer. Rub. de Succeſſ. Fiſc. Daniel Moller. Tr. ſemeſt. C. 6. num. 2. Ambroſ. Schurer. Tr. de Succeſſ. quæ ab inteſt. defer. tit. 13. p. 265.* quæ nihil aliud eſt, quàm *res, quæ ad uſus communes rei fa-* 18
miliaris deſtinata eſt. Matth. Coler. Decis. 60. num. 24. & ſeq. p. 1. & Jure hæreditario non obvenit, ſed ex Legis ſpeciali

proviſione. *Carpzov. Juriſp. Forens. p. 2. conſtit 14. def. 1. n. 2. p. 3. C. 11. n. 3. p. 2. C. 14. d. 62. n. 7.*

19 Ad Geradam autem pertinent Armillæ, Catenæ aliæve res ſimiles in uxoris poſſeſſione repertæ, Res hæreditariæ ad ornatum & uſum uxori à marito conceſſæ, ſi apud uxorem reperiantur, item ſtrophiola, pelves balneares, candelabra & ſimilia, quæ videre poteris apud *Carpz. p. 2.*
20 *Con. 14. per tot.* in quibus omnibus ſorores excluſis fratribus ſuccedunt etiam in pari gradu exiſtentibus. *Weſemb. in Parat. de Supell. Leg.* quod eousq; extendunt Jurisconſul-
21 ti Saxonici, ut in caſu non exiſtentium filiarum ſive cognatarum, rejectis fratribus Judex ſuccedat, qui merum habet Imperium *Hartm. Piſtor. lib. 1. Q. 33. n. 20.* De hac materiâ prolixè ſcripſerunt *Matth. Berlich. in ſuis Concluſionibus & Carpz. d. l.* qui videri poterunt.

22 Aliquando etiam ordo nativitatis conſideratur Primò quoad natos ex priori vel poſteriori matrimonio: illis enim bona immobilia traduntur quoad proprietatem uno ex Parentibus moriente; alteri uſufructu relicto *Zoes. ad Digeſt. de Suis & leg. hæred. num. 13.* Secundò quoq; quoad natos ex eodem matrimonio: reſervatâ uni, ſcilicet maſculo in præcipuis prærogativâ.

23 Jus primogenituræ ſpeciale quid importat in hiſce. De quo ſupra vidimus.

QUÆSTIO II.

Quomodo Liberi primi gradus cum Liberis ſecundi gradus ſuccedant?

SUMMARIA.

1 *Major difficultas in iis qui ſunt diſpares gradu.*
2 *Quomodo Regula quæ dicit proximiorem excludere remotiorem limitetur?*
3 *Jus repræſentationis antiquiſſimum.*
4 *Quomodo definiatur?*

5 In

5 *In cujus gratiam introductum ſit?*
6 *Quando dicatur fieri ſucceſſio in ſtirpes?*
7 *Rationes cur repræſentatio nepotibus concedi debeat?*
8 *Quousq; ſe extendat privilegium repræſentandi?*
9 *An ultra pronepotes ſeſe extendat?*
10 *Affirmativa utpotè verior exemplis demonſtratur.*
11 *Mantica JC. Annum 92. ætatis vixit.*
12 *Gemitus Kelleri plures gulâ quàm gladio extingui.*
13 *Moderata cibi ſumptio Bartoli.*
14 *Nepos qui ex perſonâ ſuâ ſucceſſionem volet, ante mortem avi conceptus eſſe debet.*
15 *Aliæ limitationes.*
16 *An Jus repræſentationis in feudis locum habeat?*
17 *Quid importent verba in Satuto ſecundum gradus prærogativam?*
18 *Verba* nach rechter Sippzahl *literis inveſtituræ inſerta, quem effectum habeant?*
19 *Fœminæ quoq; Jure repræſentationis gaudent.*
20 *An patruus vel nepos ex filio primogenito in ſucceſſione Regnorum & Principatuum præferatur?*
21 *Opinio præferens patruum argumento ducto ab exemplis.*
22 *Sententia præferens Nepotem verior eſt.*
23 *Rationes prægnantes.*
24 *Primogenitus Regni Illuſtri aliquo Principis nomine deſignatur ſucceſſor paternæ dignitatis.*
25 *Similis controverſia ſuperioribus annis inter Regem Galliæ & & Patruum Cardinalem Borbonium ventilata eſt.*
26 *Exemplum prudentiæ imitandum in perſonâ Eduardi tertii Angliæ Regis.*
27 *An Jus repræſentationis in aſcendentibis locum habeat?*
28 *Contra naturam eſt ut avus repræſentet ſuum filium, tanquam ab eo genitus ſit.*
29 *Aſcendentes ſuccedunt ratione prærogativæ gradus.*
30 *An in collateralibus repræſentatio locum habeat?*
31 *De Jure Saxonico nullum eſt Jus repræſentationis.*
32 *Non habet locum niſi in ultimis voluntatibus & non in Jure retractus.*
33 *In criminalibus itidem non admittitur.*

IN quæſtione proximè pertractatâ minorem difficultatem deprehendere licuit ratione ſucceſſionis liberorum in pari gradu exiſtentium: Major autem eſt controverſia inter diſpares gradu; quâ ratione nimirum portiones hæreditariæ primi & ſecundi gradus liberis obveniant? Et 1 quan

2 quantumvis regula certa proponatur, quod proximior gradu excludat remotiorem, tamen ſuas patitur Limitationes, præſertim in deſcendentium ordine: eoqvod aſcendenti & collaterali lineæ magis communis dici poſſit. *Anton. Gomez. Variar. Reſol. tom. 1. C. 1. num. 13.*

Limitatur itaq; prædicta Regula in caſu exiſtentium plurium fratrum, ex quibus unus relictis filiis decedit, qui parentis locum ſubintrant, & ad avi hæreditatem ſimul cum liberis primi gradus admittuntur, *Matt. Steph in d. Nov. 118. num. 12.* hoc ſaltem additamento, ut illorum intuitu hæreditas in ſtirpes diſtribuatur, & Jure repræſentationis repreſentent parentes, eorumq; jura nanciſcantur, & conſequenter accipiant portionem, quam pater eorum habiturus erat, ſi vixiſſet. *Franciſ. de Barry. lib. 28. tit. de Succeſſ. ab inteſt. num. 3. Rittersh. in Expoſ. Novell. part. 7. cap. 1. num. 8. Balth. Clammer. tit. 24. de Hæred. qvæ ab inteſt. defer. §. 4. n. 2. Treutl. vol. 2. Diſputat. 16. theſ. 1. lit. f.*

3 Jus illud repræſentationis utpote antiquiſſimum ex *Legib. 12. Tabul.* proveniens *l. 3. Cod. de Suis ex legit. hæred. §. penult. Inſt. de Succeſſ. quæ ab inteſt. deferunt.* definit. *Valentin. Forſter. tract. de Succeſſ. ab inteſt. lib. 4. cap. 19. num. 3.*
4 quod ſit *Jus ſucceſſionis quo liberi ulteriores gradu cum proximioribus in hæreditate avi vel patrui patris locum ingredientes e-*
5 *jusq; perſonam repræſentantes in ſtirpes ſuccedunt.* Introductum in gratiam illius, ut qui cum ſuo nomine hæreditatem capere non poſſit, alieno conſequatur *l. 7. ff. de His qui ſui vel alieni Jur. ſunt.* aſſumendo omnes qualitates & privilegia competentia tàm perſonæ ipſius patris, quàm gradui, quæ ſi non aſſumerentur à nepotibus, vel etiam ulterioribus deſcendentibus, excluderentur ab ipſis patruis, avunculis & ſimilibus, qui eos gradu præcedunt. §.
6 *Cum filius. Inſt. de Succeſſ. ab inteſt.* Dicitur fieri ſucceſſio in ſtirpes quando non conſideratur pluralitas perſonarum, vel etiam paucitas illarum, ſed tantum Jus illud, quod uni vel plu-

pluribus immediatè competebat, ad hunc effectum, ut ad deſcendentes transferatur portio inter eas æqualiter dividenda. *Graſſ. §. ſucceßio ab inteſtato. Qvæſt. 2. num. 6. Capreol. de Succeſſ. ab inteſt. lib. 1. num. 602.* Idq; ex æqvitate naturali *l. 1. §. 4. ff. de Suis & legit. hæred.* nihil enim æquitati naturali magis conſentaneum eſt, quam ut nepotes neptesve in patris ſui locum ſuccedant. *§. 6. Inſtit. de Hæredit. quæ ab inteſt. deferũt. Carpz. Diſp. vol. Diſp. 11. n. 26.* 7
Primò, qvia pater & filius pro unâ eâdemq; perſonâ reputantur *l. fin. Cod. de Impub. & aliis ſubſt.* Secundò, Una vox, una caro *Can. Jam itaq;. 8. C. 1. Q. 4.* & alter alterius pars dicitur. Tertiò, quod ſurrogatum ſapiat naturam ſurrogantis. Qvartò, quod ſucceſſio liberorum ſit ejus ſanguinis. Qvintò deniqve, qvod incidant ejusmodi nepotes in conditionem filij; fictione enim Juris habentur in eodem & pari gradu, quâ fingitur eſſe filius, qui verè nepos eſt *l. 2. 3. 4. Cod. Suis & legit.* Fictionem iſtam fundatam eſſe in præſumptâ voluntate, de cujus ſucceſſione agitur, dicit *Menoch. lib. 4. de Præſumpt. Præſumpt. 95. n. 2.* unde ſequitur 8
repræſentationem non tantum obtinere in nepotibus, ſed & in abnepotibus & reliquis remotioribus deſcendentibus, in infinitum §. *ult. Inſt. h. t.* rejectâ ſententiâ Bartoli in *l. 1. §. Sed ſi qvis. ff. de Suis & legit. hæred.* & Fabri *in d. §. 6. Inſt. de Hæred. quæ ab inteſt. defer.* qui ultra pronepotes il- 9
lam conſiſtere poſſe minus rectè contendunt: Cum *Nov. 118. cap. 1.* contrarium aſtruat, atque non tantum in filiorum perſonâ, ſed in alijs quoqve deſcendentibus ſtabilire potius, quã ad certam generationem reſtringere videatur. *Borcholt. de Gradib. tit. de Succeſſ. deſcend. pag. 182. cum ſeq. Petr. Sanz. Morquech de Diviſ. bon. lib. 4. cap. 6. num. 7.* nullâ inſuper habitâ differentiâ ſexus & agnationis. *Mich. Graſſ. §. Succeſſ. ab inteſt. num. 6.* Fortaſſe fautores contrarij aſſerti impoſſibilitatem circa hanc remotam repræſentationem allegare cupient. Aſt *Adamus Keller. Tr. de Suc-*

ceſſ. ab inteſt. tit. 5. num. 29. poſſibilitatem variis exemplis
rectè demonſtrat ex antiquo eventu tùm ſacro tùm profa-
10 no, ſed & recentiori dum ex *Lud. Viv.* refert fuiſſe memo-
riâ patrum ſuorum Vicum in Hiſpaniâ benè centum do-
morum, cujus omnes incolæ fuerint à ſene quodam, qui
adhuc vixerat, progeniti, ita ut propinquitatis nomen jam
deeſſet, quo â minimis natu vocaretur. *Menoch. lib. 6. Præ-
ſumpt. 46.* plures recenſet ætate valde profectos. Sicut
11 de M. Mantuâ JCto Patavino ſcribit, qui annum nonageſi-
mum ſecundum ætatis ſuæ vixit, & de aliis. Allegat quo-
que idem *Keller. Roſenthalium. tr. Feud. cap. 7. Concl. 16. n.
12.* qui ſe ex fide dignis intellexiſſe, ait, quosdam vidiſſe
abnepotes. Cur verò rarius id accidat? merito conqueri-
12 tur *Keller. num. 32.* plures hodie gulâ, quàm gladio extin-
gui, adeò ut in certis mundi partibus in multis annis nemo
ſuos abnepotes videre meruerit, quod tamen effectu non
deſtitueretur, ſi ſcholæ Salernitanæ remedium non vile-
ſceret.

Si tibi deficiant Medici: Medici tibi ſunto
Hæc tria: mens hilaris, requies, moderata dieta.

13 Proponitur exemplum Bartoli uti vaſis Legum qui ad
pondus ediſſe & bibiſſe, ut ad labores æqualiter ſemper eſ-
ſet diſpoſitus legitur. *Keller. d. l.* qui ulterius deplorat
plures hoc ſæculo degeneres à Bartolo, qui non vaſa Le-
gum, ſed Lagenarum, metretarum & amphorarum ſunt.
Hinc patet non otioſum eſſe hujusmodi ſuppoſitum (re-
præſentationem nimirum in perſonâ pronepotum & ab-
nepotum) ſed poſſibile & maximè obſervandum, etiam in
fideicommiſſis familiæ, quæ ad nepotem v. g. devoluta
ſunt, qui relictis pronepotibus & abnepotibus deceſſit.
hoc enim caſu abnepotes & pronepotes fideicommiſſum
obtinere certum eſt, idqve vi repræſentationis. Prædicta
14 tamen ita intelligenda ſunt, & in caſu quando nepos jam
conceptus eſt *§. Cum autem. verſ. plane. de Hæred. quæ ab. inteſt.*

Ant.

Ant. Gomez. Tr. Variar. Reſol. cap. 1. n. 8. Michael. Graſſ. de Succeſſ. ab inteſt. n. 16. Guidon. Pap. Q. 612. Ranchin. Decis. p. 2. Con. 294. Capreol. de Succeſſ. ab int. lib. 1. n. 69. alias ad bona avi, quem nullâ cognatione attingit, non admittetur, *l. 6. cum ſeq. ff. de Suis & leg. hæred.* Cum proximus ejus cognatus dici non poſſit, qui eo vivo non extitit *l. 1. §. Si quis proximior. ff. Unde Cognati.* Tunc ſcilicet, quando ex perſonâ ſuâ avo ſuccedere velit. Secus ſi jure transmisſionis, ſuitatis, ſanguinis vel deliberandi ex perſonâ Patris, cujus Jus repræſentat, ad bona avi admitti peteret *l. Si quis filium. 34. Cod. de Inoffici. teſtam.* Nam filius cui delatum fuerat Jus, nec ab eo repudiatum, id, quamvis nondum agnitum, moriens transmittit ad nepotem filium ſuum, licet iſte nepos non eſſet conceptus tempore mortis avi *Graſſ. d. l.*

Limitatur Secundò, ſi agatur de transmiſſione Digni- 15
tatum, qvæ tranſeant ad nepotes natos vel conceptos poſt mortem avi. Tertiò, ſi per conventionem quid obveniat; ut ſi feudum conceſſum ſit Sempronio pro ſe & ſuis deſcendentibus, hoc caſu ſuccedet nepos, ſi filius fortè repudiet 16
id feudum. Occaſione feudorum quæritur an in iiſdem hoc noſtrum Jus repræſentationis locum habere poſſit, non minus atq; in allodialibus? Affirmat *Carpz. p. 3. C. 39. def. 15. num. 1.* quoniam nepotes filiorum appellatione continentur *Herm. Piſt. p. 2. Quæſt. 19. num. 94.* Et non tantum in feudo ex pacto & providentiâ (quod negat *Bald. in l. 32. §. Cum ita legatur. & in Fideicommiſſo. ff. de Leg. 2.*) ſed etiam in hæreditario, propter textum expreſſum. *In tit. 11. lib. 2. Feud.* In verbis: *His verò deficientibus* (ſcilicet deſcendentibus) *vocantur primò fratres cum fratrum præmortuorum filiis* &c. *Gloſſ. in d. l. 32. §. In Fideicommiſſo. ff. de Leg. 2. Roland. à Valle Cons. 68. num. 22. Roſenth. de Feud. cap. 7. Concl. 56. num. 9. num. 15. 16. 17. & 20.* ubi monet non de-

bere extendi hoc Jus repræſentationis in feudis ultra fratres aut fratrum filios.

Hæc doctrina ampliatur in caſu, quando etiam proximiores Statuto vocarentur. Tum enim adhuc nepos ex filio præmortuo concurret cum patruo *Graſſ. d. Quæſt. 2. n. 12. Decian. Reſponſ. 9. vol. 2. & Reſp. 1. num. 3. 50. cum ſeqq.*
17 *vol. 1. Anton. Gabr. de Succeſſ. ab inteſt. Concl. 1. num. 12.* & proximior non excludet remotiorem. Quid ſi verò Statutum diſponat expreſsè ſecundum gradus prærogativam? quin eo caſu proximior admittatur excluſo altero dubium nullum eſt. Qvo etiam reſpexiſſe videtur *Capreol. de Succeſſ. ab inteſt. lib. 1. n. 602.* faciendo differentiam, an Statutum loquatur, de proximitate gradus, an verò de prærogativâ ejusdem, quæ in feudalibus adeò vera eſt ut non attento etiam in inveſtiturâ præſcripto ordine, nach rechter Sipzahl jus repræſentationis non tantum locum habeat, verum etiam proximior minimè excludat remotiorem. Rationem addit *Carpzov. p. 3. Conſt. 29. def. 2. num. 4.* Qvoniam verba illa Germanica (nach rechter Sipzahl) literis
18 inveſtituræ inſerta, ordinem ſeu prærogativam non denotant, ſed potius jus ipſum, & modum ſuccedendi reſpiciunt, horumq; verborum vigore agnatio maximè in conſiderationem veniat, conſiderata Juris Civilis diſpoſitione *Roſenth. de Feud. cap. 7. Concl. 56. num. 22. Webner. Pract. obſerv. vocab.* nach rechter Sipzahl. *Weſenb. Cons. 41. num. 8.*
19 *& ſeqq.* Ad hæc notandum fœminas non rectè excludi ab hoc Jure repræſentationis, præſertim in locis, in quibus ad ſucceſſionem Feudalem admittuntur: Nam hoc modo non tantum in feudis ſuccedere, verum etiam Jure repræſentationis gaudere poſſunt. *Guid. Pap. Quæſt. 59. Graſſ. §. Succeſſio ab inteſtato Q. 2. n. 12. Lud. Schrad. de Feud. p. 7. cap. 5. num. 41.*

20 Sed qvidnam dicemus de concurſu Patrui & nepotis ex filio primogenito in ſucceſſione Regnorum, Principatuum

tuum aut Comitatuum, An ille huic præferendus erit vel
econtrâ? Quæſtio ſanè gravis eſt, & turbas noſtris etiam
temporibus non ſemel excitare viſa. Noſtram de eâ opini-
onem hic loci, ubi de concurſu patruorum & nepotum a-
gitur, annectere placuit, quamvis alias ſupra *part. I. cap. 3.*
ſect. 2. ubi ſucceſſione ex primogeniturâ ſermo fuit, non
ineptus dicendi locus fuiſſet.

Cujacius in commentariis ſuis ad libros Feudorum omninò 21
cenſet patruum nepoti in ſucceſſione Regnorum præfe-
rendum, adducens exempla duo, unum Angliæ Re-
gum, alterum Britanniæ Ducum, qui adverſus nepotes li-
tem diſceptarunt & obtinuerunt. Quale etiam adducit
Anton. Gabr. in Comm. Concl. lib. 4. de Succeſſ. ab inteſt. Concl.
2. pag. 395. Et Eccleſiam Romanam pro prælatione pa-
trui tempore Bonifacii VIII. in favorem Regis Roberti Ju-
dicaſſe dicit, â cujus declaratione recedere nefas & teme-
rarium aſſerit *Bald. in l. In antiqvioribus. Cod. de Jure delib.*
Colum. 6. quæ tamen ſententia maximè impugnata fuit,
& gladio ſub Ottone Imperatore commiſſa, neposq; ex pri-
mo fratre contra patruum extitit victor, quæ tamen res
dubia eſt & periculoſa *X. de Cleri. in duell. pugn.* ſed & ab e-
xemplis & eventu judicandum non eſt, cum illis ipſis non
diuturna, ſed periculoſa fuerit felicitas. Contrarium re- 22
ctius aſtruunt *Hotomannus Illuſtr. Quæſt. 3. Choppius de Do-*
minio Franciæ l. 2. c. 12. & alij, nepotem ex filio primogenito
in Regnis, ſive Lex Primogenito, ſive natu maximo ſucceſ-
ſionem Regni deferat, patruo præferri debere. Primo- 23
genij enim ea eſt natura, ut gradatim deferatur ſucceſſio
Primogenitis in lineâ rectâ ex mente conſtituentis, qui ut
ſemel unum filium alteri prætulerit, cenſetur omnes ex eo
deſcendentes prætuliſſe *l. Cum avus. 102. ff. de Cond. & de-*
mon. quod ſat probatur ex *tit. 50. lib. 2. Feud.* ubi Feudum,
quod ad aliquem pervenit, manet in ejus lineâ, donec in
eâ ſunt habiles, quæ deciſio juri communi quoq; confor-

mis eſt, quo, uti hac ſectione abunde diximus, in lineâ rectâ nepos cum patruo admittitur Jure repræſentationis in ſucceſſionibus ſimplicibus, quidni etiam in ſucceſſionibus Regnorum & Principatuum ſuccedet, & prior erit ex Jure Primogenituræ, quod reſidet in perſonâ nepotis? quemadmodum gradum patris, ſupplet, ita & perſonam in proximitate repræſentat, præſertim cum Jus jam ſit radicatum in ipſâ nativitatis prioritate, & formatum in filio, illi competens etiam vivo Patre, licet ejus exercitium ſit ſolum pe-
24 nes Patrem eoq; vivo filius illud ſibi arrogare nequeat. Et videmus plerumq; Primogenitum Regni Illuſtri aliquo Principis nomine deſignari ſucceſſorem in paternam Dignitatem, quæ demum transmittitur in nepotem cum ſpe exſpectationis futuræ ſucceſſionis cum omnibus ſuis conditionibus, qualitatibus & Jure Primogenij. *Tiraq. de Jure Primog. Quæſt. 40.* idem tenet *Molina de Primog. lib. 3. cap. 6.* imò etiam extendit ad nepotem ex primogenito filio fu-
25 rioſo exiſtentem. Hæc controverſia ſuperioribus quoq; annis excitata fuit inter Chriſtianiſſimum Galliæ & Navarræ Regem, ejusq; Patruum Cardinalem Borbonium, qui contrà modo allatam ſententiam nepoti propter prærogativam ætatis præferri voluit, ſed irrito conatu & maximâ ſua perturbatione, ut Gallici Scriptores referunt.

26 Hinc omnes Reges & Principes prudentiſſimum Eduardum tertium Angliæ Regem hoc in paſſu ſeqvi deberent, qui defuncto Primogenito Eduardo ejus filio, ne inter nepotem & patruos ulla poſt obitum ejus moveretur controverſia, hac cautelâ uſus eſt, ut congregatis & filijs, & Regni Proceribus, in concione expoſuerit; Richardum ex filio primogenito vitâ functo nepotem, eſſe eum, qui ſit â morte ſuâ Regni moderationem ſuſcepturus, quod & facile præſtito Juramento ſe ratum habituros, obtinuit. *Sleid. lib. 1. pag. 269. poſt. n. 10.*

Hanc Quæſtionem curioſus Lector videre poterit pro-

prolixius tractatam apud *Tiraq. de Jure primog. Quæſt.* 40. *num.* 19. *Hotom. Quæſt. Illuſt. cap.* 3. *Beſold. lib. de Succeſſ. Regiâ. Diſſert.* 7. *Molin. de Primog. lib.* 3. *cap.* 6. *Chopp. de Domin. Fran. l.* 2. *c.* 12.

Et hæc de Jure repræſentationis inter deſcendentes. 27
An idem in aſcendentibus obtineat, quæri poteſt? Aſt rejectis multis inanibus lucubrationibus, bene ſtatuitur à *Matt. Weſenb. in Paratit. ff. de Grad. & affinib. num.* 15. *Valent. Forſter. de Succeſſ. ab inteſt. lib.* 7. *cap.* 4 *Concl.* 5. *num.* 23.
Contrà naturam eſſe ut avus repræſentet patrem, ſuum 28
filium tanquam ab eo genitus ſit. *d. Nov.* 118. *c.* 2. & *Auth. defuncto. Cod. ad SC. Tertull. Alex. Cons.* 114. *vol.* 2. *Caſtr. Conſ.* 344. Ratio eſt: Quia hæreditas deſcendentibus magis debetur, quàm aſcendentibus: Parentum enim bona liberis debentur ex ratione naturali & Parentum voto communi *l.* 7. *in f. ff. Und. liber.* Liberorum verò hæreditas Parentibus defertur tantum propter commiſerationem & in ſolatium liberorum amiſſorum *d. l.* 7. & *l.* 65. *de Jur. dot.* 29
Ideoq; ſibi ſuccedunt invicem ſecundum prærogativam gradus, & proximior excludit remotiorem *d. Nov.* 118. *cap.* 2. *vid. Præjudiciū. apud Phil. Chriſtoph. Richter. tr. de Succeſſ. ab inteſt. ſect.* 2. *m.* 1. *n.* 8. De hac ſucceſſione aſcendentium inferius.

In Collateralibus tamen hoc privilegium repræſen- 30
tationis ita obtinet, ut ultra fratrum ſororumq; filios & filias non extendatur *Auth. Poſt. fratres. ubi Gloſſ. & Salicet. Cod. de Legit. hæred.* ad nepotes ſcilicet, & pronepotes Fratrum ſive ſororum: Quoniam hujusmodi nepotes per parentes & fratres ipſius defuncti excluduntur *Schneidew. tit. de hæredit. quæ ab inteſtat. defer. Rubr. de Succeſſ. aſcend. num.* 31. *Textor. in tr. de Succeſſ. ab inteſt. num.* 77. *Covarr. in Epit. de Succeſſ. ab inteſt. num.* 5. Quod Jure Saxonico mutatum 31
eſſe dicit *Carpzov. p.* 3. *Conſ.* 18. *def.* 3. *num.* 2. quo planè abrogatum eſſe refert Jus repræſentationis in Collaterali-

bus *art. 17.* Wann ſich aber ein Erb. *lib. 1.* Land. *Conſt. 18. §. ult.* de quâ lineâ collaterali *cap. 4.* fuſius agetur.

De cœtero non omittendum, quod ea, quæ hactenus
32 de Jure repræſentationis dicta ſunt, ſaltem procedant in ultimis voluntatibus, quando nempè de hæreditate alicujus agitur. Adeoq; rectè hinc excluditur. Primò Jus Προτιμήσεως, ſive Retractus in in qvo ſuccedunt proximiores excluſis reliquis, neq; attenditur an patrem repræſentet vel non; ſed id tantum ſpectatur, utrum nemo eundem quoad prærogativam gradus præcedat. cum is pro proximo verè habeatur, alter vero ficto tantum modo *l. 23. §. 1. ff. de Bon. libert. l. 6. pr. & §. fin. Cod. ad SC. Trebell.* proximus autem cenſetur is qui ſit primo loco & propriore gradu. *l. 69. ff. de Leg. 3.* Accedit & illa ratio: quia duo ſpecialia circa unum idemq; concurrere non ſolent *l. 1. Cod. de Dot. prom.* quod fieret, ſi repræſentatio in ſubjectâ materiâ fundaretur, quæ æq; contra jus commune eſt *Novell. 118, c. 3. vers. hujusmodi vero privilegium.* ac ipſe retractus *Valent. Forſt. de Succeſſ. ab inteſt. lib. 4. c. 12.* Secundò non admittit Jus repræſentationis materia Criminalis. In
33 quâ filij & cæteri deſcendentes patrem omninò non repræſentant, quæ morte patris, vel etiam alio quocunq; modo in perſonâ ejus extinguitur. Quia Jus perſonale in ejus perſonâ reſidet. Niſi tamen quid ad filios pervenerit, vel quocunque modo locupletiores facti ſint: tùm enim perſonam parentum repræſentant, non in ordine ad delictum ipſum expiandum, ſed ad ſatisfaciendum parti læſæ.

QVÆSTIO III.

Quomodo deſcendentes ulterioris gradus ad hæreditatem avitam vocentur?

SUM-

SUMMARIA.

1 *Quomodo ſoli fratrum filij ſuccedant?*
2 *Ponuntur duo caſus.*
3 *Diverſiſſima maximorum Juris-conſultorum Judicia.*
4 *Sunt qui putant in ſtirpes hæreditatem dividendam.*
5 *Fundamenta hujus ſententiæ.*
6 *In capita ſuccedere infiniti Authores tradunt.*
7 *Quid particula tunc in Nov. 118. c. 3. importet?*
8 *Abſurdum qvod ſeqveretur?*
9 *Confirmatur ultima ſententia per R. J. de Anno 1529.*
10 *An qvoq; in feudalibus obſervanda ſit?*
11 *An idem dicendum ſit de nepotibus ſolis exiſtentibus in bonis avorum?*
12 *Rejicitur diſtinctio Harprechti.*
13 *Quem uſum habeant verba: (ſuo Jure veriore)?*
14 *An creditores parentum præmortuorum impetere poſſint nepotes, qui Jure proprio avo ſuccedunt?*

INgens certamen dicit eſſe *Franciſ. de Barry. lib. 18. tit. 3. de Succeſſ. teſt. & inteſt.* inter Doctores in caſu quando ſoli fratrum filii exiſtunt. 1

Ponitur caſus. Moritur Titius relictis ex tribus *præmortuis filiis Cajo, Sejo & Sempronio aliqvot nepotibus ex Cajo qvidem tribus, ex Sejo uno & Sempronio quinq;.* Vel ponatur in lineâ Collaterali ita: *ex l. 2. §. 2. ff. de Suis & legiti. hæred. Titius præmortuus duos habet fratres, unus ex his unum filium, alter duos relinquit.* Jam quæritur qvomodo avo, vel etiam patruo ab inteſtato ſuccedant, num in ſtirpes, an verò in capita? 2

In proximè antecedenti diſceptatione privilegium ſeu Jus repræſentationis dubitationem plurimam ſuſtulit. At nunc in volvere potius, variamq; plurium Jurisconſultorum reddere mentem, & adeò diverſam efficere videtur, ut in unam aut alteram partem ruere piâclum ſit. Graves enim & magni nominis Jurisconſulti apertè ſtatuunt in propoſito caſu in ſtirpes hæreditatem dividendam. *Bartol. Angel. Accurſ. in Auth. Ceſſante. Cod. de Legitim. hæred. Valent. Forſter. l. 8. de Succeſſ. cap. 3. num. 3. inſ. Donel.* 3 4

lib. 7. Comm. cap. 13. ſub finem. §. ult. Guid. Pap. Deciſ. 134. num. 1. & ſeq. & alij qvos magno numero recenſet *Matth. Berlich. p. 3. Concl. 24. num. 25.* Eandem ſententiam tenet *Bacchov. in Not. ad Treutler. vol. 2. Diſp. 16. Th. 5.* & rece-
5 ptiorem dicit *Graſſ. §. Succeſſio ab inteſt. Quæſt. 30. Richt. eod. Tr. p. 185. num. 115.* Qui omnes moventur *d. l. 2. Cod. de Suis & legit. hæred. §. cum filius & §. fin. Inſt. de Hæredit. quæ ab inteſt. defer. & Nov. 118. cap. 3. verſ. Si autem defuncto.* ubi dicitur fratres & fratrum filios in hæreditate patrui ſuccedere in ſtirpes.

6 Contrariam opinionem & diviſionem in capita propugnant acutiſſimi Legiſtæ tàm veteres quàm recentiores *Azo. in Summa. Cod. de Legit. hæred. num. 7. Salicet. in Auth. Ceſſante. Vasq; de Succeſſ. Reſolut. lib. 2. §. 13. num. 33. Hartman. Hartm. lib. 2. obs. tit. de Succeſſ. 43. obs. 10. num. 1. & ſeq. Franskius exercitat. Jurid. 8. Q. 9. pag. 242. Ant. de Roſell. in tr. de Succeſſ. ab inteſt. num. 111. Huanius Variar. Reſol. Jur. Civ. lib. 3. Tr. 1. Quæſt. 36. Mynſing. Cent. 3. obs. 94. Roſenth. de Feud. C. 7. Concl. 56. num. 9. Harprecht. ad Pr. Inſtit. lib. 3. num. 423.* qui magnum numerum Authorum pro hac ultimâ ſententiâ recenſent, & eam textibus apertis *in l. 2. §. 2. ff. de Suis & legit. hæred. l. penult. Cod. de Legit. hæred.* probant, qui non reperiuntur mutati *per d. Novel. 118. c. 3.* ſed potius confirmati *vers. Sed & ipſis.* ubi hoc beneficium repræſentationis ſe conferre, inquit *Imperator*, quando fratrum ſororumve liberi cum propriis Thiis
7 concurrunt adjectâ particulâ *tunc*: quæ ut ait *Carpzov. p. 3. Conſt. 18. def. 3. num. 9. ex Zaſio.* omnes alios caſus excludit, potisſimum quando ex propriâ perſonâ vocantur ad succesſionem: Tum enim in eodem habentur gradu,
8 quo erat eorum pater, atq; æqualiter dividunt hæreditatem: quia abſurdum eſſet, exclamat *Carpzov. d. l. ex Zaſ. 1. Reſpons. ſing. 7.* æquali gradu diſtantes ad inæquale lucrum vocari. Standum itaq; erit Regulis Juris, cum contra-

trarium non ſit expreſſum, & multo magis; quod Augu- 9
ſtiſſimus Imperator *Carolus Quintus in Comitiis Spirenſibus de Anno 1529.* conſenſu Procerum Imperii accedente hoc jus coufirmaverit. Et hanc opinionem in Feudalibus quoque 10
obſervandam eſſe, bene inculcat *Roſenth. cap. 7. Concl. 56. num. 10.* Cum de Jure verior ſit. Quam & Cameram Imperialem ſequi atteſtatur *Mynſing. d. obſ. 94. Cent. 3.* Idem 11
dicendum in primo caſu de nepotibus ſolis ſuccedere volentibus in bonis avi, qui ad hæreditatem ex perſonâ ſuâ adeoq; in capita vocantur, præſertim cum repræſentatio tantum locum habeat, quando cum proprijs Thijs ſucceditur *d. Nov. 118. cap. 3.*

Nec mihi hoc in paſſu probatur diſtinctio Harprech- 12
ti, utpote planè non probabilis & omninò divinatoria, dum *in pr. Inſt. lib. 3. num. 426.* diſtinguit, utrum diviſio ſit facienda inter nepotes vel pronepotes, & eos qui ſunt de ſtirpe; An verò inter fratrum filios. Illo caſu in ſtirpes diviſionem fieri concedit, altero in capita. Diſtinctio equidem iſta petit principium, & eadem eſt cum ipſâ quæſtione: Quæritur enim an nepotes ſoli ſuccedant in ſtirpes mortuis patruis in bonis avitis? Et bene negatum. Cum non tàm repræſentent patrem, quàm locum patris teneant Jure ſuo in ſucceſſione avi æqualiter dividendâ Nec 13
parvum habent uſum dictiones (*ſuo jure venire*) præſertim quando quæritur an creditores præmortuorum parentum in defectum bonorum adſolvendum, nepotes ratione bonorum ex hæreditate avi vel aviæ poſtea acquiſitorum impetere poſſint? Reſpondere etenim licet ejus- 14
modi nepotes ad ſolutionem planè non teneri; eo quod non in patris, ſed avorum locum ſucceſſerint, adeoq; jure proprio bona conſecuti fuerint. Præterea hæreditas adiri non poſſit, adeoq; nulla eſſet & eandem non adeundo creditoribus nullo modo obſtricti dici poſſunt. §. *ult. Inſt. de oblig. quæ ex quaſi cont. naſc.*

De cœtero Diſputationes hæ, an in Stirpes, aut Capita noſtro caſu ſuccedatur? Scholis relinquendæ erunt, cum in Comitijs Spirenſibus Imperii de Anno 1529. accedente Procerum conſenſu certa hac de re Conſtitutio promulgata ſit, ſecundum quam in foro judicandum eſſe, quilibet facile ſibi perſvadere poterit.

SECTIO III.

De ordine ſuccedendi in Legitimis tantùm obſervando.

SUMMARIA.

1 *Succeſſio liberorum legitimorum certis modis quoq; conſtricta eſt.*
2 *Quid ſit adoptio?*
3 *Non adeo frequens uſus adoptionum.*
4 *In ſucceſſione Regnorum veteri ſæpius uſitatæ fuere.*
5 *Etiam in modernâ Hiſtoriâ.*
6 *Cauſa impulſiva adoptionis.*
7 *Eſt imago ac ſimilitudo naturæ.*
8 *Effectus adoptionis.*
9 *Quomodo ſuccedant adoptati?*
10 *Limitatur.*
11 *Quomodo arrogatus injuſtè emancipatus patri ſuccedat?*
12 *Quid Juris ſi emancipatio fiat ab aliqvo ex aſcendentibus?*
13 *Civilis ratio Civilia Jura tollit, naturalia non utiq;.*

1 SUcceſſio legitimorum liberorum tantum, æq; ſuis limitibus conſtricta eſt ac naturalium & legitimorum ſimul, certisq; modis ad ſucceſſionem eorum vocantur, qui tales in familiam ſuam receperunt, atq; in numerum libero-
2 rum adoptarunt §. *1. Inſt. de Adopt.* Quæ adoptio eſt legitima hominis liberi in filij locum aſumptio *l. 4. Cod. de Adopt. l. 3. Cod. eod.* Quamvis *Barth. Muſcul. ex Philipp. Maiſter. in ſpec. Notar. p. 2. lib. 2. ſect. 6. Tit. 3. in f.* raró fieri dicat adoptiones, & non frequentem earum uſum, nec
3 non *Cujacius* ipſe in *Nov. 118.* ſe de ſucceſſione adoptivorum nihil tractaturum profiteatur; nihilo tamen minus ejusdem uſum paucis inveſtigare operæ pretium futurum

rum credo; Cum non deſint exempla tàm in veteri quam recentiori Hiſtoriâ, quibus adoptio non tantum probatur per receptionem alicujus in familiam, ſed etiam ad ſucceſſionem Regnorum conducere legitur. Sic videmus 4
Tiberium Auguſto, Antoninum Pium Adriano, & ipſi Pio Antonino Philoſophum, & Juſtino majori Juſtinianum, & alios per adoptionem in Imperio ſuccesſiſſe. De quibus videri poſſunt *Tacitus, Sveton. Dion & alij.* Circa recentiora exempla conſulatur Bodinus *lib. 1. de Repub. cap. 4. in f.* & inveniet quod Margaretha Daniæ Regina Ericum 5
Cornerarorum Ducem, & Anna Neapolitana Alphonſum Arragoniæ Regem per adoptionem Regni ſucceſſores effecerit.

Ratio adoptionis facilè perſpicitur, ut qui liberos 6
non habent vel orbati illis bello aut aliis caſibus, in ſolatium: Vel ſi nullos unquam ſterili conjugio ſuſceperint, ad conſervationem familiæ ac memoriæ, Juris Civilis beneficio accipere poſſint. *Pomereſch. Inſt. de Adopt. pag. 104.* Et quod imago ſit ac ſimilitudo Naturæ. *l. 23. ff. de Lib. & poſth.* Inde *Calph. Flacc. in declamatione; Adoptio,* inquit, *ſancta* 7
res eſt, quæ beneficium Naturæ & Juris imitatur. Auſon.

--- --- --- Imitatur adoptio prolem
Quam legiſſe juvet, quam genuiſſe velit.

Vid. Muſcul. de Succeſſ. convent. & Annom. Claſſ. 1. memb. 3. lit. B. num. 15. ubi amplius ex Seneca adoptionem fortunæ remedium vocat. *add. Tiraq. in l. Si unqvam. 8. Cod. de Revoc. donat. à lineâ.* Effectus adoptionis in eo conſiſtit ut 8
agnationis jus concilietur §. *2. Inſt. de Legit. Agn. ſucc. §. 2. Inſt. de Hæred. quæ ab inteſt. defer.* nec non conſanguinitatis prærogativa quoad ſucceſſionem acqviratur *l. 1. §. ult. ff. d. Suis & Legit. hæred.* qvâ ſuccedunt Parentibus adoptivis 9
ab inteſtato. Imò etiam cum naturalibus & legitimis ſimul (quamvis Bodinus *d. cap. 4.* moneat, quod præſtaret adoptiones ijs prohibere, qui naturales & legitimos ſuſce-

 piſ-

piſſent, aut ſi orbi eſſent, ut adoptivi legitimorum & naturalium jure fruerentur *Treutl. vol. 1. Diſp. 2. Th. 9. lit. A.)* admittuntur *l. 1. §. ult. l. 2. §. 3. ff. de Suis. & legit. hæred.* durante ſcilicet adoptione. Latè *Forſt. lib. 5. de Succeſſ. ab*
10 *inteſt. cap. 2.* quâ evaneſcente peractum emancipationis, evaneſcit ipſa ſucceſſio, maximè ſi extraneus arrogatus
11 ſit. Cum hoc additamento tamen, ut arrogatus ſine juſtâ cauſâ emancipatus in quartâ bonorum patri arrogatori ſuccedat, *§. Item non aliter. Inſt. de Adopt. Franzkius Exercit. Jurid. 8. Quæſt. 6. pag. 235. & ſeq.*

12 Secus erit ſi adoptio facta fuerit ab aliqvo ex aſcendentibus, cui moribus hodiernis emancipatio planè non obſtat, quo minus etiam patri naturali adoptivi ſuccedant, & jura naturalis patris integra conſervent, aut etiam ſimul ad patris adoptivi hæreditatem admittantur. Ratio eſt: quod jura cognationis & ſanguinis nullo jure
13 Civili dirimi poſſint *l. 8. ff. de R. I.* & civilis ratio civilia jura tollat; naturalia non utiq; *§. fin. Inſt. de Leg. Agnat. tut.* Additur & hæc ratio ex *Valent. Forſt. lib. 5. de Succeſſ. ab inteſt. cap. 3. n. 9. & ſeqq.* quia in materiâ ſucceſſionum ab inteſtato, non patria poteſtas, ſed ſolum jus cognationis naturalis ſpectetur. An deniq; liberi adoptivi in Feudis ſuccedant? in Tractatu de ſucceſſione feudali commodior hac de re dicendi locus erit.

SECTIO IV.

De ſucceſſione Naturalium, Spuriorum & ex damnato coitu natorum.

SUMMARIA.

1 *Unde liberi naturales & ſpurii dicantur?*
2 *Quare dicantur naturales?*
3 *Qui ſint in ſpecie tales?*
4 *Num concubinatus ſit de eodem genere permiſſorum qvo apud Romanos?*
5 *Qui de Jure Canonico dicantur ſilii naturales?*

6 *Vul-*

6 *Vulgò dicuntur* Lieb-Kinder, Jungfrau-Kinder.
7 *Si ſoli extent, qvomodo ſuccedant?*
8 *Quibus debeatur reliquum hæreditatis?*
9 *Statuto effici poteſt, ut naturalis patri in totâ hæreditate ſuccedat.*
10 *Exiſtentibus legitimis liberis aut uxore, naturales à ſucceſſione excludantur.*
11 *Ratio dicti.*
12 *Alendi ſunt à patre naturales.*
13 *Qvanta debeat eſſe alimentatio?*
14 *Avus paternus ad alimentationem nepotis naturalis tenetur.*
15 *Non eſt tamen alendus ſi victum ſibi ipſi qværere poſſit.*
16 *Tanquam terræ filij à ſe ipſis orti novæ gentis originem conſtituunt naturales.*
17 *Non gaudent Juribus Gentilitatis & prærogativarum Familiæ.*
18 *An liberi nati ab eo, qui ſponſam ante Sacerdotalem benedictionem cognovit, & mortuus fuerit, legitimi cenſeri poſſint?*
19 *Ad ſucceſſionem maternam naturales admittuntur legitimis etiam exiſtentibus.*
20 *Etiam ad hæreditates cæterorum per matrem aſcendentium, & cognatorum per lineam maternam.*
21 *Idem erit de ſpurijs ſive vulgo quæſitis.*
22 *An ſpurii ex punibili coitu nati ad ſucceſſionem maternam admittantur?*
23 *Quis dicatur ex adulterino Coitu natus?*
24 *Filii Clericorum etiam ſub hac pœnâ comprehenduntur.*
25 *Secus ſi Clericus fuerit in minoribus Ordinibus conſtitutus.*
26 *An liberi naturales matri Illuſtri ſuccedant?*
27 *Ratio cur ſpurii Matri Illuſtri non ſuccedant?*
28 *An hiſce alimenta præſtari debeant?*

DE liberis naturalibus, item ſpuriis atq; ex damnato & nefario coitu natis parte primâ Cap. I. Sectione II. egimus, reſervando fuſiorem de iis diſcurſum ad cauſam inteſtati. Ideoq; examinare lubet unde ejusmodi liberi dicantur? Quæ jura ijsdem tùm in ſucceſſionibus, tùm etiam in reliquis cauſis favorabilibus competere poſſint? 1

Dicuntur naturales, quod natura in ijs ſola attendatur, adeoq; Lex ſeu Jus Civile eos non agnoſcat *Harprecht. de Succeſſ. ab inteſt. num. 263. ex Rittershuſio in Expoſit. Nov. Juſtin. p. 7. cap. 5. num. 2.* quibus *Gregor. Tholoſ. in ſyntag. Jur.* 2

lib.

lib. 45. cap. 6. num. 2. annumerat illos, qvi hodiè ſpurij vo-
cantur, cum etiam naturales ſint â naturâ procreati &
ſanguinem & naturam ab aliqvo participent; qvod ta-
3 men non ita hic ſumitur, ſed in ſpecie de iis, qui ex natura-
li fœminæ uſu extra conjugium ex concubinâ nati ſunt,
quam quis ſolutam & unicam indubitato effectu domi lo-
co uxoris habet, *Muſcul. de Succeſſ. convent. Claſſ. 1. memb. 3.*
4 *num. 112.* Non quaſi de genere permiſſorum ſit eodem
modo, qvo apud Romanos, & hodiè concubinatus: Nam
obſtant Sacræ paginæ *Matth. 5. v. 31. & 19. v. 7. Marc. 10.*
v. 7. & ſeq. Luc. 16. 11. 10. Forſter. de Succeſſ. ab inteſt. cap. 3.
Sed quadam diſſimulatione toleratur, ut majoribus im-
pendentibus periculis obviam eatur ſecundum *Can. hac ra-*
5 *tione. 31. Quæſt. 1.* Indè meritò tales filij naturales vocan-
tur, etiam de Jure Canonico, qui ſunt nati â parentibus,
qui tempore conceptionis, vel nativitatis matrimonium
contrahere poterant *C. Innotuit. de Elect. C. Tanta. qui ſunt filii*
6 *legit.* quales ſunt qui non ex concubinâ tantum, ſed ex a-
liâ liberâ fœminâ, qvam qvis potentiâ amoris victus com-
preſſit, nati, qvi vulgo vocantur, Lieb-Kinder / Jungfrau-
Kinder. *Ritterſhuſ. in Expoſit. Nov. p. 7. c. 5. num. 2.* item
Natürliche Kinder. *Schur. de Hæred. ab inteſt. Tit. 5. n. 2.*

Quando igitur de paternâ horum naturalium ſuc-
ceſſione ab inteſtato quæſtio vertitur, diſtinguere neceſſe
erit, utrum ſoli paternam hæreditatem petant, aut ſaltem
cum extantibus ex Legitimâ uxore liberis concurrere in-
7 tendant? priori caſu ſuccedunt in ſextantem, ſive duas un-
cias cum matre ſuâ in viriles portiones ſive in capita parti-
endas. *Mynſing. in §. Quibus. num. 1. Inſt. de Hæredit. qvæ*
ab inteſt. Hart. Hartm. Pract. obſerv. lib. 2. tit. 43. obſ. 8. I-
dem dic de ulterioribus deſcendentibus in ſucceſſione avi
aut proavi *l. ult. Cod. de Natur. Liber. Bald. in Leg. fin. Jas.*
in l. Hæreditas n. 8. Cod. De his quib. ut indig., quam huma-
niorem & æquiorem dicit, *Salicet in d. l. f. Cod. de Natural.*
Liber.

Liber. Joann. Bapt. Caccialup. in l. Si qvæ illuſtris. Cod. ad SC. Orfici. relictis reliquis decem uncijs proximioribus agnatis 8
vel cognatis defuncti. A qvâ ſententiâ in judicando & conſulendo non eſſe recedendum monet *Caccialup.* quid quid etiam contradicant *Forſter. p. 152. Matth. Steph. d. Nov. 118. n. 30. f. & alii.* debili argumento deſumpto ab in- 9
dignitate nepotum; qui æq; digni fortè judicabuntur ac ipſi filii, qvorum perſonam repræſentant, & locum eorum ſubintrant. Cur ergo eodem jure non gauderent? *Vid. Franc. Barry. de Succeſſ. lib. 18. tit. 1. num. 17. Capreol. lib. 1. num. 75. & 77.* ubi tenet Statuto poſſe derogari ſuperioribus, & effici, ut naturales patri ſuccedant in totâ hæreditate, modò liberi legitimi non extent.

Altero caſu, qvando nempè legitimi liberi, aut ſal- 10
tem legitima uxor ſupereſt, naturales omninò â ſucceſſione paternâ excluduntur *Nov. 89. §. penult. Auth. Licet patri. Cod. de Natur. liber.* vel parcatur pudori honeſtæ & legi- 11
timæ uxoris, ſive ut occurratur juſto dolori ejus, quam veriſimile eſt offenſum iri, ſi quos videat in numero & jure liberorum haberi aliundè ſuſceptos, quàm ex honeſto & legitimo matrimonio. *Matth. Steph. ad Nov. 118. num. 30.* Quantumvis enim ipſa uxor non ſuccedat, tamen facit ne naturales posſint ab inteſtato ſuccedere, ſicut ſi extarent filii legitimi. *Hart. Hartm. Pract. obſer. l. 2. tit. 43. obs. 8. n. 1.* Attamen ex bonis defuncti Patris educandi & arbitrio 12
boni viri alendi ſunt, *d. Nov. 89. §. penult.* & hoc de æquitate Canonicâ *C. Cum haberet. X. de Eo qui dux. in matrim. Ludovic. Molin. T. 1. Diſp. 160. de Juſtit. & Jure.* Ubi affirmat pa- 13
trem non poſſe plus in alimenta filio naturali de qvintâ parte bonorum relinqvere, qvàm indigeat, ita ut ſi aliundè alimenta congrua accipiat, omninò ad ulteriorem præſtationem adigi non poſſit, qvod etiam dicit *Gail. lib. 2. obſ. 88. num. 4. Mynſing. cent. 1. obs. 35. Hartm. Piſtor. lib. 1. Q. 42.* ſi verò tantum aliqvâ indigeat parte alimentorum, & ali-

undè

undè reliqvam habeat, ſolam eam deficientem ſubminiſtrare teneri. Ulterius *Molina Diſp. 167.* tradit dicens: Si ejusmodi filium naturalem quid ultra alimenta ex bonis paternis accipere contingat, huncipſum tanquam omninò incapacem ad reſtitutionem legitimis hæredibus in
14 conſcientiâ teneri. Idem locum habebit in avo paterno, qui alimenta nepoti naturali procreato ex filio legitimo ſubminiſtrare tenetur *Nicol. delIbald. Tract. de Succeſſ. ab inteſt. p. 1. num. 47.* quem ſequitur *Surd. de Aliment. Quæſt. 12. num. 8.* non item avus maternus ſuperſtite avo paterno. Ratio: qvia filij ex meâ filiâ nati, non mihi, ſed patri ſuo,
15 vel avo paterno ſunt oneri. Si tamen ejus jam fuerint ætatis, ut in ſerviendo aliis, aut opificium exercendo, ſibi victum quærere poſſint, non amplius alendos, ſed excludendos à domo Paternâ judico, ut è nidis aves cum vola-
16 re incipiunt. Et id meritò, quandoquidem verâ appellatione filiorum non contineantur *l. 6. §. Cum autem. Cod. de Inſt. & ſubſt.* nec ſint de domo & agnatione vel familiâ, ſive ut Itali loqvuntur de caſatâ illius, de cujus ſucceſſione agitur *Nov. 89. cap. 4. Socin. Cons. 102. lib. 3.* ſed familiam & gentis ſuæ originem conſtituunt tanquam novi homines, & velut terræ filii à ſe ipſis orti, privilegiisq; familiarum deſtituuntur.

17 Et Primò quidem non gaudent ullo jure gentilitatis, ſed pro extraneis habentur. *Bald. in l. Generaliter. §. Cum autem. Cod. de Inſt. & ſubſt. Guid. Papa Quæſt. 580.* Secundò Jure inſigniorum Patris & Familiæ privantur *Höping. de Jur. Inſign. cap. 7. num. 95. Forſt. de Succeſſ. lib. 3. cap. 25.* Idem ſtatuit *Höping. d. cap. 7. num. 130.* circa inſignia materna. Tertiò non honorantur Nobilitate Patris *Bart. in l. 1. Cod. de Dignit.* nec ullius dignitatis paternæ vel etiam privilegiorum capaces ſunt. *Tiraq. de Nobil. cap. 15. n. 11.* Quartò ad quamcunq; ſucceſſionem, & Regiam & Electoralem non admittuntur, ut conſtat *ex Aur. Bull. cap. 7.* Qvin-

Quintò arcentur à ſucceſſione Fideicommiſſorum Familiæ & à Jure retractus *Reinck. de Retract. conſang. 2. Qv. 2. num. 241.* Sextò deniq; feudi ſucceſſione deſtituuntur *Schrad. de Feud. p. 7. cap. 7. n. 20.*

Limitari tamen dicta poterunt in caſu, quando quis 18 contractis ſponſalibus clandeſtinis, nullâ obſtante prohibitione matrimonium impediente, ſponſam carnaliter cognoſcit, & liberos inde generat, atq; ante benedictionem ſacerdotalem moritur. Quia ejusmodi liberi non tantum legitimi erunt, ſed etiam patri ſuccedent, ita tamen ut mulier probare teneatur promiſſionem ſibi factam *Hartm. Piſtor. obs. 83. num. 8. Carpzov. p. 3. Concl. 14. def. 12.* ubi affert præjudicium.

Quod ad maternam ſucceſſionem attinet, in illâ me- 19 lioris ſunt conditionis liberi naturales, quàm in paternâ vel aliorum per patrem aſcendentium; hi enim, ſi ſimpliciter naturales ſint, una cum legitimis æqualiter matri ſuccedunt ex SCto Orficiano *l. penult. Cod. ad SC. Orfi. Capreol. de Succeſſ. ab inteſt. lib. 1. num. 100. Vaſq. de Succeſſ. Tit. de Teſtat. poteſt. §. 10. num. 494.* Nec non aviæ maternæ; Caſus eſt in *l. Modeſtinus. 8. ff. Und. Cognat.* & cœteris per 20 matrem aſcendentibus *Graſſ. d. Q. 18. num. 8.* omnibusq; cognatis per lineam maternam conjunctis *Carpzov. Jurisp. For. p. 4. C. 28. def. 6. num. 2.* Idem dicendum de ſpurijs 21 ſive vulgo qvæſitis ex meretrice & vulgari muliere, quæ corpus ſuum libidini proſtituit natis, *l. Vulgo qvæſiti. 23. ff. de Stat. hom. Valent. Forſt. lib. 6. de Succeſſ. ab inteſt. cap. 46. Schneid. hic ſub. Rub. de Succeſſ. ſpur.* Hi quamvis patrem incertum habeant, matrem tamen certam habere dicuntur, Illiq; ſuccedunt *Thomas. Tract. 2. cap. 21. 22. & 23. fol. 231.* Niſi contineantur nomine ſpuriorum ex punibili coi- 22 tu natorum *Forſter. de Succeſſ. ab inteſt. lib. 6. cap. 50. num. 10. Faber in Cod. lib. 6. Tit. 31. def. 8. Hartm. Piſt. p. 1. Q. 42.* tales ſunt Primò, qvi ex inceſtu & adulterino coitu procrean-

tur *Graſſ. d. Q. 20. Bart. in l. ſ. ff. de His qvæ ut indig. auf.*
23 *Forſt. lib. 6. cap. 50. num. 1.* Intellige adulterium duplex cum incluſione caſus qvo qvis naſcitur ex matre conjugatâ & patre ſoluto, qui matri quamvis illuſtri aut etiam nullos liberos legitimos forte habenti, minimè ſuccedit nihilq; præter donationem alimentorum acquirit. *Surd. Deciſ. 249.* Secus in nato ex ſolutâ & conjugato. Qui licet pro partu adulterino etiam de Jure Canonico reputetur, pro non punibili tamen coitu ex Legibus Civilibus haberi poteſt. Secundò pœna coitus punibilis coercentur ex moniali pro-
24 creati. *Covarr. de Matrim. c. 8. §. 5. num. 15.* Tertiò, Filii Clericorum, quorum concubinatus magis deteſtandus eſt quam Laicorum, *Matthesil. in Tr. de Succeſſ. ab inteſt. 3. memb. in pr. num. 14. Keller. eod. tit. 6. C. 4. num. 11.* Ubi ex *Lud. Molin.* concludit *Sacrilegium cum Sacerdote committi, cum in dedecus & injuriâ Ordinum ac Miniſterij Eccleſiaſtici cedat. Eâ ratione ejusmodi coitus adulterinus appellatur à Gloſſ. Communiter recepta. C. Per venerabilem. X. Qui filii ſint legiti.* Inceſtuoſum quoque ejusmodi filium & ſucceſſionis genitorum indignum docet *l. Sacris. 45. Cod. de Epiſc. & Cler. Un-*
25 *gepauer. ad Decret lib. 1. tit. 17. num. 3.* quantumvis ſaltem poſt profesſionem natus fuiſſet; non item ſi Clericus in minoribus ordinibus conſtitutus ſeſe immiſcuiſſet: Quia hic coitus punibilis dici non poteſt per ea quæ tradit *Didac.*
26 *Spin. in ſpecul. Teſtam. in tit. de Filio ſpurio num. 72.* Præterea liberi naturales matri Illuſtri liberos Legitimos habenti
27 non ſuccedunt *Graſſ. §. Succeſſio ab inteſtato. Quæſt. 20.* Ratio eſt: quia, inquit Juſtinianus in mulieribus ingenuis & Illuſtribus (quibus caſtitatis obſervatio præcipuum debitum eſt) nominari ſpurios ſatis injurioſum, ſatqve acerbum, & noſtris temporibus indignum eſſe judicamus, *l. Si qvis Illuſtris. 5. Cod. ad. SC. Orfic.* quamvis *Cujacius ad Novell. 18.* putet allatam doctrinam Doctorum potius quam Legum eſſe.

In hiſce tamen recenſitis caſibus alimenta non denegantur, atq; dos quæ filiæ ſpuriæ à Patre debetur eidem 28 rectè conſtituitur, quia loco alimentorum cedit. *Harprecht. d. l. Gail. lib. 2. obs. 88. num. 7. Mart. Coler. lib. 1. de Alim. cap. 3. num. 56.* quæ ſemper debentur etiam inceſtuoſis, uti ſupra *p. 1. cap. 1. ſect. 11.* probavimus. Vid. *Rittershuſ. in Expoſ. Nov. p. 7. C. 8. num. 6. Peregrin. de Jure fiſc. lib. 3. cap. 18. n. 55.* An deniq; hi inceſtuoſi à ſucceſſione collateralium æq; repellantur, infra agetur, quando de ſucceſsione illâ Collaterali ſermo erit.

SECTIO V.

De Succeßione Legitimatorum.

SUMMARIA.

1 *Legitimationis duæ antiqvæ ſpecies.*
2 *Duæ hodiernis moribus uſitatæ Normæ.*
3 *Effectus legitimationis.*
4 *Quomodo legitimatio per ſubſequens matrimonium intelligi debeat?*
5 *Qvodnam tempus inſpiciatur reſpectu illius?*
6 *An ſufficiet qvod tempore Nativitatis concubinarii ſoluti fuerint?*
7 *An clericus beneficiatus renunciando beneficio prolem per ſubſeqvens matrimonium legitimare poſſit?*
8 *An in hiſce attendatur inæqvalitas perſonarum?*
9 *An obſtet omiſſio confectionis tabularum nuptialium?*
10 *An matrimonium à ſene decrepito in articulo mortis contractum validum ſit, & liberi per illud legitimentur?*
11 *Qvomodo ſuccedant legitimati per ſubſeqvens matrimonium?*
12 *An ſuccedant bujusmodi legitimati in Feudis?*
13 *Quid ſi aliud fuerit matrimonium intermedium, & illud morte uxoris diſſolvatur, an legitimatus per ſubſequens matrimonium cenſebitur legitimus?*
14 *An Statuto ſanciri poſſit ne legitimati per ſubſeqvens matrimonium ad feuda admittantur?*
15 *An contineantur in Statuto qvo maſculi vocantur?*
16 *Quibus Juribus inſuper gaudeant?*
17 *An ſpurii legitimati ad dignitates evebi poſſint?*

18 An filius major legitimatus per ſubſequens matrimonium excludat à majoratu filium minorem ex legitimo matrimonio natum?
19 An Nepotes fiant legitimi per matrimonium avi cum concubina præmortuo filio naturali?
20 Legitimatio per Reſcriptum Principis eosdem effectus non ſortitur, ac legitimatio per ſubſeqvens matrimonium.
21 Comparatio legitimati cum Alchimiâ.
22 Quid ſit legitimatio per Reſcriptum Principis?
23 Recenſetur inter Regalia.
24 Quomodo hi ſuccedant Patri?
25 Quid ſi pater declaraverit in teſtamento ſe velle legitimatum eſſe hæredem, an cum legitimis concurret?
26 Limitatur affirmativa.
27 An ſuccedat etiam ſi nihil conſtet de voluntate patris?
28 Limitatur negativa.
29 Neceſſaria eſt mentio legitimorum in Reſcripto, ut de certâ Principis ſcientia conſtare poſſit ad effectum ſucceſſionis.
30 An legitimati per Reſcriptum Principis in feudis ſuccedant?
31 Limitationes Negativæ.
32 Quid ſpeciale ſit in feudis Regalibus?
33 Major difficultas an Princeps in Præjudicium alterius domini directi ad feuda qvem legitimare valeat?
34 An per eam Agnatis ab Imperatore ex plenitudine poteſtatis præjudicari poſſit?
35 Rationes pro affirmativâ.
36 Rationes pro Negativâ explicantes plenitudinem poteſtatis ſummi Principis.
37 Quando Princeps præſumatur uti plenitudine poteſtatis?
38 In præjudicium Agnatorum hujusmodi limitatio vix fieri poteſt.
39 Rationes prægnantes.
40 Refutatur opinio dicens non tolli ſed ſaltem differri Jus Agnatorum.
41 Quomodo intelligendum qvod Princeps omnia poſſit?
42 Quid ſi Princeps Juſtam habuerit cauſam legitimandi qvem in præjudicium Agnatorum?
43 An exiſtentibus Statutis, qvod ſcilicet maſculi excludere debeant fœminas, filii legitimati per Reſcriptum Principis excludant filias legitimas?
44 Ad effectum legitimationis conſeqvendum tria obſervanda.
45 An poteſtas legitimandi undique ſe extendat & extra territorium Principis?
46 In Imperatore reſidet hæc poteſtas, qvi legitimat ſubditum Principis feudum ab Imperio recognoſcentis?
47 Quid de Legitimatione qvoad Spiritualia ſentiendum?
48 Legitimatio Pontificia.
49 Quid importent verba in Reſcripto

to abſque præjudicio venientium ab inteſtato?
Quid dicendum de legitimatis ex coitu nefario & adulterino?
51 *Deficientibus legitimis ſuccedunt in bonis parentum ſi in Reſcripto ad id legitimati ſint?*

Hucusq; denegata fuit liberis naturalibus ſive ſpuriis 1
parentum ſuorum naturalium, aut certè limitata cer-
sq; cancellis circum ſcripta ſucceſſio, quæ tandem vires
ccipere poterit per ſubſeqventem legitimationem, non
am, qvæ olim per oblationem Curiæ a Theodoſio inven-
m, aut per denominationem in teſtamento contingebat:
am in uſu eſſe deſierunt *Franciſ. Barry de Succeſſ. lib. 18.*
t. 1. num. 21. non minus ac illa, qvæ fiebat per adoptio-
em ex Conſtitutione Anaſtaſiana *l. 6. Cod. de Natur. liber.*
ſublata eſt per Juſtinianum *in Nov. 89. cap. 7. §. Adoptio-*
is. & cap. 7. f. verum intelligimus hic legitimationem
noribus hodiernis uſitatam, cujus duæ recenſentur ſpe-
ies. Prima, quam introduxit Conſtantinus Magnus, & fie- 2
dicitur per ſubſeqvens matrimonium. Altera per Re-
riptum Principis, qvæ à Juſtiniano prodita eſt.

Effectus legitimationis præclarus ſanè eſt: amovet 3
nim omnem maculam genituræ, ponitq; legitimatos loco
gitimorum ab ipſo origine, atq; reducit eos ad primæ-
um Statum Naturæ, ſive ad Jus Naturale, qvo omnes li-
eri & legitimi naſcebantur. *Gail. 2. obſer. 140. num. 3.* a-
eò ut perſona generaliter & abſolutè habilitetur, Natali-
us & ingenuitati plenè reſtituatur, atq; ad omnes ſucces-
onum, & honorum gradus admittatur, nec non etiam
us ſuitatis & Agnationis acquirat; Item qverela inoffi-
ioſi, teſtamenti inſtitutio *Gail. d. l. num. 2.* Jura Civita-
is, Civium conſortium, aliaq; beneficia & Juris remedia
li competant.

Longè tamen & merito qvidem præferuntur Legitimi 4
per ſubſeqvens matrimonium illis, qvi per Reſcriptum
Principis natalibus reſtituti ſunt: verè enim illi legitimi
dicun-

dicuntur, non per fictionem *Roll. à Vall. vol. 3. Conſ. 83. num. 12.* omniaq; Jura legitimorum adipiſcuntur, *Novell. 12. cap. ult. Nov. 74. C. 1. & 2. Nov. 89. cap. 9. Gail. d. lib. 2. obſ. 141.* adhibitâ nihilominus hac reſtrictione, quando cum tali concubinâ vel alia liberâ fœminâ matrimonium contrahi, nec impedimentum obſtare potuit. *Weſenbec.*
5 *Conſ. 44. p. 1.* non tantum poſt partum, ſed & ante, tempore ſcilicet conceptionis. *Fach. Controv. Jur. lib. 3. cap. 50. Peregr. de Fideicomm. art. 24. num. 46.* Ponitur caſus. Mulier Judæa tempore nativitatis, affinis, aut etiam conjugata, vel vir eo tempore conjugatus partum edunt; ejusmodi proles non legitimabitur. Similiter ſi tempore conceptionis vir fuerat conjugatus, vel fœmina conjugata, vel aliud impedimentum legale intervenerat, legitimatio inefficax erit. Huic contradicit *Morquech. de Divis. bon.*
6 *cap. 6. num. 19. Charond. Reſp. lib. 12. c. 16.* dicens. Sufficere qvod tempora nativitatis concubinarij ſoluti fuerint. De qvo ſummoperè dubito: quia macula ex conceptione, non ex nativitate contrahitur, atque ex tunc proli accedit qualitas, quæ non purgatur per nativitatem, neqve peccatum minuit, aut facit copulæ turpitudinem minus eſſe damnatam legibus, qvam matrimonium ſubſequens non purgat; prout nec diſpenſatio Pontificia, quæ non retrotrahitur ad purgandum actum inceſtuoſum: Cum reſtrictio non fiat, niſi ad tale tempus, qvo potuit matrimonium fuiſſe. *Perez. ad Cod. lib. 6. tit. 27. num. 12.* ubi ridiculum eſſe aſſerit, cum delictum ſit in coitu, ut tempus nativitatis conſideretur. Ponitur ulterior caſus ratione impedimen-
7 ti Canonici in Perſonâ Clerici beneficiati, qvi tempore concubinarij coitus beneficio Eccleſiaſtico fruebatur. Qværitur an Infans ex eo ſuſceptus per ſubſeqvens matrimonium legitimetur? Reſpondeo omninò non legitimari: quia non renunciaverat beneficio, cui antea debuiſſet renuncia-

ciare, multoq; magis, ſi in ordinibus eo tempore conſtitutus fuiſſet.

Nec debet movere inæqvalitas perſonarum, & impar conditio Nobilis cum paupere & ignobili, Ignobilis cum Nobili; dignitas enim qvoad matrimonii perfectionem de Jure Canonico non attenditur *c. penult. de Secund. nupt.* eo qvod etiam cum meritrice valide contrahi poſſit, & ducere talem ſit meritorium *cap. Inter opera. X. de Spons.* Sic Oſeas Propheta meritricem duxit in uxorem, ut ipſe teſtatur *cap. 12.* & ſapientiſſimus Salomon qvoque talem duxiſſe fertur *c. Integritas. 32. Quæſt. 11.* deinde non multum intereſt an natus ſit filius ex concubinâ domi retentâ, vel non domi retentâ. Rationem addit *Gail. d. obs. 41. num. 3.* quia ad ſubſtantiam matrimonij de Jure Canonico ſolus conſenſus contrahentium ſufficit, non reqviſitis aliis ſolennitatibus *C. Cum locum. de Spons.* & ſic nati ex qvâcunq; muliere, cum quâ tempore conceptionis matrimonium eſſe potuit, legitimantur per ſubſeqvens matrimonium *Gail. d. l.* Neque obſtabit omisſio confectionis tabularum nuptialium, ſive inter nobiles ſive ignobiles; quantumvis Jure Civili expreſſè requirantur; Cum Jus Civile per Jus Canonicum hoc in caſu abrogatum inveniatur *c. Tanta. & ibi Canoniſtæ X. Qui filii ſint legit. Greg. Tholoſ. in Syntag. Jur. Univerſ. lib. 45. c. 77.* atque in terris Imperij obſervetur. *Peregr. de Fideic. Art. 24. num. 54.* Quandoquidem inſtrumentis aut doti hoc beneficium datum non eſt, ſed matrimonio ſubſequenti etiam absque dote conſiſtente liberaliter conceſſum. *l. ult. de Donat. ante nupt.* Ad qvod contrahendum, virum partim commiſeratio natorum, partim melior ſententia, majorque affectus erga mulierem incitat. *Fach. lib. 4. Cont. c. 51.* 8 9

Nec deniqve filiis naturalibus & eorum natalium reſtitutioni obeſſe poteſt matrimonium à ſene decrepito, & in articulo mortis contractum: Cum validè ad extre- 10

mum usque vitæ ſpiritum contrahatur *c. 17. X. de Regular.* adeoque etiam per illud liberi legitimentur *Paris. Conſ. 13. num. 35. & Conſ. 16. pr. vol. 2.* quamuis etiam nulla ſupereſſe ſpes prolium videatur: dubius enim eventus obeſſe non debet *l. Nuper. 11. Cod. de Natur. liber. Gail. d. obs. 141. num. 8.* ubi dicit ſe meminiſſe in Camerâ ita Judicatum fuiſſe.

11 Hiſce conſeqvens erit ejusmodi legitimatos non tantum patri & matri, ſive extent legitimi (quod Jure Codicis permiſſum non erat *ex l. 5. & 6. Cod. de Natur. liber.*) ſive non extent, ſuccedere *Nov. 12. cap. 4.* Quamvis non deſint qui putent tales liberos legitimari ſaltem qvoad honores, & non quoad effectum ſucceſſionis bonorum: Quod Jure noſtro Canonico etiam in terris Imperii quoad hoc recepto, non obſervatur, (*apr. de Succeſſ. ab inteſt. lib. 1. num. 191.* etiam qvando diſpoſitum eſſe comperitur, ut illi tantum ſuccedant, qui ex legitimo matrimonio procreati ſunt, ſecundum magis communem opinionem, de qva teſtatur & inqvit non eſſe recedendum in judicando & conſulendo *Sylvan. Conſ. 3. num. 49.* eoqvod ijdem nomine legitimorum comprehendantur, horumq; beneficijs & privilegijs fruantur *Primò* ut jam diximus, in succesſione paren-
12 tum, agnatorum & cognatorum. *Secundò* in succesſione Feudorum (diſſentiente *Hoſtiens in c. tanta. qui filii ſint legit. cum Curt. Jun. Conſ. 136. num. 7.*) in quibus æque ſuccedunt ac legitimè nati. *Fachin. l. 7. Controv. cap. 51. Graſſ. §. Succeſſio ab inteſt. Quæſt. 19. num. 7. Mynſing. Cent. 5. obs. 42. num. 2.* Quantumvis etiam in articulo mortis matrimonium contractum ſit, aut etiam in inveſtitura ſeqvẽs diſpoſitio reperiatur: *pro te & filiis tuis legitimè natis, vel ex tuo corpore legitimè deſcendentibus.* quia matrimonium omnem abſtergit maculam *d. l. tanta. & ibi Canoniſtæ. And. de Iſner. in C. naturales. Si de feud. def. num. 8.* repugnante Menochio *Conſ. 60. lib. 1.* niſi verba ſequentia in inveſtiturâ reperiantur (*pro*

te

& hæredibus ex tuo corpore legitimè deſcendentibus.) Cui uodammodo adſtipulatur *Roſenth. de Feud. cap. 7. Concl. 18. um. 12.* faciens diſtinctionem ſicuti Menochius facit *d. l.* ter verba: *pro filiis legitimè & ex corpore tuo legitimè natis.* Vor ſeine eheliche gebohrne Kinder / welche von ſeinem Leib ebohren ſeynd: & inter illa: *pro te & hæredibus ex corpore uo deſcendentibus.* Sed mihi iſthæc opinio non probatur, uæ & *Capreoli eſt de Succeſſ. ab inteſt. lib. 1. num. 162.* qvoni m ejusmodi legitimatus factus eſt legitimus quantum d omnia *d. C. tanta.* & cenſetur ac ſi nunquam fuiſſet illeitimus: Nam tacitè actum videtur, quando filij naſcunır, ut ſint legitimi ſi matrimonium ſubſequatur, etiamſi erbis non exprimatur *arg. l. Qui balneum pr. ff. Qui pot. in gn. hab. add. Auth. Quib. mod. nat. effic. ſui. §. Reliquam. & Si qvis ergo.* ubi ſancitur: *ſemel eos efficientes legitimos, daus eis habere etiam ſucceſſiones illas qvas habent hi, qvi ab inio legitimi ſunt;* quorum appellatione ut dictum veniunt jusmodi legitimati; atq; matrimonium contractum oſt nativitatem filij, retrotrahitur, ut perindè habeantur, c ſi eſſent nati legitimi: quia talis legitimatio naturam initatur quæ individua eſt, & non recipit diviſionem: Non nim unus & idem homo eſt legitimus quoad quædam, & uoad qvædam illegitimus *Iſner. in d. C. naturales. ſi de Feud. ef. cont.* ubi ſtatuit qvod verba *de legitimo matrimonio nati:* erificentur in eo, qui legitimatus eſt per ſubſeqvens matri- 13 ionium. Nec nocet, etiamſi aliud poſt hunc filium ex oncubinà natum, interceſſerit, & Vaſallus interim haburit uxorem quæ fatis conceſſerit. Quod de Jure commui generaliter procedere tradit *Bart. in l. Bonorum. pr. num. . ff. rem. rat. hab.* Doctrinam modo traditam etiam ad feua Regalia extendere licet cum *Franciſc. Burſato Cons. 10. um. 8. Sylvan. Cons. 13. num. 20. cum ſeqq. vol. 1.* niſi con- 14 rarium Statuto comprehendatur, ne ſcilicet legitimati uccedant in feudis majoribus & minoribus, qvod valere

poteſt. Aut id ipſum ex forma inveſtituræ expreſſè appareat; vel etiam ſit tale obſtaculum, qvo naturales liberi propter adulterium aut ſimilem damnatum coitum aut affinitatem â legitimatione, & conſeqventer â ſucceſſione Feudali impedirentur. Hiſce enim modis acqvieſcendum foret excluſioni à feudis propter inhabilitatem perſonarum Statuto non comprehenſarum. De ſucceſſione Feudali pluribus inferius.

15 *Tertiò* legitimati per ſubſeqvens matrimonium ſuccedunt, in Emphyteuſi Eccleſiaſticâ parenti pro ſe & filijs ſuis legitimis conceſſâ, *Gail. d. obs. 141. n. 2.*

Quartò continentur in diſpoſitione Statuti, qvo ſoli maſculi vocantur excluſis fœminis. Nam ſicut in diſpoſitione legali, ita etiam in diſpoſitione Statuti nomine maſculorum veniunt, & legitimi qvoad omnia dicuntur *Panormit. in d. C. Tanta. num. 4. & 7. Graſſ. §. Succeſſio ab inteſt. Quæſt. 19. num. 6.* qvam opinionem Cameram Imperialem approbare teſtatur *Gail. 2. obs. 141. num. 2.* Contrarium tamen aſſerente *Mynſing. cent. 3. obs. 26.* ex ratione qvod valde abſurdum eſſet ſpurios legitimatos ut advenas introduci ad excluſionem prolis legitimæ, quam etiam *Jaſ.* tenet *in l. Si is qvi pro emptore. ff. de Uſucap. num. 286.* ubi communem dicit, nec ab eâ in judicando & conſulendo recedendum eſſe. Aſt prior verior eſt ex rationibus jam ſupra allegatis, & majus ſanè abſurdum ſeqveretur, nempè filium qvoad qvædam legitimum, & qvoad qvædam illegitimum deprædicare.

16 *Quintò* gaudent jure Retractus ſive προτιμήσεως cum patri ſui hæredes dicantur, ſintq; de familiâ Patris, & conſervent agnationem & familiam æq; ac legitimè nati. *Keller. de Succeſſ. ab inteſt. tit. 6. num. 5. Peregri. de Fideicommiſſ. Art. 24. n. 5.*

Sextò excludunt ſubſtitutum in caſu non exiſtentium libe-

berorum legitimorum & naturalium *Harprecht. pr. Inst. de Succeſſ. ab inteſt. n. 272.*

Septimò fruuntur beneficio *l. Si unqvam. Cod. de Revocand. donationib.* & aliis Juris remedijs legitimis competentibus *Clar. in §. Teſtamentum. Q. 83. p. totam.*

Octavò, conſeqvuntur teſtimonium natalitium qvod ex thoro legitimo & honeſtis parentibus nati fuerint *Carp. Juriſpr. forenſ. p. 2. Conſt. 6. def. 15.* ubi affert præjudicium.

Nonò, ad dignitates qvoq; evehi poſſe verius eſt, qvod tamen Mynſingero difficulter probatur, propter 17
verba, quæ apponit *in Cent. 4. obs. 31. utcunqve ergo ſpurii efficiantur legitimi, remanent tamen infames de facto inter bonos & viros graves*, ſed infames ad dignitates non ita admittuntur.

Arduam hoc loco quæſtionem annectere lubet, 18
qvæ in utramq; patem inter Doctores ſat acriter diſputatur. *An filius major legitimatus per ſubſeqvens matrimonium excludat à majoratu filium minorem ex legitimo matrimonio natum?*

In negativam partem inclinant *Paul. Caſtr. Aret. & Jaſ. in l. Pomponius. §. Quæſitum. ff. de Acqvirend. poſſeſſ. Nicol. Perus. de Succeſſ. ab inteſt. p. 1. pr.* Ex hac ratione: qvoniam legitimatio non retrotrahitur in præjudicium tertij, cui jam erat Jus quæſitum. Contrarium defendunt *Ant. de Roſell. in Tr. d. legit. lib. Col. 5. Tiraq. in d. l. Si unqvam. & in Tr. de Primog. Quæſt. 34.* quem ſeqvor, qvod nempè primogenitus legitimatus præferatur. Nec me movet à parte adverſâ allegata ratio: Quia vera non videtur, eoqvod minor legitimus nondum habeat jus qvæſitum, ſed tântum in ſpe fundatum, quod tandem poſt mortem poſſeſſoris ſucceſſori defertur: Si enim ſecundum Doctorum communem opinionem Princeps filium naturalem nullâ patris diſpoſitione adjutum legitimare poteſt antequam hæreditas adita eſt, adhoc ut excludat alios; *Alex.*

Cons. 2. vol. 1. & Cons. 57. vol. 2. quidni etiam idem haberet locum in eo, qvi per ſubſeqvens matrimonium legitimus effectus eſt? cur non excludet fratrem minorem legitimum, qui jus in ſpe tantum habebat? *Vid. Graſſ. d. Q. 19. n. 9. & Peregr. d. A. & 24. n. 6.*

19 An etiam nepotes eodem jure gaudeant, ut, quando avus præmortuo filio naturali contrahit matrimonium, fiant legitimi? non conveniunt Juris Interpretes. *Gailius* equidem *in d. obs. 141. num. 9.* expreſſe negat, ex hac ratione: quod legitimationis principium fieri debeat in filio, quo ſublato eam non poſſe incipere dicit à nepote, ibique allegat *Baldum & Caſtrenſem.* Idem tenet *Tiraqvell. de Jure Primogenit. Q. 34. num. 64.* Quibus non obſtantibus ad affirmativam utpotè veriorem me converto cum *Vasq. de Succeſſ. lib. 1. §. 2. num. 87.* quia matrimonium ſubſequens ipſo jure legitimos reddit omnes deſcendētes naturales ex iisdem parentibus ante tale matrimonium genitos. *Qvid enim impedit (*inquit ille *d. l.) qvin lex fingat eum, qvi poſt factum teſtamentum ab hoſtibus captus eſt, & apud hoſtes deceſſit anteqvam fieret captivus ſeu hoſtium ſervus, deceſſiſſe; Ita ſimiliter fingere poſſit & iſtum filium ſupervixiſſe videri usq; ad tempus matrimonii, & per hoc legitimitas, & ipſi filio, ſi opus eſſet, & etiam nepoti accederet, in qvo non poteſt non eſſe opus ſeu neceſſaria vel utilis, vel, qvod facilius eſt; cum ipſum nomen legitimatis merum inventum & figmentum Juris Civilis ſit, & ſic alio Jure Civili facile tolli poſſit.* Et eadem erit qvoq; cauſa impulſiva: Nam parentes æq; nepotum legitimandorum gratiâ ad nuptias contrahendas invitantur, ac etiam filiorum, de quibus Lex tantum ſtatuit *l. Cum qvis. & in l. Qvæ nuper. Cod. de Natural. liber.* quæ tamen non extenſivè ſed comprehenſivè intelligenda eſt. Et hæc de legitimatis per ſubſequens matrimonium. Nunc ad alteram ſpeciem accedamus.

20 Quamvis magnum ſit privilegium legitimationis per Re-

Reſcriptum Principis, non tamen eo ſe extendere valet, ut eosdem ſortiatur effectus, ac legitimatio per ſubſequens matrimonium, quæ validior eſt, & efficacior. Cum hi legitimati eodem jure ac legitimi habeantur, illi non utique: differre enim dicit *Barthol. Muſcul. Cl. 1. memb. 2. C. 6. lit. N. num. 262. de Succeſſ. Convent.* taliter, quantum differt aurum Alchimiſticum à vero. Idem dicit *Mynſing. Cent. 4. obſ. 31.* legitimatum eſſe ſimilem Alchimiæ, qvæ facit apparere quod non eſt. Conſolidatur qvidem vulnus per legitimationem, manet tamen interim cicatrix *Vult. lib. 1. feud. 9. num. 92. Illuc recidit Bald. in c. fin. de translat. Epiſcop.* dicens: legitimatum aſſimilari homini medicato á morbo, in quo remanent aliqvæ cicatrices. Hinc illud Satyricum. 21

Quem ſemel horrendis maculis infamia nigrat
Ad bene tergendum nulla profecit aqva.

Est autem legitimatio per Reſcriptum Principis actus Voluntariæ Jurisdictionis, qvi per Principem exercetur, quo illegitimi juſtorum liberorum Jura aſſequuntur. *Forſt. lib. 6. cap. 31. num. 1. de Succeſſ. ab inteſt.* 22

Dicitur *per Principem*: Quoniam inter Regalia recenſetur *Regn. Sixt. de Reg. cap. 2. num. 7. & 11.* quæ non niſi Summo Principi competunt, adeoq; etiam natalium reſtitutio, qvæ decernitur ad ſupplicationem patris, cui alii legitimi liberi non ſunt: aut etiam ipſius filij ſolius. Cum Princeps de plenitudine poteſtatis filium talem legitimum pronunciare poſſit, etiamſi pater non ſupplicaverit: Qvoniam Legum authoritatem in manu habet. Et hoc non tantum in Caſu non exiſtentium liberorum legitimorum, ſed etiam in caſu exiſtentium locum ſortitur, quod tamen non facere velle præſumitur, niſi expreſſerit nominatim: 23

Regulariter autem ejusmodi legitimati ſuccedunt patri legitimis non extantibus *Gregor. Tholoſ. ſynt. Jur. uni.* 24

lib.

lib. 45. c. 7. quia talis legitimario non niſi extantibus odi-
oſa & à Jure qvoad ſucceſſionem reprobata & prohibita
eſt, ideoq; ſtrictè accipienda. Niſi Primo facta ita com-
probetur, ut cum filijs jam natis aut naſcituris legitimati
ſuccedant *Morqvech. de Divis. bonor. cap. 6. num. 39.* aut
conſenſus patris acceſſerit *Charond. Reſp. lib. 12. cap. 17.*
qui neceſſario requiritur, aut etiam Avi, ſi de ejus ſucceſſi-
25 one quæratur. *Menoch. Cons. 101.* Secundò, niſi pater
teſtamento ſuo declaraverit ſe velle ſibi hæredem eſſe le-
gitimatum: tum enim æque cum legitimis & naturalibus
ſuccedet, nec requiritur liberorum legitimorum conſen-
ſus, neque eorum citatio. *Covarr. de Matrim. cap. 8. num. 5.*
cum Jus nullum ipſis qvæſitum ſit vivente eorum patre,
multominus cognatorum. *Covarr. d. cap. 8. §. 9. Graſſ. §.*
Succeſſio ab inteſt. Quæſt. 29. num. 9. Qui tamen ſi evidentibus
26 probationibus demonſtrare velint legitimatum non eſſe fi-
lium naturalem patris petentis legitimationem omninò
audientur.

Meritò è contrario dubitatur de ſucceſſione legiti-
27 mati ſi nihil conſtet de voluntate patris circa legitimatio-
nem ad ſupplicationem filij factam. Quantumvis enim
legitimatio valeat; ſucceſſio tamen denegatur *Covarr. de*
Matrim. d. cap. 8. num. 19. cum legitimi vel etiam agnati
Jus quæſitum jam habeant, quod à Principe ijs auferri ne-
quit, ex Regulâ Generali; legitimationem nempè non re-
trahi ad tempus præteritum in præjudicium tertii *Tiraq.*
28 *de Primogenit. Q. 34. num. 8.* Niſi conſtaret apertè Princi-
pem voluiſſe excludere cognatos, qui ante aditam hære-
ditatem excluderentur, non item poſt aditionem: quoni-
am Jus quæſitum auferri videretur, quod fieri non poteſt;
multo minus à Comite Palatino, neqvidem de conſenſu
patris, niſi hoc expreſſè privilegio contineatur, *Franciſ.*
Barry. de Succeſſ. lib. 18. tit. 1. num. 23. unde neceſſaria erit
mentio liberorum legitimorum in Reſcripto, ut de certâ
ſcien-

ſciētiá Principis legitimantis conſtare poſſit, ad hoc ut cum ijsdem ſuccedant legitimati, ſi forte conſenſus legitimi non acceſſerit. *Molinæus Cons. 288.* 29

Poſitá nunc ſucceſſione paterna in allodialibus ex legitimatione, hoc modo circumſcripta; nunc de feudis quæremus, num & hi natalibus reſtituti per Reſcriptum Principis eodem modo ad ſucceſſionem feudalem admittantur, quēadmodū legitimati per ſubſequens matrimonium? Qvod tales à ſuccesſione Feudali removentur, patet ex *tit. 6. lib. 2. feud.* quia non ſunt verè ſed fictè legitimi. *Gail. lib. 2. obs. 140.* Quamvis etiam feudum poſt legitimationem pater acquiſierit. *Roſenth. de Feud. cap. 7. conclus. 19. n. 7.* 30

Propoſitam modo theſin limita Primò, ſi contrarium ſingulari loci conſvetudine receptum ſit. *Graſſ. §. Succeſſio ab inteſtato Quæſt. 19. num. 15.* Secundò, ſi feudum merè hæreditarium. *Valent. Forſter. de Succeſſ. lib. 6. cap. 39. n. 18. & ſeq.* Tertiò, ſi filius legitimatus ſit ad feuda absque ſpeciali Feudorum enumeratione. Quod communiter receptum dicit *Paris. Cons. 1. num. 76. vol. 2. Hartm. Piſt. lib. 2. qvæſt. 40. num. 8. & 9.* idq; non in feudo novo duntaxat. *Matth. Afflict. in d. tit. 6. lib. 2. num. 9. & ſeq.* verum etiam in antiqvo *Borch. c. 7. p. 2. num. 54.* Niſi enim nominatim ſive ab Imperatore ſive Comite Palatino aut alio habente poteſtatem, idq; in Reſcripto legitimationis, ad feuda legitimati reperiantur, excluduntur ab ijsdem; eo quod ſpecialis clauſula ſemper ad feuda reqviratur, tàm in privilegio conceſſionis, quàm inſtrumento legitimationis. *Mynſing. Cent. 5. obs. 42. num. 6.* Exceptis Feudis Regalibus, qvæ, ſi ad legitimatum pervenire debeant, ſpecialiter concedi oportet, atq; de ijsdem Princeps nominatim diſponere tenetur. *Bald. in l. eam quam 14. Cod. de Fideicomm. num. 42.* De qvo nullum apud interpretes dubium remanet, ſi qvis ab ipſo feudi Domino, aut certè eo conſentiente 31 32

33 legitimatus ſit; ſecus verò, ſi ab alio quàm domino, aut ſine conſenſu domini id fiat, eo enim caſu domino directo præjudicari, atq; talem ad feudum admittere is cogi non poteſt. Ita majorem & ſaniorem partem Interpretum tenere ſcribit *Hartm. Piſt. l. 2. Quæſt. 40. num. 10.* & plures alii, qvos diligenter annotat *Herm. Vultej. de Feud. lib. 1. cap. 9. num. 93.*

34 Agnatis tamen per hujusmodi legitimationem præjudicari poſſe quidam contendunt, Imperatoremq; , aut alium Superiorem non recognoſcentem non tantum liberis naturalibus & legitimis, ſed & agnatis jus qvæſitum & poſitivum, cujusmodi eſt feudum, auferre, & ſimul inde
35 efficere poſſe, ut ſuâ diſpenſatione aut plenitudine poteſtatis legitimatus præferatur. Moventur ad id rationibus ſequentibus. Prima eſt; Legitimatum etiam legitimis extantibus ſuccedere, & agnatos excludere, ſi patre conſentiente legitimatio facta ſit. Secunda, qvod legitimatus excludat ſubſtitutum ſcilicet antecedente conſenſu patris. Tertia, Principem de plenitudine poteſtatis poſſe alicui privato jus ſuũ ex ratione Juris Civilis partum pro libitu auferre, *Hartm. Piſtor. l. 2. Quæſt. 40. num. 16.* ubi plurimos allegat pro hac ſententia: Ex trito illo, nemo audet dicere cur ita facis? Ergo etiam in noſtro caſu, præſertim cum conſvetudines Feudorum à Jure Civili & poſitivo dependeant, quæ contrariâ conſvetudine tolli poſſunt. Quarta ratio eſt: Agnatis tempore legitimationis nullum jus adhuc quæſitum fuiſſe, ſed eos tantum in ſpe ſperare ſucceſſionem in feudis. Quinta, Principes admittendo legitimatos de plenitudine poteſtatis ad ſucceſſionem feudi in præjudicium Agnatorum, non auferre jus ipſorum, ſed tantummodo removere impedimentum, qvod obſtabat filio naturali, qvo minus ſuccedere potuerit; & eum, qvi prius incapax erat, habilem reddere. Sexta denique, qvòd ejusmodi legitimatio non penitus tollat jus Agnato-

rum,

rum, ſed efficiat tantum, ut ad tempus aliqvod differatur, & prorogetur, qvod Principi permiſſum eſſe tradunt.

Quamvis ſumma in ſummo Principe & abſoluta liberaq; reſideat poteſtas, qvæ nullis ſit circumſcripta legibus, facilique ratione contra leges diſpenſare poſſit, cavendum tamen erit, ne in damnum ſubditi, aut præjudicium ejus qvidqvam ſtatuatur, cum ad officium boni Principis pertineat, curare, ne dilectionem proximi offendat, aut juſtitiam violet, nevè tempeſtatis potius, ut loqvitur *Conrad. ab Einſidel de Regal. c. 2. num. 4.* quàm poteſtatis plenitudine utatur, & ita injuriam faciendo, Juſtitiæ tramites excedat, cujus fines & terminos ſi transgreſſus fuerit, contra ordinationem Dei peccare contingat, dum ſcilicet in bonis privati alicujus pro lubitu graſſatur, qvod omninò non licet. Niſi publicâ ſvadente utilitate vi Dominij Eminentis, ut loqvitur Grotius, quid factum eſſe dicetur, cujus gratia à Regulis Juris communis receditur, multaq; permittuntur, quæ alias ſunt interdicta & prohibita *Gail. lib. 2. obs. 56.* Neq; credendum eſt eum legibus ita ſolutum eſſe, ut ſubditis ex plenitudine poteſtatis jus ſuum aut bona quæſita nullâ ſuadẽte juſtâ cauſa, nulloq; refuſo precio poſſit auferre *Gœdd. in Diſput. Feud. Diſp. 4. th. 3. lit. A.* Addantur *dicta infra P. 3. cap. 2. ſect. 3. num. 21. & ſeqq.* 36

Præſumitur Princeps tùm plenitudine poteſtatis uti, quando additur clauſula ex certâ ſcienti, ut nemo dicere poſſit, cur ita facis? aut qvando ſecundum leges & Juris communis Regulas aliqvid fieri non poteſt; Nam eo caſu ad illam, quæ ſecundum *Bald. in l. 2. de Senat. nulli neceſſitudini ſubjecta, nulliſq; publici juris regulis limitata eſt*, devenitur, & contra communes regulas executioni mandatur. 37

Aſt digna vox Majeſtate Regnantis, legibus alligatum ſe Principem profiteri, adeò de Authoritate juris no-

ſtra pendet Authoritas, & revera majus Imperio eſt ſubmittere legibus principatum. *Theod. Imp. digniſſimâ in l. 4. Cod. de Legib.* Hinc præclarè dicit *Zaſius in l. 1. ff. de Orig. Jur. in verb. ratum.* ſupremam quidem eſſe Principis poteſtatem, ſed intra fines Juſtitiæ concluſam. Audi parum Claudianum Poëtam.

Nec tibi qvid liceat, ſed qvid feciſſe decebit,
Occurrat, mentemq; domet reſpectus honeſti,
Tu Civem patremq; geris, tu conſule cunctis
Nec tibi, nec tua te moveant, ſed publica vota.

Jam vero ſi ad noſtram qvæſtionem propoſitam hæc applicentur, certè in animum vix inducere queo, ut exiſtimem hujusmodi legitimatos per Reſcriptum Principis,
38 & de plenitudine poteſtatis ad ſucceſſionem feudalem in præjudicium Agnatorum admittendos eſſe: Ecquo enim juris textu id probabimus? cum in Feudis in præjudicium Agnatorum Jure nil disponatur. Aut quà neceſſitate urgente alteri ſuum auferemus, cum publica utilitas hoc non appetat? Ad plenitudinem poteſtatis te recurrere di-
39 cis? At vide, ne tibimet ipſi contradicas, & nimium inadvertentes impingas: Statim enim atque dicis licere Principi legitimare quendam in præjudicium Agnatorum, hoc ipſo affirmas, Jure hoc tibi omnino non liquere, ratio eſt: quia, ut ſtatim diximus, tùm demum ſupremæ illi poteſtati ſive poteſtatis plenitudini locum tribuis, quando Juris ratione te vides eſſe deſtitutum, quod autem de Jure tibi non liquet, id tibi facere fas non eſt, & faciendo peccas: non enim licet alteri auferre jus feudi contractu (ut qui juris gentium ſui origine reſpectu conſenſus & pacti ſit) quæſitum, alioqui ſequeretur, quod rem ſuam alteri ſine causâ adimere quis poſſet, contra juris diſpoſitionem *in L. item ſi verberatur §. 1. ff. de R. V. L. venditor §. ſi conſtat ff. Comm. prædior.* & quod noſtrum non eſt, ad alium ſine facto noſtro contra Jus transferre integrum eſſet, quod fieri

ri non debet. Præſertim hoc in caſu, ubi Agnatis ex pacto Anteceſſorum tale Jus qvæſitum ſit, quod non ſolum à futuro dependet eventu, ſed qvod etiam vivente poſſeſſore ita competit, ut hoc ipſis nullâ ratione adimi poſſit, tanquam quævis alia res pleno jure acquiſita. *Dec. Conſ. 445. num. 22.* vel qvovis modo alienari, etiamſi authoritate Principis alienatio facta fuerit *Jaſ. in Conſ. 57. Col. penult. in 3. Vol. Pariſ. Conſ. 5. num. 22 & 24.* Alienatur autem per legitimationem, cum feudum in alium transferatur, quam ad quem ex pacto anteceſſorum debuerat pertinere *Alex. Conſ. 25. num. 1.* Inde etiam optime refellitur adverſario- 40
rum ratio ſexta, ubi dicunt non tolli jus, ſed differri. Debilis certè eſt hæc ratio, quid enim, rogo, importat illa dilatio, quam ablationem feudi ipſam? cum non tantum, donec ſuperſtes erit legitimatus, carere cogantur, ſed & poſt ſuſceptam prolem omninò privarentur, adeoq; ſpe ſuccedendi defraudarentur, qvod certè injuſtitiam foveret, & violentiam apertam (quam ſummam poteſtatem honeſtiori vocabulo appellant) importaret. Dubium quidem non eſt, qvin Princeps omnia poſſit, ſed qvomodo? alia 41
quæſtio eſt, fundantur quædam in poteſtate Principis, ſed non ſemper in Juſtitia naturali, ita ut *Hartmann. Piſtor. d. Quæſt. 40. pag. 787.* Cum Gartiâ miretur, & deteſtetur etiam illos, qui Juſtitiæ ſacerdotes perhiberi volunt, hanc poteſtatem, laxatis aliquando modeſtiæ habenis, vel aſſentandi gratiâ, vel partium ſtudio, ſupra immenſum ita efferre atq; extollere, ut etiam id, qvod ipſimet iniquum & injuſtum eſſe fatentur, Principem ex abſolutâ tamen poteſtate jure facere poſſe exiſtiment: idq; ſuis ſuffragijs, & qvidem plenis buccis approbent: Juri eqvidem naturali & divino hæc vel maximè repugnant, quibus non tantum quilibet privatus, ſed & ipſe Princeps omninò obſtringitur.

Verum enim verò ſi circumſpectè & cautè Princeps 42
in

in hoc negotio agat, legitimamque, cum ad extremum quid accedere in animo habet, cauſam præſeferat, tùm facilè alteri ſententiæ meum votum adjungerem, non enim ita arctis cancellis eſt circumſcripta, & legibus ſubjecta Principis poteſtas, ut accedente legitimâ cauſâ etiam contra leges quandoque qvid ſtatuat, quemadmodum hic ſi de præjudicio Agnatorum agatur, admittendo legitimatos ad ſucceſſionem feudi; qui tamen citandi erunt ad videndum legitimationem fieri. De legitimatorum per Reſcriptum Principis ſucceſſione in feudis præclarè tractat *Herm. Vult. de Feud. cap. 9. â num. 91. usq; 95.* qui omninò videatur.

43 Quæſtio priori haud diſſimilis circa excluſionem certarum perſonarum hic ſuboritur, an exiſtentibus Statutis, qvod ſcilicet maſculi excludere debeant fœminas, filij legitimati per Reſcriptum Principis excludant filias etiam legitimas? Graviter circa eandem Doctores diſputare dicit *Gail. lib. 2. obs. 140. num. 1.* ubi fundamenta partis affirmativæ & numerum Authorum pro ea cumulat, ſed tandem *num. 6. & ſeq.* pro negativâ & meritò pugnat, *cum Curt. Sen. Cons. 16. num. 4.* eamq; veram & communem, alteram falſam eſſe dicit, eoquod hujusmodi legitimati per fictionem ſaltem legitimis comparentur. Quam Cameram Imperialem ſequi idem teſtatur *num. 6.* Ideoque hoc caſu filia cum ſimiliter legitimato filio in ſucceſſione concurret *Covarr. de Matrim. C. 8. §. 8. num. 3. Dec. Cons. 53. vid. Gail. d. obſer. per totam.*

44 Ad hoc igitur ut legitimatio per Reſcriptum Principis effectum ſortiatur, validitasque non impugnetur, tria neceſſario advertenda erunt. *Primò* Summum Principem Agnatis præjudicare voluiſſe non præſumi, ſed potius legitimationem ſalvo jure agnatorum factam eſſe, & Jus ſuccedendi non aliter conceſſiſſe, quàm ſi agnati non exiſtant, niſi manifeſtè appareat, Principem voluiſſe agnatis legitima-

tio-

tione illâ præjudicare. Plenitudo enim poteſtatis, ſive ſumma illa poteſtas non præſumitur, niſi probetur, cum in facto conſiſtat, & præſumptio potius pro jure, quam contra Jus ſtet, in qvo plenitudo non fundatur, niſi quid ratione boni publici ſtatuendum foret. *Secundò* ut expreſſa fiat mentio legitimorum ſucceſſorum ſi extent. *Tertiò* ut omnis qualitas exprimatur, quæ difficiliorem legitimationem reddere poſſet, nec in genere tantum, ſed & in ſpecie: Non enim ſufficit exprimere eſſe ſpurium, ſed ſpecies ſpureitatis denotanda eſt, an ſcilicet natus ex Moniali vel Clerico? an ſit adulterinus vel inceſtuoſus, an ex duplici vel ſimplici adulterio? ratio eſt: quia ſi omitterentur, legitimatio tanquam obreptitia nulla redderetur, & conſeqventer ejusmodi legitimatus excluderetur à ſucceſſione Patris cognatis etiam nullis extantibus *Maynard. lib. 4. c. 1.* Cum credibile non ſit, Principem in alterius incommodum, de quo non certior factus fuerit, qvippiam concedere voluiſſe *Hartm. Piſt. d. Q. 40. n. 27.* ubi doctiſſimè hanc qvæſtionem tractavit.

De ſummâ poteſtate legitimantis hucusq; plurima 45
in medium allata ſunt. Nunc reſtant qvædam, qvæ dubia intricata movere poſſent, maximè circa effectum legitimationis. An nimirum hæc poteſtas undiq; ſe extendat, & extra territorium Principis, etiam tunc, qvando de ſuccedendo agitur? ſunt enim qvi ſibi perſvadent, non extendi extra territorium. *Fach. Contr. Jur. lib. 3. q. 5.* Alii diſtinguunt, quod tamen in idem recidit, an quæratur de legitimatione tantum perſonæ qua talis, an verò de legitimatione, quando ſperatur ſucceſſio: priori caſu poteſt ſubditus etiam extra territorium legitimari, cum ſit actus voluntariæ Jurisdictionis, qui & extra territorium rectè exercetur quoad perſonam ſubditam. De altero diſtinctionis membro gravius diſceptant, & putant, quendam alibi pro legitimo non haberi ſive quoad ſucceſſionem,

ſive

ſive quoad honores, cum extra territorium nemo judicet. *Perez. lib. 5. Cod. Tit. 27.* Econtra tenet *Franciſcus Barry. de Succesſione lib. 18. tit. 1.* etiam extra territorium quoad hunc effectum valere, ubi refert præjudicium, de qvodam à Duce Ferrarienſi legitimato ſubdito, cujus bona, poſtquam in Regnum Franciæ transmigraſſet, ibiq; inteſtatus mortuus fuiſſet, cognatis ipſius proximis addicta ſunt & non fiſco. Sed Perezij ſententia juri conformior eſt propter Jurisdictionem contentioſam, quæ competit illi, cujus in territorio bona ſita ſunt, de illis enim cognoſcit, non alius.

46 Aliud in Imperatore eſt, qui legitimat ſubditum Principis feudum ab Imperio recognoſcentis: Quia eſt Dominus directus. *Roſenth. de Feud. cap. 7. Concl. 19. n. 10.* quod
47 tamen quoad ſpiritualia difficilius erit; qvoad illa enim Jurisdictio fundata non eſt: diverſa nimirum ſunt eſſe legitimatum Jure Civili, & eſſe legitimatum Jure Canonico. Qvoniam Imperator vel habens ab eo poteſtatem poteſt legitimare filium ſacerdotis, ſi de effectu civili qværamus, ſcilicet de ſucceſſione bonorum Patrimonialium (Non tamen qvoad ordines & dignitates Eccleſiaſticas) eo qvod bona Clericorum, non ſint bona Eccleſiæ, ſed mortuo clerico ſine teſtamento ſpectent ad conſanguineos laicos. Uti ſupra in Clericali Succeſſione diximus.

Viciſſim legitimatio per Pontificem facta, non ſe extendit ultra Jurisdictionem illius, niſi exceperis ſpiritualia,
48 quæ ubiq; ipſi contendunt: Nam quoad ea omnes ſunt de ſuâ Jurisdictione. Diſpenſat tamen hoc caſu potius, quàm legitimat, niſi de ditionibus ipſius ſermo ſit: In illis enim qvoad honores, dignitates, ſucceſſiones hæreditarias, temporalem Jurisdictionem exercet. Unde facilis eſt differentia inter diſpenſatum & legitimatum: Illi nulla cum ipſâ legitimatione beneficia, & legitimitatis Jura, aut ſaltem pauca competunt. Hic verò legitimatur ad honores,

res, dignitates, ſucceſſiones legitimas & teſtamentarias. Quid ſi autem reſtringatur in Reſcripto ſucceſſio per adjecta verba: *absq; præjudicio venientium ab inteſtato?* Certè 49
magni effectus erit hæc clauſula cum non tantum excludatur legitimatus liberis legitimis extantibus, ſed etiam præſentibus Collateralibus. Nec mihi probatur ſententia eorum, qui Collaterales ad qvartum gradum usqve admittunt, & non ulteriores, ad hoc ut eos excludant cum clauſulâ prædictâ, inter qvos, eſt *Vasq. de Succeſſ. progreſſ. lib. 1. §. 1.* Abſit hinc qvoq; diſtinctio eorum, qvi inqvirunt an agatur de hæreditate delatâ ante legitimationem, vel poſt. Secus tamen in uxore & fiſco ſtatuendum foret: Quia vi iſtius clauſulæ legitimati ab iis non excluduntur, cum eorum ſucceſſio extraordinaria ſit. *Peregr. de Fideicomm. art. 23. num. 81.* Hiſce conſequens erit legitimatos cum hac clauſulâ ſuccedere ſaltem ex teſtamento, non tantum in eâ portione, quam habuiſſent legitimatione non facta, ſcilicet in duabus Uncijs ſi naturales fuiſſent: ſed plenariè, & non aliter, ac ipſi legitimi.

Qvid deniq; ſentiendum de ſuccesſione legitimato- 50
rum, ex coitu nefario & adulterino procreatorum? Certè non ſine fundamento concludunt illi, qvi talem illegitimè natum & poſtmodum legitimatum repellunt â ſucceſſione Parentum, quantumvis etiam in Reſcripto expreſſum ſit ut ſuccedat: Indignus equidem reputatur bonorum paternorum, non item alimentorum, uti diximus. Sed contrariam ſententiam veriorem eſſe puto, ut nempè ſuccedant in bonis Parentum, modo non concurrant legitimi, & 51
expreſſè id in Reſcripto ſtatutum reperiatur, adjectâ clauſulâ: *nõ obſtante aliqvâ lege, qvæ in contrarium loquitur.* quam tamen ſpecialiter non reqviri dicit *Guid. Pap. Deciſ. Q. 280,* nihil in contrarium movente *Auth. Ex complexu. Cod. de Inceſt. nup. vid. Fab. Cod. lib. 5. tit. 16.*

Sectio VI.

De ſucceſſione Liberorum putativorum.

SUMMARIA.

1 Filii putativi an veniant nomine filiorum?
2 Quid ſit matrimonium putativum?
3 Unde dicatur putativum?
4 Gaudent privilegiis & prærogativis liberorum legitimorum.
5 Modo matrimonium ſolenniter contractum ſit.
6 Quid ſi unus Impedimentum ſciverit, an nihilominus liberi legitimi erunt?
7 An in feudis ſuccedant?
8. Pulchra Hiſtoria circa ſucceſſionem liberorum putativorum ex Buſchardo Aveſnenſi, et Margaretha Filia Balduini Imperatoris Conſtantinopolitani procreatorum, & deciſio ſubſecuta.
9. Quid Juris, ſi quis dubitet de filiatione unius aut alterius, an gaudebit legitimâ ſucceſſione?
10 An probari debeat filiatio?
11 Quomodo probetur?
12 An per nominationem filii in teſtamento vel apud Acta?
13 Item per ſimilitudinem effigies matris cum nato?
14 An probetur itidem per denominationem vel inſtitutionem filii hæredis univerſalis?
15 Quomodo præſumptiones filiationis elici poſſint?
16 An plures concurrere debeant præſumptiones ad effectum ſucceſſionis legitimæ conſequendum?

1 Filiorum nomine an comprehendantur & illi, qui ex putativo matrimonio nati ſunt, & an ſimiles habeantur verè Legitimis quoad ſucceſſionem? hac ſectione inveſtigabimus. Matrimonium putativum dicit eſſe *Menoch.*
2 *lib. 4. præſumpt. 77. n. 2.* quod verè & ſolenniter contractum fuit & ob aliquod impedimentum tamen inter ipſos contrahentes conſiſtere non poteſt. *cap. In tenore. Qui filii*
3 *ſint Legit.* Dicitur putativum, quod & coloroſum appellant: Quia non ſolum contrahentes ipſi, ſed & omnes probabiliter putant eſſe verum & legitimum matrimonium. Quicunq; igitur ex tali matrimonio, in ſe quidem illicito, ſed bona fide contracto, procreati ſunt, non tantum

Le-

Legitimi erunt, ſed & Juribus atq; prærogativis eorum ve- 4
rè & realiter gaudebunt; ita ut ſi filii inſtituantur à Patre, hi quoque intelligantur, & ab inteſtato etiam verè ſuccedant: Cum reſpectu facultatis ſuccedendi dicantur verè
nati ex legitimo matrimonio; modo tamen illud ſolenni- 5
ter & ſecundum morem patriæ contractum fuerit, *d. C. Ex tenore. Qui fil. ſint Legit.* quod etiam in filio Sacerdotis ſubſiſtere plurimi dicunt, qui palàm matrimonium contraxit.

Ampliatur, ut non tantum locum habeat, quando 6
uterque contrahentium ignoraverit impedimentum, ſed quando alteruter ſaltem ex juſtá ignorantiâ matrimonium contraxerit: quoniam illius unius ex parentibus ignorantia efficiet, ut liberi iſti ſuccedant etiam ſcienti. Quinimò 7
& in feudis, ſi ambo vel alteruter ex contrahentibus in boná fide ſint, & de facto impedimentum aut nullitatem iſtius matrimonii ignoraverint. Sit tamen in facie Eccleſiæ celebratum, neceſſe eſt, uti diximus. Inde liberi nati reputantur Legitimi, & feudorum capaces cenſentur. *Roſentb. de feud. cap. 7. Conel. 18. n. 5.*

Hujus deciſionis præclarum & in facto deciſum
exemplum habemus in Perſona Buſchardi Aveſnenſis & 8
Margarethæ filiæ Balduini Imperatoris Conſtantinopolitani: quod recenſet *Petr. Gudel. in Comm: de Jure Feud. p. 3. cap. 5. n. 10.* in his verbis: *Diſſerenti de his mihi occurrit celebris hiſtoria contentionis, quæ fuit de Comitatu Flandriæ, Hannoniæque, inter liberos Margarethæ, filiæ Balduini Imper. Conſtantinopolitani. Hæc prioribus nuptiis conjuncta fuit Buſchardo Aueſnenſi, viro illuſtriſſimæ proſapiæ, ſed qui Sacris initiatus, ſeu Hypodiaconus erat, atque hunc ordinem profanis militaribusque officiis ſemper obtexerat. Nuptiæ autem poſteriores Margarethæ fuerunt cum Guilielmo Dampetro. Poſterioris conjugii liberi, fratres uterinos eſſe nuptiis ab Eccleſia damnatis natos objiciebant; contra illi ſe Legitimos eſſe & ordine naſcendi priores, atque adeò ad utriusque regionis Principatum obtinendum*

Jure potiores. Et quidem declaratos legitur ſuiſſe hos ſententiâ Summi Pontificis ſeu Delegatorũ ab eo Judicum, Legitimos; quamvis ex matrimonio Canonibus interdicto, propter bonam fidem (uti probabile eſt) matris, quæ impedimentum ignoraverit. Nam propter hujusmodi parentis errorem, liberos cenſeri legitimos paulo ſuperius dictum eſt. D. Ludovicus Franciæ Rex Arbitrio ad ſe delato, ut negotium componeret, Hannoniam proli prioris thori Flandriam autē proli thori poſterioris attribuit: quo factum, ut hæ Regiones, quæ antea fuerant conjunctæ, fuerint disjunctæ, odiisque & bellis diu inter ſe per hanc, aliasque occaſiones flagraverint: donec tandem utraque ditio, cum multis aliis, ad unum eundemque Principem Philippum Bonum Burgundiæ Ducem pervenit.

9 Quid ſi quis dubitare cœperit de filiatione, an ſcilicet hic vel ille ſit filius hujus vel illius, ad hoc ut ad Legitimam ſucceſſionem perveniat? Certè ad probationem deveniendum eſt, tanquam neceſſarium antecedens Legi-
10 timitatis. Et quantumvis regulariter reſpectu Patris filiatio directè & præcisè probari non poſſit, nihilominus tamen juſtificatur ex conjecturis & præſumtionibus. *Burſat. Conſ. 384. n. 18. Alex. Conſ. 38. n. 9. Natta. Conſ. 235. n. 1.* idq; efficacibus præſertim hoc in caſu, ubi de perpetuo præjudicio, veluti de excluſione à ſucceſſione agitur *Burſ. d. Conſ. 354. 219.* in ſucceſſione de univerſo fidei commiſſo, vel etiam in excluſione ſubſtitutorum: tùm enim fortiores probationes requiruntur, quàm ſi agatur ad effectũ conſequendi alimenta, potiſſimum per modum proviſionis, cum ſufficiat quælibet levis probatio. *Surd. Conſ. 1. n. 9. & in Tr. de Aliment. tit. 1. Q. 112. n. 11.*

11 Probatur autem filiatio 1. per teſtes de publicâ voce & famâ, ac communi regulatione deponentes, *Pacian. de Probat. lib. 2. C. 16. Bart in L. Filium. ff. De his qui ſui vel alieni Jur. ſunt. n. 1.* 2. Ex nominatione utriusq; parentis tanquam Legitimi filii & naturalis. *Surd. Conſ. 1. n. 47.* imò hæc

hæc nominatio filii in teſtamento, vel apud Acta, vel etiam 11
in privatâ trium teſtium ſubſcriptione munitâ ſcripturâ, filium alias illegitimum ſive nothum legitimum facit, *Nov. 117. Cap. 2.* non ſecus ac ſi cum ejus matre nuptias contraxiſſet, ibi: *ex hoc enim, ut cum eorum matre monſtratur Legitimum habuiſſe matrimonium.* 3. Per demonſtrationem amoris erga quendam, puta ſolutio mercedis nutrici, retentio in domo, Alimentatio â Patre facta, tractatio ſicuti proprii filii. *Pariſ. Conſ. 29. n. 9. lib. 2.* 4. Per fortisſimum 12
naturæ argumentum reſpectu ſcilicet matris ex effigie ſimili depromptum. *Pac. de Prob. Lib. 2. Cap. 13. n. 34.* quod ſolum tamen inſufficiens esſe quidam arbitrantur, adeoq; nimium fallax, niſi alia certiora concurrant. *Menoch. Præſumpt. lib. 6. præſ. 53.* 5. Per teſtimonia ex libris matrimoniorum & Baptiſmatum à Parocho formiter extracta, quibus appareat inter quos matrimonium ſit contractum, & quod præceſſerit tempus ante nativitatem filii ſuſcepti: quam tamen deſcriptionem pro conjecturâ filiationis ſervire non poſſe, niſi juſſu patris expeditio probetur, nonnulli ſentiunt. 6. Deniq; probatur filiatio ex denominatio- 13
ne vel inſtitutione filii hæredis univerſalis in teſtamento, qui exinde pro Legitimo cenſetur. *Cephal. Conſ. 48. n. 18. lib. 11.* De cœtero quomodo probetur Agnatio, Filiatio & Legitimitas egregiè expoſuit generoſus *Dominus ab Andler in Jurisp. ſuâ publ. & privat. lib. 2. tit. 10.* quem omninò vide.

Præſumptiones quoque filiationis vehementes quis 14
elicit ex aſſertione prætenſi parentis in ultimo vitæ ſpiritu factâ, quæ propter memoriam ſalutis æternæ & timorem terribilis Dei Judicii, pro Juſtificatione filiationis magni facienda eſt. *Menoch. 5. præſumpt. 3. n. 1.* ſimiliter etiam nomen majorum filio impoſitum præſumptionem filiatio- 15
nis inducit. *Surd. conſ. 1. n. 45.* Hæ & ſimiles conjectu- 16
ræ maximè probant, ſi plures concurrant, dubiumq; tol-

luni de filiatione, & de coſequente filiationem, nempe Legitimitate ad effectum ſucceſſionis Legitimæ.

Sectio VII.

De Filiorum incapacium & indignorum ſucceſſione.

SUMMARIA.

1 *Jure Codicis deportati ſucceſſionum incapaces ſunt.*
2 *Quod Jure Novellarum mutatum eſt.*
3 *Incapaces ſunt filii expoſiti ſi Pater ignoretur.*
4 *Expoſitio eſt crimen à ſenſu humano alienum.*
5. *Quis teneatur alimentare expoſitos?*
6 *Si parentes noſcuntur his ſuccedent.*
7. *Quâ pœnâ puniantur expoſitores?*
8 *An filius exhæreditatus ſit incapax ſucceſſionis legitimæ rupto teſtamento?*
9 *Filii adulterini quoque incapaces ſunt.*
10 *Quibus debeatur incapacium ſucceſſio?*
11 *Indignitatis notam incurrunt filii qui occidunt patrem.*
12 *Cui hic indignus transmittat ſucceſſionem?*
13 *Sententia diſtinguens.*
14 *Quid Juris ſi plures ejusdem gradus ſint cum occiſore?*
15. *Quidam putant portionem occiſoris accreſcere reliquis in eodē gradu.*
16 *Verior eſt opinio fiſcum capere portionem occiſoris.*
17 *Quidnam dicendum, ſi culpâ filii pater mortuus fuerit?*
18 *Quæ ſit pœna parricidarum ex antiquis Conſtitutionibus?*
19 *Quid hodiernis moribus obtineat?*
20 *Quinam filii amplius cenſeantur indigni?*
21 *An is qui turpem vitam, Hiſtrionem, Buſonem agit cenſeatur indignus hæreditate paternâ?*
22 *Quid ſi commiſerit aliud delictum?*
23 *Quid juris ſi contra Rempublicam peccet?*
24 *Origo Legis Juliæ Majeſtatis.*
25 *Quid ſit Majeſtas?*
26 *Pœna criminis læſæ Majeſtatis.*
27 *Pœna duriſſima in filiis conſtituta.*
28 *Eadem pœna in Crimine læſæ Majeſtatis Divinæ.*
29 *Differentia inter filium indignum & incapacem.*

Quot modis filii tùm incapaces, tùm indigni dici poſſint? hic tantisper & pro neceſſitate ſubjectæ materiæ inqui-

inquiremus, eo quod alias fiſci propria ſit, quam prolixius *hac part.2. Capite 6. ſect. 2. & 3.* tractavimus.

Incapacium autem numero continentur 1. filii qui deportantur, & hodie dici poſſunt illi, qui damnantur ad perpetuos triremes, aut etiam qui in perpetuum mittuntur exilium, extra fines Imperii ſive Regni, & Banniti vocantur, de quibus in ſpecie infra *de ſucceſſ. Fiſc. d. p. 2. ſect. 4.* egimus. Hi patri non ſuccedunt, ſed omnia bona tàm præſentia quàm futura amittunt. *L. 2. Cod. de Bon. proſcript.* Et civiliter mortui ſunt: Idemq; in eorum liberis obſervabatur, qui per fiſcum, ſicut & reliqui omnes excludebantur, quod Jure Novellarum mutatum eſt, quo non fiſco ſucceſſio in bonis proſcriptorum ſed liberis defertur. 2
Nov. 17. C. 12. Tandem *Nov. 134 C. ult.* Aſcendentibus & deſcendentibus ad tertium gradum ſucceſſio damnatorum reſervata eſt, excepto crimine læſæ Majeſtatis. Inde infertur fratres hoc jure excludi, & cœteros collaterales, qui ultra iſtum poſiti ſunt gradum, niſi exceperis Statutum & conſuetudinem, qua cognati vocantur, excluſo fiſco, ſicuti in Germaniâ & Belgio; quæ in Franciâ & Burgundiâ non obtinet, ſed omninò contraria, omneſq; excluduntur per axioma: *qui confiſcat corpus, confiſcat bona.* de quibus inferius. Inter incapaces 2. recenſentur filii expoſiti ſi 3
pater ignoretur: Illis enim paterna hæreditas non defertur. Quod crimen multis modis exaggerat Juſtinianus *in Nov. 153.* dum vocat crimen à ſenſu humano alienum, & 4
quod ne à Barbaris credibile ſit admitti. Frequentiſſimum tamen fuiſſe apparet ex Conſtitutionibus Imperatorum *ſub Tit. Cod. de Infant. Expoſ.* Quis illis alimenta præſtare teneatur? variant Doctores, Ego cum *Mart. Coler in Tract. de Alim. L. 1. Cap. 17.* Magiſtratui loci incumbere nutritionem tenerem. Ratio eſt: quia ſiquis nullis relictis Agnatis nec cognatis decedit, tum bona ejus utpote vacantia pertinent ad fiſcum, *L. 4. Cod. de Bon. vac.* ſi igitur com-

commodum hæreditatis ad fiſcum ſpectet, incommodum quoq; ad eum pertinebit, ſicut eſt hocce onus alimentorum. Niſi Dominus loci vel Eccleſiæ teneantur pauperes alere, ideò quia decimis gaudent. *Ant. Theſ. Deciſ. 118.*

6 Quodſi verò parentes noſcantur, tùm certè expoſiti ſuccedant, & pæna inſuper extraordinaria tales infantum
7 expoſitores puniuntur, aut ſi hac expoſitione infans moriatur, mater, quæ infantem expoſuit, capitali ſupplicio affici jubetur. *Conſt. Carol. Crim. art. 132.* cum cauſam mortis præbuerit.

8 Incapax 3. ſucceſſionis paternæ reputatur filius teſtamento exhæredatus, quod deinde ruptum fuerit. Ponitur Caſus: Pater filium ſuum ex juſtâ causâ teſtamento exhæredat, quod Agnatione ſui hæredis Titii v. g. rumpitur, quæritur an exhæredatus ſuccedat ſaltem ab inteſtato? Affirmat *Corſetus* ſed rectius negat *Keller. de ſucceſſ. ab inteſt. tit. 12. n. 14. L. 6. Unde cognat.* Incapacium pœ-
9 nâ puniuntur ii 4. qui nati ſunt ex adulterino, vel alio inceſtuoſo vel nefario coitu, qui ad paternam ſucceſſionem non admittuntur.

Ad quem itaq; pertinebit Incapacium ſucceſſio? Re-
10 ſpondetur ad proximiores & legitimos hæredes, *Jul. Clar. §. Teſtamentum. Q. 31. Graſſ. §. Inſtitutio. Q. 7. n. 13. & Q. 9.* Quidquid enim relictum ſpurio eſt, hæredibus defuncti defertur *L. 1. Cod. de Natur. Liber.* Niſi hæres defuncto fidem accommodet aut palam quid relictum eſſe dicatur ejusmodi ſpurio, hæredesq; Legitimi intra duos menſes relictum indicaverint: Nam ſic potior ratio fiſci habetur *Clar. & Graſſ. d. l. Covarr. Tract. de Matrim. cap. 8. §. 5. d. L. 1. Cod. d. t.* Quandoq; etiam propter atrocitatem conjunctionis excluſis legitimis hæredibus ſimpliciter bona fiſco adjudicantur, quando quis v. g. ex Moniali & Præsbitero ſuſceptus eſt. *Magn. L. 3. cap. 6.* Et hæc de incapacibus, nunc de Indignis. Ad hoc ut quis filii indigni notam incur-

incurrat, tres inſpiciendi ſunt caſus, *Primò* utrum peccaverit contra defunctum, de cujus hæreditate agitur. *Secundò* An contra ſemetipſum, & *Tertiò* An contra tertium vel contra Rempublicam deliquerit?

Circa primum caſum occurrit filii ſanè indigniſſimi 11
& non merentis nomen filii perſona, dum parenti violentas manus infert eumq; necat; hic enim repellitur juſtâ de causâ, adeò ut nequidem legitima dignus cenſeatur. *Dec.* 12
Conſ. 525. Et liberi ejus ac nepotes avitam occiſi hæreditatem propter factum patris amittant. *Boer. Deciſ. 25. Pet. Greg. Lib. 45. cap. 8. ſ.* nec non hæreditas fiſco adjudicetur. Quemadmodum & Vaſallus, & ejus liberi feudo privantur, qui dominum occidit. *Lib. 2. feud. tit. 2.* Sed cur innocentibus liberis delictum patris nocere debeat? Rationem fortè habere licet ex crimine læſæ Majeſtatis.

Sunt tamen qui diſtinguunt, An occiſor adierit hære- 13
ditatem atq; ei delata fuerit, vel non: Caſu quo non fuit delata, ſcilicet quando occiſor mortuus eſt ante occiſum, puta licet eum vulneraverit, tamen vulneratus diutius vixit, & interea occiſor deceſſerit, poſtea verò vulneratus; Tunc hæreditas occiſori non ut indigno auferri, & fiſco applicari poſſit: cum privatio præſupponat habitum, & conſequenter filius occiſoris ut proximus Agnatus non non privetur hæreditate, tanquam veniens proprio Jure, & non ex perſonâ Patris. *L. 33. §. 1. Cod. de inoffic. teſtam. Cod. Ne Filius pro patr. Cod. Ne uxor pro marit.* Si verò fuerit adita, ſive etiam delata hæreditas per mortem occiſi patris, & illâ honoratus fuerit indignus; etiamſi nondum acquiſiviſſet portionem hæreditatis vel legati: Nihilominus tamen ſtatim atq; illa delata erit, via fiſco aperitur ad illam vindicandam & perſequendam, qui legitimis excluſis ſucceſſionem apprehendit. *Fernand. Vaſq. de Succeß. Reſol. Lib. 2. §. 20. num. 12.*

14 Aſt ſi præter occiſorem æq; proximi ſint, & in eodem gradu exiſtant, quid Juris? An hi per delictum fratris fortè hæreditate paternâ defraudabuntur, & infantibus iſtis fiſſcus præjudicabit? Durum equidem foret hujusmodi inculpatos eadem pœnâ mulctari; benignius tamen cum ipſis agitur, & non tantum delictum conjuncti iisdem non nocet, ſed inſuper ad cauſam inteſtati vocantur. *Bald. in L. Data opera. Q. pen. Cod. Qui accuſ. non poſ.* Portio verò occiſoris fiſcum ſequitur, ex Regulâ juris: quod omnia, quæ ut indignis aufferuntur, deferantur ad fiſcum, *Vasq. de Succeſſ. Reſol. lib. 2. §. 2. n. 5. per L. 9. ff. de Jur. Fiſc. Me-*
15 *noch. de Arb. Jud. Q. lib. 3. cap. 356. in f.* humaniorē Doctorum putat ſententiam, ut, ſi alii ſint conjuncti in pari gradu cum occiſore, pars occiſoris jure accreſcendi deferatur reliquis. Idem ſentit, *Guid. Pap. Lib. 21. tit. 1. art. 22.* Quod ulterius ad remotiores extendit *Charond. Reſp. Lib. 2. cap. 80.*

16 Opinio tamen quæ facit pro fiſco de Jure verior eſt, *ex L. 7. §. præterea. 4. ff. de Bon. damnat. L. 18. §. 1. ff. Famil. erciſc.* Ubi occiſi multi erant hæredes, & nullus eorum contra occiſorem agere poterat: quia ſua non videbatur intereſſe. Unde colligitur, quod eis non erat acceſſura portio occiſoris: Nam ſi acceſſura fuiſſet, ſatis eorum intereſſe etiam viſum fuiſſet.

17 Caſum hunc primum extendere licet ad factum, quo manifeſtiſſimè comprobatū eſt, filium egiſſe, ut per negligentiam vel culpam ſuam pater moreretur. *L. 3. ff. de his quæ ut indig. auf.* Exemplum ponitur in eo, qui Medicum non adhibuit ægroto, aut ſaltem Imperitum *L. Quodsi. 31. §. culpam. 12. ff. de Ædil. Edict.* adeò ut non vulneranti, mortem, ſed potius illi, qui non adhibuit Medicum, aut ſaltem Imperitum, imputet. *Maſcard. Concl. 1039. de Prob.*

18 Præter modo dictam pœnam Civilem, Criminalis & Corporalis quoq; magna conſtituta eſt in Parricidas, pœna

na ſcilicet culei, quam Conſtantinus Imperator *in L. Vn. Cod. de his qui parent vel liber. occid.* renovavit & Juſtinianus *in Inſt. de Publ. Jud.* probavit ſimulq; juſſit talem reum Culeo (Capaciſſimum quoddam vaſis genus id erat ex Corio) cum Cane, Gallo Gallinaceo, Viperâ & ſimiâ inſui atque iſtis feris ſibi invicem naturâ infeſtis miſceri: Et ſi Regionis qualitas tulerit, in vicinum mare vel amnem projici, atq; ita omni Elementorum uſu vivus carere incipiat, & ei Cœlũ ſuperſtiti, terra mortuo auferatur *d. L. Vn. More majorum*, inquit *Modeſtinus, in L. 9. ff. de Parricid. Parricida virgis ſanguineis, antequam culeo inſueretur verberatus in mare profundum cum culeo jactabatur.* Hoc ita ſi mare proximum ſit, alioqui beſtiis objicitur.

Hodiernis tamen moribus maximum hoc genus ſupplicii nõ ita obtinet, ſed pro conſvetudine loci ſubmerguntur, aut vivi defodiuntur, vel in partes quatuor diſſecantur, vel dolio incluſi in flumen dejiciuntur, aut etiam canibus dantur dilacerandi. *Sunt enim crimina*, inquit Quintilianus, quæ *ipsâ magnitudine fidem non impetrant, parricidium aliquando Legem nõ habuit: quis enim ſe facilè ex vinculis naturæ exſolvat? Itaq; ad tantũ nefas, magno oportet parricida veniat.* 19

Pœnam indigni filii incurrit qui necem patris non ulciſcitur *L. Eum qui. 18. §. bonis. 1. ff. de his quæ ut indig.* aut etiam potuit eſſe impedimento ne occideretur, & id prætermiſit vel etiampatrem poſt mortem dixit & detulit fuiſſe illicitæ, negotiationis reum, etiamſi præmium inde meruisſet. *L. 1. ff. eod.* 20

Huc etiam fortè applicatur doctrina eorum, qui putant in aſcendentibus occiſis hanc indignitatem locum habere, quinimo & in occiſis fratribus *Vaſq. de Succeßion. Reſol. Lib. 2. §. 20. num. 55.* Ubi plures affert extenſiones & ampliationes hujus primi caſus.

Jam videamus de ſecundo caſu, quando quis peccat in ſemetipſum. Ut quando vita ejus turpis eſt, Hiſtrio aut 21

Buſo, aut viliſſimis mercimoniis operam dat, vel filia in lupanari vivit: Certè vix eſt ut concludere poſſim cum illis, qui putant hiſce caſibus filio tanquam indigno hæreditatem auferri debere à Fiſco & à legitimis ſucceſſionibus: verior enim eſt opinio, quæ non tantum ipſum excludit fiſcum, ſed & Agnatos. *Vaſq. d. l. num. 39.* Excipe crimē quod importat confiſcationem bonorum: hoc enim caſu fiſcus ſuccedit. De his inferius paulo amplius dicemus. Ubi de ſucceſſione fiſci agitur.

22 Quando contra tertium caſum peccavit filius vel alius (Committendo homicidium, adulterium, falſitatem) non adimitur ei hæreditas vel legatum: diſtinguunt enim Doctores an deceſſerit vivo patre, & revertitur ad Legitimos hæredes. Aut pater deceſſit ipſo remanente in vitâ, non agnoſcente tamen hæreditatem vel legatum, & tunc ſi forent publicanda ejus bona, non publicarentur & illa: ſecus ſi jam agnoviſſet: quoniam tunc ſeqverentur fortu-
23 nam eundē ac reliqva ipſius delinqventis bona: non enim de bonis propriis ei tanquā facinoroſo aufferendis agitur.

Quid deniq; dicendum de ſecundo membro Caſus tertii: ſi quis nimirū contra Rempublicam peccaſſe dicatur? Certè magis delinquit, qui contra publicum committit, quàm privatum, ideoq; bona ejus publicantur, ſi tale ſit delictum, quod publicationem ſecum importat. Quod tamen non crudè accipiendum erit de omnibus bonis in ſpe; quæ pro alienis habentur, nondumq; acquiſita cenſentur, conſequenter publicanda non veniunt, niſi delata fuerint: tùm enim propter crimen publicum bona impeti poſſunt à fiſco, potiſſimum ſi tanquam ab indigno auferantur. Ab hiſce Crimen Læſæ Majeſtatis excipitur: qvia per illud bona tàm præſentia quàm futura fiſco addicuntur, filius à ſucceſſione patris rejicitur, & Lex Julia Majeſtatis talem non agnoſcit.

Lex iſthæc Julia Majeſtatis olim à Cornelio Sylla dicta-
24 tore lata era, & lex Cornelia Majeſtatis dicebatur, adpuniendos

endos tales, qui fœdiſſimo perduellionis crimine convicti
eſſent: Quam poſtea innovavit Julius Cæſar, & inde Lex
Julia Majeſtatis dicta eſt, cum ſcilicet in Rempublicam aut
Principem, qui Reipublicæ Caput eſt, crimen committi-
tur. Majeſtas authore *Cicerone in Part. Orat. eſt magnitudo* 25
quædam populi Romani in ejus poteſtate & Jure retinendo, ver-
titurq; in Imperio atque omni populi Romani dignitate. Maje-
ſtatem igitur minuere, eſt de dignitate, aut amplitudine,
aut poteſtate populi, aut eorum, quibus populus poteſta-
tem dedit, aliquid derogare. 26

Pœna olim nefandi hujus criminis ſub Julio Cæſare,
erat interdictio aqvæ & ignis, qvæ poſtmodum in pœnam,
mortis commutata eſt, damnatâ memoriâ eorum nec non
poſterorum, confiſcatisq; bonis omnibus in perpetuum,
prout durus ille textus *in L. 5. Cod. ad Leg. Jul. Majeſt.* in- 27
nuit hiſce verbis: *Filij verò ejus, quibus vitam Imperatoriâ
ſpecialiter lenitate concedimus (paterno enim deberent perire,
ſupplicio, in quibus paterni hoc eſt hæreditarii criminis exempla
metuuntur) à maternâ & avitâ omnium etiam proximorum hæ-
reditate ac ſucceſſione habeantur alieni, teſtamentis extraneorum
nihil capiant, ſint perpetuo egentes & pauperes, infamia eos pa-
terna ſemper comitetur, ad nullos prorſus honores, ad nulla ſacra-
menta perveniant, ſint perpetuò tales, ut his perpetuâ egeſtate,
ſordentibus, ſit & mors ſolatium, & vita ſupplicium.* Quod
prorſus iniqvum cenſet *Weſemb. in §. Publica. Inſt. de Publ.
Judic. Et Contius Lib. 1. Lect. c. 7. d. L. Quisquis.* propterea,
collocat inter eas leges, quæ propter iniqvitatem à Codice
ablegari debuiſſent. Hinc eſt, quod Amaſias Rex Judæo-
rum cum vindicaret crimen Majeſtatis in patrem à ſervis
commiſſum, authores quidem occiderit, & filiis eorum pe-
percerit, *4. Reg. 14. 2. Paralip. 25.* memor fortè legis Mo-
ſaicæ: *Non occidentur patres pro filiis, ſed unusquisq; in ſuo
peccato morietur, Deut. 24.* Cui conſonat Propheta: *A-
nima, quæ peccaverit, ipſa morietur, filius non portabit ini-
quitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii; Ju-*

 ſtitia

ſtitia juſti ſuper eum erit, impietas impii ſuper eundem. Ezech. 18.

28 Hac pœnâ mulctantur & ij, qui crimen Læſæ Majeſtatis Divinæ committunt, & hæreſin profitentur: Tales enim à ſucceſſione paternâ omninò per fiſcum removentur: Sed qvoniam de hiſce propria tractatio in materiâ fiſci eſt, ideoq; copioſiorem tractatum illuc remittimus, ubi publicationes bonorum exactius examinantur.

29 Ex dictis differentia inter indignum & incapacem ſumi poteſt, quod ſcilicet pars illi ablata fiſco applicetur, *L. 1. ff. de Jure Fiſc.* ab incapace verò demptum hæredem ſequatur; ſcilicet ſubſtitutum, conjunctum & venientes ab inteſtato, qui capiunt ac ſi incapax in vitâ non eſſet, ſive talis ſit ſine facto & culpâ ſuâ veluti naturales & inceſtuoſi; ſive etiam culpâ ſuâ inhabiles ſint ad capiendum, ſicuti deportati, damnati in metallum & ſimiles. *Pariſ. Conſ. 65. num. 17. & 18.*

SECTIO VIII.

De Liberorum Monſtroſorum Succeſſione.

SUMMARIA.

1 *Ad qvos monſtrorum cognitio propriè pertineat?*
2 *Monſtrum qvid ſit?*
3 *Qvomodo dividantur?*
4 *An fuerint Gigantes?*
5 *An dentur pygmæi?*
6 *Teſtimonium Gordon. Medici.*
7 *Memorabilis hiſtoria de Margarethâ Comitiſsâ ab Henneberg, qvæ 365. uno partu enixa eſt Liberos.*
8 *Recenſetur monumentum ſcriptum in pago Lausdum.*
9 *Sunt qvi fabulam arbitrentur.*
10 *An Monſtra in ſucceſſione admittantur?*
11 *Qvæ monſtra in noſtram qvæſtionem non veniant?*
12 *Qvid Juris, ſi differant â ſpecie humanâ qvoad partem membrorum & qvoad totum?*

13 *Diſtinguitur an differant in membris principalioribus aut minus principalibus?*

14 *An ſi monſtrum cum membris humanis habeat membra mixta belluina, caput autem humanum an credatur ineſſe anima rationalis?*

15 *Animæ rationalis ſedes eſt in capite, ubi reſident operationes illius.*

16 *An hujusmodi monſtra baptizanda ſint?*

17 *Hic partus admittetur ad ſucceſſionem, niſi dixeris ſemen belluinum cum humano concurriſſe.*

18 *Qvid ſi caput ſit belluinum, reliqva verò membra humana?*

19 *Menochius deſcribit ſtupendum monſtri partum.*

QVanqvam monſtrorum cognitio ad Medicos & Philoſo- 1
phos propriè pertineat, nihilo minus tamen & illa
Juriſconſultis quodammodo, nec non etiam Theologis in
pluribus caſibus propria videri poteſt.

Definit monſtra *Mart. Delr. diſq. Magi. tom. 2. lib. 2.* 2
Q. 7. quod ſint naturæ valdè aberrantis à conſvetâ norma
in animantium productione, ludibria.

Dividuntur in ea, quæ vel peccant ſecundum exter- 3
nam formam, vel ſecundum membrorum vel totius quantitatem: Quæ peccant ſecundum externam figuram, aut peccant ſecundum externam conſtitutionem, aut ſecundum ſitum, aut ſecundum ſubſtantiam membrorum: Secundum conſtitutionem peccant, ſi membra ſuam rectitudinem non ſervant. Secundum ſitum, quando ſitum naturalem non ſervant. Secundum ſubſtantiam membrorum peccant, quæ habent membrum aliquod diverſum ab humanâ ſpecie: vel ſecundum totum ab humanâ ſpecie diſtāt, ut puer Capite Canino, vel bubulinis pedibus aut equinis, vel ex muliere natus canis aut lepus. Secundum quantitatem peccat, quod eſt mutilum aut excedens, utrumque aut deficit aut excedit in particulis membrorum, aut in membris ipſis, vel in partibus majoribus, ut ſi capite & cruribus, aut quaternis brachiis conſtet: vel peccat in quantitate ſecundum totum, ut Gigantes, quos
fuiſſe dubitari non poteſt ex ſacrâ Scripturâ *Num. cap. 30.* 4
in f. Populus quem aſpeximus proceræ ſtaturæ eſt, Ubi vidimus monſtra

monſtræ quædam filiorum de genere Gigantæo, quibus comparati tanquam locuſtæ videbamur. Vid. Auguſt. lib. 15. de Civ. Dei. In qvantitate ſecundum totum peccant itidem pygmæi, de qvibus vid. *Plin. Lib. 7. Cap. 3. Strabo Geograph. Lib. 2. pr. Ovid. Lib. 6. metam:*

Altera pygmææ fatum miſerabile matris
Pars habet, hanc Juno juſſit certamine victam
Eſſe gruem, populisq; ſuis indicere bellum.

5 Et tales pygmæos verè dari dicit *Bernard. Gordon.* integræ fidei medicus *in Prag. p. 2. cap. 7.* qvales ſe vidiſſe non ma-
6 jores palmâ manus teſtatur. Huc noc ineptè refertur, tradita illa mirabilis Comitiſſæ Margarethæ ab Henne-
7 berg, Hiſtoria ſive narratio, quam trecentos ſexaginta quinq; infantes uno partu enixam eſſe dicunt, qvi majores non fuerant, quàm magnus manus digitus, pollex dictus. Quod videri poteſt in tabula extante in Pago Lausdun ſeqventibus verbis:

En tibi monſtroſum nimis & memorabile factum
Quale nec à mundi conditione datum.

8 *Margaretha Hermanni Comitis Hennebergiæ uxor, Quarti Florentini Comitis Hollandiæ & Selandiæ filia Guilhelmi Regis Roman. ac poſtea Cæſaris ſeu Gubernatoris Imperii, atque Alitheiæ Comitis Hannoniæ ſoror, cujus Patruus Epiſcopus Trajectenſis, Avunculi autem filius Dux Brabantiæ & Comes Thuringiæ &c. Hæc autem Illuſtriſſima Comitiſſa Annos XL. circiter nata, ipſo die Pareſceves nonam circiter horam Anno M. CC. LXXVI. trecentos & ſexaginta quinque enixa eſt liberos, qui prius â Guidono ſuffraganeo Trajectenſi omnes in duabus ex ære pelvibus baptizati ſunt, quorum maſculi quotquot erant, Johannes, Puellæ autem omnes Eliſabethæ vocatæ ſunt, qui ſimul omnes cum matre uno eodemq; die fatis conceſſerunt, atque in hoc Laudunenſi templo ſepulti jacent. Quod quidem accidit ob pauperculam quandam fœminam, quæ ex uno partu gemellos in ulnis geſtabat pueros, quam rem ipſam admirata Comitiſſa, dicebat, id per unum*

virum

virum fieri non poſſe, ipſamque contumelioſè rejecit. Unde hæc paupercula animo perturbata ac perculſa, mox tantum prolium numerum ac multitudinem ex uno partu imprecabatur, quot vel totius anni dies numerentur. Quod quidem præter naturæ curſum obſtupenda quadam ratione factum eſt, ſicut in hac tabula in perpetuam hujus rei memoriam ex vetuſtis tàm manuſcriptis, quàm typis excuſis Chronicis breviter poſitum & enarratum eſt. Deus ille ter maximus hac de re ſuſpiciendus, bonorandus ac laudandus in ſempiterna ſecula. Amen.

Non deſunt tamen qui non tantum negant hoc factum 9
eſſe, ſed adhuc ſuper mirantur tales inveniri, qui induci
poſſint ut credant hæc fabuloſa ſomnia.

Hæc per tranſennam dicta ſint. Redeamus ad propo- 10
ſitum. An ſcilicet monſtra in ſucceſſione attendantur?
Monſtra quæ in quãtitate partium, vel totius, ſicuti etiam
quæ quoad externam figuram ſecundum ſitum aut conſti- 11
tutionem peccant, in noſtram quæſtionem non incidunt,
præſertim cum ſpeciem humanam præ ſe ferant & qui-
dem perfectam; quanquam ſit læſio tàm in exceſſu, qvàm
defectu, non tamen enormis ſit oportet, uti ſi monſtrum
eſſet acephalum, hoc eſt ſine capite, tùm enim ſpeciem
humanam non haberet. Itaque de illis tantum ſupereſt
ſermo, quæ ſecundum membrorum ſubſtantiam peccant.
vel quoad partem: quando aliqua membra diverſa ſunt à
ſpecie humanâ, vel quoad totum: quando ſecundum to- 12
tum differunt à ſpecie humanâ. Quando quoad partem
membrorum differunt à ſpecie humanâ, ſubdiſtinguitur,
aut enim erit differentia in partibus principalioribus, aut 13
in minus principalibus? & habent animam rationalem,
vel non habent animam rationalem? nam ſi habent ani-
mam rationalem & id probavero, de reliquis non nimium
dubitabo. Jam igitur, ſi videri contingat monſtrum, qvod
cum membris humanis, mixta quoque habeat membra 14
belluina, præcipuum autem membrum, nempe caput

præ ſe ferat formam faciei hominis, quærerem an anima
rationalis in hujusmodì creaturâ reperiatur? Ad quod
15 dubium non ita difficilis videtur Reſponſio, ſi animalis ra-
tionalis ſedem in capite firmavero, qvod verum eſt propter
operationes animæ in capite reſidentes, quæ non niſi
16 per illud operatur; & operationes exercet ſuas. Accedit
qvod qvoad abſterſionem peccati originalis, non pectus,
ſed caput ſacra & vitali Baptiſmatis unda aſpergatur, con-
ſeqventer etiam ſimile monſtrum baptizandum eſſe pluri-
mi tenent, præſertim ſi ratione non adeò deſtitui dici poſ-
17 ſit. Hinc non video, cur ad bona paterna vel materna
admitti hujusmodi monſtra non debeant: cum tamen ad
majora admittantur, nempè ad Baptiſmum. Niſi dixeris
ſemen belluinum cum humano concurriſſe: eo enim ca-
ſu propter commixtionem ſeminis belluini partus iſte
humanus cenſendus non eſt.

18 Econtrario nunc altera reſultantis dubii reſolutio pa-
tet, dum membrum principale, caput ſcilicet ſit bellui-
num, reliqva verò corporis membra ſint humana, & inſu-
per congreſſus cum belluâ factus ſit: Nullus enim puto
erit, qvi fœtum hunc humanum dicet. Secus verò foret,
ſi partus ex homine & cum homine cauſatus dicatur, &
non humana & vagitus humanus accedant: qvia hunc
fœtum non tantum alendum, ſed & parentibus ſuccedere
debere judicarem. Niſi tale qvid obſtet, qvod ſpeciem ho-
minis planè evertit: ut ſi aliorum brutorum effigiem pror-
19 ſus ſortiatur. Aut ſi talem formam habeat, ut magis pro
bruto qvam homine haberi debeat; Cujusmodi partum
nobis exhibet. *Menoch. de Arbitr. Jud. Q. Cap. 491. n. 29.*
Ubi dicit, editum fuiſſe puerum habentem hominis cor-
pus, naſum cameli, aures canis, manus & pedes anſeris,
ſub axillis duo ſimiæ capita, qvæ in pectus prominebant,
in ambobus brachiis duo canis capita, item in genibus
duo alia. Hæc & ſimilia monſtra, utpote bruta magis,
quam

quam humanum qvid præſeferentia liberorum nomine non veniunt *l. Non ſunt liberi. 14. ff. de Stat. hom.* neque rumpunt teſtamentum *l. Quod certatum eſt. 3. inf. Cod. de Poſth. hæredib. inſtituend.* Rationem affert *Menoch.* quemadmodum partus in ſuâ naturâ non vitalis teſtamentum non rumpit; ita neq; monſtra teſtamentum rumpere debent, ac hæreditatem adipiſci; quia vitalia non ſunt, quod probat authoritate Ariſtotelis *lib. 4. de Generat. Animal. cap. 4.* ſicuti enim invitâ naturâ naſcuntur, ita & vivunt.

SECTIO IX.

De ſucceſſione Poſthumorum item partus ſextimeſtris ſeptimeſtris, octimeſtris, nonimeſtris, decimeſtris & undecimeſtris.

SUMMARIA.

1 *Inutilis diſputatio de ſcriptione dictionis poſthumi.*

2 *Iidem ſunt in numero ſuorum hæredum.*

3 *Tamdiu legitimi hæredes excluduntur, quamdiu poſthumus ſperatur.*

4 *Quâ ratione pro vivo poſthumus in utero habeatur?*

5 *Qualiter interſit uxoris & Agnatorum ut vivus naſcatur?*

6 *An ad partum vitalem neceſſe ſit ut infans emittat vocem & gemitum?*

7 *Teſtimonium obſtitricum in his caſibus reqviritur.*

8 *An ſignum vivi partus ponatur in collato Baptiſmo?*

9 *An cenſeatur partus vivus, qui ſeminatur, aut etiam ex utero matris cæſus tantiſper vixit?*

10 *An partus abortivus vitalis ſit, & inde effectus Civiles habeat?*

11 *Sententia Boerii dicentis ſufficere partum edi vivũ, & non opus eſſe vitalem, ad hoc ut rumpat teſtamentum?*

12 *Contraria opinio verior eſt, cum abortus in ſuâ ſubſtantiâ imperfectus ſit.*

13 *An terminus legitimæ nativitatis poſſit in qvarto menſe conſtitui?*

14 *Avicenna Medicus quinqvimeſtrem & ſextimeſtrem partum legitimum dicit.*

15 *Ejus opinio limitatur & declaratur.*

16 *Partum ſeptimeſtrem legitimum*

 agno-

agnoſcit Hippocrates, eumq; ſeqvuntur Juris Conſulti.

17 *Ratio Medicorum pro illâ ſententiâ ſtabiliendâ.*

18 *Partus ſextimeſtres & ſeptimeſtres pro legitimis habentur ex rationibus & authoritatibus ibidem allegatis.*

19 *Fridericus Mollerus partum 173. dierum legitimum agnoſcit & vitalem.*

20 *Super facto ita conſuluit, allegando pro ſe authoritates.*

21 *Ab hac Medicorum ſententiâ JCtus rectè concludit ad effectum Civilem.*

22 *Partus nonimeſtris ex omni parte abſolutus eſt.*

23 *An hoc intelligendum ſit de nono menſe ſaltem incboato?*

24 *An partus decimeſtris pro legitimo habeatur?*

25 *Affirmativa per authoritates probatur.*

26 *Eam opinionem utpote veriſſimam ſequuntur JCti.*

27 *Ea probatur per textus Sacræ Scripturæ. Sapient. C. 7. pr.*

28 *Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum ejusq; matrem Virginem Mariam decimo menſ natos eſſe deducit Paul. Zacch.*

29 *Quid ſentiendum ſit de partu undecimeſtri?*

30 *Sententia Gloſſæ de partu undecimeſtri incboato.*

31 *Quid de eo ratione ſucceſſionis ſtatuendum ſit?*

1 DIu de dictione poſthumi, an per aſpirationem vel ſine illâ ſcribi debeat, cum *Roberto Aurelianenſi & Jacobo Cujacio* inutiliter, ut refert *Pet. Gilken. in Prælud. ad tit. Cod. de Poſth. hæred. Inſtit. num. 1. ſeqq.* diſputare conſultum hic non videtur, quemadmodum etiam cum *Perez. dict. tit. Cod.* in poſthumum ſuum, vel etiam alienum inquirere noſtrum propoſitum reſpuit.
2 Cenſentur poſthumi, ſui qvoq; hæredes, eo qvod vivo patre, de cujus hæreditate quæritur, concepti ſint. §. 7. *Inſt. de Hæred. qvæ ab Inteſt.* & conſeqventer patri ab inteſtato ſuccedunt: quia antequam naſcuntur, pro jam natis habentur, qvando de eorum commodo agitur *l. 26. ff. de Stat. homin.*
3 adeò ut hæredes legitimi tamdiu excludantur, quamdiu hæres poſthumus futurus ſperatur, qui vivus poſtmodum natus, æq; & eodem Jure ſuccedit, ac ſi in vitâ patris natus eſſet *l. 12. ff. de Lib. & poſth. Graſſ. §. Succeſſio ab inteſtato. Q. 2. n. 4.*

Stu-

Studio opponuntur verba: *ſi vivus natus ſit.* Nam Primo mortui nulla ratio habetur, licet alias, ut diximus, pro vivo habeatur in utero: Nam illud intelligendum eſt, 4
quando vivus natus fuit, ut ad ſuum commodum à tempore conceptionis retro videatur natus. Secundò, qvoniam agnatione poſthumi rumpitur teſtamentum. Tertiò, quia multum intereſt uxoris legitimæ & Agnatorum: ſi enim 5
vivus tantiſper deprehendatur partus de jure communi & plerisq; Statutis matri ſuccedit in omnem ejus hæreditatem, ſi ſupervixerit: At ſi mortuus in lucem edatur; Agnati & cognati excluſâ uxore admittuntur, ſicuti infra de hiſce agemus.

Ad hoc autem, ut partus cenſeatur vivus, non neceſ- 6
ſarium judicat *Pereg. de Fideicommiſſ. art. 43. num. 44.* ut infans emittat vocem aut vagitum, ſed alia ſigna ſufficere *Menoch. de Arbitr. Jud. Q. lib. 2. cap. 491. n. 5.* ſi nimirum partus exiit ex utero cum illa pellulâ, quæ vocatur nutrimentum ſeu lectus pueri, partusq; ita editus ſe extendat & faciat motum, ubi tamen teſtimonium obſtitricum per- 7
quam neceſſarium eſt. Signum qvoq; vivi partus ſed incertum, ponunt in calore & colore, ſicuti etiam collato 8
Baptiſmo à Sacerdote propter præſumptionem.

Quid ſi autem partus non eſſet niſi ſeminatus vivus, 9
puta, qvia mulier ob infirmitatem partum omninò emittere non potuit, & intra preſſuram maternam obiit? Certè talem pro nato habendum non cenſerem cum *Ranch. Deciſ. part. 2. con. 174.* adeoq; incapacem ſucceſſionis: Cum verè natus non fuerit. Contra autem eſſet, ſi ob abſciſſionem membri, qvod impediebat, quomin' naſceretur integer, imperfectus natus; ut ut etiam quamprimum mortuus ſit; qvoniam contra *Peregr. art. 43. num. 32.* hunc partum vivum natum cenſere debemus, idq; multo magis ſi integer & vivus natus, aut etiam ex utero magis cæſus fuerit *d. l. 12. ff. de Lib. & poſth.* atq; ex inſtanti diem obie-

rit *Graſſ. §. Succeſſio ab inteſtato. Q. 2. num. 4. Peregr. d. art. 43. num. 27.* & hæc de partu maturo.

10 De Immaturo partu ſivè abortu, an & ille vitalis ſit, & inde effectus ſuos Civiles habeat? maximè dubiam doctrinam apud Doctores Legum, & Medicos invenire eſt. Horum etenim teſtimonium in hiſce plurimum valet, & magis conſiderandum quam Jurisperitorum, qui aliquoties

11 in ſimilibus impingunt. Hinc *Boërius Decis. 220.* Judicavit ex nimiâ fiduciâ ſui, ſufficere, quod partus edatur vivus, nec opus eſſe ut ſit vitalis ac maturus, adhoc ut rumpat teſtamentum, & ſucces ſioni viam ſternat; Nam partus hic immaturus nullum effectum lucratur, cum ſit abortus, qui nihil aliud eſt quàm fœtus immaturè editus, etiamſi ante ſextum menſem natus ſit: ſi enim omnis fœtus immaturus debet dici abortus, & fœt' ante ſextũ menſem eſt im̃atur',

12 conſeqventer omnis fœtus natus ante ſextum menſem debet dici abortus; Si autẽ ſit abort', nunqvam tribuet beneficia Civilia: Cum in ſubſtantiâ perfectus non ſit, & omninò talis, qvi vitalis dici non poſſit. Occaſione hujus nonnulla dubia de legitimo partu emergentia decidenda veniunt, quo ſcilicet tempore legitimus verè dici poſſit? Eoqvod pleriq; legitimæ proli diverſos aſſignet nativitatis termi-

13 nos, adeoq; vitales maximeq; proficuos. Sunt enim qui in tertio vel qvarto menſe legitimitatem hanc fundant ex textu Sacræ Scripturæ *Eſdr. lib. 4. cap. 6. v. 21.* hiſce verbis: *Et prægnantes immaturos parient infantes trium & qvatuor menſium & ſuſcitabuntur. Concenat. Sing. Q. 4. num. 4. lib. 2.* Sed hæc opinio refutatur: Qoniam tempus illud, qvod præcedet extremum diem, ſive terminus ibidem poſitus non ita ſervandus eſt, ac ſi ipſâ cooperante naturâ hujusmodi partus edantur, qvod omninò illa reſpuit; Nam ſigna illa omnia Judicij præter naturæ ordinem ac naturam ipſam erunt, quando prægnantes immaturos fœtus trimeſtres aut qvatrimeſtres parient, eo quod ex naturæ lege ne-

nequaqvam vivere poſſint, ſed contra legem naturæ vi-
vent & ſuſcitabuntur.

Alii ſicuti Medicus *Avicenna lib. 1. de Anim. C. ult. &* 14
Carda. Contrad. Med. lib. 1. tract. 3. Contrad. 8. quinqvime-
ſtrem & ſextimeſtrem partum legitimum aſſerunt, innixi
experientiæ, quæ tamen ſi admittatur, naturæ miraculum 15
ſuppleret exceſſum, aut certè in computatione menſium
erratum foret, quod fit, ut cum mulieres concipiunt &
non ſolum primo & ſecundo menſe, ſed etiam tertio &
qvarto menſtruas purgationes habent. Unde accidere
ſolet ut parturientes dicant, ſe qvinto, ſexto aut ſeptimo
menſe peperiſſe, computantes conceptionis menſes, non
à vero conceptionis tempore, ſed à tempore retentionis
menſtruorum.

Plurimi tandem partum ſeptímeſtrem pro legitimo 16
& vitali tenent teſte Hippocrate eundem ſeqventes Juris-
conſulti *in l. 7. ff. de Statu hominum. Tiraqvell. in l. 8. Cod. de
Revoc. donat.* qvibus conſentiunt Philoſophi *Plato. 5. de
Republ. Ariſtot. de Hiſtor. Animal. lib. 7. cap. 4.* Rationem 17
hujus inquirere Medicorum eſt; qui dicunt id naturaliter
evenire, ut fœtus in ſeptimo menſe ſecundum naturam &
ab ipſâ ad exitum ſtimuletur, propter tale augmentum,
quod majori nutrimento & majori loco, atq; liberaliori ſeu
potius ſimplici reſpiratione indigeat, *Hippocr. in lib. de
Nat. puer. Tiraq. d. l.* teſte experientiâ demonſtrante in
fœtu plerumq; validos motus, ut exitum ab utero quæ-
rant. quod aliquando præternaturali quadam vi fieri po-
teſt, ut in lucem expellantur, ſcilicet à morbo, & hinc ple-
rumq; non ita robuſti apparent ſeptimeſtres, ſed potius
aliquâ ex parte non abſoluti: Naſcuntur enim vel capitis
commiſſuris hiantibus, vel aurium meatibus occluſis aut
nimium patentibus, &c.

In hac opinionum diverſitate ſextímeſtrem, & conſe- 18
quenter, multoq; magis ſeptimeſtrem partum pro legiti-

mo

mo & vitali accipiendum cenſeo cum Doctiſſimo Friderico Mollero Sereniſſimi Electoris Brandeburgici Archiatro in Caſtro Cuſtrinenſi *in Tractatu de Partu 173. dierum* nervoſe conſcripto, nec non cum Doctiſſimo Viro *Bradiſio* Medicinæ Doctore Sereniſſ. Ducis Brunſ. & Luneb. Archiatro in arte medica ſanè & chymicâ expertiſſimo, Amico meo plurimũ honorando, qui in converſatione deſuper habitâ eidem ſententiæ ſe adjungere non dubitavit.

19 Et fatendum omninò eſt prædictum Domini Molleri Tractatum omne dubium excutere, dum partum 173. dierum non tantum vitalem ſed & legitimum in caſu plenè excuſſo proponit, nec ita ſtrictè inhæret termino Hippocratico 182 dierum, quo partum vitalem aſſerunt, cum contrarium opponi poſſet: Horatius Augenius enim magni nominis Vir & Expertisſimus Medicus *lib. 6. p. num. 543.* cum ipſius judicium

20 de partu dierum 174. reqvireretur, Eminent. & Reverend. Bozuto Cardinali præmiſſis rationibus ſuis reſpondit, & concluſit, qvod hæc anticipatio ſit naturæ aſſueta in omnibus verè ejus operibus, ſeq; vidiſſe ipſum partus dierum 179. & 178. Idem alii, ſcilicet *Avicenna lib. 9. de Natur. animal. cap. ult. Cordan. Contrad. 8. Tract. 3. lib. 1. pag. 143.* qvos allegat Mollerus *pag. mihi. 23.* ut meritò mirum illi videatur tantorum Authorum fidem in dubium vocare, qvod ut urbanius elaberetur, inqvit *pag. 25.* (dum ad miracula & caſu facta illa plerią; referant) *Phyſico non congruere rationes operationis naturalis ejusq; rarioris editi reddituro,*

21 *naturâ propoſitâ ad primum rerum authorem Deum confugere.* Ex hac Medicorum ſententiâ rectè Jurisconſultus concludere poteſt ad effectum Civilem, ſcilicet ad ſucceſſionem, de quâ nobis ſermo eſt, cum ſexto menſe partus non ſolum vitalis, ſed & legitimus habeatur, per conſequens etiam ſeptimeſtris, octimeſtris, & demum completus nonimeſtris partus.

Sed quidnam deniqve dicemus de Poſthumo decimeſtri

ſtri aut etiam undecimeſtri poſt mortem mariti in lucem edito?

De Nonimeſtri partu vivifico & legitimo quid ſentien- 22
dum ſit, vel ipſæ aniculæ norunt, cum non tantum ratione numeri, ſed etiam ratione qvantitatis & temporis ex naturâ ſuâ fœtus vitalis proferatur, atq; bene valens viribusq; ſufficientibus dotatus, tàm quoad nutrimenti quantitatem & membrorum formationem & fortitudinem, quàm quoad omnes, qvas & adeſſe & ad bene eſſe reqvirit conditiones, abſolutiſſimus ut plurimum ex utero egreditur, intellige de nono menſe exacto, quantumvis etiam non malè concludat is, qui dicat etiam in principio
menſis noni perfectum naſci, modò ſaltem in primis de- 23
cem diebus peractis id fiat, non verò, quod vulgo ſibi malè perſvadent, ſufficere ut fœtus ſingulorum menſium portionem vel diem apprehendat, ut perfectè naſcatur. De partu nonimeſtri perfecto Vid. illud *Eſdræ 4. cap. 5. verſ. 40. vade & interroga prægnantem, ſi qvando impleverit menſes ſuos adhuc poterit matrix ejus continere partum in ſemetipsâ? & dixi non poteſt Domine.* Ex qvo textu oritur dubium circa partum decimeſtrem, an & ille legitimum habeat naſcendi terminum?

Tiraquellus *in l. Si unqvam. Cod. de Revoc. donat.* plu- 24
rimas affert probationes & graves Authoritates, qvarum
nonnullas ab *Aul. Gell. Noct. Attic. lib. 3. C. 16.* mutuatur, 25
adhoc ut probet legitimum pariendi tempus in homine eſſe decimum menſem, imò concludit ante decimum non eſſe propriè ſecundum naturam parere in muliere ex *Hippocrate in lib. de Nat. puer inf.* qui apertiſſimè tradit, decimum menſem magis comunem eſſe naſcendi terminum. Idem ſtatuit Plato; *5. de Rep. vers. med.* dicens: *Omnes qvicunqve naſcuntur decimo menſe vel ſeptimo ex eâ die, qvâ qvis liberis operam dedit, maſculi ab hoc filii, fœminæ filiæ nominabuntur* In hanc ſententiam deſcendit & *Ariſto-*

 teles

teles lib. 7. de Hiſtor. Animal. c. 4. & 4. de Generatione. ubi innuit partus edi ut plurimum menſe decimo.

26 Qvorum opinionem veriſſimam etiam Jurisconſulti merito ſequi debent & ſeqvuntur *per l. Gallus. 29. ff. de Lib. & poſth. in pr. & ibi Bart. num. 12.* cum non tantum dictorum virorum teſtimonio confirmetur, ſed inſuper etiam

27 ex Sacris literis apertè probetur: *Sapientiæ c. 7. in pr. ſum quidem & ego mortalis homo ſimilis omnibus, & ex genere terreno illius, qui prior factus eſt, & in ventre matris figuratus ſum caro; decem menſium tempore coagulatus ſum in ſanguine & ſemine hominis & delectamento ſomni conveniente.*

28 Quinimò JESUM CHRISTUM Salvatorem noſtrum, ejusq; matrem virginem Mariam decimo menſe natos eſſe deducit doctiſſimus *Paul. Zach. Quæſt. Medico leg. lib. 1. tit. 2. Quæſt. 55. n. 21. Si enim ab octavo Calend. April.* (inquit) *usqve ad oct. Calend. Januar. & à ſext. Idus Decembris usqve ad oct. Idus Septembris enumeres, reperies in utroqve caſu à die conceptus usqve ad diem nativitatis interceſſiſſe dies. 275. & 276. qvos ſi in menſes lunares conjunctionis dividas; efficient menſes novem & dies undecim, vel duodecim aut ſupra, imò poſſent aliquando decem menſes exactos conſtituere: nam 280 dies ad Hippocratis mentem ſæpe undecimum menſem attingunt: At etiamſi ſolares menſes accipiendos eſſe contendas, tamen decimò menſe natus uterq; eſt, qvia 270 dies novem completus, & undique perfectos ſolares menſes conſtituunt, ſupererunt ergo dies quinq; aut ſex, qvi decimi principium erunt.* Quanqvam paulo poſt moneat, non ex præfixo dierum numero ita concludi debere, ut firmari poſſit unum terminum altero freqventiorem.

29 De partu undecimeſtri major oritur dubitatio, ex eo qvod longior naſcendi terminus in homine ſit menſis decimus: Hippocrates tamen undecimeſtres ita admiſit, ut ex ſeptem ſolummodo conſtet qvadragenariis, & 280 dies ſæpe undecimum menſem apprehendere videantur: non

ideò

verò undecimeſtres dixit, quaſi integris decem menſibus aliqvot undecimo adjunctis naſcatur, ſed qvia matres circa plenilunium vel ultra illud concipientes primi menſis dimidium, vel aliqvot paucos dies pro integro menſe numerant. Vid. *Paul. Zach. d. lib. Q. 6. n. 6. & 7.* ubi pluribus ſententiam Hippocratis & Homeri verba ſequentia:

Gaude mulier, perfecto autem anno
paries ſplendidos filios

explicavit. Aſt videamus Gloſſam *in §. Unum ſiquidem. Auth. de Reſtit. & ea quæ par.* ubi dicit fœtum portari poſſe per decem menſes & duos dies. *Et in l. Gallus. 29. ff. de Lib. & poſt.* non expreſſit numerum dierum, ſed per paucos dies ſupra decimum menſem ex ſententiâ Phyſicorum mulierem parere poſſe affirmavit. Quæ ſententia omninò vera eſt, ſi certum numerum dierum reſpicias: Nam ſupra decem dies vix fieri poterit, ut hunc partum legitimum leges agnoſcant, multo minus partum undecimeſtrem integrum: intra iſtos verò decem dies rariſſimè dicit *Paul. Zach. d. l. n. 11.* naſcitur, niſi terminum trium dierum poſt decem menſes conſtituas. 30

Ex quibus facilè quis ad propoſitam materiam concludet, poſthumos decimeſtres abſolutos ſicut etiam undecimeſtres (ſi duos vel tres dies ultra decimum menſem ita appellare fas ſit) legitimorum liberorum numero contineri, adeoq; ſucceſſionibus legitimis gaudere poſſe; cum hæc mora in utero contracta ſummam arguat virium debilitatem, tàm ex parte fœtus, quàm ex parte matris, & torpentis nativi caloris, & expultricis facultatis indicium eliciatur. 31

Caput III.

De SUCCESSIONE ASCENDENTIUM.

Sectio I.

Quinam appellatione Parentum veniant, quare, & qvousque ad ſucceſſionem Filiorum admittantur.

SUMMARIA.

1 *Deficientibus deſcendentibus ſequitur ordo aſcendentium.*
2 *Quinam ſub nomine & appellatione parentum propriè veniant?*
3 *An vocabulo parentum qvoqve contineantur parentes legitimi?*
4 *An etiam erunt legitimi per legitimationem filiorum?*
5 *Quo Jure filii ſuccedant?*
6 *Parentes inverſo naturæ ordine liberis præmortuis ſuccedunt.*
7 *Quid Statutis Auſtriacis circa hanc ſucceſſionem aſcendentium ſtatuatur?*
8 *Tenor Conſtitutionis Auſtriacæ.*
9 *Hanc conſvetudinem mutandam fore ſperant.*
10 *Quæ ratio adæquata eſſe poſſit hujus Juris conſvetudinarii.*
11 *Methodus tractandorum.*

1 ALter in cauſa inteſtati ſucceſſionis ordo vocat parentes in caſu deficientium omninò deſcendentium excluſis collateralibus. *Nov. 118. cap. 1. & 2.*
2 *Stat. Francfurt. de Anno 1576. part. 5. tit. 2. §. 4.* Parentes autem accipimus non tantum, qui in primo gradu ſunt uti pater & mater, ſed & in ulteriori, ut avus & avia, proavus proavia, aliosque aſcendentes in infinitum *l. 4. §.*

2. ff. de In jus vocando. l. 10. §. 7. ff. de Grad. & affin. l. 51. ff. d. V. S. Horum appellatione quoqve continentur Parentes legitimi tantum ſive adoptivi *§. 2. Inst. de Adopt.* nec 3
non naturales tantum *Auth. licet. cod. de Natur. liber.* ſimiliter effecti legitimi per legitimationem filiorum *§. Quibus* 4
connumerari. Inſt. de Hæred. quæ ab inteſt. & certis demum infra ponendis modis ſuccedunt. Quantumvis alias parentum hæreditas liberis ex tacitâ qvadam naturæ lege debeatur *l. 7. ff. de Bon. damn.* qvibus illi theſaurizare dicuntur, & non econtrà, adeoq; ordini naturæ contrarietur, 5
quod parentes in filii locum ſuccedant: Naturæ enim convenientius eſt ut filii ſuperſtites maneant parentibus, & per liberos paterna memoria conſervetur *l. 220. §. 3. inf. ff. de Verb. ſig.* Nihilo tamen minus deſcendentibus non 6
extantibus mortalitatis & ſucceſſionis ordine inverſo, ad hæreditatem defunctorum liberorum amiſſorum admittuntur *l. In ſcripto. 7. ff. Und. liber. l. Jure ſuccurſum. ff. de Jur. dot.* quos ſecundum commune votum ſibi potius ſuperſtites eſſe optaviſſent. *d. l. 7. ff. Unde liberi.*

Singulariter hic notandum Statuta Auſtriaca huic 7
diſpoſitioni Juris communis è diametro contraria eſſe, dum parentibus nullo caſu tribuunt ſucceſſionem filiorum, ſed proximis hæredibus, quibus deficientibus parentes à fiſco excluduntur *Joann. Henr. Reutter in tr de Differ. Jur. Civ. & Auſt. pag. mihi 12. num. 4. Joann. Weingartner. de Con. & diſcord. Jur. Conſvet. Auſt. cum Jur. Comm. lib. 3. pag. 154.* Conſtitutionis Auſtriacæ tenor hic eſt: Zum fünfften wann 8
einer mit Tod abgehet/ und keinen Leibs-Erben noch andern Bluts-Freund in der Zwerglini ſtehend/ ſondern Vatter/ Mutter/ Anherr/ Anfrauen oder andere VorEltern in auffſteigender Lini ab inteſtato und ohne Teſtament hinder ihm verläſt/ ſo können ſolche obenſtammige Eltern die Verlaſſung gar nicht erben/ dann dem überuralten hergebrachtem Landbrauch fallen die Erbſchafften nicht hinder ſich noch zuruck/ wo dann ſonſt kein andere Freund vorhanden/ ſiehet ſolche Ver-

 laſ-

laſſung Ulmer Landsfürſtl. Cammer auch heimb / doch hat ſolches al-
lein ab inteſtato ſtatt/dann durch Teſtamentliche und Letzte Willen
mögen die Eltern und VorEltern ſo wohl/als andere Freund von ih-
9 ren Kindern und LeibsErben bedacht werden. Quam invetera-
tam conſvetudinem per novam Conſtitutionem im̃utan-
10 dam fore ſperant *Reutter d. l.* Et certè nondum mihi con-
tigit videre Rationem adæqvatam hujus Juris Conſvetudi-
narii, quod manifeſtè oppugnat, Jus Com̃une, & Satuta
plerorumq; locorum, quæ contrarium, & ſanè fundamen-
to planè rationabili, ſtatuunt ut ſcilicet ſuccedant Paren-
11 tes liberis eorum, in caſu nõ exiſtentium deſcendentium. I-
gitur de hiſce ordine videbimus. Primò De ſucceſſione pa-
rentum legitimorum & naturalium primi & ſecundi gra-
dus, aut etiam ulterioris ſimul & cum collateralibus con-
currentium. Secundò Quid Juris ſit in filiorum legitimo-
rum tantum hæreditate? Tertiò deniq; quæ iam jura
in ſuccedendo illegitimis obſervari debeant? ſit ergo

SECTIO II.

De Succeſſione Parentum legitimorum & naturalium ſimul.

SUMMARIA.

1 *Æqvitas petit ut parentes admittantur primo poſt deſcendentes loco.*
2 *Correllativorum eadem natura.*
3 *Rejicitur Jus antiqvum qvod matri ſucceſſionem in bonis liberorum & econtra adimebat.*
4 *Rejicitur qvoq; Jus Prætorium fundatum in bonor. poſſeſs.*
5 *Quis correxerit jura antiqva?*
6 *Quomodo ſuccedant parentes primi gradus?*
7 *Quomodo mater Illuſtris liberis ſuccedere poſſit?*
8 *Quid Juris ſi fuerint pares numero aſcendentes?*
9 *Si autem ſint eodem quidem gradu, ſed diſpares numero?*
10 *An paterna bona paternis, materna maternis cedant?*
11 *Negativa in Camerâ recepta eſt.*
12 *Ratio illius.*
13 *Alia ſententia diſtinguens.*

14 *In*

14 In qvibus Regula de paternis & maternis locum habere poſſit?
15 An in filiis diverſorum matrimoniorum, & qvaliter obtineat?
16 Reſponſio ad objectionem ex ſententiâ Bartoli deſumptam.
17 Opinio communis & multis Authoribus probata qvandoqve falſa eſſe poteſt.
18 An præferenda ſententia qvæ melioribus rationibus inſtructa eſt communi?
19 Comparatio Doctorum cum avibus & ovibus, qvi multitudinem ſequuntur.
20 Præclara ſententia Auguſtini.
21 An detur Jus repræſentationis in lineâ aſcendenti?

QUod parentes primo poſt deſcendentes loco filiis ex 1
juſto matrimonio procreatis ab inteſtato ſuccedant; quin ex ſummâ inæquitate fundatâ ratione id fiat, dubium nullum eſt: quid enim æquitati convenientius, qvam ut 2
hi, quibus Jure ſuccedimus, iidem & nobis ſuccedant? propter jus reciprocum in eorum perſonâ radicatum, nec non ex naturâ correllativorum, in quibus argumentatio affirmativa procedit; quod ſcilicet in caſu, ubi filius & filia ſuccedunt, ibi econtrario pater ſuccedat filio & filiæ *Graſſ. §. Succeſſio ab inteſt. Q. 22. n. 1.* ubi noſtram concluſionem adeò veram deprædicat, ut eam controverſam facere nefas eſſe videatur.

Quod igitur ad parentes primi gradus attinet, hi, ut 3
diximus, primo loco admittuntur, rejecto non tantum Jure antiquo Civili, quo mater liberis ex defectu juris ſuitatis & agnationis minimè ſuccedebat; verum etiam non at- 4
tento Jure illo Prætorio, quo matri parum conſulebatur per bonorum poſſesſionem, cum ea tertii eſſet ordinis, & conſequenter omnes ſui hæredes & Agnati prælatione gauderent §. *Admonendi. Inſt. de Hæred. qvæ ab inteſt. defer.* Quæ Jura ex ſummâ æquitate correcta fuerunt. Et 5
Primo per *Claudium Cæſarem*, qui matri legitimam liberorum non tamen omnium, ſed in acie fortaſſis belloye publico amiſſorum hæreditatem attribuit §. *1. Inſt. de SC. Tertyll. Secundo* extenſus fuit favor, qvo matri, non etiam aviæ omni-

omninò ſubventum per SenatusConſultum Tertyllianum. *Tertiò* deniq; pleniſſimam ſucceſſionem Avia & mater
6 per *Nov. 118. cap. 2.* accepêre, idq; nullis liberis legitimis necfratribus defuncto utrimq; conjunctis exiſtentibus. *d. Nov. 118. c. 2.* In Familiis illuſtribus tamen prædicta forte paulò aliter propter conſervationem earum ex-
7 plicanda erunt, ut dicatur conſultuis eſſe, ne matres bona familiaria à paternâ lineâ profecta juxta SCtum Tertullianum, qvod D. Adriani temporibus factum eſt, hæreditario Jure conſeqvantur; ſed ut in Statuto ex pactis Illi SCto derogantibus diſtinctione bonorum adhibita bona mobilia & res ſoli aliundè qvam à patre & paternâ lineâ profectâ,& in ſolatium amiſſorum liberorum illis cedant, cum aliqvâ parte uſusfructus paternorum bonorum vel avitorum; qvale Statutum in Galliâ Anno 1567. erectum fuiſſe tradit *Thuan. lib. Hiſtor. 4. pag. 74.* Quanquam magis arctũ & ad ſolum uſumfructum, partemq; aliquam mobilium rerum reſtrictum ſvaderem.

8 Si itaq; Pater ſolus ſuperſit ſuccedet ſolus, ſi mater ſola ſuccedet ſola, aut etenim ambo ſimul excluſis omnibus remotioribus *Graſſ. §. Succeſſio ab inteſtato. Q. 22.* Similiter ſi avus paternus, & avia paterna,Item avus maternus & avia materna tantum ſupereſſent maſſam hæreditariam ex æqvo divident.

9 Quod ſi verò plures perſonæ in aſcendenti lineâ vivant, qvæ æqvales ſint gradu, & diſpares numero, ſicut avus paternus ab unâ parte; ab altera avus & avia materna,ſuccedent in ſtirpes (quod aptius in genera dici putat *Matth, Stephan. ad Nov. 118. num. 43,* ne quis dicat repræſentationem eſſe) & non in capita.*Carpz. p.3. C. 17.d.3.* Ille enim ſemiſſem ſolus ferret, hi duo alterum ſemiſſem nul-
10 lâ habitâ ratione bonorum,paterna ſint, an materna,quod voluit *Bart. in l. Poſt dotem.ff. Solut. matri. & in Auth. Itaque. Cod. Comm. de Succeſſ.* Et docuit parentes paternos in bonis

nis a patre profectis ſuccedere, ad bona verò materna, quæ à matre & filio obtigerunt, maternos vocari. Ita multi magnæ authoritatis ac nominis Interpretes tenuerunt. *Forſt. de Succeſſ. ab inteſt. lib. 3. fol. 275.* Prior tamen opinio in Jure magis fundata eſt *Nov. 118. cap. 2.* in verbis: *Si autem plurimi aſcendentium vivant hos præponi jubemus, qui proximi gradu reperiuntur, maſculos & fœminas, ſive paterni ſint ſive materni: ſin autem eundem habent gradum, ex æqvo inter eos hæreditas dividetur, ut medietatem qvidem accipiant omnes à patre aſcendentes, medietatem verò reliqvam à matre aſcendentes quantoscunque eos inveniri contigerit.* Ex quibus abundè patet aſcendentes ex æqvo ad bona præmortui filij admittendos eſſe, nullo facto bonorum diſcrimine. Quā 11
opinionem in Camerâ receptam eſſe, rejecta Bartoli & ſequacium opinione teſtatur *Mynſing. Cent. 6. obſerv. 55. Capr. de Succeſſ. ab inteſt. lib. 2. num. 11. Vaſq. de Succeſſ. reſol. lib. 2. §. 13. n. 11. Fachin. Controv. lib. 6. C. 4. Did. à Spin. in ſpecul. Teſt. tit. de His qui ſucced. ab. inteſt. Faber. Cod. lib. 6. Tit. 31. def. 2.* Idem *Carpzovius* de Jure Saxonico obtinere dicit *p. 3. c. 17. d. 2.* Bona namque ſemel qvæſita 12
undecunqve provenerint, cum alijs conſolidantur, unumq; patrimonium efficiunt: res enim in hæreditate exiſtentes per aditionem deſinunt eſſe res defuncti, nec amplius repræſentant ejus perſonam *l. 32. pr. l. 54. ff. de Acqvirend. hæred.*

Sunt tamen qvi diſtinctione rem expedire ſatagunt, 13
an parentes ſint in pari gradu, & tùm paterna paternis, materna maternis adjudicant: ſi diſpares gradu, proximiorem admittunt nullâ habitâ ratione bonorum. *Teſſaur. Deciſ. 27.* Alij prædictam Regulam in donationibus nup- 14
tialibus agnoſcunt, ut parentes tantò promptiores reperiantur in dote, aut donatione propter nuptias conſtituendâ *Covarr. Tr. de Succeſſ. ab inteſt.* Hiſce non obſtantibus Mynſingeri ſententia verior eſt propter ſummam in

Nov. 118. cap. 2. pr. expreſſam Juris Authoritatem. Et propter præjudicium Camerale. Niſi ſermo ſit de filiis
15 diverſorum matrimoniorum, matri vel patri ſuccedentiũ: tùm enim circa ſucceſsionem fratrum conſanguineorum & uterinorum inter bona materna & paterna diſtinguitur, quia non habent æquale Jus ut parentes. *Weſemb. ad Schneid. Inſt. de Secundo ord. n. 13. lit. A. & B.*

16 Nec movere debet, qvod dicunt *Bartoli* opinionem comunem dici, aut etiam ipſum *Mynſingerum d. obs. 55.* fateri noſtram minus receptum eſſe: Non enim ſufficit aliquam opinionem comunem eſſe, niſi & vera demonſtretur,
17 cum accidere ſoleat non rarò, ut opinio multis Authorum adminiculis ſuffulta, quandoq; falſa deprehendatur, ſicu-
18 ti Covarruvias eam expreſsè falſam dicit; Ideoq; illi potius ſtandum erit, quæ melioribus rationibus inſtructa eſt, relictâ comuni textibus deſtituta; Cum unius forſan
19 & deterioris ſententia plurimos ſuperare poſſit. Meritò indè reprehenduntur Doctores illi aves & oves imitari ſoliti; nam ubi ex ovibus una in campum ſaltat, omnes aliæ illam ſequuntur, pariter etiam ſi una avis volat, cæteræ omnes volant. Adiamus Auguſtinum in *Epiſt. ad Hieron.*
20 *ſe ita legere Commentarios Doctorum. quantacunque vel doctrinâ vel ſanctitate polleant, ut eorum dicta non putet ideò vera eſſe, qvia ipſi ita ſenſerunt; ſed qvia per alios Authores vel Canonicas aut probabiles rationes ipſi perſvadent, qvod à vero non abhorreat.* Cum veritas ſemper una & eadem, & ſemper vera, comunis autem opinio varietur.

Quod ſupra dictum eſt proximiores excludere remotiores, maximè verum eſt, quoniam in lineâ aſcendenti, non æque ac in deſcendenti locum habet Jus repræſenta-
21 tionis: Non enim avus repræſentat perſonam filii *Nov. 118. cap. 2. d. Auth. defuncto.* in verbis: *Salvâ gradus prærogativâ. Hunn. lib. 3. Variar. reſol. Jur. Civ. Tr. 1. Quæſt. 32.* ſed pater excludit avum paternum, licet ſit ſub ejus poteſta-

ſtate & avum maternú, ſimiliter mater avum maternum & paternum *Graſſ. d. Quæſt. 22. Cujac. ad Nov. 118.* Rationem diverſitatis afferunt Doctores: quia filii trahunt ſanguinem ex aſcendentibus, & aſcendentes non item ex deſcendentibus, hæreditasq; magis his, quàm illis debeatur. Contra rationem imò pro monſtro eſſet, ut avus repræſentet patrem filium ſuum & in ejus locum ſuccedat *vid. Johann. Schneid. Inſt. de Succeſſ. ab inteſt. rubr. de Succeſſ. Parent. num. 21. in f. Guilhelm. Ranchin. §. 2. num. 9.* Exinde patet concurſum in aſcendentibus diverſis gradu non admitti, ſed proximiorem ſemper excludere remotiorem, qvod an in collateralibus etiam locum habeat, & an hi per aſcendentes excludantur? ſequenti ſectione indagare conabimur.

SECTIO III.

De concurſu Aſcendentium cum Collateralibus.

SUMMARIA.

1 *An concurſus aſcendentium cum collateralibus de Jure Saxonico obtineat?*

2 *Quid de Jure Civili de illo ſtatuatur, v. g. quando qvis relicto avo paterno & aviâ paternâ item avo materno & aviâ maternâ, nec non fratre & ſorore utrimq; conjunctis deceſſerit?*

3 *Quid ſi concurrant fratrum filii cum ſuis aſcendentibus, an in ſtirpes ſuccedent?*

4 *Limitantur prædicta,*

5 *Quid Juris ſi frater ex uno latere cum aſcendente ſibi conjuncto concurrant?*

6 *Si Aſcendentes cum fratrum conjunctorum nepotibus & pronepotibus & aliis ulterioribus adſint, an omnes ſimul concurrent?*

7 *Lex aſcendentibus plus favet, quàm collateralibus.*

8 *An valeat Statutum diſponens fratres & ſorores eorumve liberos ſolos defunctæ ſorori ſuccedere debere excluſis parentibus?*

9 *Mynſingerus proponit caſum.*

10 *Quæ ſint reqviſita conſvetudinis?*

11 Quid de Jure Veteri ad tempora Juſtiniani circa ſucceſſiones fratrum & parentum ſtatutum erat?

12 Si concurrant aſcendentes cum collateralibus ejuſdem gradus ſed diſparis numeri an æqualiter divident bona?

13 Statuta locorum inſpicienda.

1 DE Jure Saxonico fratres ſive ſint utrimque, ſive ex uno latere conjuncti, cum aſcendentibus non concurrunt: Ideoq; pater ſive etiam mater reliqvos fratres indiſtinctè in ſucceſſione excludunt. Ex hac (*ut Carpz. p. 3. C. 17. d. 6. num. 4. dicit*) veriſſimâ apud Saxones vulgatâ regulâ: donec aliqvis ex aſcendentib' ſupereſt, nunquam hæreditatem collateralibus deferri. *Matth. Coler. p. 1. Decis: 47. num. 3.* Idque non tantum in parentibus primi gradus, ſed etiam in ulterioribus procedit *Carpz. d. l. def. 7.* eo quod dici poſſit appellatione patris, venire ſimul avum aliosque ſuperiores *l. 201. ff. d. V. S.*

2 Aſt de Jure Civili contrarium conſtituitur, & non tantum collaterales non excludit, ſed potius admittit; ſi tamen hi conjuncti ſint utrimque. *Graſſ. d. Q. 22. Capreol. lib. 2. num. 76.* Ergo ſi qvis deceſſerit relicto avo paterno & aviâ paternâ itidem avo materno & aviâ maternâ, fratrem quoq; & ſororẽ utrimq; conjunctos reliquerit; diviſâ hæreditate in ſex partes æquales, hi omnes in capita ſuccedunt. *d. Nov. 118. cap. 2. Vasq. de Succeſſ. progreſſ. lib. 3. §. 25. num. 38. Nicol. de Ubald. de Succeſſ. ab Inteſt. p. 2. num. 9.*
3 Idem eſſet ſi filij ex uno fratre adeſſent: vocarentur enim Jure repræſentationis, hæreditasq; ipſorum reſpectu, in ſtirpes divideretur, accipientes partem, qvam pater eorũ habiturus fuiſſet ſi vixiſſet. *Rittersbus. in Expoſ. Nov. Juſtin. P. 7. cap. 10. num. 8. & 9.* quod per *Nov. 118.* cautum non erat, ſed demum permiſſum ex ſpeciali Conſtitutione *Nov. 127. cap. 1. Cujac. in d. Nov. 118.* Cujus vigore una cum patruis & parentibus ſuccedunt in ſtirpes.

Suas

Suas tamen hæc Juri Civili conformis opinio patitur 4
limitationes. Primo enim denegatur concurſus collateralium cum aſcendentibus, quando fratres ex uno latere conjuncti, ad ſucceſſionem mutuam accedere intendunt, ſive ſint conſanguinei ſive uterini, qui illo Jure à Parentibus alijsque aſcendentibus prorſus excluduntur *d. Nov. 118. cap. 2. pr.* in verbis: *Exceptis ſolis fratribus ex utroq; parente conjunctis.* Non obſtante *l. 7. Cod. ad SC. Tertull.* quæ per dictam *Nov.* correcta eſt. *Hunn. lib. 3. Variar. Reſol. tr. 1. Q. 34. Fachi. lib. 6. c. 8.* quod verum eſt, quando frater iſte conjunctus erat defuncto ex latere alterius parentis, quàm ejus, cum quo vult concurrere: Nam ſi conjunctus eſſet ex latere ejus Parentis cum quo concurſum prætendit, ut ſi defunctus reliqviſſet matrem tantum ſuperſtitem 5
& ex eâ matre fratrem ſibi conjunctum qui non eſſet conjunctus ex latere patris; talis cum matre non obſtante contraria *Graſſi* opinione *in §. Succeſſio ab inteſtato. Q. 24.* omninò admittendus eſſet. *Boer. Deciſ. 185. num 4. Guid. Pap. lib. 21. tit. 1. art. 7.* Idem dicendum ſi quis deceſſiſſet relicto patre & fratre conſanguineo contra Baldum, *Scheurer. de Hæred. quæ ab inteſt. deferuntur. ampliat. 3.* Quæ enim invidia eſt, quod ex patris occaſione profectum, hoc ad eum reverti? *Oldendorp. Claſſ. 5. actio. 5. in ſubn. Epitom. Succeſſ. ab inteſt. n. 13.*

Secundò limitatur *ex Cujac. ad Nov. 118.* in perſonâ filiorum fratris, qui ſi ſoli, non etiam ſimul fratres aut ſorores ex utroq; parente defuncto conjuncti conjunctæ adſint, tum filios horum fratrum cum parentibus defuncti in ſucceſſione ſui patrui non concurrere, ſed omninò excludi dicere quis poſſet: niſi contrarium *d. Nov. 127. cap. 1.* uti n. 3. diximus. affirmaretur, & ad partem quam pater eorum habiturus fuiſſet, admitterentur. *Forſt. lib. 7. C. 7. num. 2. & 3. Matth. Matheſil. de Succeſſ. ab. inteſt. art. 1. p. 2. num. 13.* quia fit extenſio de perſonâ ad aliam, quæ ſe-

 cun-

cundum Juris interpretationem reputatur eadem, qvod fieri poteſt, præſertim, cum nullum vertatur odium.

6 *Tertiò* limitatur in nepotibus & pronepotibus ad qvos in lineâ collaterali Jus repræſentationis non extenditur. Ideoq; ſi aſcendentes concurrant cum fratrum utrimque conjunctorum nepotibus aut aliis ulterioribus; Eo caſu pater & mater hos excludunt. *Graff. Quæſt. 23. num.*
7 *4. Forſter. lib. 7. C. 6. 22.* Ratio eſt, quia lex plus favet aſcendentibus, quos in infinitum omnes vocat, quàm collateralibus, intuitu qvorum repræſentatio non niſi ad filios fratrum incluſivè admittitur. *Auth. poſt fratres. Cod. de Legit. hæred.* quam ſententiam comunem dicit *Graff. d. Q. 23. n. 4.*

8 *Quartò* limitatur: quando conſvetudo contraria, & iſta obtinet, qvod fratres & ſorores eorumve liberi ſoli defunctæ ſorori ſuccedere posſint excluſis parenti-
9 bus. Caſum in facto propoſitum docet *Mynſing. Cent. 6. obs. 45.* Mulierem quandam deceſſiſſe relicto avo, & aliquot fratribus ac ſororibus defunctæ ex utroque latere conjunctis. Avus ſuum ſuccedendi Jus fundavit in Jure communi: Altera pars negavit ſucceſſionem ſimultaneam ex Statuto contrario, & conſvetudine excludente aſcendentes, à ſucceſſione fratris, ſi utrimque conjuncti fratres & ſorores extent. Dubitabatur an hujusmodi Statutum valeret? & inveſtigabantur conſuetu-
10 dinis requiſita, quod illa nempè debeat eſſe rationabilis, uſu frequentata, per multos annos obſervata, & denique de conſenſu populi introducta. Jam verò negari non poteſt eam eſſe rationabilem ratione ſucceſſionis utpotè Juris Civilis; quæ Jure contrario ſive uſu & conſuetudine tolli poteſt, præſertim cum jam olim ante Novellam Juſti-
11 niani Conſtitutionem, *Legibus ſcilicet 12. Tabb.* fratres in ſucceſſione fratrum prælati fuerint. *l. 1. §. Poſt ſuas. ff. de Suis & legit. hæred.* Illaq; prærogativa ad Conſtitutionem Conſtantini Imp. usque obtinuerit, tandem etiam à Juſtiniano idem

idem ſancitum fuerit *l. 12. Cod. Comm. de Succeſſ.* Cum igitur iſthæc prælatio non tantum veteri Jure, ſed Juſtiniani quoque temporibus obtinuiſſe reperiatur, cur non idem rurſus rationabiliter moribus utentium introduci poſſet? *Mynſing. d. obs.* quod fecêre Statuta Auſtriaca excluſionem illam in perpetuú extendentia. Et hæc de concurſu aſcendentium in æquali gradu & pari numero exiſtentium cum collateralibus ex utroque latere conjunctis. Si verò concurrant aſcendentes ejusdem gradus, ſed diſparis numeri, v. g. Avia paterna & avus maternus & avia materna, item duo nepotes, de Jure communi res expedita eſt; quo- 12
niam ſimul ſuccedent facientes quinque partes. *Nov. 118. §. Si cum aſcendentibus. Auth. Defuncto. Cod. ad SC. Tertull. Borcholt. de Succeſſ. aſcend. §. De eo dubitari poteſt.* Aſt de 13
Jure Statutario plerorumque locorum, & præcipuè Saxonico contrarium obſervatur *lib. I. art. 17.* quo fit diviſio in duas partes, & aſcendentes dimidiam æqualiter inter ſe dividendam, deſcendentes verò alteram dimidiam conſequuntur, ita ut avia paterna in parte defraudari videatur contra Jus commune.

Sectio IV.

Quomodo Succeſſio in hoc concurſu ratione bonorum inſtituatur?

Summaria.

1 *Quomodo parentes & fratres in caſtrenſibus filiorum & fratrum bonis nec non in adventitiis ſuccedant?*

2 *An fiat injuria patri, qui cum proprio filio ad ſucceſſionem vocatur?*

3 *Cujacii opinio.*

4 *Parentes, fratres & ſorores utrimque conjuncti in viriles portiones ſuccedunt.*

5 *An idem obtineat in profectitiis?*

6 *Non admittitur affirmativa à Fabro niſi ſub conditione.*

7 *Quid Juris erit in dote, quæ à patre profecta eſt an illa redeat ad patrem, aut avum, quæ contemplatione filii conſtituta eſt?*

Pa-

1 PAter & mater, ſicuti etiam fratres, non tantum in caſtrenſibus, & quaſi caſtrenſibus reſpectivè filiorum & fratrum bonis tàm ratione uſusfructus qvàm proprietatis; ſed etiam in adventitiis ſuccedunt; ita tamen ut quoad portionem matris integer ſervetur uſusfructus *Fachin. Controv. lib. 6. C. 6.* ratione portionis verò fratrum non item: Quoniam hæc portio pleno jure ad fra-
2 tres fratrumq; filios ex *Nov. 118. C. 2.* pertinet. Nec fit injuria patri, qui ſimul cum proprio filio ad ſucceſſionem
3 vocatur. *Cujacius in d. Nov. 118. c. 2.* in verbis: *Olim filius bona fraterna acqvirebat patri, in cujus erat poteſtate Uſusfructus jure, bodie bona fraterna, quæ ab inteſtato obvenerunt, pro parte virili ne uſusfructus quidem Jure acquirit patri, quia pro uſufructu bodie in hæreditate filii defuncti pleno Jure concurrit, qvem filius ſuperſtes id eſt frater defuncti excludebat*
4 *Jure veteri.* Unde concludit patrem, matrem, fratres & ſorores utrimque conjunctos in caſtrenſib' vel qvaſi: in adventitijs defuncto in viriles portiones ſuccedere, non item
5 in profectitijs, qvorum nunqvam filius dominus fuit, & conſequenter mortuo filio familias revertitur ad patrem: Idque ideò potiſſimum; quia in *d. Nov. 118. c. 2.* de profectitio peculio nihil diſpoſitum reperitur. Quod non
6 admittit *Faber. in Cod. Suo. lib. 6. tit. 31. def. 5.* niſi in profectitiis, quæ acquiſita fuerant irrevocabiliter. Sed neutrum procedere poteſt ex rationibus ſupra allegatis, nullam ſcilicet faciendam eſſe diſtinctionem bonorum, undecunque profecta ſint, ſive à patre ſive à matre. *Thom. Lindemann. Exercit. Juſt. Diſp. 5. theſ. 29. Henning. Wegner. Diſp. 9. ad Inſt. Th. 3. lit. d. Capreol. de Succeſſ. ab inteſt. lib.*
7 *2. num. 76.* Aliud erit in dote, quæ à patre profecta eſt: Illa enim, mortuâ ſine liberis filiâ revertitur ad ſuperſtitem dotantem patrem excluſis matre & fratribus defuncti, *l. Dos à patre. 4. Cod. Sol. matrim. l. 6. ff. de Jur. dot.* aut etiam ad avum, quando dos contemplatione filii ab eodem

dem conſtituta eſt. *Alex. lib. 7. Cons. 42.* & ibidem *Molin.*

SECTIO V.

De Succeſſione Parentum ſecundo nubentium in bonis Filiorum.

SUMMARIA.

1 *An nulla bonorum diviſio admittenda ſit?*
2 *Bona qvomodo dividantur?*
3 *Quid Juris habeat mulier tranſiens ad ſecunda vota in bonis qvæſitis?*
4 *Quid ſi paterna fuerint bona?*
5 *Mulier ſecundo nubens qvæ neglexiſſe dici poſſit?*
6 *Quo Jure gaudeat mulier in bonis à priore marito provenientibus?*
7 *Si bona alienata ſint, liberi prioris matrimonii quomodo ea vindicent?*
8 *De bonis mobilibus qvomodo diſponatur?*
9 *Quid Juris ſi mater non poſſit, aut nolit ſatisdare?*
10 *An interpoſitio conſenſus filii tantum operetur ut proprietas in ſuperſtitem transferatur?*
11 *Quomodo bona paterna matri pleno jure acqviri poſſint?*
12 *Niſi Statuto contrarium caveatur, ſicut Jure Lubecenſi cavetur.*
13 *Succeſſio parentum ſecundo nubentium nullis extantibus liberis.*
14 *Pacta dotalia & conſvetudines locorum in hiſce inſpicere oportet.*
15 *Quomodo ſecundum Statuta ſuccedatur in bonis immobilibus?*
16 *Quid in mobilibus diſponatur?*
17 *Qvid lucretur mulier, qvæ non tranſierit ad ſecunda vota?*
18 *Quomodo mater tranſiens ad ſecunda vota repellatur à ſucceſſione filii?*
19 *An mater indignam ſe reddat ſucceſſione filii ſi alimenta illi detrectaverit aut eum deſeruerit?*
20 *Necare videtur qvi alimenta denegat.*

QUanquam nullam admiſerimus diviſionem bonorum in ſucceſſione aſcendentium, vix tamen erit, ut ſecundum Jus commune ſine eadem explicari qveat, quâ ratione Parentes ſecundo nubentes ſuccedant? eo quod peni- 1

2 tus non excludantur. Sunt ergo bona ejusmodi vel paterna vel aliundè proventa; Si aliundè venerint, mulier quæ
3 ad ſecundum thorum convolat, non tantum partem ſuam ratione proprietatis tuebitur, ſed & uſusfructus jure in iisdem gaudebit, non obſtante eo, qvod fortè alij etiam ſupereſſe dicantur fratres ſive ſorores prædefuncti fratris ex priore thoro. *Auth. Ex teſtamento. Cod. de Secund. nupt.*
4 Quod ſi verò, Paterna ſivè à Patre profecta bona in controverſiam deducantur, & ad ſecundas nuptias mater provolaverit, ſubdiſtinguitur, an mulier reliquerit alios liberos ſive fratres defuncti: Et tunc in pœnam ſecundo nubentium incidat; non qvidem in odium nuptiarum, ſed ad utilitatem liberorum ex prioribus nuptiis ſuſceptorum:
5 Cum tria neglexiſſe dicatur, nempe Deum, defuncti memoriam, & dilectionem filiorum, adeò ut non tantum amittat proprietatem rerum, quas ex facultatibus prioris mariti quovis titulo lucrativo accepit, ſed etiam easdem
6 facultates omnibus liberis prioris matrimonii in injuriæ ſolatium reſervare teneatur, ſolo uſufructu penes eam remanente quamdiu vixerit *l. 3. Cod. de Secund. nupt.* omni & quacunque alienatione aut obligatione interdictâ *l. 5. §. Dominium. Cod. eod.* ſi autem contra factum fuerit, lucraque
7 nuptialia, ſive ea, quæ uſusfructus tantum jure tenet, alienaverit, liberis prioris matrimonii ea vindicandi facultas dabitur, quæ vindicatio ſi forte inanis fuerit, ad cautionem uſufructuariam, quæ præſtita fuit à muliere, devenietur, quâ filiis qvoque proſpectum eſt: Aut ad hypothecam legitimam recurſus erit, quâ uterq; parens in bonis ipſorum pro ſecuritate proprietatis obſtringitur *l. 6. §. Omnibus. l. 1. Cod. de Secund. nupt.*

Traditur itaq; ſuperſtiti parenti rerum immobilium
8 poſſeſſio uſufructu tenus quoad vixerit, res verò mobiles prius ab Arbitro Jurato æſtimantur, æſtimationeque factâ matri ſuperſtiti ſub cautione uſufructuariâ dantur; ſe nimi-

mirum eas res vel earum æſtimationem finito uſufructu reſtituturam liberis. Quodſi ſatisdare vel nolit vel non 9
poſſit, prædictæ res mobiles nondum matri à liberis traditæ apud eosdem manebunt præſtitâ cautione, ſe matri pro earum rerum uſufructu præſtaturos quotannis uſuras trientis æſtimationis factæ; Item ſi contingat eos præmori, reſtituturos eas res matri vel æſtimationis pretium. *Michael. Graſſ. §. Succeſſio ab inteſt. Quæſt. 25. num. 8.* prædicta limitat, ut ſcilicet in proprietate ſuccedat ſuperſtes, ſi filius conſenſerit in ſecundas nuptias. Sed parum ope- 10
ratur hic conſenſus, qui interpoſitus filio planè nullum præjudicium creat in lucro, quod per legem acquirit; Magna equidem eſt differentia inter conſenſum nuptias contrahere volentium præſtitum, & inter amiſſionem lucri à lege conceſſi: Quid enim peccarunt liberi conſentiendo actui, qvam ſi tanqvam impij impedire voluiſſent, id efficere non potuiſſent? Eſt regula Juris: qvod qui non contradicit actui, qui eo invito geri poteſt, nullum ſibi paret præjudicium *l. 8. §. Non videtur. ff. Quib. mod. pig. vel hypoth.* Idem eſt ſi defunctus maritus conſenſerit; cum non tàm agatur de injuriâ defuncti quàm liberis illatâ, ideò ejus conſenſum pro nullo haberi verius eſt. Aliud foret 11
in limitatione, quam affert *Boer. Decis. 185.* nempè tùm bona paterna matri pleno jure acquiri, ſi filius defunctus matrem inſtituerit hæredem, vel aliâ ſuâ diſpoſitione in eam contulerit: hoc etenim caſu vi hujus diſpoſitionis mater evadet pœnas ſecundo-nubentium & filius matri eam tacite remiſiſſe cenſetur. *Bald. in l. Mater. Cod. ad SC. Tertull.* Niſi etiam mulieri vel marito procedenti ad ſecun- 12
das nuptias & habenti filios prioris matrimonii Statuto permittatur, ut illos datâ certâ ſummâ excludāt à ſucceſſione, & illam ſibi vindicent, ſicuti Jure Lubecenſi permiſſum eſt: intellige tamen certam ſummam, quæ ad legitimam accedat.

Jam ad ſecundum diſtinctionis membrum accedamus. Quando ſcilicet mater nullos reliquit liberos: Hoc
13 caſu pleno Jure ſuccedit, *Graſſ. d. Q. 25.* non tantum ſi ad ſecunda vota proceſſerit poſt mortem filiorum; ſed etiam iis vivis: quia pœna ſecundo-nubentium in favorem liberorum introducta eſt, qui poſt mortem eorum ceſſat, & res recidit ad caſum inteſtati in qvà potior eſt mater. *d. Nov. 118.* ſed in hiſce plurimum ſtandum erit pactis dotalibus, ſecundum quorum diſpoſitionem ſucceditur, cum caſus in iisdem plerumq; expreſſi inveniantur. Item Statuta
14 locorum, conſvetudines & conventiones diligenter inſpiciendæ ſunt & Primo qvoad immobilia; quæ licet in diverſis locis ſita ſint, ſecundum Statuta horum locorum ſucceditur *Matth. Coler. de Proceſſ. execut. p. 1. cap. 3. num. 244.* Ratio: quia omnes res ſoli ſub eâ ſunt loci Jurisdictione, ſub quà jacent *l. 1. in f. l. 2. & l. ult. Cod. Ubi in rem act.* quantumvis etiam perſonæ ſubjectæ non ſint. *Gail. lib.*
15 *2. obs. 124. num. 17.* Si igitur Statutum ſit ut bona immobilia ad liberos prioris matrimonii pertinere, & ijs affecta eſſe debeant remanente ſaltem uſufructu penes patrem; ſecundum illud pronunciandum foret, quod pro conſvetudine in plurimis Germaniæ locis tanquam validum obſervari dicit *Mynſing. Cent. 5. obs. 32. num. 1.* quemadmodum Statutum Haſſiæ obſervat *tit. 5.* Juliacenſe Wie Vatter oder Mutter und andere Eltern ihre Kinder erben/ ſo ſie ſich in andere oder zweyte Ehe begeben. Wormatienſe *lib. 4. tit. 7.* à quibus differt Jus Saxonicum *lib. 1. Art. 45. & lib. 2. Art. 23.* nihil enim eo jure detrahitur parentibus ob ſecundas
16 nuptias. *Secundò* In ſucceſſione bonorum mobilium attenduntur Statuta domicilii; non autem illius loci ubi ſita ſunt. *Hartmann. Piſt. obs. 55. num. 4* quod ſi igitur cõtingat Francofurtenſem quendam decedere Norimbergæ, non obſervabuntur Statuta Norimbergenſia diſponentia circa mobilia, ſed potius Francofurtenſia, eo quod ſub Jurisdictione ejus ſint, in quo paterfamilias ea perpetuo

tuo habet aut habere ſe velle diſpoſuit & ordinavit *l. 35. §. 3. ff. de Hæred. Inſt. l. 32. in f. ff. de Pignorib.* ſic quando Statuto diſponitur mobilia bona ſuperſtiti paréti & tranſeunti ad ſecundas nuptias relinquenda eſſe: ſervandum erit, uti in pluribus locis viget. Quid autem ſi defunctus nullum certum habuerit domicilium? ſecundum Statuta loci originis in hiſce ſuccedi debere tradit *Hartmann. Piſtor. dict. obs. 55. num. 4. & 2.* niſi mobilia in certum locum deſtinata ſint; ut ibi perpetuò maneant *Hartmann. Piſtor. d. l.*

Ex his jam concludi poteſt de jure maximè Civili, 17
mulierem, quæ à matrimonio repetito abſtinet omnia lucra pleno jure cum liberá diſpoſitione obtinere *l. 5. 6. §. ult. l. 8. §. 2. Cod. de Secund. nupt.* quod *Novella 98.* mutatum, ut non tantum bona quoad proprietatem integra ſervare teneatur quando ſecundo nupſerit, ſed etiam quando in viduitate permanſerit; quod itidem *Nov. 127.* innovatum videmus, ut mater, quæ abſtinet à ſecundis nuptiis præter uſumfructum tantum proprietatis lucretur, quantum unus filiorum. Inſpiciantur tamen Statuta locorum & pacta dotalia, quæ hiſce modum dare ſolent.

Repelli etiam quandoqve mulier poteſt à ſucceſſione 18
filii, quæ tranſiens ad ſecunda vota ipſi tutorem non petit, *l. Sciant. 10. Cod. de Legit. hæred. l. Omnem. 6. Cod. ad SC. Tertyll.* ſimiliter etiam avia tàm paterna quàm materna, *Graſſ. Q. 28.* qvando materna deſiit in vitâ eſſe; Secus foret ſi mater ſuperſtes non petitione tutoris ſe ſe indignam reddiderit: tùm etenim à ſucceſſione nepotis non repelleretur avia, qvantumvis etiam intra annum non-petierit 19
tutorem. Pœnam indignitatis quoque incurrit mater, quæ liberis alimenta detrectat, eosque deſerit: ſi enim quis negligens exiſtat, vel in culpâ ſit ut is moriatur, cujus ſucceſſionem ſperat, aut etiam Medicum ei non adhibeat, vel ſaltem imperitum, arceri debeat à ſucceſſione: Cur i-

 dem

dem non obtineret in muliere detrectante alimenta filiis,
20 aut eosdem deſerente? potiſſimum cum necare videatur qui alimenta denegat. *l. 4. ff. de Liber. agnoſ.*

SECTIO VI.

De Succesſione Parentum Legimorum tantum ſive Adoptivorum.

SUMMARIA.

1 Quomodo Parentes legitimi ſuccedant liberis adoptivis?

2 An pater arrogator, ut extranea perſona arrogato ſuccedat?

3 Quid ſi adoptans non fuerit extraneus ſed unus ex aſcendentibus?

4 Diſtinguitur an quis adoptatur loco filii aut loco nepotis?

5 Si loco filii: ſubdiſtinguitur.

6 Quid Juris ſi pater naturalis & mater cum patre adoptivo avunculo defuncti adoptati concurrant?

7 Quid ſi concurrat adoptivus cum defuncti adoptati fratribus aut ſororibus ex utroq; latere conjunctis?

8 Inſpicienda Statuta.

1 PArentes legitimi ſive adoptivi, etiam ſuccedunt liberis adoptivis, cum hac dinſtinctione: ut ſi quis arrogatus
2 fuerit per extraneum, & non tranſierit in poteſtatem patris arrogatoris; eo quod pater naturalis & legitimus integra jura in filium reſervet *§. 2. Inſt. de Adopt.* eo caſu pater arrogator non ſuccedat; minimè obſtante, quod ejusmodi arrogatus patri arrogatori ab inteſtato hæres ſit; & conſequenter ſucceſſiones reciprocæ dicantur. Quoniam æquitas exigit, ne pater naturalis per ſimplicem actum Civilem puta adoptionem privetur ſucceſſione, quæ ipſi commiſerationis cauſa debetur: quod eveniret ſi adoptivus pater extraneus ſuccederet filio *Forſt. de Succeſſ.*
3 *ab inteſt. lib. 7. cap. 16. num. 1. & 2.* Aliud dicendum foret ſi pater adoptans non fuerit extraneus, ſed unus ex aſcendentibus, & concurrant naturalia & Civilia jura:

Nam

Nam procul dubio ſucceſſio locum haberet nullis extantibus legitimis & naturalibus aſcendentibus. Hi ſi extent: 4
diſtinguitur an quis adoptatus ſit tanquam nepos, an verò tanqvam filius. Si primum: pater naturalis & legitimus ſive etiam mater naturalis & legitimus præferuntur adoptivo. Si tanquam filius: ſubdiſtinguitur an con- 5
currant cum parentibus legitimis & naturalibus, vel cum fratribus defuncti adoptati. Si illud id eſt ſi concurrant avus ſive maternus ſive paternus cum patre 6
naturali: excluditur naturalis ab avo. Aut venit avus paternus cum adoptivo patre & fratre avi paterni; tùm ſi impubes fuerit adoptatus, ſuccedet avus paternus, ſi pubes, pater adoptans. Aut pater naturalis & mater cum patre adoptivo avunculo adoptati concurrunt; hoc caſu pater naturalis & pater legitimus dimidiam partem obtinebunt *Ang. in §. Mortuo. & ibidem Gloſſ. Inſt. de Acqviſit. per arrogat.* Mater verò naturalis alteram dimidiam conſequetur.

Si poſterius, ſcilicet qvando eſt concurſus patris a- 7
doptivi cum defuncti adoptati fratribus aut ſororibus ex utroque latere conjunctis, ſimul omnes ſuccedent cum patre adoptivo *Gloſſ. in d. §. Mortuo.* eodem modo quo 8
cum legitimis, adeò ut ſi Statutum, de qvo ſupra mentionem fecimus, ſit, ut fratres & ſorores ſuccedant excluſis parentibus, hi parentes adoptivi etiam excludantur: qvoniam appellatione parentum adoptivus venit. *Forſt. de Succeſſ. ab inteſt. lib. 7. cap. 18. Vide ſupra de Succeſſ. Filiorum. legit. tant.*

SECTIO

SECTIO VII.

De Succeſſione Parentum illegitimorum.

SUMMARIA.

1 *Quomodo pater naturalis filio naturali ſuccedat?*
2 *Quid Juris in matre naturali & omnibus per lineam maternam aſcendentibus?*
3 *Quid dicendum in concurſu patris naturalis, item matris, fratrum & ſororum utrimqve conjunctorum?*
4 *Exceptio in concluſione.*
5 *Quomodo pater ſpuriis ſuccedat ſi certus eſſe poſſit?*
6 *Mater indiſtinctè ſpurio ſuccedit?*
7 *An parentes admittantur ad ſucceſſionem liberorum ex inceſtu & damnato coitu natorum?*
8 *Non merentur nomen filii.*

1 Quemadmodum filii naturales parentibus ſuccedunt, ita quoq; hi illorum bona capiunt propter viciſſitudinem. Si igitur quæratur de eorum ſucceſſione in bonis filiorum naturalium tantum, non aliter qvàm in ſextante, ſi non extent liberi juſti & legitimi & uxor, pater ſuccedet, 2 uti ſupra diximus, *Auth. Licet. Cod. de Natur. lib.* ſecus in matre, quæ ſi ſola ſit, integrè & ex aſſe liberis naturalibus hæres exiſtit, *§. f. Inſt. de SC. Tertyll.* Eodem Jure habentur omnes per lineam maternam aſcendentes *l. Sive ingenua. ff. eod.* excludentes reliquos per lineam paternam conjunctos, & patri ultra duas uncias non dantes, etiamſi mater cum eo tantum concurreret. *l. Si ſpurius. 4. ff. Unde* 3 *cognat.* Extenditur quoq; ex ſententiâ *Salyceti in Auth. defuncto. Cod. ad SC. Tertyll.* ad eum caſum; quando pater naturalis item mater & fratres vel ſorores utrimque conjuncti conjunctæve adſint. Tunc enim pater in duabus unciis; mater verò & ſorores in reliquo pro virili admittun-4 tur. Niſi ejusmodi filii per ſubſequens matrimonium aut etiam per Reſcriptum Principis legitimati fuerint, *d. Auth. Licet.*

Licet. Hinc exceptâ legitimatione per oblationem Curiæ, quæ ultra patrem in lineâ paternâ aſcendentium neminem ſuccedere patitur.

Rejiciuntur à ſucceſſione ſpuriorum parentes, incerti *§. Vulgo. Inſt. de Succeſſ. cognat.* qui ſi certi eſſe poſſint, eâ certitudine quæ per conjecturas, præſumptiones & teſtes haberi poteſt &c. tùm pater ſuccedet filio eodem modo, quo filius patri: Eſt enim eadem relatio juris inter eos *l. Nam etſi parentibus. 15. ff. de Inoffic. teſtam.* Aſt ſpurii vulgo quæſiti patri non ſuccedunt. *l. Si ſpurius. 4. ff. Und. cogn.* Ergò nec viciſſim pater iisdem, multo minus aſcendentes lineæ paternæ *l. Modeſtinus. 8. ff. eod.* Matri autem indiſtinctè ſpurii hæreditas defertur, non aliter ac ſi legitimè natus fuiſſet, niſi fuerit ex Illuſtri Familia & juſtos habuerit liberos *l. 2. §. 1. ff. ad SC. Tertull.* Aut etiam quando ſpurii ex ſe liberos ſuſceperint. Nam hi matrem excludunt *l. 2. §. Itaque etiam. ff. Und. cogn.* 5 6

Non admittuntur denique parentes ad hæreditatem liberorum ex inceſtu & damnato coitu natorum; quoniam necii ad ſucceſſionem parentum veniunt ex illâ viciſſitudine *Auth. Ex complexu. Cod. de Inceſt. nupt.* de quibus ſupra. 7 8

CAPUT IV.

De SUCCESSIONE COLLATERALIUM.

SECTIO I.

Quinam appellatione collateralium veniant?

SUMMARIA.

1 *Collateralium appellatione qvi veniant?*
2 *Collaterales in triplici ſunt ordine.*
3 *Limes transverſus unde incipiat?*
4 *Quid ſit gradus?*
5 *Quid ſit arbor conſanguinitatis?*
6 *In qvibus ejus cognitio neceſſaria ſit?*
7 *Quæ ſint regulæ ſucceſſionum Canonicæ?*
8 *Qvomodo ineatur computatio Civilis graduum?*
9 *Quomodo fiat dinumeratio in lineâ indirectâ?*
10 *In qvoto gradu ſint patrueles?*
11 *Differentia computationis graduum ſecundum Jus Civile & Canonicum.*
12 *Ratio diverſitatis ex diverſo fine deſumpta.*
13 *An Jure Canonico computatio Civilis graduum in ſucceſſione attendatur?*
14 *An propriè ſint gradus in arbore affinitatis?*
15 *Quot ſint ordines illius?*
16 *Qui ſint in ordine affinitatis in collateralibus?*
17 *Quot ſint genera affinitatum?*
18 *Quoto gradu quis marito conjunctus eſt in conſangvinitate, eodem gradu eſt conjunctus uxori ejus in affinitate & vice verſâ.*

1 APpellatione collateralium veniunt omnes, qui quâdam cognatione nos contingunt extra lineam deſcendentem & aſcendentem, quaſi unà communiterve, nati & ab eadem orti progenitive ſint. *Authore Modeſtino in l. 4. §. 1. ff. de Grad.* Generaliter ſumpto cognationis vocabulo, ut tàm agnatos qvàm cognatos, ſivè tàm agnationem qvàm cognationem in ſpecie ſumptam comprehendat, qvemadmodum in lineâ collate-
2 rali videmus. Qui in triplici ſunt ordine, Primò Ratione Patris

Patruus	Amita
Patruus magnus	Amita magna

Pro-

Propatruus	Proamita
Patruus maximus	Amita maxima

Secundò ratione matris collaterales ſunt.

Avunculus	Matertera.
Avunculus magnus	Matertera magna.
Proavunculus	Promatertera.
Avunculus maximus	Matertera maxima.

Tertiò ratione fratrum & ſororum.

Fratres	Sorores
Germani	Germanæ
Conſanguinei	Conſanguineæ
Uterini	Uterinæ
Patruelis	Conſobrini
Amitinus	Matruelis
Amitina.	

Et cœteri collaterales ſive ij, qui à latere veniunt.

Limes transverſus incipit à fratre & ſorore quibus 3
cognati dicimur, ideoq; ab ijsdem computationem graduum metimur in lineâ transverſali.

Eſt verò gradus nihil aliud, quàm *generatio Perſonæ*, ſi- 4
ve etiam *de proximo in proximum tranſitus*, per quem tanquam per ſcalam arborem aſcendimus, qvæ arbor conſanguinitatis dicitur. Et eſt *dilucida qvædam demonſtratio,* 5
qvâ perſonarum in conſanguinitate gradus proximitas & diſtantia ob oculos ponitur. Ex cujus agnitione agnati & cogna- 6
ti ſibi multum utilitatis & commodi polliceri poſſunt. Primò in materiâ nuptiarum: qui & qvomodo cognati matrimonio jungi poſſint? *Vid. Carpz. Diſput. Ja. de Arb. conſang. th. 9. 10. & ſeq.* Secundò in materiâ tutelari, quæ agnatis defertur proximioribus *l. 1. ff. de Legit. tut.* Tertiò in lege publicorum Judiciorum, quâ contra affines & agnatos teſtimonium dicere inviti non cogimur *l. Lege. Julia. 4. ff. de Tut. Carpz. Diſp. 3. per totam. de Arbor. conſang. circa proceſſ. Jud.* Quartò maximè obtinet in materiâ ſucceſ-

ſionum, ubi de proximitate & Jure ſuccedendi hæredes
7 certiores reddit, factâ ſcilicet computatione graduum non Canonicâ, quæ nititur in lineâ æquali hac regula: *Quoto gradu alteruter diſtat à communi Stipite, eodem gradu diſtant inter ſe.* v.g. Filii fratrum diſtant à communi ſtipite ſive avo ſecundo gradu, ergo inter ſe diſtant ſecundo gradu. In lineâ inæquali verò ponit aliam normam: *Quoto gradu remotior diſtat à communi Stipite, eo gradu diſtant inter ſe v. g.* fratris filius & ſororis neptis, hæc diſtat à commu-
8 ni Stipite tertio gradu, iſte ſecundo, ergo inter ſe tertio gradu diſtant. Non inquam agimus de computatione Canonicâ, ſed civili, & non antiquiori illâ, ut tot ſint gradus quot ſint perſonæ unâ demptâ, ſed ea, quâ perſona generata gradum ſemper adjicit aut tot ſunt gradus, quot ſunt generationes, ſive intelligamus lineam directam, ſive etiam indirectam; In hac tamen dinumeratio eſt perplexior, &
9 non tàm faciles inventu ſunt gradus: Non enim quamprimum ad perſonam, quæ à latere eſt, deveniri poteſt; ſed potius ad aſcendentem lineam aſcenſus fit, donec tandem
10 diſtantiam perſonæ collateralis perſpectam habeamus. Si ergo quæramus in quoto gradu ſint patrueles, confeſtim fit aſcenſus ab unâ lineâ, & inquiritur in patrem qui genuit filium, ecce prima generatio & per conſequens primus gradus, ulterius patrem genuit avus, ecce ſecunda generatio, & ſecundus gradus, jam verò aſcendere amplius non licet, cum avus ſit communis Stipes, ergo fit deſcenſus, & avus genuit alterum filium, nunc habes tertiam generationem & tertium gradum, deniqve filius genuit nepotem, quæ quarta eſt generatio & quartus gradus, diſtant ergo patrueles quarto gradu §. 4. *Inſt. de Grad. cognat.*
11 *l. 10. §. ff. de Grad. & affin.* Unde colligitur differentia computationis graduum ſecundum Jus Civile & ſecundum Jus Canonicum, non tàm qvoad lineam directam (in eâ enim eadem eſt dinumeratio, eademq; recepta regula, cum ibi

ibi tot gradus conſtituantur, quot ſunt generationes) quàm qvoad indirectam, in qvâ non computantur ſingulæ perſonæ ad gradum conſtituendum, ſed duæ inter ſe collatæ unum gradum conſtituunt *Zoeſ. ad Digeſ. de Grad. & affinit. num.* 4. ubi rationem diverſitatis ex diverſo fine po- 12
nit, computationem ſcilicet Canonicam maximè inſpici in materiâ nuptiarum, quæ duas perſonas requirit nullo ſanguinis aut affinitatis nexu impeditas, ac proindè utramque diſtantiam quoad ſtipitem conſiderandam venire tàm in lineâ æquali qvàm inæquali: adeò ut nonniſi ultra quartum gradum incluſivè matrimonium permittatur, hoc adhibito temperamento: In lineâ inæquali nihil referre, ſi quæ ſit in ſecundo ſtipiti conjuncto, alter in quinto gradu, ſicuti abnepos: matrimonium quippe licitum eſt. In computatione verò Civili conſiderantur gradus ratione ſucceſſionis & tutelarum, in quibus habetur ratio proximitatis, quæ etiam Jure Canonico in eadem materiâ 13
ſucceſſionis attenditur. Hinc quidam ſunt ſicuti *Hunnius lib. 1. Var. Reſol. Jur. Civ. tr. 3. Quæſt. 20. pag. 177. & ſeqq. Althus. lib. 1. Dicæolog. num. 31.* qui ſtatuunt ſuppoſitionem Civilem Canonicæ præferendam eſſe.

In arbore affinitatis ejusmodi gradus propriè non 14
ſunt *l. 4. §. 5. ff. de Gradib.* quoniam per generationem gradus conſtituuntur. Impropriè tamen loqvendo gradus dici poſſunt propter reſpectum relativum ad conſanguinitatem. Cujus duo cùm in recta tùm etiam in trans- 15
versâ lineâ diverſi ponuntur ordines; In primo aſcendentium ſocer & ſocrus, proſocer & proſocrus, & ſic conſequenter. In ſecundo aſcendentium Vitricus, Noverca, provitricus & pronoverca &c. In primo deſcendentium gener & nurus, progener pronurus. In ſecundo deſcendentiũ privignus & privigna, proprivignus & proprivigna &c. In primo deniq; ordine Collateralium levir mariti 16
frater, & frater uxoris, fratria & glos ſive mariti ſoror,

item congeneri, duarum ſororum mariti, & duorum fratrum uxores. In ſecundo Collateralium ordine ſunt vitrici & Novercæ, item privignarum & proprivignarum ſorores & fratres.

17 Tria genera affinitatum paſſim recenſentur. Primum, quod mediante copulâ carnali contrahitur. Exemplum: dum frater meus jungitur Bertæ, quæ in primo gradu affinitatis mihi affinis eſt. Secundum, quod fit additione alterius perſonæ, quando Berta cum alio carnaliter ſe miſcet. Tertium, quod fit per accidentem tertiam perſonam v. g. cum mortuâ Bertâ ſecundus aliam ducit in uxorem, quæ mihi tertio genere affinitatis conjuncta erit.

Inde conſtituta eſt regula, quod omnes uxoris cognati affines ſint marito, non verò illius cognatis, econtra

18 mariti cognati affines uxoris ſunt, nõ autẽ uxoris cognatis.

Qvoto igitur gradu quis marito conjunctꝰ eſt in conſanguinitate, eodem gradu eſt conjunctꝰ uxori ejus in affinitate, & vice verſa, quæ maximè in materia nuptiarum attenditur, & jam objectum noſtrum non eſt, ideoq; ad ſucceſsionem pergamus,

SECTIO II.

Quousque Cognatio extendatur ad effectum Succesſionis?

SUMMARIA.

1 *Vetus diſtinctio iter lineam Agnaticam & Cognaticam.*
2 *Quid ſit Cognatio?*
3 *Cognitio ad quem gradum usqve extendatur?*
4 *Qvousque Cognatio ſeſe extendat?*
5 *Differentia diſtinctionis qvæ oritur ex duratione graduum.*
6 *Qvot reperiantur perſonæ in ſeptimo gradu cognationis?*
7 *Octavus gradus magis ad agnationem quam cognationem pertinet.*
8 *Differentia inter agnationem & cognationem ſublata.*
9 *Quæ regula obtineat in ſucceſſione collateralium.*

10 Con-

10 *Conſanguinei qvomodo Jure Saxonico nominentur?*
11 *Salvâ gradus prærogativâ collaterales ſuccedunt & ordine vocantur.*

OLim non minima fuit differentia inter lineam Agnati- 1
cam quæ per patrem & occaſione illius, & cognati-
cam, quæ per fœmineum ſexum ſolum contingebat *l. 10.*
§. 6. ff. de Grad. Cognat. §. 1. Inſt. de Leg. Agnat. tut. maxi-
mè verò ratione durationis & extenſionis graduum: Co-
gnatio enim (quæ eſt *Junctio ſanguinis inter perſonas ex eo-* 2
dem ſanguine, eidemque ſtirpe provenientes l. 4. §. 1. ff. de Grad.
& affin.) ad ſextum tantum gradum porrigitur, niſi nati 3
ſint ex ſobrino & ſobrinâ, qui ſoli ex ſeptimo gradu admit-
tuntur *l. 1. §. 5. Und. cognat.* Agnatio verò ulterius ſe ſe 4
extendit & ad decimum gradum usque *§. 5. Inſt. de Succeſſ.* 5
cognat. Ratio eſt, quia in agnatione ratio Civilis & Jus Fa-
miliæ, qvod in infinitum extendi poteſt: in cognatione
Jus ſanguinis ſpectatur ſive natura, quæ non patitur ut
vita cognatorum ultra ſeptimum gradum conſiſtat, aut vix
eo pertingat, ſivè in directo limite, ſive in tranſverſo. *l. 4.*
ff. de Grad. & affinib. in quo ſolo ſeptimo gradu mille vi- 6
ginti quatuor perſonas demonſtrat *Paulus in l. 10. §. 18. ff.*
eod. ultra quem nullus alius datur. Non obſtante *l. 9. ff.*
Und. cognat. Ubi JCtus octavi gradus meminit, qui potius 7
ad agnationem quam cognationem pertinet, quæ ut di-
ximus ultra ſeptimum non porrigitur.

Aſt de Jure novo ex *Nov. 118. c. 4.* deſumpto aliud 8
ſtatuere debent Juriſconſulti, vigore cujus Jus agnationis
& cognationis non ſeorſim amplius conſideratur, ſed pro
uno eodemque reputatur, ideoq; ſine ullo diſcrimine ad
ſucceſſiones admittuntur tàm Agnati quam cognati eo-
rumq; deſcendentes non ad ſeptimum tantum gradum us-
que, ſed & in infinitum ſi tales probari poſſint, ſalvâ tamen
ſemper gradus prærogativâ, ut *qui prior ſit in gradu, potior* 9
in

in ſucceſſione habeatur, quæ regula maximè in hac collateralium ſucceſſione attenditur; proximior enim tanquam in Jure quæſito vel quærendo præcipuus excludit remotio-
10 res agnatos, qui alio nomine vocantur conſanguinei, & Jure Saxonico Schwerdtmägen. à gladio vel rebus expeditoriis, cognati autem Nifftelgeſpin / Spielmägen inſigniti à fuſo nempe Spindel *Carpzov. Diſp. 1. de Arbor. conſang. & affini. th. 8. num. 7.* Ubi tamen *num. 8.* adjicit unam eandemque agnatorum & cognatorum eſſe rationem in proximitatis inveſtigatione, cuj' initium ac fundamentum deſumendum à ſtipite vel ſtirpe vom Stamm / communi ſcilicet arborum, de quorum proximitate quæritur, parente. Addatur *Sect. 6. hoc. cap. num. 37. 38. 39. 40. 41. & ſeqq.*
11 Dixi ſalvâ gradus prærogativâ: Quoniam omnes ſimul ſuccedere non poſſunt, ſed ordine vocantur qui priores & habiles ad ſuccedendum reperiuntur. Ideoq; de proxi-
12 mioribus lineæ collateralis ſectione ſequenti differere lubet.

SECTIO III.

De Succeſſione Collateralibus proximioribus debitâ.

SUMMARIA.

1 *Comparatio Trunci Ramorumque arboris fructiferæ cum arbore conſanguinitatis.*
2 *Primo loco in linea collaterali vocantur fratres.*
3 *Quomodo differant fratres?*
4 *Fratres duplicitate vinculi conjuncti præferuntur reliquis.*
5 *Jure repræſentationis gaudent in collateralibus fratrum filii.*
6 *Qui ſuccedant in ſtirpes?*
7 *Confirmatur per Receſſ. Imp. & leges Cameræ Imperialis.*
8 *An Jure Provinciali & Statutario contrarium contra has expreſſas Sanctiones Imperiales diſponi poſſit?*
9 *Illatio contra Carpzovium.*
10 *Fundamentum Saxonicum ſingulare.*

11 An

11 *An hæc repræſentatio locum habeat in ſucceſſione à Statuto proximiori delata?*
12 *Si fratrum filii ſoli extent, an in capita vel ſtirpes ſuccedant?*
13 *Certamen Doctorum in hac quæſtione.*
14 *Sententia dicens in capita ſuccedere verior eſt.*
15 *Probatur per Receſſum Imp. de Anno 1529.*
16 *Inde ſententia contraria ſublata eſt.*
17 *Iniqvitas reſultans ex primâ illâ opinione.*
18 *Otioſæ cenſentur diſputationes quæ Conſtitutionibus Cæſareis terminantur.*
19 *Poteſtas legiſlatoria reſidens in Imperatore & Imperio.*
20 *Non de legibus inſtitutis & firmatis, ſed ſecundum eas judicandum.*
21 *Locutio Forſteri parum cauta de hac poſteriori opinione.*
22 *Sententia ita confirmata etiam de Jure Saxonico obſervatur.*
23 *Quid ſi cum fratrum filiis concurrat nepos ex fratre prædefuncto?*
24 *An ſi ſoli fratrum filii cum patruo defuncti concurrant, patruus hic à nepotibus excludatur?*
25 *Negativa verior eſt, quia in æquali conſtituuntur gradu.*
26 *Explicatio Novellæ 118. in verbis ſed & ipſis fratrum filiis.*
27 *Iniqvitas diceretur.*

PUlchram comparationem de trunco ſive etiam ſtipite 1
ramisque arboris fructiferæ, cum arbore noſtrâ conſanguinitatis affert *Hoſtienſ. in ſumm. X. de Conſang. & affin.* quod quemadmodum ab uno ſtipite vel trunco plures oriuntur rami, ex quibus poſtea alij ſubnaſcantur, qui omnes ejusdem cum ſtipite ſunt naturæ, & ſuccum & vitam ab eodem participantes propinquitate eidem conjunguntur, diſtantia tamen nonnihil differant, floresqve progenerent: Ita qvoqve ex trunco arboris noſtræ Conſanguinitatis repræſentante lineam aſcendentem & deſcendentem Rami ſeu lineæ collaterales oriuntur & alii ſubnaſcuntur, flores autem ſunt cellulæ, quæ repræſentant perſonas de quarum cognatione quæritur, eæque omnes cellulam vacuam reſpiciunt, quæ quidem diverſo reſpectu nunc pro filio, nunc pro patre, nunc pro fratre ſororeve, aut alio qvovis collaterali habetur, cum non ſint unigenæ

 per-

perſonæ, ſed diverſæ pro ratione diſtantiæ & loci. Diverſi autem ratione diſtantiæ ſunt rami, ſeu lineæ collaterales, quæ priores vel poſteriores ſunt, quibus illæ præferuntur. Itaque de primo ramo, ſive de primâ lineâ ejusque Jure in ſucceſſionibus videamus, cum truncus ſive linea recta defecerit, & nemo ſit, qui ex deſcendentibus vel etiam aſcendentibus ſibi fructum ſucceſſionis vindicare poſſit, qvo caſu transverſi illi ſeu collaterales ad decimum
2 gradum usq; vocantur §. *fin. Inſt. de Succeſſ. cognat.* Succeſſivè tamen obſervatâ gradus prærogativâ, & conſe-
3 quenter ante omnes, fratres & ſorores, qui vel ſunt parenti ex utroq; latere conjuncti & germani vocantur: vel ſunt conſanguinei, qui ab uno patre & matribus diverſis ſunt procreati; vel uterini quaſi ex uno utero ſive matre geniti. His adjunguntur Fratres legitimi, nec non naturales tantum, prout etiam eodem vocabulo contineri poſſunt fratres vulgo quæſiti, atque ex nefario coitu nati.

In hac differentiâ fratrum, hi qui duplicitate vinculi
4 agnationis & cognationis conjuncti ſunt (qui, græcis ἀμφιθαλεῖς item ἀυτοχασίγνητοι, ſeu χασίγνητοι, latinis veteribus patrimes & matrimes; poſtea patrini & matrini ſeu Germani erant) omnibus reliqvis præferuntur ſive conſanguinei ſint ſive uterini *Auth. Ceſſante. Cod. de Legit. hæred.*
5 *Auth. Itaque Comm. de Leg. Cujac. ad Nov. 118.* imò etiam horum germanorum filii admittuntur, qui Jure repræſentationis (quod hoc in caſu ſpecialiter lineæ collaterali conceditur *Peregr. Art. 21. num. 7. 8. de Fideicomm.* atque ex Ju-
6 re ſuitatis lineâque deſcendentium mutuatum) cum patruis ſuccedunt in ſtirpes excluſis conſanguineis ſive etiam uterinis. *Graſſ. §. Succeſſio ab inteſtato Quæſt. 31. Capreol. lib. 3. num. 119. de Succeſſ. ab inteſt.* Quam opinionem manifeſtè ſancivit Conſtitutio Carolina in Comitiis Wormatienſi-
7 bus Anno 1521. habitis §. 17. 18. & 19. Item Edictum Norinbergenſe de Anno 1521. In verbis: Ordnen und ſetzen wir/

daß

daß Brüder oder Schweſter Kinder nuhr hinführan mit ihres abgeſtorbenen Vatters oder Mutter Bruder/oder Schweſter nach laut gemeiner beſchriebener Kayſerl. Rechten auch in die Stämme zu erben zugelaſſen werden ſollen ꝛc. Quæ jam ante qvoque in legibus Cameræ Imperialis de Anno 1500. Auguſtæ Vindelicorum deſuper erectis expreſſa fuerant *Tit. 18.* in verbis: Ordnen/ ſezen/erklären/und wollen Wir/ daß Diechter und Encklen nur hinführo ohn eines verlaſſenen Haab und Güter / mit ihrer Vatter und Mutter Geſchwiſter an ſtatt ihrer Vatter und Mutter zu Erben nach laut gemeiner beſchriebener Kayſerlicher Recht zugelaſſen werden ſollen.

Nec obſtat; Jus Provinciale ſive Statuta & conſvetudines locorum hoc in caſu conſiderari debere: Illud enim omninò ſuperfluè regeritur propter expreſſa verba in jam dicto tit. 18. expoſita. Imò ſi quæ fuerint conſvetudines hoc tit. abrogantur, tanquam æquitati & Juri contrariæ. Dann Wir auch dieſelbe Gewonheit / als der Mildigkeit/ Rechten und Billigkeit widerwärtig und ungemäß / aus Vollkommenheit Unſerer Macht und Rechten wiſſen abthun und vernichtigen. Quod ſeverè Judicibus omnibus, & Judiciis injunctum eſt: Allen und ieden Richtern und Gerichtem ernſtlich gebietend / hinführo nicht mehr nach ſolcher Gewohnheit/ ſondern nach deß Reichs beſchriebenen Rechten in ſolchen Fällen zu urtheilen/ und zu richten. Unde miror *Carpz. p. 3. Con. 18. def. 2. num. 12.* aſſerere in iis tantum Provinciis hiſce Conſtitutionibus, præcipuè autem Carolinæ inhærendum eſſe, inquibus eadem manifeſtè recepta, ac uſu hactenus obſervata fuit: Præceptum etenim clarum eſt, omninò eſſe recipiendam eam conſtitutionem, utpote Juri & æquitati conſentaneam, alteram verò diſſentaneam, ut ipſe fatetur *num. 5. & 6.* allegans *Mynſing. Reſp. 36. num. 6.* Verendum eſſe, ne cauſâ ad Cameram delatâ, ſententia contra fratris liberos lata reformetur & annulletur potiſſimum, quod contra generales Imperii Conſtitutiones Caſſatorias, Leges & conſvetudines particulares ſubſiſtere non poſſit: Singulari quidem Sa-

(margin numbers 8 and 9 beside the lines "Nec obſtat … conſvetu-" and "ro nicht mehr … be-")

xones, & haud ſcio an ab ipſo Imperio vel ejus ſupremo tribunali admittendo fundamento nituntur, qvod nempè
10 ſicut Jus Saxonicum olim contra Jus Authenticorum noviſſimum factum & conſervatum eſt; ſic adhuc hodie per mores utentium contra Imperatoris conſtitutionem, quæ cum Jure Authenticorum conſentit, retineatur *Schurff. Cons. 37. Cent. 3.* Verum alia fuit ratio Juris Saxonici conſervandi tempore Authenticarum Conſtitutionum à Juſtiniano promulgatarum, cum Saxonia tunc nondum Imperatorem recognoſceret pro ſuperiore, quippe quæ demum à Carolo Magno domita, & ſub Imperium recepta fuit: quàm hodiè, dum Imperatorem & Imperium pro ſupremo domino recognoſcit. Jus commune ſequitur das Heſſiſch LandR. de Anno 1497. fol. 22. Gülgiſche Ordnung de Anno 1554. fol. 332. Item Franckfurter StadtRecht. de An. 1578. p. 5. t. 3. fol. 178. & alia Statuta paſſim.

11 Hanc repræſentationem eo extendit *Graſſ. in d. §. Quæſt. 30.* ut etiam procedat in ſucceſſione à Statuto delata, quo comprehenditur proximiorem admittendum: fingitur enim is in ſecundo gradu, qui in tertio eſt conſtitutus *Nov. 118. cap. 3.* Secus eſt in Nepotibus qui in Collateralibus Jure repræſentationis non gaudent, ideoq; jure meritò à reliquis filiis excluduntur ex regula: *qvod proximior in gradu remotiorem excludat.*

12 Quid ſi filii fratrum ſoli extent? An in capita vel ſtirpes patruo ſuccedent? ponitur caſus: moriuntur tres fratres utrinque conjuncti, primus relicto uno filio, ſecundus tribus, & tertius quinque. Qværitur quomodo diviſio ineunda? An primi defuncti fratris filius unus tantũ accipiet, quantũ tres illi, & tres illi æqualem quantitatẽ ac quinque exiſtentes filii fratris tertii, an verò ex æquo dividere oporteat bona inter hoſce novem? Mirabiliter Doctores hic inter ſe certant, alii enim mordicitus defendunt
13 in ſtirpes hujusmodi fratrum liberos ſuccedere. *Bart. in Auth.*

Auth. Ceſſante. Cod. de Legit. hæred. Matthæſ. tr. de Succeſſ. ab inteſt. Art. 3. pr. d. num. 12. Guid. Pap. Deciſ. 134. Valent. Forſter. lib. 8. C. 3. eod. Jaſ. Conſ. 173. num. 3. Vol. 4. Specul. lib. 4. p. 3. tit. de Succeſſ. ab int. Donnell. lib. 7. cap. 1. ſub. f. §. ult. Paul. de Cart. in d. Auth. Tiraqvell. tr. de Retract. lign. §. 11. Gloſſ. 11. Bachov. ad Treütl. Vol. 2. Diſp. 5. lit. I, & alii.

Qvidam econtra defendunt fratris filios nullo patruo existente in capita ſuccedere *Myſing. Cent. 3. obſ. 4. num. 3. Hartm. Hartm. lib. 2. obſerv. tit. de Succeſſ. 43. obs. 10. n. 1. & ſeq. & obſer. 11. num. 6. Joann. Borch. Tract. de Feud. cap. 7. p. 2. num. 28. Joann. Schneid. ad tit. 1. lib. 3. Inſt. Rub. de Teſt. ord. ſucced. num. 29. Fernand. Vasq. de Succeſſ. Reſol. §. 13. num. 13. Fachin. lib. 6. controv. Jur. cap. 3. Fransk. Exercit. Jurid 8. Quæſt. 9. pag. 242. & ſeqq.* Cum plurimis ſequacibus. Ad jam recenſitam opinionem accedit Conſtitutio Receſſ. Imp. de Anno 1529. quam proponit *Generoſ. Dominus ab Andler Corpor. conſtit. Imp. vocabulo Succeſſion* der Diechter und Enckel ꝛc. *pag. 1287.* In verbis: Item Als biß⸗hero durch die Rechtsgelehrten in Zweiffel gezogen / ob eines ver⸗ſtorbenen Bruder oder Schweſter Kinder / deſſelbigen ihres Vatters oder Mutter / Brüder oder Schweſter nachgelaſſene Erbſchafft unter ſich in die Häupter oder Stämmen theilen ſollen? und darumb in ſolchem Zweiffel unter deß Heyl. Reichs Unterthanen / etwan viel Jr⸗rung / Widerwertigkeit und Rechtfertigen zu derſelben Unterthanen nicht geringen Nachtheil und Schaden erwachſen / und dann die Rö⸗miſche Kayſerl. Majeſt. gemeinen Nutz zu Güte / ſolchem Zanck zu künfftiger Rechtfertigung und daraus flieſſendem Unrath zu fürkom⸗men / mit Unſer deß Heyl. Reichs Churfürſten / Fürſten / und Stände zeitigem vorgehendem Rath geſetzet und geordnet haben. Wann einer inteſtirt abſtirbt / und nach ihme kein Bruder oder Schweſter / ſon⸗dern ſeiner Brüder und Schweſter Kinder in ungleicher Anzahl ver⸗läſt / daß alsdann dieſelbige ſeines Bruder oder Schweſter Kinder in die Häupter und nicht in die Stämm erben / und den Verſtorbenen ih⸗

rer Vatter oder Mutter Bruder oder Schweſter dermaſſen ſucce-
16 dirn und zugelaſſen werden ſollen. Ex cujus lectione facilè quis perſpexerit omnem hac de re habitam controverſiam, quæ multorum in Jure peritiſſimorum ingenia diu & graviter torſit atque exercuit, ſublatam eſſe per hanc conſtitutionem Carolinam. Unde hæc opinio meritò præ alterâ amplectenda venit, quæ etiam Juri communi magis conformis eſt *in l. 2. §. 2. ff. de Suis & legit. hæred. l. penult. Cod. eod.* ex indubitatâ regulâ, quæ dictat omnes transverſales ejusdem gradus ad ſucceſsionem in capita vocari *Mynſing. d. Cent. 3. obſer. 94. num. 4.* Eoqvod jure proprio ex gradus paritate veniant, non alieno, quod fieret, ſi cum patruo concurrerent, & hæreditatem quaſi à patre ſuo transmiſſam jure repræſentationis conſequerentur, Patruoq; ſive avunculo, non in capita ſed in ſtirpes ſuccederent. Iniquiſſimum autem eſſet, dicit *Mynſing. d. l. num.*
17 *5.* ſi pari gradu conjunctæ ſed multiplicatæ ſoboli naturalis ſucceſsionis commodum adimeretur datâ illis prærogativâ, qui non gradu conjunctiores, ſed numero eſſent pauciores, cum alioquin per rerum naturam inter pares non cadat quid præcipuum, ſed meritò pari debeant Jure cenſeri ſecundum quam ſententiam & Pariſiis judicari dicit. *Guid. Pap. lib. 21. Tit. 1. art. 11. 12.*

18 De cætero otioſas eſſe hujusmodi diſputationes benè quidam monet, & ſcholis potius relinquendas, in foro autem Conſtitutioni Cæſareæ inhærendum eſſe, contra quas utpote contra authoritatem ac poteſtatem Cæſareæ Majeſtatis tendentes, diſputare & contrarium aſſerere piaclum eſſet. *Adrian. Gylm. Rer. Jud. Aug. Cam. Impl. lib.*
19 *1. Deciſ. 16. num. 30.* Quis enim dubitat Imperatorem poſſe condere & tollere leges Imperii, maximè ſi conſenſus procerum acceſſerit? Jura enim quandoque ſecundum temporum mutationem, vel quoties evidens utilitas publica id expoſcit, mutantur, & eodem modo antiqua Juris-
pru-

prudentium reſponſa Juſtiniani Sanctionibus, & hæ noviſſimis Imperii Comitiis cedunt, *Barth. Mu*ſ*. de Succeſſ. Convent. & Annom. memb. Claſſ. 1. Concl. 2. lit. ff. num. 37.* Hinc 20
neceſſario conſequitur Juri novo Receſſuum Imperii ſtandum eſſe, non enim de legibus poſtquam ſunt inſtitutæ & firmatæ, ſed ſecundum eas judicandum *Hartman. Piſtor. lib. 2. part. 2. Quæſt. 19. num. 79.* multo magis quando ſunt derogatoriæ Legum priorum, Statutorum provincialium, & prohibitoriæ alicujus alterius Juris, qvod prohiberi poteſt ne inducatur, quemadmodum hoc in noſtro caſu: cum non niſi Juſtisſimis gravisſimisque de cauſis edita præſumatur, & ideò Judices ad eam obſervandam religioſè teneantur, ne litem faciant ſuam, cenſeanturque ſuâ ſententiâ Conſtitutiones cavillare & labefactare velle, & materiam occaſionemve contraveniendi & rebellandi præbere, quod exemplo pernitioſum eſſet: Non enim inquirenda eſt ratio cur id factum ſit, præſertim eorum, quæ à Principe conſtituuntur, ſufficit quod Imperatori & Statibus ita libuerit. Quis ergo tantæ ſuperbiæ faſtidio tumidus eſt, ut regalem ſenſum contemnet? *ait Imperator Juſtinianus in l. ult. Cod. de Legib. & Conſtit. Prin.* Hiſce è diametro con- 21
trarium ſubjicit *Valent. Forſter. lib. 8. cap. 6.* parum cautè, his verbis: *Hæc quidem opinio etſi authoritate Imperatoris vires acceperit, nihilominus tamen æquitate ſvadente Accurſii opinionem defendi facilè & ſuſtineri poſſe dubium non eſt, qvod etiam plerique Clariſſimi Juris noſtri Interpretes ſenſerunt & opinati ſunt, dictante & præſcribente naturali ratione. Nam ſi arbor vel truncus tres ramos emiſerit, qvorum unus in qvatuor, ſecundus in qvinque diviſus eſt, tertius ſolus: qvis non videbit tertium aliis minutis longè craſſiorem & obeſiorem evaſiſſe?*

Priorem conclusionem Jure Saxonico etiam obtine- 22
re dicit *Carpz. p. 3. Conſt. 18. def. 3. num. 2.* cum in foro illo non admittatur Jus repræſentationis in collateralibus. Idem dicit *Berlich. p. 3. Concl. 24. num. 28. Coler. Decis. 51.*

num.

num. 2. Et ſequitur quoque Jus renovatum ducale Würtembergicum, *p. 4. tit. 21. pag. 506. §.* ſo aber deß Abgeſtorbenen. Nec recedit Jus Haſſiacum de *Anno 1497. tit. 20.* Item Statuta Francfurtenſia *de Anno 1578. p. 5. t. 3. fol. 179.* Hennebergica *cap. 9. & Salumicenſia 27. n. 5. fol. 119.*

23 Procedunt autem prædicta quando tempore mortis patrui exiſtunt ſoli filii fratrum prædefunctorum. Nam ſi unus frater defuncti ſuperſit cum nepotibus ex duobus fratribus prædefunctis, qui patruus repudiaſſet hæreditatis portionem ſuam, tunc nepotes ſuccedent defuncto in ſtirpes, & ad portionem repudiantis admittentur jure accreſcendi. Ratio eſt; quia ſucceſſio delata fuit ſtatim à morte defuncti quæ fit in ſtirpes vigore repræſentationis, & conſeqventer per hoſce nepotes patruus defuncti excluditur. Res patebit clarior in caſu: *Titius relinquit duos filios Cajum & Sempronium, Sempronius itidem Sejum, Mevium & Barbarium. Sejus relicto filio moritur, & Mevius inteſtatus decedit.* Qværitur an hic nepos & Barbarius excludant patruum magnum? Et reſpondeo excludere, non obſtante eo quod verè & realiter hic nepos non niſi in tertio gradu conſtitutus cenſeatur, atq; per fictionem in ſecundo eſſe gradu fingatur, non ſecus ac ejus patruus ex utroque latere conjunctus, qui de Jure Civili & Statutario patruum defuncti propter gradus prærogativam excludit. Quidni & filius id poterit; maximè propter Jus repræſentationis, qvod illi prærogativam eandem tribuit, atque in gradu propinqviore ponit. Quemadmodum igitur frater patruum excludit, ita qvoque filius fratris *d. Auth. Poſt. fratres.* Non tamen de Jure Saxonico, qvoniam, uti aliquoties monuimus, nullum Jus repræſentationis in Collateralibus agnoſcit, & conſeqventer fratruum filii patruum vel amitam defuncti neutiquam excludunt; ſed ob æqualem diſtantiam atqve gradus paritatem ſimul in capita admittuntur *Coler. Deciſ. 48. num. 13. & ſeq. Berlich. p. 3. Concl.*

Concl. 24. num. 40. & 41. ubi diſtinguit inter loca, ubi Jus Saxonicum obſervatur, eoqvod in ditionibus Electoratus Saxoniæ prior opinio confirmata ſit. Sed quid Juris erit 24
in caſu, quo ſoli fratrum filii exiſtunt, concurritque patruus defuncti? An patruus excludetur à nepotibus vel admittetur? *Francis. de Barry lib. 18. tit. 3. n. 5. inf. de Succeſſ.* ad concurſum non inclinat, inde motus, quod, quia Imperator Juſtinianus in *Nov. 118. cap. 3.* in præjudicium fratrũ defuncti conſtituit, ut filii ex alio fratre præmortuo reputentur in ſecundo gradu, tanto magis idem cenſeatur conſtituiſſe in præjudicium patruorum defuncti. Ergo quod Juſtinianus *d. Nov. 118.* ſimpliciter conſtituit, ut filij fratrum in ſuorum parentum locum veniant, quando ſuccedunt patruo ſuo, non debet reſtringi, ut procedat ſolum quando ſuper eſt alius frater defuncti.

Contraria tamen ſententia verior & Juribus confor- 25
mior eſt, ex Regulâ jam dictâ, quod qui ſunt in pari & æquali gradu, æquali quoq; Jure gaudeant. Jam verò negari non poteſt hoſce filios ſolos eſſe in tertio gradu, & patruum defuncti in eodem. Cur igitur excludetur patruus? non enim obſtat Jus repræſentationis, qvod non eſt ex doctrinâ *d. Nov. 118.* in verbis: *Sed & ipſis fratrum filiis tunc hoc beneficium* (nempe repræſentationis) *conferimus quando cum proprijs judicantur thijs, ſive paterni ſive materni ſint.* Quaſi 26
diceret Imperator non volo ſemper concedere hocb eneficium iſtis fratrum filijs, ſed ſolum quando cum patruis ſuccedunt, & ſic hæc temporis taxativa omnem dubitationem excludit & tribuit ſucceſſionem non Jure alieno, ſed proprio. Et hoc eſt qvod diximus inter fratrum filios ſolos eſſe ſuccedendum in capita & non in ſtirpes, quia ejusdem ſunt gradus *l. 10. §. 14. ff. de Grad. & affinib.* & iniquiſſimum foret, ſi pari gradu conjunctæ ſed multiplicatæ ſoboli naturalis ſucceſſionis commodum adimeretur, datâ illis 27
prærogativa, qui non gradu conjunctiores, ſed numero

eſſent pauciores, *Mynſing. d. obſ. 94. num. 5. inf.* Ita etiam noſtro caſu *Ant. de Roſell. in tr. de Succeſſ. ab inteſt. n. 157.*

SECTIO IV.

De Succeſſione Fratrum utrimque conjunctorum eorumque filiorum & unilaterorum.

SUMMARIA.

1 *Circa fratrum & Collateralium ſucceſſiones non tanta olim fuit diſceptatio.*

2 *Illo conſiderabatur gradus paritas & propinquitas.*

3 *Nulla fuit Quæſtio an Germanus excluderet canſanguineum?*

4 *Jure paritatis jus eorum metiebatur.*

5 *Illo jure nullum fuit Jurgium de ſimultaneâ ſucceſſione patruorum cum fratrum filijs.*

6 *Regula qvod proximior excludat remotiorem in quâcunq; ſucceſſione prævalebat.*

7 *Quæ ſucceſſio Jure Novellarum mutata eſt.*

8 *An fratrum Germanorum filii patruum ex uno latere defuncto conjunctum jure proprio & ex perſonâ propriâ aut jure alieno & ex patrum perſonâ excludant?*

9 *Klockius ab Accurſiano ævo ad ſua tempora uſqve nullum jurgium hac de re fuiſſe dicit.*

10 *In eo verſatur cardo qvæſtionis an hi filii veniant jure alieno vel proprio ad excluſionem patrui unilateri?*

11 *Conſeqventia qvæ deducitur ex alterius denominatione.*

12 *Klockij rationes pro aſtruendo repræſentationis jure in propoſito caſu.*

13 *Argumentatio deſumpta ex Novell. 118. C. 3. §. Unde conſequens eſt.*

14 *Alio fundamento elicit Jus repræſentationis.*

15 *Klock. textum Nov. 118. C. 3. §. Sed & ipſis. corruptum dicit, aſſerendo Græcas & translatas Authenticas.*

16 *Aliud argumentum producit ex Nov. 127.*

17 *Applauſus Klockij ſuper triumpho.*

18 *Econtra Juri repræſentationis nullum locum tribuit, contraria ſententia verior.*

19 *Fratrum filii veniunt jure proprio propter duplex vinculum agnationis & cognationis.*

20 Fra-

20 *Frater Germanus excludit unilaterum: Ergo & ipſius filios.*
21 *Omittitur correctio textus.*
22 *Quando fratrum filii induant perſonam patris eum repræſentando?*
23 *Quid per particulam tunc denotetur?*
24 *Harprechti derivata conſequentia ſuper particula tunc ad propoſitum caſum.*
25 *Contraria operatio ejusdem diſpoſitionis ſub diverſo reſpectu evenire poteſt.*
26 *Præſentia patrui hic nihil operatur, cum qvalitate ſuccedendi careat.*
27 *Explicatio Novell. 127. quæ potius pro noſtrâ ſententiâ facit.*
28 *Nulla fit mentio in d. Nov. 127. Unilaterorum ſed utrimq; conjunctorum.*
29 *Fit itaqve ſucceſſio in ſtirpes non in capita.*
30 *Qvid Statuto Saxonico hic decidatur?*

JUre veteri non adeò magna erat contentio circa fratrum 1
quorumcunq;, & cœterorum Collateralium ſucceſſionē
propter regulam, quam aliqvoties jam in medium attulimus: *Vt pares gradu ſimul, aut priores ſoli ſuccederent:* non attento duplici illo agnationis & cognationis vinculo, ſed 2
conſideratâ gradus paritate aut propinquitate, quemadmodum in fratribus Germanis & unilateris obſervabatur: 3
nulla enim qvæſtio fuit, an Germanus excludat conſanguineum, ſive conſangvineus uterinum? Sed ex Jure parita- 4
tis, aut potius fraternitatis eâdem gaudebant prærogativâ, in ſucceſſione patrui. Similiter quoq; inane jurgium 5
quis inſtituiſſet, quærendo: An fratrum filii, quicunque etiam illi eſſent, concurrant cum patruis? obſtabat enim regula: quod *proximior excludat remotiorem*, adeoque fra- 6
tres quantumvis unilateri excludebant filios fratrum Germanorum. Quæ omnia Jure Novellarum *in Nov. 84. 118.* 7
& 127. immutata ſunt datâ prærogativâ Germanis fratribus præ reliquis, & conceſſo Privilegio eorum filiis ſuccedendi cum patruis in ſucceſſione defuncti. *Nov. 118. C. 3.* loquendo tamē de patruis ex utroq; latere conjunctis: In concurſu enim patrui unilateri cum Germanorum fra- 8
trum liberis maximè controvertitur, & dubium non mini-

mum remanet in eo, An fratrum Germanorum filii patruum ex uno latere defuncto conjunctum jure proprio & ex perſonâ propriâ, aut Jure alieno & ex patrum perſonâ excludant? *Matth. Klock. in Conſul. Diſp. ſuper caſu noſtro pag.*
9 *mihi 80.* verba faciens: expreſſè dicit, inter Jurisconſultos ab usq; Accurſiano ævo in ſua tempora nullum disſidium, nullum jurgium & nequidem fribusculum fuiſſe unquam, & plerosque JCtorum de noſtro caſu verbum non facere, vel vix vel incidenter tantum.

Quid quid dicat iſte, maxima nunc eſt controverſia ſuper deciſione prædictæ quæſtionis, non qvidem ſuper excluſione patrui unilateri; quoniam non dubitatur fratres Germanos, ijsq; deficientibus eorum filios præponi, non aliter ac illorum patres, ſi vixiſſent, præpoſiti fuisſent, quantumvis in tertio gradu ſint *d. Nov. 118. C. 3.*
10 Sed in eo cardo quæſtionis verſatur: An hujusmodi fratrum filii Jure alieno, id eſt per patrem eum repræſentando, an verò Jure proprio non ex perſonâ Patris, ita ut in eo, quo verè & realiter ſunt gradu, nempè tertio, Patruum unilaterum ſecundi gradus vi proprii Juris contra Jus antiquum excludant, venire poſſint? Quo cognito alia non minus dubia pullulat contentio: An tùm in ſtirpes an in
11 capita diviſio facienda? Si enim concluſio noſtra ad Jus repræſentationis ſtatuendum tendat, certè vi illius necesſario seqvetur ſucceſſionem in ſtirpes admittendam eſſe, nam illa præſupponit Jus repræſentationis. Quando verò alterum quæſtionis membrum, an nempè Jure proprio veniant? probationibus præpollere contingat, tùm non in ſtirpes, ſed in capita propter paritatem gradus hujusmodi fratrum filij vocabuntur.

Quod ad primum dubium nunc attinet, An Jure alieno vel proprio fratrum Germanorum filii patruum unilaterum excludant? vehementer & nimis partialiter de eo
12 diſſerit *Matth. Klock. d. t.* & ſubinde Doctiſſimorum Juris-
con-

conſultorum non contemnendas rationes non ſine parvo contemptu rejicit, & ſuas ſaltem in puris conjecturis conſiſtentes leves ſanè probationes amplectendas inſuſurrare conatur. Et tandem ſine ullâ hæſitatione & firmiter ex ſe concludit Germanorum fratrum filios ſuccedere ex plenario repræſentationis privilegio. Hanc ſuam aſſertionem probare conatur Primò: *Ex d. Nov. 118. cap. 3.* ex verbis: *§. Unde conſeqvens eſt.* Ubi Imperator agit de ipſo privilegio repræſentationis fratrum filiis conceſſo, & qvamprimum in *d. §.* ſubjicit: *Conſeqvens eſſe ut Germani prædefuncti fratris filii præponantur patruis unilateris, ſicut eorum pater ſi viveret, præpoſitus fuiſſet.* qvod aliter fieri non poteſt, quam ex Jure repræſentationis, in qvo demum privilegium excludendi patruum unilaterum inveniunt.

Secundò: ex eadem §. Unde conſequens eſt. in verbis *ſeqq.* argumentatur: præponuntur ſicut eorum pater præponeretur ſi viveret, ſed pater præponebatur propter duplex vinculum, & quod, ut *Nov. 84.* loquitur, *velut ſignum quoddam Germanitatis reſplendeat.* puta quod patruus ex eodem ſemine paterno, & ex ijsdem matris viſceribus processiſſet; quod duplex vinculum agnationis & cognationis filijs competere non poteſt, & ut ait *Klock. pag. 15.* Si mille annis quæras, invenies nunquam. Id repetit *pag. 40.* non tribuendo Jus Germanitatis filijs fratrum. Hinc alio Jure accedere debere aſſerit, & non niſi per fictionem repræſentationis ex perſona paternâ. 13

Tertiò: *ex d. Nov. 118. cap. 3.* hujusmodi repræſentationem elicit in verbis: *ut in ſuorum parentum Jura ſuccedant,* qvod nihil aliud eſt quàm ipſum Jus repræſentationis, ſivè jam ſermo ſit de fratribus utrimque copulatis, quibuscum ad patrui hæreditatem vocantur. Sivè cum patruis ex uno tantum latere conjunctis. Hic captos & quaſi in puteo conſtrictos adverſarios jam applaudit *Klock. pag. 17. d. t.* quærentes effugium *in d. Nov. cap. 3. §. Sed et* 15 14

ipſis.

ipſis. quem textum corruptum dicit, aſſerendo Græcum, & translationes Authenticas, de quibus hic diſputare longum foret. *Quartò*: inviĉtiſſimum hujus ſententiæ patro-
16 ni deſumunt argumentum *ex Nov. 127.* in verbis: *Meminimus ſcripſiſſe legem, per qvam Juſſimus, ut ſi qvis moriatur relinqvẽs fratres & alterius fratris filios præmortui ad ſimilitudinem fratrum & præmortui fratris filii ad hæreditatem vocentur, paternum ad ingredientes gradum, & illius ferentes portionem.*

17 His nihil clarius & apertius clamitat denuo *Klock. pag. 32.* Admittuntur enim ſicuti patres, *& ad ſimilitudinem fratrum, paternum adingredientes gradum & illius ferentes portionem.* Auget clamorem *Klock, pag. 34.* dicens: *En confectum negotium, & omnia in portu, vado tuto & tranqvillo.* Cum repræſentatio non tantum *in d. Nov.* apertè probetur, ſed etiam ejus inde reſultans conſeqventia, nempè ſucceſſio in ſtirpes.

18 Sed altera ſententia nihil hiſce obſtantibus verior eſt, quæ dicit, Jus repræſentationis hic loci nihil operari, quinimò evaneſcere propter Jus proprium ex perſonâ propriâ reſultans, ſat ſuperque duplici illo vinculo agnationis & cognationis munitum, ad hoc ut fratres Germani excludant patruum unilaterum, & conſequenter ſuccedant æqualiter, quod ex *d. Nov. 118. cap. 3.* patet, & ſtirpalem ſucceſſionem abroget.

19 Dixi venire ex proprio jure propter duplex vinculum agnationis & cognationis, quod in fratris utrimque conjuncti filio reſidet, & per avum aviamque, defunctum patruum agnativè & cognativè contingit, Jusque Germanitatis transmittit, licet ipſe Germanus non ſit, ſed Jure Germanorum ſaltem gaudeat, cum ex eodem paterno ſemine & matris viſceribus, licet non immediatè, ſaltem mediatè proſiliiſſe cenſeatur: Et privilegium patri con-
20 ceſſum cur filio denegaretur? Deindè Frater Germanus ex-

excludit fratrem unilaterum, Ergo etiam ipſius filius propter idenditatem rationis, ſurrogatus enim poteſt omnia, quæ is potuit, in cujus locum quis ſurrogatur filius, proprio jure excluſit unilaterum fratrem ex defectu duplicis vinculi, Ergo etiam ſurrogatus poſt mortem patris eodem jure gaudebit, excludendo illum, qui à patre excluſus eſt, multo magis quando id expreſſum reperitur. *in d. Nov. 118. cap. 3.* De correctione textus nihil jam dicemus quod 21
quidam tamen faciunt, dum pro *judicantur* ponunt *vocantur* & mirum in modum ſe torquent, ſectantes potius verborum aucupia, quàm res ipſas. Ex hiſce meritò inferre licet, nunquam filios fratrum induere perſonam patrum in ſuccedendo patruo, niſi in eo ſolo caſu, qvando nempè *cum propriis thiis* ſuccedunt, & non, quando patruum unila- 22
terum excludunt, quod maniſeſtiſſimum ex *d. Nov. 118. cap. 3. §. Sed & ipſis.* & particula *tunc* evadit: tunc ſcilicet hoc beneficium conferri, quando cum propriis thiis, hoc eſt patruis, materteris, amitis & avunculis vocantur; Particula enim *tunc* extremitatem temporis (negante id 23
mordacitus *Matth. Klock. ad Decis. cas. noſtr. pag. 58.* faciendo ex eâ particulà demonſtrativam ſaltem, & declarativam temporis) denotat *l. Si his legatum. in f. ff. de Cond. & demonſt.* & præciſe ſucceſſionem in ſtirpes reſtringit ad eum caſum, quo fratrum filii cum patruis concurrunt, quo ſermone beneficium illud abſolutè filiis fratrum competit, & ad certas perſonas reſtringit. *Harprecht. ad pr. Inſt. de Hæred. quæ ab Inteſt. defer. num. 431.* Qui enim 24
ſucceſſionem in patris locum tribuit ſolum tunc, cùm fratrum filii cum ſuperiori gradu ſive patruis ſuis ſuccedunt: apertè ijs, qui cum aliorum fratrum filiis pari gradu ſuccedunt, eam denegat, *Harprecht. d. l.* ad hunc effectum qvoad prius, ut diviſio in ſtirpes inducatur, quæ inducitur ex beneficio repræſentationis, qvo ſoli patrueles in ſucceſſione patrui non gaudent, accedentes ex proprio jure & ex per-

perſona ſua, non alieno beneficio, excludentes uti diximus, unilaterum patruum, ſi quis concurrere contendat.

25 Nec planè movere debet, contrariam operationem ejusdem diſpoſitionis inde evenire, ita ut fratrum filii ſemel cum patruis concurrant, & in eodem caſu hi excludantur; cum id ſub diverſo reſpectu fieri poſſit, qui ſatis ex duplici illo vinculo Germanitatis, & ſimplici fraternitatis Jure elicitur. Nec urget qvoq; multum, qvod dicunt patruum exiſtere qvantumvis unilaterum & excluſum, & ideò verificari id, qvod in *d. Nov. 118. cap. 3. §. Sed & ipſis.* de patrui concurſu continetur, atq; juri repræſentationis & ſucceſſioni in ſtirpes inde locum eſſe.

26 Non, inqvam, multum urget, qvia nullius momenti eſt, nihilqve ejus præſentia operatur, eòqvod ſuccedendi qvalitate careat; paria enim ſunt non extare, vel extare & non poſſe ſuccedere, nec impedimentum affert qvi ipſe excluditur, aut ſi creare vellet, Juribus ſe vel maxime opponeret, qvibus non admittitur per *d. Nov. 118. c. 3. §. Conſeqvens eſt.*

27 Non moveor deniq; per *Nov. 127.* qvæ potius pro noſtrâ facit ſententiâ, in eâ enim expreſsè ſtatuitur, ut fratrum filii etiam cum patruis & aſcendentibus ſuccedant, qvi antea excludebantur repræſentando patrem eorum *paternum ad ingredientes locum ad ſimilitudinem fratrum, & illius portionem ferentes*, ut *d. Nov. 127. loqvitur.* id eſt portionem, qvam pater eorum habiturus fuiſſet ſuccedendo in ſtirpes non in capita cum aſcendentibus & patruis, qvi antea prælati fuerant. Jam verò qvid inde præjudicii noſtro affertur caſui? qvi hoc ex textu non tantum non deciditur ſecundum opinionem adverſariorū, ſed iisdem potius adverſatur. Deindè noſtram confirmat theſin, aſcendentes & fratrum filios non aliter admitti qvàm ſi fiat concurſus cum reliqvis fratribus, qvod patet ex verbis ſeqventibus,

tibus, *d. Nov. pr. Si verò moriens relinqvat aſcendentium aliqvos & fratres ex utrisqve parentibus conjunctos ſibi, & filios ex præmortuo fratre, fratres qvidem juſſimus per ipſam legem cum parentibus vocari, fratris verò filios excluſimus.* Deindè ſubjicit Imperator *cap. 1. Hoc itaqve corrigentes ſancimus, ut ſi qvis moriens relinqvat aſcendentium aliqvem, & fratres qvi poſſint cum parentibus vocari, & alterius præmortui fratris filios; Cum aſcendentibus & fratribus* (utrinq; ſcilicet conjunctis) *vocentur etiam præmortui fratris filii.* Hic nulla fit mentio unilaterorum ſed conjunctorum ex utrisqve parentibus in verbis: *& fratres ex utrisqve parentibus conjunctos.* Cum qvibus utiqve Jure repræſentationis ſuccedunt fratrum filii in ſtirpes, qvod alias nunqvam locum haberet, niſi inter illos & eorum reſpectu, qvi ſimul ad hæreditatem vocantur, qvod hic dicere non poſſumus, qvia patruus ex uno latere omninò excluditur, propter jus in naturali ratione fundatum, in Jure ſcilicet ſangvinis, qvod ad eos, qvi duplici vinculo conjunguntur, potius hereditas deferri debeat, qvam qvi unico ſaltem vinculo connexi ſunt. 28

Ex qvibus omnibus infertur & neceſſario ſeqvitur reſolutio ſecundi dubij, fieri nempè in propoſitâ qvæſtione 29 ſucceſſionem in capita, & non niſi tunc in ſtirpes dari; quando cum patruis ſuis ſuccedunt *d. §. Sed & ipſis.* quod hic non fit, cum ſoli admittantur, & non cum patruis, amitis vel materteris, ſicuti in fratrum filiis ſolis procedere probavimus ex Conſt. Carolina, quæ huic diſputationi itidem finem imponere poteſt propter eundem fermè caſum ibidem propoſitum.

De cœtero Statuta locorum diligenter conſideranda ſunt, & præcipuè Saxonicum, qvod non excludit patru- 30 um unilaterum, hic enim cum fratrum utrimq; conjunctorum filiis illo Jure ſimul in capita admittitur *Carpz. p. 3. C. 18. def. 10.*

SECTIO V.

De Succeſſione Fratrum unilaterorum.

SUMMARIA.

1 In ſecundo ordine ſuccedunt fratres unilateri.

2 Qui dicantur conſangvinei & uterini?

3 Conſangvinei & Germani qvandoqve pro iisdem ſumuntur.

4 Soli fratres unilateri in capita ſuccedunt.

5 In illis admittitur Conſtitutio Carolina & Jus repræſentationis.

6 Obſtat Jus Saxonicum qvod nullum Jus repræſentationis in collateralibus agnoſcit.

7 Qvomodo diſtinctio bonorum in hiſce fratribus obſervanda veniat?

8 In bonis ſimultaneo labore acqviſitis omnes æqualiter & abſq; diſtinctione ſuccedunt.

9 Paterna adjudicantur conſangvineis, materna uterinis.

10 Authoritates J.Ctorum pro hac ſententiâ.

11 Qvidnam dicendum qvando unilateri cum defuncti patruo utrinque conjuncto concurrunt?

12 Ad ſimultaneum concurſum hæ perſonæ non admittuntur.

13 Ratio: qvia magis inſpicitur propinqvitas ſangvinis qvam propinqvitas graduum.

14 Id multo magis obtinet in conſanguineo & uterino cum patruo unilatero concurrere valente.

15 Qvid ſi adſint horum fratrum filii cum patruo unilatero?

16 De Jure Saxonico patruus excludit horum fratrum filios.

17 In feudalibus duplicitas vinculi non attenditur.

18 Conſangvineus & utrinq; conjunctus in iis æq; ſuccedunt, excluſo fratre uterino.

1 IN ſecundo ordine ſuccedentium Collateralium ponun-
tur fratres unilateri, qui Græcis ἑτεροθαλεῖς dicuntur. Lati-
2 nis conſanguinei, vel uterini, qui per unum parentem, ſive
per patrem ſolum, ſive per matrem ſolam conjuncti ſunt,
atqve ad hæreditates collateralium deficientibus fratri-
bus germanis tanquam proximiores vocantur.

Fratres conſanguineos voco illos, qui per patrem con-

coujunguntur, ſecutus vulgus Doctorum; quanqvam ali- 3
as conſanguinei & germani pro iisdem in Jure noſtro re-
putentur. Succedunt autem fratres unilateri eodem mo-
do, qvo Germani, ſi enim illi ſoli exiſtent, hi ad hæredita- 4
tem defuncti ſimul admittuntur non in ſtirpes, ſed in capi-
ta idque ex ratione ſuperius allatâ; Pro qvibus etiam mi-
litat Conſtitutio Carolina de Anno 1529. Nec non etiam
Jus repræſentationis conceditur: Nam ſi extent duo fra- 5
tres unilateri, & nepos ex alio fratre unilatero, hic nepos
cum patruis in ſtirpes jure repræſentationis ſuccedet.
Mynſing. Cent. 3. obs. 94. Cui contrariatur Jus Saxoni- 6
cum propter repudiatum Jus repræſentationis in Collate-
ralibus. Unde non mirum eſt, hoc Jure fratrum conſan-
guineorum aut etiam uterinorum filios per patruos à ſuc-
ceſſione excludi, cum in remotiori ſint gradu *lib. 1. Land R.
A. 3. in f.*

Notandum tamen illud qvod ſtatim protulimus, fra- 7
tres ſcilicet unilateros ſimul ſuccedere; Tunc effectum
ſortiri, quando de bonis per patrem & matrem acquiſitis
ſermo eſt, ſecus ſi de bonis paternis, id eſt occaſione pa-
tris ad quem devolutis, & maternis à lineâ maternâ pro-
ventis. Ex caſu res patebit clarior: *ſunt tres fratres unila-
teri unus conſangvineus, duo uterini, unus ex hiſce moritur,* quæ-
ritur *de ejus ſucceſſione:* Reſolutio ex prædictis patet: ſi e- 8
nim defunctus bona conſtante matrimonio & ſimultaneo
labore acquiſita reliqverit, nullum ex Jure communi du-
bium erit hos ſimul ſuccedere; Quando autem in hære- 9
ditatem deducuntur bona â patre profecta, tùm admitten-
dum judico fratrem conſanguineum; aut ſi bona materna
in maſſâ hæreditariâ reperire contigerit, uterinus in hiſce
à matre & lineâ maternâ profectis potior erit, qvod & de
eorum filiis dicendum; Ex regulâ in Collateralibus admiſ-
ſâ. *Maternis cedant materna, paterna paternis.* Idem te-
net *Accurs. in d. Auth. Poſt. fratres. Hartm. Hartm. lib. 2.*

 pract.

pract. obs. tit. 43. obs. 3. num. 13. Ranch. de Succeſſ. ab inteſt. §. 13. num. 8. Graſſ. Quæſt. 32. num. 1. Forſter. lib. 8. de Succeſſ.
10 *ab Inteſt. Quæſt. 8. num. 2. & 4.* Ex Jure manifeſto in *l. 13. §. cum enim. Cod. de Legit. hæred.* quæ ſpecialiter correcta non eſt per *Nov. 118. c. 3.* ideoq; ei ſtandum erit. Cui conſentit Jus renovatum Würtemberg. *p. 4. tit. 21. §.* ſolle darmit / item Jus Haſſiacum de Anno 1497. Tit. 19. Von Erbſchafft der Geſchwiſter vom Vatter allein / und von der Mutter allein. Item Juliacenſe de Anno 1555. Quamvis disſentiant *Bachov. ad Treutler. Vol. 2. Diſp. 16. lit. C. Hunn. lib. 3. Variar. Reſol. tr. 1. Quæſt. 37. nec non etiam ipſe Baldus in Auth. Itaque. Cod. Comm. de Succeſſ.*

11 Qvid ſi non ſoli exiſtant unilateri, ſed cum his defuncti patruus utrimq; conjunctus, v. g. *fratres ſorores-ve ex uno latere juncto, cum defuncti patruo, amitâ avunculo vel matertera ex utroqve latere conjunctis concurrant?* Certè hujusmodi patruus cum fratribus ſororibusve non tantum non admittitur, ſed omninò à ſucceſſione mutuâ excluditur, quod patet ex jure Divino *in cap. 27. Num. vers. 8. & ſeqq.* ubi tùm demum hæreditas ad defuncti patruum
12 defertur, ſi filii vel fratres & ſorores non adſint. *Berlich. P. 3. Concl. 24. num. 75.* Idem concludit Jus Civile *Auth. Poſt fratres. Cod. de Legit. hæred. Schneid. ad pr. Inſt. lib. 3. de Tert. ſucced. ord. num. 26.* Rationem affert *Carpzov. p. 3.*
13 *c. 18. def. 14. num. 6.* quia magis inſpicitur proximitas ſanguinis, qvàm proximitas graduum, ſivè enim ex uno corpore matris natus ſit frater uterinus, vel ex ejusdem patris ſanguine procreatus ſit frater conſanguineus, proximior erit defuncto ratione ſanguinis qvam patruus. Hoc ipſum Jure Saxonico obſervari dicit *Carpz. d. l. num. 5. &*
14 *num. 8.* multò magis extendit ad eum caſum, quando frater conſanguineus vel uterinus concurrat cum patruo ex uno ſaltem latere juncto; hic enim patruus eſſet in quarto gradu, frater verò conſanguineus vel uterinus in tertio, in

indè ille meritò excluditur *Schneid. d.l.num. 28.* Idem dices in fratrum filiis, qvando Jure repræſentationis veniunt, ſecus, ſi ſoli ad ſucceſſionem vocentur; qvia neqve patruus, neqve etiam fratrum præmortuorum filii à patruo unilatero excluduntur, ſed in capita, utpote ſe ſe in quarto gradu invicem attingentes, admittuntur *Carpzov. p. 3. Conſt. 18. def. 17.* qvi de Jure Saxonico *def. 16.* contrarium ſtatuit in caſu priori hic propoſito, quando ſcilicet patruus utrinq; conjunctus cum unilaterorum fratrum liberis concurrit; Nam eo Jure patruum non excludi dicit, ſed potius illos ab hoc. Idem probat *Berlich. d. Concl. 24. n. 82.* cui conſentire non poſſum propter Jus repræſentationis qvod hic locum ſibi vendicat. Hic omittendum non est, in feudalibus duplicitatem vinculi agnationis & cognationis non ita, ac in allodialium ſucceſſione, attendi, qvandoqvidem non tantum frater utrimq; conjunctus, ſed etiam conſanguineus (excluſo tamen uterino) ex conſvetudinibus Feudalibus habiles judicantur, veluti ſi vaſallus moriatur, & relinqvat poſt ſe fratrem ex utroqve parente, & unum fratrem ex eodem patre, ſed diverſâ matre; Hic conſangvineus æq; ac utrimq; conjunctus ſuccedet; Eo qvod conſanguinitas ſit ſpecies agnationis, cujus ſolius in Uſibus Feudorum ratio habetur. *tit. 11. lib. 2. Feud. Schrad. tr. Feud. p. 7. cap. 2. num. 80. Vultej. lib. 1. de Feud. cap. 9. n. 18. Gail. lib. 2. obs. 151.* Ubi dicit Cameram Imperialem hanc ſententiam ſeqvi. Nec hiſce obſtant Jura Civilia per *Auth. Ceſſante. & d. Auth. Poſt fratrees. Cod. de Legit. hæred.* qvia ſaltem atttenduntur, qvando agitur de ſucceſſione in hæreditatibus & bonis allodialibus, ſecus verò ſi verſemur in terminis feudalibus propter vinculum agnationis. In ſucceſſione Feudali infra uberius ſimilia examinare nobis propoſuimus.

15 16 17 18

SECTIO VI.

De reliqvorum Agnatorum & Cognatorum ſucceſſione.

SUMMARIA.

1 Hodie nullum eſt diſcrimen inter cognatos & agnatos.
2 In ſucceſſione collateralium proximior excludit remotiorem.
3 Collaterales ſuccedunt in capita, & in iis ceſſat Jus repræſentationis.
4 Jus repræſentationis non extenditur ad pronepotes.
5 Abſurda ſeqvela ſi admitterentur.
6 Hoc privilegium contra Jus alias tendens ad caſus non expreſſos extendi non debet.
7 Deficientibus deſcendentibus, aſcendentibus & fratribus ſupradictis ad agnatos & cognatos fit tranſitus.
8 Hi ſecundum gradus prærogativam ſuccedunt in capita.
9 Idq; non attentâ unitate vel duplicitate vinculi.
10 Ponitur caſus in qvo illa duplicitas vinculi nullum effectum habet.
11 Dubium non leve hac in re ex Jure Saxonico reſultans.
12 Schneidewini ſententia de textu Saxonico.
13 Duplicitas vinculi vel maximè attenditur.
14 Etiam in unâ eademqve perſona.
15 Duæ qvalitates in eadem perſonâ concurrentes, qvarum qvælibet per ſe effectum ſuum operatur, una alteri non derogat.
16 Reſolutio objectionis qvæ, occaſione duplicitatis vinculi movetur.
17 Hoc modo duas portiones qvis accipere valet.
18 In qvibus regulariter obſervetur duplicitas vinculi.
19 Patruus magnus, ſive amita magna defuncti propiori ejusdem ſobrino præferuntur.
20 Conſobrinus defuncti excluditur per patruum defuncti in hæreditate conſobrini.
21 Patruus & conſobrinus in qvo gradu ſint de Jure Canonico?
22 Proximitas in ſucceſſione inteſtati probanda eſt.
23 Qvid ſit & unde dicatur conſangvinitas?
24 Probatio ejusdem à primo gradu incipere poteſt.
25 Per directum, ſcilicet per confectionem Inſtrumenti, fieri non poteſt.
26 Qvomodo nominatio, confeſſio, aſſertio conſangvinei probet?
27 Qvid confeſſio judicialis importet, & an qvis per tractationem tan-

tanqvam conſangvineus conſtituatur in qvaſi poſſeſſione conſanguinitatis?

28 *In perſonis remotioribus cognatio probatur per teſtes, qvi dicunt ſe audiviſſe à majoribus.*

29 *Valet teſtimonium de auditu in probatione rei, qvæ excedit memoriam & ætatem hominis.*

30 *Quid in hiſce dicendum de conjecturis, præſumptionibus & judiciis.*

31 *Quæ ſub ſenſum non cadunt, per judicia probantur.*

32 *In probatione proximitatis graduum ſufficit probare alium non eſſe proximiorem.*

33 *Qui vult admitti ut talis, debet ſe talem probare.*

34 *Ex eo ſe probat qvis proximiorem ex qvo non apparet adeſſe, qvi dicat ſe proximiorem.*

35 *Pares gradu in capita ſuccedunt.*

36 *Patruus magnus, conſobrini & filii filiorum patris qvibus defunctus erat magnus Patruus æqvaliter ſuccedunt.*

37 *Ad quem gradum ſe extendat agnatio & cognatio?*

38 *Non tantum in allodialibus, ſed etiam in feudis.*

39 *Diſtinctio Heigii circa gradus.*

40 *Succeſſio qvæ defertur Jure ſanguinis in infinitum extenditur.*

41 *Verior opinio cognatos in infinitum qvoq; conſiderandos.*

42 *Cur ergo Imperator ad certum gradum decimum ſcilicet ſucceſſiones reſtrinxit?*

43 *Qvomodo intelligendus §. ult. Inſt. de Succeſſ. Cognat.*

44 *Ultra hos gradus in favorem Fiſci probationes legitimæ inqvirendæ.*

45 *Qvousqve Jus Saxonicum gradus numeret.*

IN hac remotiori agnatorum & cognatorum ſucceſſione feliciter enodandâ, nec non etiam ad ſuperiorem magis ſtabiliendam, regulas qvasdam apponere operæ pretium erit, qvibus facilior modus ſuperandi difficultates eſſe poſſit. Prima: Nullũ eſſe diſcrimen hodie inter agnatos & cognatos, ſed pro iisdem haberi ſimulqve ſuccedere: ſit exemplum in ſororis nepte & fratris nepote, item avunculi aut materteræ filio, cum patrui & amitæ filio. Secunda: Proximiores ſive ſint agnati ſivè cognati excludere remotiores. Tertia: Differentiam ſexus omninò non attendi. Quarta: Collaterales omnes ſuccedere in capita, & conſequenter pro Quintâ, repræſentationem ceſſare *ex Novell. 127.* qvæ tàm in aſcendentibus qvàm in Collateralibus certo

4 certo tantum modo locum habere poteſt. Nec obſtabit, qvod vulgò objiciũt, pronepotem denegato Jure repræſentationis ex morte parentis ſibi ſatis damnoſâ grave damnum incurrere: Ex eá enim ratione ſeqveretur, hocce Jus non tantum ad fratrum nepotes, ſed etiam pronepotes, abnepotes, trinepotes & ſic in infinitum extendi debe-
5 re. Quod omninò non fit, cum tamen in iisdem major aut minor ſit ratio: Nam ſi communi ratione dignus, qvi patre matreve orbatus eſt, ut illi mors iſtâ in ſucceſſione nocere non debeat; quanto minus hoc ei nocere debet, qvi patrem avum proavumq; amiſit. *Keller. de Succeſſ. ab inteſt. tit. 20. num. 12.* Ubi addit, *qvod Doctores attendentes nihil aliud reſpondeant; qvàmqvia Lex ita ſcripta eſt, qvaſi dicturi, eam æqvitatem meritò ad alios porrigendam fuiſſe, ſi talis æqvitas Juri repræſentationis non potius per accidens, qvam per ſe ineſſet, uti reſpondet Adrian. Gylm. Rer. Jud. Aug. Cam. Imp. lib. 1, Decis. 16. n. 30.*

6 Si itaq;, uti ad nauſeam usq; diximus, fratrum filiis hoc privilegium ſuccedendi in locum parentis eorum tantum tributum eſt, non debet idcirco ad plures deſcendentes extendi *Forſt. lib. 8. cap. 7.*

7 Jam verò qvando neq; aſcendentes, & deſcendentes, neq; fratres utrinq; conjunctos, aut unilateros ſive conſangvineos ſive uterinos, neq; etiam horum liberos extare contingat, indè fit tranſitus ad reliqvos collaterales, ſive ſint agnati ſive cognati; ita tamen ut proximior ſemper excludat remotiorem *d. Nov. 118. c. 3. §. Si verò neque fratres.* qvia proximioribus hæreditas legitima debetur
8 *l. 2. §. Legitima. ff. de Suis & legit. hæred.* Et ſecundum gradus prærogativam in capita ſuccedunt. *d. Auth. Poſt fratres. Ambr. Scheurer. de Succeſſ. ab inteſt. tit. de Succeſſ. trans. 12. num. 14. Roland. Paſſager. tr. eod. num. 17.* nullâ factâ diſtinctione inter ſexum *Schneid. d. Rubr. n. 32.* aut inter
9 collaterales ſuperiores & inferiores *num. 33.* non attentâ

iti-

itidem vinculi duplicitate aut unitate, qvæ non conſidera-
tur niſi in caſibus illis qvando ſermo eſt de ſuccesſione
fratrum eorumqve filiorum; qva ultra eos nullum effe-
ctum producit. *Caſtr. in Auth. Itaque. Cod. Comm. de Suc-
ceſſ.* Sed in transverſalibus ulterioribus potius ſola pro-
pinqvitas inſpicitur *Wurmſ. Pract. Forens. lib. 2. tit. 42. obs.
11. Keller. d. tit. 20. num. 41. ubi ex Fichardo Cons. 49. num. 2.
Tom. 1.* Caſum ponit: *qvendam decesſiſſe relictis patruo u-* 10
trinque conjuncto, & materterâ conſanguineâ tantum. Et
concludit utrumqve pariter ſuccedere: quia duplicitas
vinculi non facit meliorem conditionem aut potiora Jura
patrui. De qvo tamen *Matth. Berlich. d. Concl. 24. num.
90.* dubitat propter dubium Juris Saxonici Conſtitutio-
nem Landrecht *lib. 1. Arb. 3. vers.* iſt aber Zweyung unter 11
ihnen. Ubi habetur quod frater ex uno latere conjunctus
in tertio gradu collocetur. Inde *Berlich.* movet contro-
verſiam; Utrum ille textus in infinitum in fratris ex uno
latere conjuncti deſcendentibus & collateralibus locum
habeat? an verò inter fratres utrinqve & ex uno latere
conjunctos tantum procedat? *Nicol. Reusner. Decis. 13.
num. 1. & ſeq.* Secundum membrum qvæſtionis amplecti-
tur cum pluribus aliis, & inter fratres tantum hunc tex-
tum procedere dicit; non item inter collaterales.
Matth. Coler. verò *Decis. 49. num. 17. & Schneid. ad tit. de* 12
Hæred. qvæ ab inteſt. defer. Rub. de Tert. ſucced. ord. n. 35.
contrarium concludunt, id eſt non tantum textum, dictæ
Conſtitutionis Saxonicæ in fratribus locum habere, ſed &
in cœteris deſcendentibus & collateralibus propter Jus
nimis expreſſum: Qvoniam talis uterinus ſive conſangui-
neus & cœteri ejus deſcendentes uno ſemper gradu remo-
tiores cenſebuntur; eo qvod nova perſona addita novum
& alium conſtituat gradum *l. 10. §. 9. & §. ſeqq. de Grad. &
affin.* â lineâ circa duplicitatem vinculi fit ampliatio, ut e-
tiam obtineat in caſu quando una eademq; perſona ex du-

Iii pli-

plicitate vinculi hæreditariam portionem auctiorem deſi-
derat. *Carpzov. p. 3. Conſt. 18. def. 26. per tot.* ponit caſum.
Reliqverat defunctus qvidam duos hæredes, qvorum alter ipſius
patruelis & conſobrinus ſimul fuerat, prætendit hicce dupliciter
13 *conjunctus duas partes hæreditatis.* Et merito accipit, qvia il-
la qualitas perinde habetur, ac ſi in duplici eſſet perſonâ,
potiſſimum cum novum non ſit, ut uni eædemq; perſonæ
dupliciter quid debeatur, idqve ſub diverſo reſpectu *l. 18.*
14 *ff. de Oblig. & act.* Et quod ſub diverſo reſpectu conſi-
deratur; diverſo etiam Jure cenſetur *l. 75. §. Pro parte. ff.*
15 *de Leg. 2. Menoch. in tr. de Recup. poſſeſſ. remed. num. 36.* De-
inde quando duæ qualitates in eâdem perſonâ ſimul con-
currunt, qvarum quælibet per ſe effectum ſuum operari
poteſt, tunc una qualitas alteri non derogat, *Socin. in l. Cum*
filiofamilias. 11. num. 128. ff. de Legat. 1. Cum igitur ejus-
modi perſona ex duplici vinculo accedens dupliciter conſi-
deretur, duplexque ſucceſſionis Jus obtineat; inde neceſ-
ſario ſeqvetur eam tanquam patruelem unam portionem
conſequi, alteram vero tanquam conſobrinam.

16 Nec obſtat, quod ſupra diximus, duplicitatem vin-
culi ultra fratres eorumque filios non attendi: Quia Im-
perator Juſtinianus *in Nov. 118. cap. 3. §. Si verò. & Auth.*
Poſt fratres. Cod. de Leg. hæred. plures perſonas defuncto e-
odem gradu conjunctas ad hæreditatem pro numero ea-
rum vocat, adeò ut ſecundum numerum perſonarum par-
tes fiant. Jam autem quis non videt hujusmodi patrue-
lem & conſobrinum ſimul duas perſonas conſtituere, prop-
ter duplicem cognationem, & conſequenter dupliciter in
17 ſucceſſione conſiderari etiam ex mente Juſtiniani? Itaque
duas portiones conſequetur non obſtante hac Doctorum
18 objectione contra duplicitatem vinculi fieri ſolitâ: quia
de multiplicitate perſonarum intelligendi ſunt, in quibus
talis duplicitas vinculi ultra denominatos fratres fra-
trumque filios non attenditur, ſed quilibet qui proximior

eſt

eſt gradu, propior habetur in ſucceſſione: Je näher der Stamm/je näher der Erb/der nächſte im Blut nimt das Guth. Idque ſine diſcrimine. Sic enim avunculus & patruus ipſius defuncti præferuntur nepotibus fratrum, etiamſi ipſi nepotes eſſent nati ex patre, qui erat conjunctus defuncto ex duplici vinculo, & patruus ſuperſtes ex uno tantum *Boer. Decis. 302.* Similiter patruus, avunculus, amita, matertera ſi concurrant, excludunt omnes collaterales, quia nulli alii ſunt in tertio gradu, ſic patruus magnus ſive amita magna ipſius defuncti præfertur propiori e- 19
jusdem ſobrino *l. 2. Cod. de Succeſſ. Edict.* Pariter conſobrinus defuncti excluditur per patruum defuncti in hære- 20
ditate conſobrini: quia patruus eſt in tertio gradu, conſobrinus autem in quarto. Qvod de Jure Civili procedere dicit *Dec. Conſ. 444. num. 4.* Non vero de Jure Canonico, 21
quo uterq; tàm patruus qvàm conſobrinus in ſecundo conſtituitur; ſed certè ſine fundamento: qvia, quantumvis in ſecundo gradu de Jure Canonico uterq; ſit poſitus, ipſe gradus nihilominus inæqualis eſt, & ratione perſonæ conſobrinus eſt remotior quam patruus.

Quod ſi verò dubitetur de proximitate vel conſan- 22
guinitate perſonæ; qvæ petit ſucceſſionem inteſtati, neceſſariò probanda erit. Quæ conſanguinitas eſt attinentia perſonarum ex eo proveniens, qvia una deſcendit ab 23
alterâ, vel ambæ ab eâdem, & dicitur conſanguinitas, quaſi ſangvinis unitas à con- & ſangvine, qvod de communi ſangvine deſcendant *Doct. in Rubr. de Conſang. & affin.*

Ad hoc autem ut probetur conſangvinitas non præciſe reqviritur, ut initium fiat à primo ſtipite ſive communi parente, ſed ſufficit à primo gradu incipere *C. Series. de* 24
Teſtib. C. Tua. de Conſang. & affinib. qvæ probatio, cum omnium ſit difficillima, eo qvod ſub ſenſum corporis cadere nequeat per textum in *l. 83. ff. de Cond. & demonſt. Maſcard. de Prob. Vol. 1. Concl. 409. num. 1.* vix directè fieri poterit 25

per inſtrumentum; cum ſuper conſangvinitate illud non
conficiatur. Nihilominus tamen per indirectum proce-
dere poterit; quando ſcilicet quis vocatus ſit conſangvi-
neus in Inſtrumento, qvæ verba enunciativa faciunt fi-
dem non tamen plenam, ſed coadjuvant alias probatio-
26 nes. Sicuti nec ſolæ confeſſiones, aſſertiones vel nomi-
nationes ore, literis vel Epiſtolis prolatæ plenè probant,
quantumvis etiam tàm nominans quàm nominatus con-
ſentiat: quia conſanguinitas ordinatur à naturâ & proce-
dit ex genitalibus principijs non accidentali ſermone vel
conſenſu: præſumptionem tamen faciunt, donec probe-
tur contrarium *l. Non epiſtolis. 13. l. Non nudis. 14. Cod. de*
Prob. Hartm. Hartm. lib. 2. tit. 13. obſ. 2. ubi ulterius *num.*
27 *3.* pergit. Qvod ſi tamen confeſſio directè extra vel in-
tra Judicium ſit facta, nominatus per hanc tractationem
tanquam conſanguineus conſtituitur in quaſi poſſeſſione
conſangvinitatis: qvia illa qvaſi poſſidetur, reperiturqve
poſſeſſorium conſangvinitatis, & admittitur in defectu ve-
ræ probationis; quæ in primis gradibus facilior videtur;
cum ex viſu educationis vel tractationis per duos ſaltem
teſtes fieri valeat *Surd. Cons. 1. n. 46.* Secus verò in remoti-
oribus ex defectu perſonarum, quæ horum cognitionem
habere poſſunt. Quo caſu tamen dicit *Bart. in d. l. Non*
28 *epiſtolis. Cod. de Prob.* eſſe Decretalem, qvæ ſtatuit, qvod ſuf-
ficiat probare per teſtes, qui dicant ſe audiviſſe à majori-
bus fide dignis, ut in *C. Licet ea. de Teſtib.* Ubi etiam admit-
titur teſtimonium auditus de auditu, *Maſcard. de Probat.*
29 *Vol. 2. Concluſ. 844. n. 5.* ſemper enim ſufficere videtur te-
ſtimoniũ de auditu in probatione rei, quæ excedit memo-
riam & ætatem hominis *l. Si arbiter. 28. ff. de Prob.* Hinc
qvoq; non excluduntur conjecturæ ſivè præſumptiones
30 & indicia, qvæ aliqualem conſanguinitatis probationem
& demonſtrationem important. *Dec. Cons. 595. num. 1. &*
6. ubi dicis famam publicam in eâ fidem facere. Ratio eſt,

quia

quia illa, quæ ſub ſenſum non cadunt, per indicia proban- 31
tur *l. 6. ff. de His qui ſui vel alien. Jur. ſunt.* Idem dicendum de proximitatis graduum probatione, in quâ ſufficit 32
probare alium non eſſe proximiorem *Maſcard. de Prob. Concl. 1251.* Scilicet ſi controverſia vertatur inter conſanguineum. & extraneum: Aliud foret, ſi diſceptarent conſanguineus & conſanguineus: Eo enim caſu is qui agit adverſus alterum poſſidentem, debet docere ſe proximiorem; cum id ſit intentionis ſuæ fundamentum, etiamſi eſſet negativum *Bart. in l. Penult. §. Docere. num. 2.* 33
ff. Ne qvis eum qui in Jus voc. Nam qui vult admitti ut talis, debet ſe talem probare *Alciat. in l. Proximi. num. 1. ff. d. V. S.* Niſi ſolus eſſet: qvoniam neceſſe non eſt ſe probare proximiorem, qvi ratione proximitatis & gradus ſucceſſibilis intentionem ſuam habet fundatam. *Surd. Cons. 241. num. 25. Rota Decis. 575. num. 7.* & conſeqven- 34
ter probatur proximior, ex qvo non apparet adeſſe, qui proximiorem ſe affirmet. *Tiraqvell. de Retract. Lign. §. 11. Gloſſ. 1. num. 1.*

Non probatâ proximitate gradus unius aut alterius primas prætendentis, Qværitur de concurſu & paritate perſonarum, an in eodem ſint conſtituti gradu? Et tùm 35
pariter in capita ſecundum numerum earum ſuccedunt, ſo mancher Mund/ſo manches Pfund *Nov. 118.* ſicut quando ſoli fatrum filii cum defuncti patruo, amitâ, materterâ concurrunt, *Ambroſ. Scheur. tr. de Succeſſ. ab int. tit. de trans. ſucceſſ. 14. Rub. 5. Matth. Coler. Decis. 48. num. 13. 14. 15. 19. & ſeq.* Ratio eſt: qvoniam Jus repræſentationis locum non habet, de qvibus abundè jam ſupra. Eodem modo 36
magnus patruus, conſobrini & filii filiorum patris, quibus defunctus erat magnus patruus, ad hæreditariam portionem æqvalem accedunt, cum in eodem gradu reperiantur, nempè in qvarto, & ita in reliqvis caſibus, ubi de paritate controvertitur; non tamen ad decimum gradum 37

agnationem; & cognationem ad ſeptimum usq; reſtringendo ſicuti fecerunt *Capr. lib. 3. num. 134. de Succeſſ. ab inteſt. Mantic. lib. 8. tit. 12. num. 17.* Sed potius, propter ſublatam agnationis & cognationis differentiam in infinitum extendendo *Bocer. cap. 3. de Regal. n. 30. Forſt. lib. 3. cap.*
38 *10. de Succeſſ. ab int.* non tantum in allodialibus *Graſſ. §. Succeſſ. ab inteſt. Quæſt. 33. Charond. Reſp. lib. 4. cap. 10.* ſed etiam in Feudis *Bocer de Feud. cap. 5. Q. 20. Chriſtoph. Beſold. Diſput. Nomico-Pol. lib. 1. Diſſert. 8. Decis. Cons. 85. & ibid. Molin.* qui tenent in Comitum, Baronum & cœterorum Illuſtrium Dominorum ſucceſſione, ſive bona ſint feudalia,
39 ſive allodialia collaterales ſuccedere in infinitum. *Petr. Heig. lib. 3. tit. 1. Rub. de Succeſſ. Agnat. & Cognat.* non ita ſimpliciter in deciſione propoſitæ quæſtionis procedit, ſed diſtinctione inter deſcendentes & aſcendentes, & inter cognatos controverſiam terminare conatur, atque de facili largitur, eos in infinitum ſuccedere, qvandoqvidem nullus terminus præſtitutus reperiatur: has verò non niſi ad decimum gradum usque. In eandem ſententiam deſcendit *Didac. Spin. in ſpec. Teſtam. tit. de Majoratu. n. 68.*
40 qui ſucceſsionem in infinitum in iis, qvæ deferuntur Jure ſangvinis, non hæreditario aut ſucceſſionis admittit, & addit Regnum Hiſpaniæ deferri Jure ſangvinis.

Sed priori ſententiæ etiam ſupra hoc *Cap. Sect. 2.* profeſſæ inſiſto, in infinitum ſcilicet ad effectum ſucceſsionis cognationem conſiderandam eſſe; Quamvis inficias ire
41 non poſſim, qvin de raro contingenti ſit cognatos ultra decimum gradum reperire: Ideoq; fortè non absqve veriſimili fundamento plurimi arguunt, Imperatorem ex modo propoſitâ ratione ad decimum gradum tantum re-
42 ſtrixiſſe. Qvod ego tamen non affirmaverim, ſed potius iſtud; Imperatorem pro termino incerto, certum quidem, ſed adeò remotum, exempli tantum gratiâ poſuiſſe, ultra quem vix unqvam reperiuntur agnati vel cognati vivere.

Cui

Cui non obſtat *§. ult. de Succeſſ. cognat.* ubi dicitur, 43
agnationis Jure quem admitti ad ſucceſſionem, etſi deci-
mo gradu; ibi enim, ſicuti ſtatim dictum, decimus gra-
dus accipi debet exempli tantum gratiâ, non etiam ut re-
ſtringat agnationem, alias plus favoris conjiceretur in fiſ-
cum, quam cognatos & agnatos ipſos, qui ut poſthaberi
debeant fiſco, validas non video rationes, quantumvis non
abnuere velim, exactâ demonſtratione aut præſumptioni- 44
bus, quibus cognatio probari debeat, inqvirendum eſſe,
an non fiſcus ex defectu hujusmodi probationum meritò
præferendus cenſeatur?

De cœtero Jure Saxonico ad ſeptimum gradum co- 45
gnatos ad ſucceſſionem admitti dicit *Berlich. P. 3. Concl. 24.
num. 105.* quia computatio graduum inter collaterales a-
liter fit de Jure communi, aliter de Jure Saxonico, attamen ſi rectè attendatur, hoc in caſu inter Jus Civile & Saxonicum nullam eſſe differentiam quis deprehendet.

SECTIO VII.

De Succeſſione fratrum legitimorum tantum.

SUMMARIA.

1 *Qvomodo filii legitimi tantum primo gradu conſtituti ſuccedant?*

2 *Fratres legitimi ſunt adoptivi.*

3 *Sunt ij qvi non loco fratrum, ſed filiorum adoptantur.*

4 *Reſpectu eorum diſtingvendum eſt inter arrogationem & adoptionem.*

5 *Arrogatus cum fiat agnatus patri, non ſolum ei ab inteſtato ſuccedit, ſed & omnibus ejus agnatis & cognatis.*

6 *Qvoad adoptivos ſubdiſtingvitur.*

7 *Succedit patri adoptivo qvi ſit aſcendens.*

8 *Etiam extraneo non autem ejus agnatis.*

9 *In feudis hi adoptivi non attenduntur.*

Quo

QUomodo collaterales legitimi & naturales ſimul, ſivè
ſint primi, ſive ulterioris gradus, ſuccedant, hactenus
1 ſi non ita fuſè, ſaltem nervoſè demonſtravimus. Nunc au-
tem methodi ratio deſiderat ut paucis inveſtigemus, qua-
liter legitimi collaterales tantùm in primo gradu conſti-
tuti ſibi invicem hæreditatem transverſalem transmit-
tant?
2 Fratres autem legitimi, ſunt frares adoptivi, non ideò
dicti, qvod frater in fratris locum, ſive quod aliquis loco
3 fratris adoptetur; Id enim cum naturâ pugnaret; ſed
ita ſunt accipiendi, ſi loco filiorum à qvodam adoptentur.
Quantum igitur ad hoſce attinet, diſtinguendum erit inter
4 arrogationem & adoptionem. Per arrogationem ejus-
modi arrogatus fit agnatus patri ſuo adoptivo, & omnibus
agnatis ſui patris, non item cognatus cognatis patris ſui
5 & conſequenter non ſolum patri ſuo adoptivo ab inteſtato
ſuccedit, ſed etiam omnibus ejus agnatis non item co-
gnatis.
6 Quoad adoptionem ſubdiſtinguitur, an pater dederit
filium ſuum in adoptionem aſcendenti cuidam, an verò ex-
traneo. Si primum: tùm non tantum patri adoptivo, ſed
7 etiam ejusmodi fratres ſibi invicem ſuccedunt *l. fin. §. Et
ideò ſancimus. Cod. de Adopt. §. Sed hodie. Inſt. eod.* Si ſecun-
dum, id eſt ſi extraneo pater naturalis filium dederit adop-
8 tandum; Patris adoptivi quidem, at non agnatorum ejus
hæreditatem acquiret *l. penult. Cod. eod. Dyn. in Tr. de Suc-
ceſſ. ab inteſt.* qui dicit ſi extraneo quis datus ſit in adoptio-
nem, licet retineat Jura legitima, quæ ſunt ad patrem na-
turalem tantum, ſoli patri adoptivo poterit ſuccedere,
non filiis, ejus agnatis vel cognatis. *l. Cum in adoptivis. 10.
9 Cod. d. t.* Excipias Jura Feudorum, in quibus hæc non ob-
tinent tàm in feudo antiqvo quàm etiam novo *tit. 1. §. 2.
Feud. 2.* his verbis: *Sin autem unus ex fratribus à Domino
Feudum acceperit, eo defuncto ſine legitimo hærede, frater ejus in
feu-*

feudum non ſuccedit. vid. tit. 26. §. 4. vers. adoptivus. & verſu: naturales. lib. 2. Feud. de Feudis inferius.

SECTIO VIII.

De Succeſſione Collateralium illegitimorum.

SUMMARIA.

1 *Dubia de illegitimitate perſonarum ſupra plurima ex parte ſoluta ſunt.*
2 *Tria Collateralium illegitimorum genera.*
3 *Collaterales naturales à latere patris conjuncti ſibi invicem non ſuccedunt.*
4 *Non gaudent proximitatis & agnationis Jure.*
5 *Agnatio per legitimas nuptias contrahitur.*
6 *Fratres uterini ratione illegitimitatis non arcentur à ſucceſſione maternâ.*
7 *Etiam ſuccedunt reciprocè & cognatis omnibus.*
8 *An in caſibus in qvibus mater non ſuccedit liberis, & econtra, nihilominus illegitimi Collaterales conjuncti ex latere matris ſibi ſuccedant invicem & cognatis maternis, & viciſſim ii ipſis?*
9 *Negativa verior eſt.*
10 *Tales non habentur fratrum loco.*
11 *Imo iis mortuis absq; liberis, excluſis reliqvis uterinis ſuccedit fiſcus.*
12 *Ita in Camerâ Imperiali obtinet.*
13 *De conſvetudine Franciæ baſtardo ſimplici absq; liberis mortuo ſuccedit etiam fiſcus.*
14 *Legitimati per ſubſeqvens matrimonium plenè ſuccedunt.*
15 *Etiam per Reſcriptum Principis legitimati eodem Jure gaudent.*
16 *Ratio cur idem non obtineat in legitimatis per oblationem Curiæ.*

AD deciſionem plurium dubiorum, quæ hic loci occurrere poſſent, vel maximè juvabunt ea, quæ ſupra *Cap. 2. Sect. 4. de Succeſſione liberorum naturalium exinde etiam Cap. 3. Sect. 7. de Succeſſ. parent. natural.* diximus. Simulque jura hujusmodi liberorum in bonis parentum, & econtra parentum in filiorum naturalium hæreditate acqvi- 1

quirendâ paulo prolixius perſcrutati ſumus, unde ſuperfluũ foret diuti' in hiſce im̃orari. Quapropter paucis agem', atq; tria Collateralium illegitimorum genera afferemus.
2 Illi autem vel ſunt ſimpliciter naturales ſuſcepti ſcilicet ex concubinâ retentâ domi; vel vulgo quæſiti ſive ſpurii ex ſoluto & ſolutâ, aut deniq; ſuſcepti ex punibili coitu ut ex
3 inceſtu ſivè adulterio. Quod ad naturales attinet, ex latere patris ſibi invicem conjunctos, hi ſane à ſuccesſione reciprocâ repelluntur. Quia nec proximitatis nec agna-
4 tionis Jure gaudent. Idem erit de ſuccesſione cognatorum paternorum *Graſſ.* §. *Succeſſ. ab inteſt. Qvæſt.* 34. *Peregr.*
5 *de Fideic. Art.* 22. *n.* 82. Ratio rationis eſt: Quia liberi patrem & agnationem ejus tùm demum ſequuntur cum legitimæ nuptiæ interceſſerunt §. 4. *Inſtitut. de Succeſſ. Co-*
6 *gnat. l.* 4. *ff. Unde cognat.* Aliud jus obſervandum erit ſi de ſuccesſione fratrum illegitimorum uterinorum quæſtio incideret: tales enim propter Jura cognationis ad hæ-
7 reditatem maternam, & ad reciprocam, nec non omnium eorum, qui ex lineâ maternâ veniunt ſuccesſionem vocantur. Idque ſive ſoli ſint, ſive cum aliis fratribus naturalibus & legitimis ex eâdem matre natis concurrant *Covarr. In Epitom. ſucceſſ. Concl.* 8. *num.* 19. *Cujac. in Nov.* 18.
8 *Aſt dubium non leve mihi remanet, qvod movent Capreol. de Succeſſ. ab inteſt. lib.* 3. *Graſſ. d. Qvæſt.* 34. *Fach. lib.* 6. *Controv. Jur. c.* 10. *Ant. Faber. in ſuo Cod. lib.* 6. 31. *def.* 8. *Surd. Decis.* 249. *num.* 20. An nempè in iis caſibus, quando mater non ſuccedit liberis, nec iidem matri, puta, ſi ex punibili coitu nati ſint, & mater ſit Illuſtris: nihilo tamen minus Illegitimi Collaterales conjuncti ex latere matris ſibi ſuccedant invicem & cognatis maternis, & viciſſim illis ipſis cognati materni?

In affirmativam deſcendit *Matth. de Afflict. Decis.* 96. *Graſſ. d.* §. *Qvæſt.* 34. ſed rectius cum *Alex. Conſ.* 174. & *Fa-*

Fach. d. lib. 6. cap. 10. & Fab. d. def. 8. contrarium defenditur: verius namq; eſt hujusmodi Illegitimos ex puni- 9
bili coitu natos, licet ex latere matris conjuncti ſint, ſibi invicem aut etiam cognatis matris ſuccedere non poſſe: Cum nec liberorum nec fratrum loco cenſeantur, & nul- 10
lam inter ſe habeant ſucceſſionem *Auth. Ex complexu. Cod. de Inceſt. nupt. Forſt. lib. 8. cap. 13.* ſed potius mortuo uno ſi- 11
ne liberis, excluſis uterinis fratribus & ſororibus ſuccedat fiſcus, aut alius temporalis Magiſtratus. Et ita in Camerâ Imperiali judicatum fuiſſe teſtatur *Mynſing. Cent. 3. obſerv. 91.* Quod & de generali conſvetudine Franciæ obtinere 12
dicit *Guid. Pap. lib. 21. tit. 3. arr. 5. 6.* non tantum qvando ex coitu punibili natus ſine liberis & teſtamento decedit; ſed etiam quando tantum Baſtardus ſive naturalis ſine li- 13
beris moritur. Verum enim verò, ſi fratres naturales per ſubſequens matrimonium legitimati & legitimi effecti ſint, 14
eodem modo quo legitimi & naturales ſibi invicem ſuccedunt *Auth. Ceſſante. Cod. de Legit. hæred. Nov. 118. §. Si igitur defunctus.* Similiter etiam legitimati per Reſcriptum 15
Principis, non item legitimati per oblationem Curiæ *Novell. 89. de Natur. liber. Borch. de Grad. pag. 93.* Ratio diffe- 16
rentiæ eſt: quia per oblationem Curiæ Jus ſuitatis tantum acquiritur; per alias verò legitimationes Jus ſuitatis & Jus agnationis. quam differentiam deprehendit *Cujac. in Nov. 74.*

Qualiter ſpurii, Baſtardi, patri aut matri ſuccedant aut etiam agnatis & cognatis; uberius videri poteſt apud DD. ad *Auth. Ex complexu. Cod. de Inceſt. nuptiis Joann. Fabr. & alios in Auth. Si qua Illuſtris. Cod. ad SC. Orphit. Guid. Pap. Decis. 280.*

CAPUT V.

De SUCCESSIONE CONJUGUM.

SECTIO I.

Quando & quomodo conjuges ſibi invicem ſuccedant?

SUMMARIA.

1 *Romanis temporibus uxores triplici genere continebantur.*

2 *Qvid ſit coemptio ſive in manum mariti conventio?*

3 *Per qvem farre ſive confarreatione jungebantur?*

4 *Tertius antiquus conjunctionis modus.*

5 *Jure Civili nulla erat ſucceſſio viri & uxoris.*

6 *In iis eſt tantum cauſa & principium affinitatis.*

7 *In Conſtitutione Theodoſii & Valentiniani de Anno Chriſti 420. nonus ſucceſſionis inter virum & uxorem modus præſcribitur.*

8 *Succedunt vi illius excluſo fiſco.*

9 *Regula de ſucceſſione viri & uxoris.*

10 *Ad effectum ſucceſſionis requiritur ut matrimonium ſit legitimè contractum, & ad tempus mortis usq; duraverit.*

11 *Deportato ſuccedit fiſcus non uxor.*

12 *Ut matrimonium per verba de præſenti ſit contractum ad effectum ſucceſſionis reqviritur.*

13 *Ratio cur conjuges ſibi invicem ſuccedant fundatur in ſummâ æqvitate.*

14 *Succeſſio Collateralium ultra decimum gradum ſe non extendit.*

15 *Quandoque ſuccedunt non tanquam conjuges, ſed tanqvam cognati intra decimum gradum.*

16 *Prædicta intelligenda ſunt ſi nulla adſint pacta dotalia, aut conſvetudines & Statuta.*

Roma-

ROmanis olim temporibus uxores triplici genere, 1
continebantur, & triplici conſeqventer modo
jungebantur. Primo: Coemptione ſive in ma- 2
num mariti conventione, cum uxor in locum filiæ,
maritus verò in locum patris veniebat, certis ſcilicet ſolennitatibus per interrogationem mutuam factis, à parte
qvidem viri: An ſibi mulier materfamilias eſſe vellet? reſponſumqve dabat, velle. Et hac ratione in manum mariti conveniebat, vocabanturqve hæ nuptiæ per coemptionem. Secundò: Farre ſive confarratione, dum per fruges 3
& molam ſalſam per Pontificem Maximum & Dialem Flaminem jungerentur, qui ritus antiqviſſimus eſt, & *à Numâ*, non autem *à Romulo*, ſub qvo conjugia raptu cœperunt, inſtitutus. Tertiò: Uſu, quando uxor uno anno cum viro, 4
quantumvis etiam ſine legibus, id eſt ſine conventione in manum cohabitaſſet, & per trinoctium à marito non abfuiſſet, ut ex verbis antiqvæ Legis duodecim Tabularum liquet: *Molier, tertieis noctebos reſæpatom eito ei ita deſorpaſit ac virod oſocapitor.* id eſt ſi per trinoctium uxor à viro non abfuerit, eam vir uſurpato.

Ad hæc ſciendum: quod jure Civili & hiſce *LL. XII.* 5
Tabb. vir & uxor ſibi invicem ſuccedere non potuerint, ratione: quod nulla inter eos ſangvinis intercederet con-
junctio nec conſanguinitas aut affinitas, ſed tantum cauſa 6
& principium affinitatis diceretur. *l. 4. §. Sed qvoniam. ff. de Grad. & affinib.* Poſterioribus verò temporibus in Con-
ſtitutione *Theodoſii Junioris & Valentiniani*, quæ promulga- 7
ta eſt Anno Urbis 1180. & Anno Chriſti 420. XII. Calendis Martii *Hierio & Ardaburio Coſſ.* abolitis hiſce veteribus formis, differentiisqve nuptiarum, ac Chriſtianis ſolennibus inductis, modus ratione ſucceſſionis inter virum & uxorem præſcriptus eſt, *Valent. Forſter. de Succeſſ. lib. 9. cap. 2. num. 46.* Ubi hæc formalia addit: *Maritus*, inquiunt Imperatores, *& uxor ab inteſtato invicem ſibi in ſolidum*

pro antiqvo Jure ſuccedāt, qvoties deficit omnis parentum libero-
rumve ſeu propinqvorum legitima & naturalis ſucceſſio, fiſco
8 *excluſo.* Remanet igitur regula: Quoties liberorum, pa-
rentum atqve propinqvorum ſucceſſio deficit atqve exſpi-
9 rat, ut vir uxori, & econtra uxor viro, ex Juris Prætorii bene-
ficio ſuccedat in ſolidum *l. Un. ff. Und. Vir. & Uxor.*

10 Ad confirmationem hujus Regulæ notare oportet,
Primò, ut matrimonium juſtum ſit & legitimè contractum,
nullo ſcilicet obſtante impedimento Canonico dirimente.
Secundò, ut ad tempus mortis usq; duraſſe probetur *l. un.*
ff. & l. un. Cod. Und. Vir. & Uxor. Juſt. Schutz Exercit. Jur.
11 *Diſp. 12. th. 21. pag. 190.* Exemplum eſt in deportato, & in
bonis poſt deportationem quæſitis: Illi enim & in iſtis u-
xor non ſuccedit, ſed fiſcus, ratio eſt: quia deſinit eſſe juſta
uxor. *Jacob. Cujac. in Paratit. ff. lib. 38. Tit. 11.* Tertiò, ut
12 per verba de præſenti contractum eſſe dicatur, & non de
futuro. De quo uberius videbimus infra, ubi qvæſtio oc-
curret: An ſponſa ſuccedere poſſit ſponſo ante nuptias
defuncto? Quartò denique ſi intra annum luctus ad ſe-
cunda vota non tranſierit mulier, alias succesſione fruſtra-
bitur. *l. 1. & 2. Cod. de Secund. nupt.*

13 Ratio autem cur conjuges ad ſucceſſionem recipro-
cam admittantur, in longinqvo non eſt: quia æquiſſimum,
ut, cum inter eos omnis vitæ conſortium ſit, ac Divini &
humani juris communicatio, *l. 1. ff. de Rit. nupt.* & propter
hoc vitæ conſortium nullis legitimis hæredibus exiſtenti-
bus ad decimum usque gradum fiſco prælati invicem ſibi
14 ſuccedant *d. l. un. ff. Unde Vir. & Uxor.* potiſſimum qvod
ſuccesſio Collateralium ultra illum ſe non extendat §. *fin.*
Inſt. de Succeſſ. cognat. niſi ſe invicem ſanguine attingant
15 in gradibus permisſis; tunc enim ſuccedunt non tan-
quam conjuges, ſed tanquam cognati, & ad ordinem tranſ-
verſalium propinqvorum pertinent. *Rittersh. in Epos. Nov.*
16 *Inſt. part. 7. cap. 16. num. 4.* Et hæc intelligenda ſunt cum
his

his limitationibus: Si nulla adſint pacta dotalia autStatuta, & conſvetudines nihil diſponant, vel jus commune non contrarietur. De qvibus tribus ſectionibus ſequentibus dicendi locus erit.

SECTIO II.

De Succeſſione Conjugum proveniente ex pactis dotalibus,

SUMMARIA.

1 *In ſucceſſione conjugum præcipuè attenduntur pacta dotalia, ſi quæ erecta ſint.*
2 *Quibus exiſtentibus non qværitur de Jure Communi.*
3 *Pacta de ſucceſſione futurâ de conſvetudine locorum valent.*
4 *Vidua vigore pactorum dotalium ad ſucceſſionem plenariè admittitur.*
5 *Conventio dat legem contractui.*
6 *Quando excluſis agnatis & cognatis ad totam hæreditatem conjuges ex pactis dotalibus ſuccedant?*
7 *Nullis exiſtentibus liberis Camera Imperialis vigore horum pactorum ſucceſſionem tribuit.*
8 *Limitant Doctores ad modum dotis & ſimilium.*
9 *Ad hoc ut pacta dotalia vim ultimæ voluntatis habeant, reqvirantur qvinq; teſtes.*
10 *Poſſunt retractari per teſtamentum.*
11 *Qvid Juris ſi per modum contractus ad Jus hæreditarium conſeqvendum inſtituantur?*
12 *Ratio differentiæ inter pacta dotalia qvæ per modum contractus, & illa, quæ per modum ultimæ voluntatis erecta ſunt?*
13 *Ultra, quam qvod pactis dotalibus conceſſum eſt, nil tribuitur amplius.*
14 *Mulieres per ea indotatæ effici non debent, aut etiam ipſa dos deteriorari.*

ANte omnia inprimis in ſucceſſione mutuâ & reciprocâ 1
conjugum pacta dotalia, ut dixi, attendenda erunt, quæ
ſi præſto ſint, nec de Statuto loci vel conſvetudine, nec eti- 2
am de jure Provinciali & Communi diſputandum eſſe appoſitè monet *Carpzov. Jurispr. Forens. P. 3. Cons. 20. def. I. num.*

1. num. 1. proviſio enim hominis tollit proviſionem Legis *l. fin. Cod. de Pact. Conv.* Nec refragatur, qvod vulgo ob-
3 jiciunt, hujusmodi pacta de ſucceſſione ſuper hæreditate non valere per textum in *l. Hæreditas. 5. Cod. de Pact. convent.* De conſvetudine enim locorum non tantum: (quemadmodum ſupra *P. 1. Cap. 2. Sect. 6.* latè demonſtravimus) valent & ſervanda ſunt, ſecundumq; ea ſuccedendum, adeò
4 ut vidua vigore horum pactorum dotalium plenariè admittatur, & portione ſibi in iisdem aſſignatâ gaudere &
5 frui poſſit: Verum etiam ex notisſima Germaniæ conſvetudine ubiq; ſuſtinentur, & ſucceſſionem Jure hæredi-
6 tario deferunt, *Gail. lib. 2. obs. 126. num. 3. & ſeq.* ad hoc ut plerumque ſuperſtes nullis præſertim exiſtentibus liberis, aut ſaltem præmortuis, ſuccedat defuncto, & hæreditatem acquirat excluſis reliquis omnibus; Et ita vir uxori, & uxor viro absqve controverſiâ ſucceſſionem tribuat,
7 *Cyn. in l. Si pater. Cod. de Inoffic. Teſtam.* quam ſententiam Cameram Imperialem ſequi apertiſſimè teſtatur. *Mynſing. Cent. 2. obs. 33.*

8 Limitatur tamen per Doctores, ut ſaltem valeant reſpectu dotis & ſimilium. *Carpz. Juriſp. Forens. P. 2. Conſt. 43. def. 2.* ulterius procedit dicens: tunc plenum robur
9 obtinere, quando in vim ultimæ Voluntatis concepta, & per conſeqvẽs numero quinqvenario teſtium munita, *l. ult. Cod. de Codicill. l. ult. de Donat. mortis. caus.* aut ad Acta inſinuata ſunt *l. 19. Cod. de Teſtam.* Ita ut exemplo aliarum vo-
10 luntatum ultimarum alterutrius vel utriusque conjugis voluntate mutari, & Jus quæſitum ex pacto auferri poſſit *l. Pactum. 15. Cod. de Pact. Weſemb. ad Paratit. lib. 23. tit. 4. num. 4.* ſivè agatur de univerſali ſucceſſione reciprocâ, ſi-
11 vè ſaltẽ de qvotâ hæreditatis; Secus autem ſi hujusmodi pacta per modum contractus ad Jus hæreditarium conſeqvendum inſtituantur, & ſaltem duobus aut tribus teſtibus confirmata reperiantur. Ratio differentiæ eſt; qvia in

in his bona conjugi ſuperſtiti vi obligationis contractæ de- 12
feruntur, in illis verò jure hæreditario aut ſucceſſionis attribuuntur, quæ ideo mutationum recipere poſſunt.

Quando itaq; pacta dotalia reperiuntur, ſuperſtes 13
conjux de hæreditate alterius, nihil amplius capere poterit, quam id qvod in iisdem expreſſum eſt: quomodocunq; enim pacta dotalia concepta valent, dummodo non per ea mulieres indotatæ efficiantur *l. 2. l. 4. ff. de Pact.* aut dos 14
ſaltem deterior reddatur *l. 6. l. 14. ff. eod.* vel etiam non repugnent Legibus, & bonis moribus, occaſionemque delictis præbeant *l. 5. l. 6. ff. eod. Weſemb. in Paratit. l. 23. tit. 4. num. 2.*

SECTIO III.

De Succeſſione Conjugum ex Statuto vel conſvetudine.

SUMMARIA.

1 *Deficientibus pactis dotalibus Statuta vim plenam naſcuntur.*
2 *Statuta ſtricti juris ſunt, ideoqve proprie accipienda.*
3 *Authoritatem Juris habent, & Jus Civile ſunt.*
4 *Quæ Juris communis correctoria ſunt, ſtrictè accipiuntur.*
5 *Etiam tollunt generalem conſvetudinem.*
6 *Quid ſit Statutum?*
7 *Ea quæ fiunt per Statutum, etiam per conſvetudinem rectè, introduci poſſunt.*
8 *Statutum & conſvetudo non differunt niſi ut expreſſum & tacitum.*
9 *Conſvetudo cui æqviparetur?*
10 *Semper recurritur ad conſvetudinem Civitatis dominantis in caſu deficientis propriæ conſvetudinis.*
11 *Conſvetudinis probatio eam allegaranti incumbit*
12 *An valeat Statutum & conſvetudo ut extantibus liberis conjux ſuperſtes in bonis mobilibus ſuccedat?*
13 *An iis, quibus res mobiles Statuto cedunt, res immobiles in pecuniam convertendo, hæc pecunia loco mobilium cedat?*
14 *An in hac ſucceſſione inſpiciatur locus domicilii vel contractus?*

15 *In causâ dotis locus contractus non attenditur.*

16 *Migratio in alium locum facta facit valere Statutum & conſvetudinem ejus loci, ad qvem facta eſt migratio.*

17 *Quid Juris ſi tantum incola fuerit?*

18 *In ſucceſſionibus ab inteſtato reſpectus habetur loci ubi bona hæreditaria ſita ſunt.*

19 *Exemplificatio dictorum.*

20 *Statuta prout jacent ad literam obſervanda ſunt.*

21 *Imò pro lege fundamentali à Judice habenda & in judicando cuſtodienda. idem in conſvetudine.*

22 *Judex contra Statutum & conſvetudinem judicans litem ſuam facit.*

23 *Aſſeſſores Cameræ ſecundum eaſe judicaturos anteqvam admittuntur, jurare tenentur.*

24 *Niſi ignorantia excuſet Judicem.*

25 *Generaliter Statuta definire impoſſibile eſt, cum ſeſe quam longiſſimè extendant.*

1 STatuta qvoque in hiſce ſucceſſionibus conjugum vel maximè conſiderantur, & in caſu deficientium pactorum dotalium vim plenam nanciſcuntur, nec non omnibus horis loqui & in viridi obſervantiâ eſſe dicuntur *l. Ariani. 5.*
2 *Cod. de Hæret.* ſtrictique Juris habentur, adeoq; in terminis propriè ita loquentibus accipienda *Tuſch. Tom. 7. Pract.*
3 *Concl. lit. S. Concluſ. 578. num. 22.* cum hoc potiſſimum effectu, ut non tantum Juris communis Authoritatem habeant *Panormit. in C. Paſtor. 8. num. 2. X. de Fid. inſtrum.* & in ijs ubi vigent locis jus Civile ſint, *C. Jus Civile. diſtinct.*
4 *1. Bartol. in l. Omnes populi. num 60. ff. de Juſt. & Jur.* ſed & Juri Communi derogent *l. 32. ff. de Leg.* Quæ autem Juris Communis correctoria ſunt, ſtrictiſſimam interpreta-
5 tionem accipiunt *Gail. 2. obs. 33. num. 9.* ita ut non poſſint extendi ultra caſum inqvo loquantur, nec ex identitate rationis *Dec. Cons. 19. num. 3.* Et hinc generalem provinciæ conſvetudinem tollere ſolent *§. Jus autem Civile. Inſt. de*
6 *Jur. Natur. G. & C.* Eſt vero Statutum Jus qvoddam Civile, quod unaquæq; Provincia, Civitas vel Municipium pro Lege ſibi conſtituit *vid. Matth. Coler. de Proceſſ. Exercit. P. I. Cap. 3. per tot.*

Aſi-

A ſimili effectu non excluditur conſvetudo, eoqvod 7 illa, quæ fiunt per Statutum, etiam per conſvetudinem fieri poſſint: non differunt enim niſi ut tacitum & expreſ- 8 ſum, ſive ut ſcriptum & non ſcriptum. *Barth. Muſcul. de Succeſſ. convent. & Annon. memb. 1. Concl. 1. lit. d.* Æquipa- 9 ratur etiam conſvetudo Regiæ Authoritati, eſtq; interpres ambiguæ conventionis, cui in omnibus reverentia debetur, tanquam matri, quæ informat omnes actus mundi, & facit Jus ſpeciale quod derogat generali, potens authenticare non authenticum, probaturque in loco quodam particulari per generalem conſvetudinem in Regno vel Provinciâ, cui ille locus eſt ſubjectus. *Mynſing. Reſp. 13. n. 11. Decad. 2.* nam ſemper recurritur ad conſvetudinem Civitatis dominantis loco inferiori, quando non habet propri- 10 am conſuetudinem, *vid. hac de re Joſeph. Ludov. Concl. 55. num. 11.*

Non ſufficit tamen ſolam allegare conſuetudinem, 11 ſed probandi neceſſitas (quæ alias valde difficilis eſt teſte *Menoch. de Præſumpt. 2. Præſ. 8. n. 8. & Cons. 8. lib. 1.*) inſuper incumbit ad hoc ut maritus & uxor vi prætenſæ conſvetudinis ad ſucceſſionem reciprocam admittantur, niſi notoria ſit. Si igitur probetur Statutum vel conſvetu- 12 do, quod conjux ſuperſtes extantibus etiam liberis (quibus tamen legitimam de ijs ſupplere cogitur *Weſemb. in Paratitl. l. 38. tit. 11. num. 3.*) in bonis mobilibus ſuccedere debere, utiq; illud valere dicit *Gail. lib. 2. obs. 124. n. 3.* Quæ autem res inter mobiles & immobiles cenſeantur, videri poſſunt apud *Joſeph. Ludov. Concl. 48.*

Caveant tamen ii, qui res immobiles diſtrahendo, e- 13 asdem in pecuniam convertunt: quoniam nummi non cedent illis, qui res mobiles vigore Statuti prætendunt; cum ſemper duret obligatio, quamvis res interiiſſe dicatur *l. Si ipſa res 18. ff. Quod met. cauſ.* & hinc tales nummos reſtituere debent.

14 Ut autem quis ad ſucceſſionem admitti poſſit, neceſſario inſpiciendus eſt locus domicilii, & non contractus; quantumvis alias in iis, qvæ ad lites pertinent, locus con-
15 tractus regulariter inſpiciatur; in cauſa tamen dotis, quando de eâ reſtituendâ vel lucrandâ agitur, non atten-
16 ditur. Hinc ſi matrimonium hîc vel ibi contractum, & nuptiæ celebratæ, poſteâ verò migratio facta fuerit in alium locum, ubi fortaſſe aliud Statutum & diverſum à priore loco, ſcilicet contracti matrimonij reperiatur; poſterius valorem & vigorem habebit, altero omninò repudiato, quando nempe (uti quāprimū monuimus) de ſucceſſione & portione ſtatutariâ conjugum & devolutione ejusdem ſermo eſt, ratione ejus domicilij locus ſolus inſpicitur *l. Exigere dotem. 65. ff. de Judic.* ſive qvis fuerit
17 Civis, ſive tantum incola illius. *Gail. lib. 2. obs. 35. & ſeqq.*
18 Secus in ſucceſſione ab inteſtato, in qvâ reſpectus habetur ejus loci ubi hæreditatis bona ſita ſunt. Exemplum ponit *Schneid. ad lib. 3. inſt. Tit. 1. Rubr. de Succeſſ. int. Vir. & Uxor. num. 3. Si Lipſiæ, inqvit, eſſet Statutum, qvod maritus mortuâ uxore lucretur tantum dimidiam dotem, & quidam ſcholaris ſivè civis Norimbergenſis duceret Lipſiæ divitem uxorem, & celebratis nuptiis ſe conferret Norimbergam ubi natus eſt, & ubi habetur fortaſſe Statutum de integrâ dote lucrandâ, ac deinceps mortuâ uxore inter ejus cognatos & ipſum maritum de lucro dotis lis oriatur, attendi debere Statutum domicilii ipſius mariti, ubi habitavit, ut ſcilicet lucretur integram dotem ſecundum Statutum Norimbergenſe, licet matrimonium Lipſiæ contractum & ibi dos conſtituta ſit.*

19 Ex hiſce conſeqvitur, qvod, quemadmodum Statuta Provincialia aut Municipalia & conſvetudines, rationabiles nempè, plenam obſervantiam reqvirunt, vigorem Le-
20 gis habent, & regulariter ad unguem & ad literam, prout
21 jacent, accipi debent: *Gail. d. obs. 33. pr.* Ita etiam à qvolibet Judice pro lege in judicando & decernendo custodienda

enda ſint. *Gail. 2. obs. 31. num. 2.* adeò ut non tantum is Judex, qui contra Leges & Conſtitutiones judicat, ſed etiam qui contra Statutum & conſvetudinem receptam, ſententiam ferre præſumit, litem ſuam faciat, & in Syndicatu teneatur. *Auth. Jubemus. Cod. de Judic.* Hinc fit qvod Aſ- 22
ſeſſores Cameræ Imperialis, quando ad Aſſeſſoratum admittuntur, jurare teneantur, ſe ſecundum probata cu- 23
juscunque loci Statuta & conſvetudines judicaturos. Cammer-Gerichts Ordnung. *p. 1. tit. 13.* Modo tamen ad notitiam tàm Judicis quàm partium pervenerint: Igno- 24
rantia enim Statutorum excuſat forenſem, neqve fraus Statuto fieri præſumitur ab eo propter Statutorum ignorantiam *Gail. 2. obs. 48. & ſeq.*

Cum itaque ſecundum *Gail. d. obs. 31.* quælibet Provincia, ne dicam Civitas aut villa, ſua ſingularia habeat Statuta & conſvetudines, præſertim etiam in materiâ noſtrâ ſucceſſionis inter virum & uxorem: Et quid conjux ſuper- 25
ſtes à præmortuo vigore Statutorum acquirat? perquam difficulter definiri poſſit; magisque in facto conſiſtant, & conſeqventer allegari debeant; Ideò generaliter ſaltem in hiſce percurrere voluimus generalia præcepta proponentes. Si quis porro in Statutis Saxonicis inveſtigandis curioſus ſit, adeat Doctiſſimum Virum Benedict. Carpzov. In præclarâ ſuâ Jurisprud. Forenſ. ubi de Statutis, & de conſvetudine ſucceſſionis conjugum amplâ declaratione agit.

SECTIO IV.

De Succesſione Conjugum ex Jure Communi.

SUMMARIA.

1 Deficientibus pactis dotalibus conſvetudinibus & Statutis ad Jus commune recurritur.

2 De Jure veteri nulla erat inter cõjuges ſucceſſio:

3 Tan-

3 Tandem ex Prætoriâ æqvitate mutatum.
4 Et fiſco prælati.
5 An conjuges per teſtamentum â mutuâ ſucceſſione repelli poſſint?
6 Poſſunt modo dos revertatur ad uxorem vel patrem dotantem, intellige dotem traditam.
7 Maritus lucratur fructus dotis propter onera matrimonii.
8 Uxor dotem ab hæredibus mariti detentam repetere poteſt cum omnibus acceſſionibus & fructibus durante matrimonio acqviſitis, ſi eos contra voluntatem uxoris percepit.
9 Quid Juris ſi voluntas uxoris dubia ſit?
10 An prædicta in donationibus propter nuptias qvoq; obtinent?
11 Fructus ex donatione propter nuptias percepti cedunt marito.
12 Niſi obſtent Statuta vel pacta dotalia.
13 Quatenus ſucceſſio conjugum Jure noviſſimo aucta ſit?
14 Quando Auth. Præterea. Cod. Und. Vir. & Uxor. item Auth. Ut liceat matri & aviæ. promulgatæ ſint?
15 Vigore dict. Auth. Conjuges ſuccedunt ad decimum gradum uſqve, & certa portio iisdem relinqvitur liberis etiam extantibus.
16 Limitatur tamen.
17 Verba Novellæ 53. cap. 6. allata maximè ponderanda.
18 In quantâ portione ſuccedat ſuperſtes inopiâ laborans?
19 An etiam qvoad proprietatem eam portionem obtineat?
20 Qvid imputetur in eam portionem?
21 Rationes graviſſimæ qvibus hæc Juris diſpoſitio probatur.
22 Ignominioſum marito ſi uxor quæ omnia onera matrimonij ſuſtulit, poſtmodum inopiâ laborare cogatur.
23 Qvis dicatur conjux inops?
24 Judicis arbitrio hæc determinatio relinqvitur, qvi ſecundum qualitatem perſonæ judicabit.
25 Imo ad ſupplementum reale agit conjux inops.
26 Rationes pro hoc aſſerto.
27 Qvid Juris ſi maritus in teſtamento hanc portionem uxori adimat, & eam prohibeat?
28 Maritus hanc prohibitionem facere non poteſt ad ſimilitudinem legitimæ liberis præſtandæ.
29 Et, qvod plus eſt, uxor alienata pro conſeqvendâ quartâ revocare poteſt.
30 Rationes pro hac ſententiâ.
31 Qvæ debentur contra voluntatem defuncti, in præjudicium alienari non poſſunt.
32 Alia ampliatio notabilis, ratione Aſcendentium, qvorum præſentia uxori inopi non nocet.
33 Idem erit dicendum extantibus Collateralibus, qui ſi fuerint tres, uxori quarta, ſi plures, virilis portio manebit.

34 *Auth. Præterea. generaliter comprebendit omnes qvi præter liberos defunctum conſanguinitate contingunt.*

DEficientib' etiã pactis dotalibus & Statutis conſvetudinibusq; probatis, qvibus in ſpecie nihil de ſubjectâ, ſicuti etiam de quacunq; Juridicâ materiâ comprehenſum reperitur, refugium erit ad Jus commune, cujus diſpoſitioni ſtatur *l. Si cum dotem. 22. ff. Solut. matrim. l. Commodiſſime. 10. ff. de Liber. & poſth.* 1

Jus commune antiquius, Lex nempè duodecim Tabul. nullam omnino admittebat conjugum ſucceſſionem reciprocã, ſive extiterint liberi & conſanguinei, ſive non. quemadmodum *Sect. 1. Capitis hujus 5.* vidimus, propter defectum conſanguinitatis, adeò ut mortuâ uxore nullis relictis liberis & agnatis fiſcus excluſo marito ſucceſſione gauderet *l. 1. Cod. Und. Vir. & Uxor.* qui rigor per dictam modo legem mutatus, & conjuges excluſo fiſco admiſſi *pro antiqvo Jure*; in locum nimirum illius Juris, qvod fiſcum conjugibus præpoſuit, & Prætor illâ æquitate motus primum ſuſtulit, tribuendo bonorum poſſeſſionem quam appellavit *Unde Vir. & Uxor.* Niſi, ut diximus, per pacta dotalia ſive Statuta ex parte adimatur ſucceſſio. Occaſione cujus non immeritò quæri poſſet, an uxor & econtrà maritus à ſucceſſione mutuâ removeri poſſint v. g. per teſtamentum? Et poſſe certum eſt, cum hac tamen limitatione, ut dos congrua revertatur ad uxorem, ſive patrem dotantem *l. 4. Cod. Sol. matrim.* donatio verò propter nuptias ad maritum, Dos quidem conſtituta & tradita: Non obſtante, maritum, interpretatione Juris dominum fuiſſe: *l. 30. Cod. de Jur. dot. l. 9. Cod. de Rei vindic.* quia fructus ejus tantum lucratur propter onera matrimonialia *l. 21. ad Municip.* eaq; ad viduam pleno dominii Jure revertitur, quam, ſi apud hæredes mariti ſine cauſâ detineatur, ſicuti etiam omnia bona, qvæ ipſi conſtante matrimo-

2 (Jus commune antiquius) · 3 (qui rigor per dictam) · 4 (qvod fiſcum) · 5 (per pacta) · 6 (limitatione) · 7 (quia)

monio ex hæreditatibus & ſimilibus cauſis obvenêre, cum omnibus fructibus contra mentem ejus perceptis repetere poteſt; Secus ſi de voluntate uxoris eos percepiſſet:
8 tunc enim reſtitutio tantum caderet in extantes, non vero in conſumptos ſi ſint induſtriales; Naturales autem, in quantum locupletior factus: Quid ſi dubitetur de volun-
9 tate uxoris? Ego ſaltem hanc apud me præſumptionem elicerem, ſine voluntate uxoris id factum eſſe, adeoq; hæredes ad reſtitutionem compellendos.

10 In donationibus propter nuptias quoque (Germanicè Wiederlag: quæ potiſſimum fiunt in ſecuritatem dotis, & inducendam inter conjuges æqualitatem) idem Jus ſervari oportet, in quibus par ratio ac in dote intercedit, nullo facto diſcrimine an ante nuptias, vel conſtante matrimonio factæ ſint. *l. Si conſtante. 19. l. Cum multa. 20. Cod. de*
11 *Donat. ante nupt.* reditus tamen ex donatione propter nuptias proventi, ſicuti & ii ex dote emanati ſoli marito cedunt, propter onera matrimonij quæ ſuſtinet *Weſemb. in Pa-*
12 *ratitl. lib. 23. n. 11.* niſi conſvetudo vel Statutum vel etiam pacta dotalia aliud ſuadeant *Schurff. Cons. 7. n. 2.*

13 Jure noviſſimo Auth. amplius conjugum ſucceſſio aucta eſt per *Auth. Præterea. Cod. Und. Vir. & Uxor.* quæ
14 deſumpta eſt *ex Novellâ 53. C. 6. Quoniam verò ad Clementiam de Exhib. & introdu. reis.* & promulgata Anno Chriſti *537. Calend. Octob. Anno Imperii Juſtiniani 11. & ſecundo poſt conſulatum Beliſarii,* poſtmodumq; revocata ſub *Auth. Ut liceat matri & aviæ.* quæ edita eſt *Anno Chriſti 541. & 15. Imperii Juſtiniani, Baſilio Viro Clariſſimo Conſule.* Et tandem juſſu *Friderici* relata *in Auth. Præterea. Cod. Und. Vir. & Uxor.* Cujus præcepto non tantum poſt decimum gradum
15 conjuges ſibi invicem ab inteſtato ſuccedunt, ſed etiam in caſu exiſtentium liberorum, aut etiam conſanguineorum proximiorum uni ſuperſtiti ex conjugibus certa quædam portio relinquitur, ſub his tamen conditionibus: ſi in dota-

tata mulier fuerit, aut etiam inopiâ laboraverit, prout 16
d. Nov. 53. cap. 6. expreſſè diſponit in hiſce verbis maximè notabilibus: *Videbimus qvosdam cohærentes mulieribus* 17
indotatis, deinde morientes, & filios qvidem ex lege vocatos ad paternam hæreditatem, mulieres autē licet decies millies in ſtatu legitimæ conjugis manſerint, attamen, eo qvod non ſit facta neque dos neque ante nuptialis donatio, nihil habere valentes, ſed in noviſſimâ viventes inopiâ; propterea ſancimus providentiam fieri etiam harum in ſucceſſione morientis, & hujusmodi uxorem cum filiis vocari, & ſicut ſcripſimus legem volentem, ſi ſine dote exiſtentem uxorem vir dimiſerit, qvartam partem ejus ſubſtantiæ accipere eam, ſic etiam hic; qvoniam contingit forte, paucos aut plures eſſe filios, qvartam partem ejus ſubſtantiæ habere mulierem ſive plures ſive minus filii fuerint.

Pluralitatem & paucitatem exactè determinat ſæpè 18
nominata *Auth. Præterea. Cod. Unde Vir & Uxor.* ſuperſtitem ſcilicet conjugem inopiâ laborantem unà cum liberis communibus alteriusve matrimonii ſuccedere marito locupleti in quartâ parte ſi tres ſint vel pauciores; ſi verò
plures in virili portione, ita tamen ut tantum habeat u- 19
ſumfructum illius quartæ ſive virilis portionis; proprietatem autem conſervet liberis ejusdem matrimonii ſi ex-
tent: his non extantibus acquirat dominium illius por- 20
tionis, in quam imputatur, quod ei relictum vel legatum eſt à conjuge *d. Auth. Præterea. Unde Vir & Uxor. Borcholt. in Tract. de grad. pag. mihi 253. Tuſch. tom. 7. pract. Concl. lit. ſ. Conclus. 674. Matth. Coler. Decis. 61. n. 32. part. 1.*

Nec ſanè hæc diſpoſitio ſuis deſtituitur rationibus 21
graviſſimis; ut ſcilicet inopia conjugis per divitias alterius ſalvetur in honorem & reverentiam benè tranſacti matrimonii, *d. Nov. 53. cap. 6. §. 2.* ne ſuperſtes in opprobrium alterius cogatur mendicare, qvod iniquiſſimum foret;
imò ignominioſum marito, ſi uxorem, quæ omnia matri- 22
monii onera continuò pertulit, & fortasſis patrimonium

 ſuis

ſuis laboribus ſi non auxit, ſaltem conſervavit, omni emolumento carere patiatur. Quis autem maritus aut quæ uxor inopes dicantur? dubium eſt: Communiter Cameræ Imperiali placuit, eum dici pauperem, qui in bonis
23 non habet 50. florenos. *Gail. lib. 1. obs. 142. num. 8.* ſed hic
24 loci oportunius inſpicitur reditus, & non valor proprietatis, aut potius Judicis arbitrio relinquitur, qui ſecundum qualitatem perſonæ judicabit, an ſcilicet ad victum & veſtitum congruum ſufficiat dos an non? ſi non ſufficiat, & ita modica reperiatur, ut ſe inde ſuſtentare nequeat, nihil
25 minus impediet, quin ſupplementum ex bonis defuncti vel defunctæ locupletis vigore hujus *Auth. Præterea.* petere poſſit, & jure meritò ad eam extendatur; paria enim ſunt nihil habere, vel modicum habere *l. Qvamvis. 32. ff. de*
26 *Condit. & demonſt.* Et eadem ſub eſt ratio, ac in prorſus egenâ, quam Juſtinianus indicavit; ne ad mendicitatem redigatur in opprobrium defuncti: quoniam non ſolum ipſa affligeretur, ſed etiã defuncti memoria afficeretur plurimum. Et hoc ſi ab inteſtato quis ex conjugibus decedat.

Quid ſi maritus etiam in opprobrium ſui ipſius quidquam uxori egenæ relinquere non tantum gravetur, ſed e-
27 tiam facto teſtamento deneget, poſtq; mortem ſuam quartam dari prohibeat aut minus quartâ parte relinquat, cum expreſsâ prohibitione ne plus peteret?

Certè in iſta facti ſpecie, ne fraus fiat Legi, & præjudicium ſuperſtiti conjugi facile afferatur *l. Si Arrogator. 22.*
28 *§. Sed an impuberi. 1. ff. de Adopt.* Absque hæſitatione dicerem, maritum hanc qvartam omninò diminuere non poſſe; quoniam illa ſuperſtiti, non ex proviſione hominis, ſed beneficio ipſius legis debetur, ad ſimilitudinem legitimæ liberis debitæ, quam parentes ſine juſtâ cauſâ legibus approbatâ teſtamento detrahere non poſſunt *l. 30. Cod. de Inoffic. teſt. Gail. lib. 2. obs. 86. Franc. Vivius in Comm. opinionib. in verb. Uxor ſeu mulier. n. 6.*

Cum

Cum hac ampliatione, ut ſi maritus donatione vel 29
quocunqve modo bona alienaverit; nihilominus uxor pro conſeqvendâ quartâ totius ſubſtantiæ, alienata vel donata revocare poſſit: quia ea portio contra voluntatem teſtan- 30
tis debetur, & ex ipſâ necesſitate ex Conſtitutione Juſtiniani. Quæ autem debentur contra voluntatem teſtantis, & ipſâ neceſſitate, alienari in præjudicium non poſſunt, a- 31
deò, ut etiam ſi minus relictum ſit portione debitâ, ſuppletio fieri debeat *d. Nov. 53. cap. 6.*

Ampliatur porro hæc doctrina, qvæ extantibus duo- 32
bus vel tribus liberis qvartam; in caſu verò plurium virilem portionem aut totam maſſam hæreditatis jure qvaſi accreſcendi tribuit; ut etiam ad eum extendatur caſum, quando nulli ſuperſunt liberi, ſed tamen aſcendentes: cum prædicta jura idem in conjuge inope volunt, ex ratione deductâ à majori ad minus: quia ſi conjux inops exiſtentibus tribus vel paucioribus liberis (quibus Jure naturæ & ipſo parentum voto hæreditas debetur, *l. Scripto. 6. ff. Und. liber.*) quartam totius ſubſtantiæ mariti conſequatur, pluribus verò ſuperſtitibus virilis portio debeatur; multò magis idem in aſcendentibus obſervandum erit, quibus bona defuncti non æq; ac liberis debentur. *Bart. ad d. Auth. Præterea.* ſi itaque tres vel duo fuerint aſcendentes, uxor inops qvartam partem accipiet, ſi verò quatuor in vivis reperiantur; virilis portio adjudicanda erit, propter parem & æqualem conditionem parentum & liberorum.

Ampliatur denique in Collateralibus, ut ſi cum ino- 33
pe uxore concurrant à latere conjuncti, eadem Jura ac in parentibus & liberis locum habeant. Ponatur, eſſe tres conſanguineos cum ſuperſtite egenâ; qui de hæreditate defuncti diſceptant, ſine dubio uxor quartam apprehendet, ſi verò plures, virilem portionem. *d. Auth. Præterea.*
quæ generaliter loquitur, & eos omnes complectitur qui 34

præter liberos defunctum conſanguinitate contingunt, uti docent *Accurs. Bald. Salycet. in d. Auth. Præterea.*

SECTIO V.

De Succeſſione ſponſæ in bonis defuncti ſponſi.

SUMMARIA.

1 *Caſus frequentes, ut unus ex ſponſis præmoriatur anteqvam matrimonium fuerit conſummatum.*
2 *Inde altercationes non leves inter Juriſconſultos tàm veteres quàm recentiores.*
3 *Mynſingeri Judicium de Quæſtione: An tenor Statutorum conjugi ſuperſtiti ſucceſſionem deferens, etiam in ſponſis locum habeat?*
4 *Eam Imperatoriâ deciſione indigere dicit.*
5 *An ratio Statuti ſe fundans in oneribus matrimonii, etiam in ſponſis obtineat?*
6 *Ratio dubitandi ex ſtrictâ interpretatione Statuti deſumitur.*
7 *Negativa plurimis placet.*
8 *Affirmativam tenet Gailius.*
9 *Alii diſtingvunt inter ſponſam de futuro & inter ſponſam de præſenti.*
10 *Sponſa de præſenti admittitur.*
11 *Rationes pro ſtabiliendâ hac opinione quæ ex Juribus ſponſo & ſponſæ competunt.*
12 *Cautela adhoc ut in pactis dotalibus tempus lucrandæ dotis vel donationis propter nuptias exprimatur.*
13 *Sunt Statuta quæ expreſſè requirunt conſummationem matrimonii & traductionem ad domum.*
14 *Idem de Jure Saxonico obſervatur.*
15 *An concubina ſub prætextu matrimonii putativi eodem modo ſucceſſionem prætendere valeat?*
16 *Negativa veriſſima eſt.*
17 *Comparatur uxori qvoad obſequia matrimonialia non tamen quoad privilegia uxoribus conceſſa.*

1 ALiquando contigiſſe vidimus, & ſæpius contingit, ut unus ex ſponſis, anteqvam thorum maritalem conſcenderit, copulaq; Sacerdotis intervenerit, diem ſuum ob-
2 eat: Inde non leves oriuntur inter JC. altercationes, quando de mutuâ inter eos ex Statuto prætenſâ ſucceſſio-

ne diſputatur. *Mynſingerus Cent. 6. obs. 78.* in hoc dubio 3
mirè ſe diffundit,& nihil concludit, tandem eò *N. 4.* deve-
nit, ut ingenuè fateatur hanc qvæſtionem (*An tenor Sta-*
tutorum quæ deferunt ſucceſſionem conjugi ſuperſtiti, etiam ad
ſponſos extendatur?) tàm intricatam eſſe, ut Imperatoriâ 4
deciſione & Pragmaticâ Sanctione indigeat, ne in dubio
Judices, qvando ejusmodi caſus decidendus foret, fluctu-
arent. Potiſſimum ſi ratio ſtatuti diſponentis de lucro 5
dotis in oneribus matrimonij fundetur, & nulla cenſean-
tur onera matrimonij ante traductionem & copulam. De-
inde cum verba ſtatuti in proprio ſignificatu ſumenda &
ſtrictè accipienda ſint, & ſecundum communem loquen- 6
di modum, dubitari poſſet vel maximè de ſponſis, qvæ uxo-
rum nomine non continentur *l. 5. ff. de Donat. inter Vir. &*
Uxor. Hinc plurimi in negativam deſcendunt. *Salycet. in* 7
l. Cum inter. num. 4. Cum ſeq. Cod. de Donat. ante nupt. Baldus
in l. Non ſine. num. 1. Cod. de Bonis qvæ liber. & alii; maxi-
mè verò quando liberorum fit mentio in ſtatuto qvo præſu-
mitur, quod ſtatuentes ſenſerint de uxore qvæ à marito 8
cognita, & ad ejus domum traducta fuerit. Sed iſtam o-
pinionem meritò rejicit *Gail. lib. 2. obs. 80. num. 3.* Cum
ita ſimpliciter excludatur ſponſa; Item contradicunt
Card. Tuſch. Tom. 7. Pract. Concluſ. lit. 5. Concl. 511. num. 58. 9
Roland. à Valle in Tract. de Lucr. dot. Quæſt. 106. diſtingven-
tes potius inter ſponſam de futuro & ſponſam de præſen-
ti. Illam excludunt à ſucceſſione: qvoniam ob matri-
monium defertur; cum autem hoc in caſu matrimonium
nondum ſit, ſed ſaltem fieri ſperetur, ideoque nec ſucceſ-
ſio locum habebit. Sponſam verò de præſenti admittunt, 10
ratio eſt: qvod per verba de præſenti matrimonium,
quantumvis non ſit conſummatum; pro valido & perfecto
habeatur, & nuptias non concubitus ſed conſenſus faciat.
l. Nuptias. 30. ff. de Reg. Jur. Accedunt & iſtæ: quod Pri- 11
mò inter ſponſos talis donatio prohibeatur ac inter conju-

ges. *Speckhan. Quæſt. Jur. Cent. 2. Claſſ. 2. Quæſt. 3. num. 10.* Secundò quod ſponſus per verba de præſenti non conſummato matrimonio poſſit accuſationem adulterii inſtituere. *l. fin. Cod. ad Leg. Jul. de Adult.* Tertiò, quod tali ſponſo competat actio injuriarum pro injuriâ ſponſæ illatâ. Quartò, ſponſa debet lugere ſponſum. *Speckhan. d. l. num. 8.* Quintò, ſponſus rapiens deſponſatam ſibi de præſenti in pœnam *l. un. Cod. de Rapt. virgin.* non incidit. Sextò, nulla poteſt inſtitui actio contra ſponſos, qui inventi ſunt in commixtione. Septimò, ſponſam incommodum ſequitur, ergo etiam commodum. Incommodum quidem: quia per ſponſalia de præſenti libertatem cum alio matrimonium contrahendi amiſit *C. Qvos Deus. 33. Quæſt. 2. C. Inter corporalia. 2. X. de Translat. Epiſcop.* Octavò, ſponſus matrimonium contrahere non poteſt cum conſanguineis ſponſæ intra gradus prohibitos. *C. 8. de Spons. C. 1. de Matrim. contr. cont. interd. Eccleſ.* Plura apud Authores videantur, qvi ex profeſſo hanc quæſtionem tractarunt, idemque Jus in donatione propter nuptias, ſicuti etiam in dotalitio poſuerunt.

12 Illud ad evitandas contentiones adhuc ex Gailio *d. obs. 80. num. 14.* pro cautela monendum cenſeo, ut in pactis dotalibus tempus lucrandæ dotis vel donationis propter nuptias, quando ſcilicet hujusmodi lucrum locum habere debeat, exprimatur, qvod fieri poteſt per verba nach beſchehenem ehelichen Beylager und Heimführung / id eſt poſt conſummatum prius matrimonium per copulam, & tra-
13 ductionem ad domum. Unde etiam dantur Statuta, quæ expreſſè reqvirunt conſummationem & traductionem ad domum. Daß nach gehaltenem Kirchgang allbereit zu ehelichen Beylager kommen/und die Decken beſchlagen worden. Fürſtl. Wür-
14 temb erneuwerte Landrecht. *P. 4. tit. 2. pag. 431.* Sächſiſch Land-
recht. *lib. 1. Art. 45. & lib. 3. art. 45.* Coronidis loco quære-
15 re lubet, quidnam de concubinâ ſentiendum ſit, an & ea
ali-

aliquid ſub prætextu matrimonii putativi prætendere va- 16
leat? ſed ex ſuperius deductis reſponſio ſatis patet, eam non ſuccedere: qvoniam, ut bonorum poſſeſſio: Unde vir & uxor, peti poſſit, juſtum eſſe matrimonium oportet, uxoris autem appellatione concubina non venit *l. Si concubina. 17. ff. Rer. amotar.* Et quamvis comparetur uxori 17
quoad obſequia matrimonialia præſtanda, non tamen eandem prærogativam habet quoad dignitatem, quoad privilegia uxoribus conceſſa & quoad ſucceſſiones. Infirma enim nimis eſt conſeqventia. Eadem habetur quoad obſequia matrimonialia, ergo & in omnibus pro eâdem cenſenda eſt.

SECTIO VI.

De Conjugibus Succesſione mutuâ indignis.

SUMMARIA.

1 *Succeſſione conjugum mutuâ indignus eſt, qvi alteri violentas manus intulerit & necaverit.*
2 *Maritus latro perdit dotem.*
3 *Intellige ſi ſine juſtâ cauſa id factum fuerit.*
4 *An uxor propter adulterium, ſi in flagranti ſit deprehenſa, poſſit interfici?*
5 *Affirmativa recipitur.*
6 *Idq; propter juſtum dolorem, & pœna remittitur.*
7 *Adulterium uxorem indignam reddit dote & donatione propter nuptias.*
8 *Non item bonis paraphernalibus.*
9 *Hoc Camera Imperialis obſervat.*
10 *An maritus uxorem domo ejiciens, & non providens ei de alimentis ut inde moriatur, dote privetur?*
11 *An maritus non adhibens Medicum uxori ægrotæ, & inde moriatur, etiam privabitur dote?*
12 *An eadem pœna locum habeat in eo qvi cauſam ſeparationi thori dederit?*
13 *Qvot modis fiat ſeparatio?*
14 *Tres recenſentur modi, qvibus ſeparatio thori fieri poteſt.*
15 *Generaliter ex iisdem cauſis uxor ſucceſſione privatur, ex quibus marit9 alimēta denegare poteſt.*

Omni-

1 OMnium indigniſſim' ſucceſſione mutuâ ille ex conjugibus cenſetur, qui alteri violentas manus infert, &
2 veneno aut aliis inſidiis miſerè necat: Maritus enim lucro perdit dotem, & totam etiam hæreditatem *l. Si ab hoſtibus. 10. §. Si vir. ff. Solut. matrim.* quam vel beneficio Legis, vel
3 beneficio Statuti debebat lucrari, potiſſimum autem, ſi ſine juſtâ cauſâ, motus iracundiâ & animi incontinentiâ ad nefandum hunc actum tranſierit. *Bart. in d. l.* Dixi *ſine juſtâ cauſâ:* in ordine ad præſuppoſitum dari in ſimilibus criminibus atrocibus juſtam cauſam, quam ponunt in adul-
4 terio, qvod uxor commiſit. Si itaque in flagranti à marito deprehendatur, ex juſtâ cauſâ illam interficit *l. Gracchus. 4. Cod. ad Leg. Jul. de Adult.* & quidem ſine metu pœnæ,
5 cum impetu doloris victus ſit. Neque propterea defraudabitur maritus ſucceſſione improbæ conjugis, quidqvid etiam in contrarium afferant nonnulli ex ratione: qvod quia propriâ authoritate ſibi Jus dicit uxorem necando,
6 omne lucrum legale perdere debeat: Attamen propter juſtum, ut dixi, dolorem pœna remittitur *l. 38. §. Imp. Marcus. ff. ad Leg. Jul. de Adulter.*

7 Adulterium ab uxore comiſſum eam quoque indignam reddit non tantum dote ſuâ, ſed etiam donatione propter nuptias *Ludolph. Schrad. in Tract. Feud. Part. 9. c. 2. num. 6.* & bonis quoque paraphernalibus, uti *Graſſ. Qv. 38. num. 3.* putat. Quod ultimum tamen negat *Mynſing.*
8 *Decad. 1. Cons. 1. num. 42. & ſeq.* cum paraphernalia appellatione dotis propriè non veniant, ideoque, ait, cum ſimus in materiâ pœnali, verba non debent extendi, ſed potius reſtringi, atq; hanc ceu communiorem & benigniorem ſen-
9 tentiam in judicando quoscunqve ſequi oportere per Jura ab eodem ibi allegata: quod & verius ego putaverim.

10 Dote porro privatur maritus, qui uxorem ſine juſtâ cauſâ domo ejecerit, teneturq; eam reſtituere, ſi fortè detineat *Bald. in l. fin. Cod. de Sent. quæ ſine cert. qvantit.* Aut non

non voluerit uxori providere de alimentis, & alijs neceſſarijs, ita ut uxor moriatur, *Schneid. ad lib. 3. Inſt. tit. 1. Rubr. de Succeſſ. conjug. num. 25. unde*, inquit ibidem, *ſi non adhibuit Medicum ad curandam conjugem ægrotam, cum poſſet, & per hoc mortua eſt uxor, maritus perdit lucrum dotis, & Jus ſuccedendi, item ſi adhibuerit Medicum imperitum.* 11

Denique denegatur alterutri ſucceſſio, qui cauſam ſeparationi thori dederit, *Paul. Caſtrens. in l. 1. Cod. Unde Vir & Uxor.* ſeparatio autem iſta fieri poteſt tribus modis, Primò Juſtâ de cauſâ. Hinc qui vel qvæ huic ſeparationi cauſam dederit, à ſucceſſione arcetur, pars verò innocens nocenti ſuccedit: qvoniam non debet eſſe in poteſtate alterius ex facto & culpâ ſuâ alteri præjudicium afferre. Sub hunc primum modum ponuntur quoque deſertores malitioſi, qui diſcedunt à conjuge, & diutius abſunt nullâ honeſtâ cauſâ coacti, ſed vel levitate vel injuſtâ impatientiâ frœni conjugalis, vel aliis non neceſſariis cauſis impulſi vagantur. Secundò ſine juſtâ cauſâ: propter diſcordias & lites ex utriusque partis conſenſu. Hoc caſu omnis tollitur ſucceſſio inter maritum & uxorem. Tertiò, quando fit ex utriusq; communi conſenſu ob continentiam Deo promiſſam, quod permittitur *Panormit. in c. 1. de Cleric. conjug.* Addunt & hanc rationem generalem, uxorem ex ijsdem cauſis ſucceſſione privari poſſe, ex quibus maritus illi alimenta denegare poteſt, quæ numerantur *in l. Si cum dotem. 20. §. Si autem. ff. Solut. matrim.* 12 13 14

Caput VI.

De

SUCCESSIONE FISCI.

SUMMARIA.

1 Deficientibus hæredibus legitimis ſuccedit Fiſcus.
2 Etymologia Fiſci.
3 Fiſcus dicitur ſaccus in qvo pecunia publica reponitur.
4 Vocatur & Camera die Cammer.
5 Differentia inter Cameram Cæſaream & Cameram Imperii.
6 Definitio Fiſci.
7 Diviſio ejusdem.
8 Fiſcum generalem qvis habeat?
9 Imperator totius mundi Dominus appellatur.
10 Collatio Dignitatum Regalium (ſub qvibus jura fiſcalia continentur) ad Imperatorem pertinet.
11 Particularem fiſcum qvis habeat?
12 An Reſpublicæ & Civitates liberæ ſuperiorem non recognoſcentes jura fiſci habeant?
13 Civitates ſuperiorem recognoſcentes non item.
14 Conceſſa Civitate cum mero & mixto imperio; An & Jura fiſcalia Princeps conceſiſſe videatur?
15 Sententia negativa aliqvibus probatur.
16 Alia eſt ſententia diſtingvens.
17 Confiſcationes bonorum in ſexto gradu meri Imperii conſtitutæ ſunt.
18 Ad tenorem inveſtituræ in propoſitâ qvæſtione recurrere oportet.
19 Sub nomine Regalium comprehenduntur & confiſcationes.
20 An Caſtrum in perpetuum cum Jurisdictione conceſſum importet cauſam confiſcationis?
21 De conſvetudine generali Principes in ditionibus & Statibus ſuis abſolutâ poteſtate utuntur & omnia Regalia exercere poſſunt.
22 Principes Imperii tantum in ſuis territoriis poſſunt, quantum Imperator in Imperio.
23 Fiſcus in toto vel in parte ſuccedit.

Quan-

QUando itaq; nec liberi, nec aſcendentes, aut Col- 1
laterales vel etiam conjuges ad ſuſcipiendam
hæreditatem ſibiq; acquirendam ſucceſſionem
inveniuntur, tandem locus erit fiſco. Cujus E- 2
tymologia ſumitur à vocabulo *fixus*, fiſcus quaſi *fixus*: quia
ſemper dives eſt & ſolvendo *l. 2. ff. de Fund. dot.* item ſtabi-
lis & perpetuus ac nunqvam moritur. *l. un. §. fin. Si qvis Jus
dic. non obtem.* dicitur & ſaccus in qvo pecunia publica 3
reponitur. Hinc patet fiſcum eſſe ærarium, qvod ab æ-
re ſeu pecuniâ deſcendit, in quo pecunia publica aſſerva-
tur. Camera qvoque appellari ſolet, ſicut in quibusdam 4
Civitatibus Imperialibus nomen ſortitur: Germanicè
die Cammerey / Cammer / ErtzCammer / CammerGüther/
CammerLehen / Fiſcus Cæſareus Camera Cæſarea voca-
tur, Landfried *de Anno 1548. art. 2. R. J. de Anno 1442. art.
antep. §. fin. Art. ult.* §. 1. Unſer Kayſerl. und deß Reichs
Cammer. Occaſione hujus optimè deprehendit *Jacob.
Blum. Proceſſ. Camer. tit. 30. num. 5. differentiam* inter Came-
ram Cæſaream & Cameram Imperii. Qvod hæc propriè 5
contineat pecuniam Imperii alle Einkommen ſo dem Reich
zugehören/ als da ſeynd Baugeld / Vorrath / Reichsſteuer /
Türckenſteuer / Cammergerichts Unterhaltung. Illa verò
eſt, quæ circa Patrimonium Imperatoris verſatur; Alles
was dem Kayſer allein heimbfället/als Römerzüg ꝛc.

Eſt igitur fiſcus Camera Imperij complectens qvid 6
quid ad illius commodum pecuniarium pertinet. Dividi- 7
tur in *Generalem* & *Particularem*.

Generalem fiſcum habet Papa propter ſupremam & 8
præcellentem ejus poteſtatem, adeò ut dominus totius
mundi appelletur; ſicuti legitur in prœmio. *C. Conſtan-
tinus. Diſtinct. 96.* Similiter Imperator qui vi translatæ
poteſtatis ſummam habet authoritatem, ideoq; & ille in 9
temporalibus quoad Jurisdictionalia Dominus totius
mundi vocatur *l. Deprecatio. 9. ff. de Leg. Rhod. de Jact.* &

10 collatio Dignitatum Regalium ad eum ſpectat. Quod au-
tem Jura fiſcalia de Regalib' ſint certum eſt, & ex Conſtitu-
tione Particulari Friderici Imperat. in *tit. Quæ ſint Regalia.*
11 *56. lib. 2. feud.* abunde liquet. Particularem fiſcum ha-
bent Reges & Principes nullum ſuperiorem recognoſcen-
tes, vel quia liberi nati ſunt, vel quia libertatem ex conceſ-
ſione Imperatoris, aut etiam gratuito ex privilegio, vel ex
12 contractu venditionis conſecuti. Huc referri poſſunt
Reſpublicæ & Civitates liberæ ſuperiorem non recogno-
13 ſcentes, quæ etiam jure fiſci particularis utuntur & cæte-
ris quoque Regalijs, quæ præſcripſerunt. Secus eſt in Ci-
vitatibus ſuperiorem recognoſcentibus, quæ jura fiſci non
habent, & ſunt inſtar privatorum *l. Eum qvi vectigal. ff.*
d. V. S.

14 Quod ſi Imperator conceſſerit Civitatem cum mero
& mixto Imperio, an & Jura fiſcalia conceſſiſſe creden-
dum ſit? In negativam deſcendit *Afflict. 1. cap. in verbo:*
15 *Condemnatorum. n. 39. in tit. Quæ ſint Regal.* & ſpecialem
hoc in paſſu reqvirit concesſionem, eo quod habentes Ca-
ſtrum cum mero & mixto Imperio, non habeant alia Jura
Regalia & Fiſcalia, quæ ſunt de Reſervatis Principis, & gene-
16 rali verborū conceptione trāslata eſſe non intelligūtur. Di-
ſtinguunt alii an concesſio facta ſit à Supremo Domino, Pa-
pa ſcilicet, vel Imperatore, Rege vel alio ſuperiorem non
recognoſcente in titulum majoris dignitatis: vel cum quis
creatus ſit Rex, Princeps, Dux, Marchio, aut Comes: Et
hoc caſu conceſſa eſſe jura fiſcalia non dubitant. Aut
concesſio fit à Dominis temporalibus: tunc enim, quam-
vis Jurisdictionalia in Civilibus & Criminalibus translata
eſſe cenſeri debeant, non ideò tamen cætera Regalia cum
jure confiſcandi acquiſita erunt. Aut denique facta eſt
concesſio à Supremo, ſed Dominis inferioribus, vel etiam à
Principibus recognoſcentibus ſuperiorem: hoc caſu &
hæc Regalia nullo modo translata eſſe cenſentur, quan-
tum-

tunivis mulctæ & pœnæ ad tales pertineant: Quia hæ in ſexto gradu Meri Imperii, confiſcationes autem bonorum in primo gradu conſtitutæ ſunt. 17

Tutius tamen erit ad tenorem inveſtituræ recurrere: nam ſi de Caſtro cum Regalibus inveſtitura facta ſit, 18
quin etiam confiſcationes contineantur, nemini dubium remanet; eo qvod Regalium appellatione omnia translata 19
cenſeantur Regalia. Eadem erit deciſio, in caſu qvando Civitas vel Caſtrum cum mero & mixto Imperio cum omnibus ſuis Juribus, Jurisdictionibus, reditibus & proventibus concedatur *Bald. Cons. 306.* quia confiſcationes bonorum ut dixi ſunt de primo gradu Meri Imperii, idem erit ſi in perpetuum cum Jurisdictione Caſtrum conceſſum eſt: quoniam ex vi in definitæ loquelæ omnem Jurisdictionem 20
donaſſe, omnesque reditus cauſarum Civilium & Criminalium transtuliſſe videtur. *Bald. in l. fin. Col. 1. ff. de Conſt. Princip.*

Qvomodo Mero & Mixto Imperio conceſſo Regalia conceſſa eſſe videantur infra *de Succeſſ. Regal.* Uberius dicemus. Cœterum de Jure qvidem verum eſt, qvod Principes Superiorem v. g. Imperatorem recognoſcentes plenitudinem poteſtatis non habeant, adeoq; etiam confiſcandi Jus habere non poſſint. Attamen contrarium de conſve- 21
tudine obſervatur, ut non tantum in Ditionibus & Statibus ſuis abſolutâ poteſtate utantur, ſed & omnia Regalia majora exercere queant. Quemadmodum in Principibus Im- 22
perii, cuiquam obvium eſt, qvi tantum in territorijs ſuis poſſe vulgò dicuntur, quantum Imperator in Imperio. Fiſcus itaque vel ſuccedit in totum vel in parte. In totum Primò quando eſt hæres inſtitutus, aut nullo hærede exiſtente bona vacantia reperiuntur. Secundò, Cum ab in- 23
dignis bona auferuntur. Tertiò, Dum propter delicta admittitur. In parte verò ſuccedit, quando pars bonorum

fiſco relinquitur, aut etiam pars mulctæ & pœnæ eidem adjudicatur. De qvibus in ſeqventibus ſeparatim.

SECTIO I.

De Succeſſione Fiſci hæredis inſtituti.

SUMMARIA.

1 *Qvilibet de rebus ſuis liberè diſponere poteſt.*

2 *Fiſcus æque ex teſtamento legitimo ſuccedit.*

3 *Non confecto Inventario ſupra vires bonorum tenetur & Jure privati utitur.*

4 *Nullo facto teſtamento, deficientibusqve hæredibus ad decimum gradum fiſcus ſuccedit ipſo Jure.*

5 *Succeſſio fiſci in bonis vacantibus non ſapit Jus hæreditarium.*

6 *Caſus qvibus fiſcus non ſuccedit ſed aliæ perſonæ.*

7 *Collegia, Univerſitates, Confraternitates & Curiales, aliqvo, de Curiâ Collegio, Univerſitate vel confraternitate defuncto, excluſo fiſco ſuccedunt.*

8 *An tutor in ſucceſſione pupilli præferatur fiſco?*

9 *Qvomodo Eccleſia ſuccedat Clerico defuncto absq; hæredibus?*

10 *Generaliter fiſcus ſuccedit, ubi Jus ſuum non abrogatur.*

11 *An in hac ſucceſſione creditoribus ultra vires teneatur?*

12 *Qvod ſi hæres inſtitutus recuſet adire hæreditatem, & fiſcus bona ut vacantia capiat, an cogatur præſtare legata & fideicommiſſa?*

13 *Quid Juris ſi bona ab indignis auferantur?*

14 *A Jure fiſcali excipiuntur bona feudalia & Emphytheutica.*

1 QUam libera cuiqve relinqvatur teſtandi facultas abundè omnibus patet, adeò ut tanquam rerum ſuarum arbiter & moderator liberè de bonis & facultatibus ſuis diſponere, & tàm publicis quàm privatis perſonis proſpicere valeat. Idcirco meritò per ultimam voluntatem fiſco
2 relictum capere integrum eſt, præcipuè quando teſtamentum ſuis ſolennitatibus non deſtituitur. Nam aliàs omni-

ninò ſuccedere non poſſet *l. Ex imperfecto. 5. Cod. de Teſtam.* & hinc non confecto Inventario creditoribus ſupra vires 3 bonorum tenetur, & utitur jure privati, quando non reperitur in ſpecie privilegiatus. Quodſi verò nullum reperi- 4 atur teſtamentum, atq; ſine legitimo hærede, id eſt deſcendente, aſcendente vel transverſali lineâ tàm agnaticâ quàm cognaticâ ad decimum usq; gradum, aut etiam non exiſtente vel viro vel uxore quis vel qvæ deceſſerit, & conſeqventer bona vacantia dicantur, fiſco, ut ſupra jam dixi, obveniunt *l. 1. ff. de Jur. Fiſc. l. 1. Cod. de Bon. vacant.* Et ipſo quidem Jure nullâ præcedẽte agnitione: Quoniam ſuc- 5 ceſſio fiſci in bonis vacantibus non ſapit Jus hæreditarium. *Boſſi. in tit. de Bon. vacant.* niſi ſpecialiter per leges in alias perſonas transferantur, quæ extra caſus non expreſſos extendenda non ſunt. Sic videmus ſocium, in re ſibi & ſo- 6 cio ab Imperatore & Supremo Principe donatâ, non exiſtente legitimo hærede, excluſo fiſco ſuccedere *l. 1. Cod. Si qvis. lib. Imp. ſoc. lib. 10.* Eodem modo patronus in ſucceſſione liberti præfertur. *§. Sed noſtra. Inſt. de Succeſſ. libert.* Sic Collegia licita, Univerſitates, Cõfraternitates, & Curiales defũcto aliquo de Curiâ, Collegio, Univerſitate vel Cõfraternitate fiſco 7 in ejus ſucceſſione potiores ſunt *l. 1. & ll. ſeqq. Cod. de Hæred. Decur.* Expoſitis qvoqve ſuccedit Hoſpitale fiſco non admiſſo. *Bald. in l. Si quæ Illuſt. Cod. ad SC. Orphit.* qui & tenet in *l. Nutritoribus, Cod. Comm. de Succeſſ.* tutorem in ſuc- 8 ceſſione pupilli in pupillari ætate defuncti fiſco anteponi. Cui tamen contradicit *Bart. in l. Qvo tutela. ff. de R. I.* Cum ex lege eidem non deferatur ſucceſſio. Ut autem hæc difficultas ſolvatur, quidam putarunt pro medietate eam componendam eſſe. Similiter ſuccedit Ec- 9 cleſia in bonis Clerici inteſtati defuncti nullis relictis conſanguineis excluſo fiſco temporali *l. Si qvis Presbiter. 20. Cod. de Epiſc. & Cleri.* Quando itaq; per ſimiles Leges Jus fiſci 10 non abrogatur ſine ullâ contradictione ſuccedere debebit,

imò

imò etiam agere petitione hæreditatis poterit *l. Item veniunt. 20. §. Pridie. & §. fin. ff. de Hæred. Petit.* Ita ut bonis
11 conſecutis ultra vires Patrimonij creditoribus omninò non teneatur, cum non capiat bona uti hæres, nec etiam cogatur præſtare legata & fideicommiſſa, caſu qvo inſtitutus in teſtamento hæres recuſat adire hæreditatem, aut
12 etiam decedit hæreditate non aditâ, & tandem ceu bona vacantia ad fiſcum deferuntur, ex defectu hæredum legi-
13 timorum. Rationem ſtatim diximus: quia non ſuccedit uti hæres. Excipe tamen, ſi bona uti ab indignis auferantur, & continuo ad fiſcum deferantur: Aut etiam cum fiſcus, cui bona vacantia ſunt devolvenda, expreſſè gravetur, quod fieri poteſt *l. Filius familias. 113. §. Inteſtato. ff. de Leg. I.*
14 Ab hoc Jure Fiſcali excipiuntur bona Feudalia & Emphyteutica, quæ pro Jure utilis dominii ad Dominum redeunt, & cum directo conſolidantur.

SECTIO II.

De Succeſſione Fiſci in bonis indigenorum.

SUMMARIA.

1 *Ea quæ ab indignis auferuntur fiſcus capit.*

2 *Pœna confiſcationis ſtricti Juris eſt.*

3 *Inter indignos numeratur interfector defuncti, culpâ etiam tantum vel negligentiâ interveniente.*

4 *An indigno adire volente hæreditatem fiſcus vocabitur, an ſubſtitutus vel conſanguinei?*

5 *Quatuor caſus hic proponuntur.*

6 *Indigno repudiante hæreditatem aut ſi ſit incapax, ſuccedent proximiores, cum fiſcus nondum habeat cauſam.*

7 *Indignus per mortem excluſus facit ut fiſcus quoq; excludatur & locus ſit hæredibus ab inteſtato.*

8 *Secus ſi in fraudem fiſci indignus nolit adire hæreditatem.*

9 *Quid Juris ſi plures & pares gradu interfectori ſuccedere velint?*

10 *An hæc noſtra confiſcatio bonorum etiam contra eum inſtitui poſſit, qui interfecerit fratrem defuncti?*

11 *Qvid ſtatuendum ſit in feudis, fideicommisſis, & Primogenituris?*

12 *Indignus qvoq; eſt qui necem defuncti non ulciſcitur.*

13 *An fiſcus detrahat falcidiam & Trebellianicam?*

14 *Qvos fructus teneatur reſtituere indignus an & præter perceptos etiam percipiendos?*

15 *Indignus eſt, quem teſtator poſt teſtamentum factum pro tali declaraverit.*

16 *Quid ſi id non apertè ſed verbis tantum denotantibus dixerit, an nihilominus fiſcus auferet?*

17 *An Cancellatio hæredis & ſimultanea declaratio pro indigno eundem effectum tribuant?*

18 *Qvomodo in dubio probetur hujusmodi defuncti declaratio?*

19 *Tot ſunt teſtes neceſſarii in revocatione qvot in datione.*

20 *In tacitâ ademptione duo ſaltem ſufficiunt.*

21 *Indignus qvoqve eſt qui aliqvem teſtari probibuiſſet, qvod fieri poteſt per coactionem ut hæres inſtituatur.*

22 *Quot diverſæ actiones poſſint inſtitui adverſus talem?*

23 *An eædem actiones locum habeant contra eum, qvi dolo malo teſtatorem inducit per falſas ſuggeſtiones, qvibus venientes ab inteſtato excluduntur?*

24 *Quid ſi tantum blanditiis & affectatis verbis fuerit inductus teſtator?*

25 *Inſpicitur utrum probibens teſtatori ſit agnatus aut perſona extranea.*

26 *An etiam indigni pœnam incurrit qui impedit teſtamentum factum immutare?*

27 *Non præſumitur teſtator dolo circumventus, niſi probetur.*

28 *Indignus eſt qvi teſtamentum nullum dixerit ex eo, qvod teſtari non potuerit.*

29 *Ingratitudo adverſus defunctum indignitatem importat.*

30 *Item qui defuncto qvæſtionem Status movet, aut etiam de viventis hæreditate diſponit, indignus dicitur.*

INdignitatis nomen in materiâ ſucceſſionum jam aliquoties occurriſſe vidimus; propriè tamen adhunc titulum referri debet. Eſt autem regula certa: *qvod ea qvæ ab indignis auferuntur Fiſcus capiat. l. 1. ff. de Jur. Fiſc.* Pro 1
talibus habentur, qui ipſâ Lege ita declarantur: quoniam pœnæ ſtricti ſunt Juris, & hinc ſtrictè qvoque adeas procedendum, ita ut pœna hæc confiſcationis locum habere 2
non

non poſſit, niſi per Legem expreſſè ſancita inveniatur, & fiſco ſucceſſionem indubiè tribuat illius, in cujus locum ſuccedit, ad hoc ut omnes actiones pro re & cauſâ rei ablatæ exercere, in eumq; cum omnibus oneribus & conditionibus, prout erant apud indignum, tranſire valeant. *l. Dicitur. 14. ff. de Jur. Fiſc. l. Cum fiſco. 9. ff. ad SC. Syllan.*

3 Indignos verò Primò ponimus eos, qui defunctum interficiunt, & non tantum, quando propriis manibus aut mandato, id factum fuit, ſed etiam cum culpâ & negligentiâ eorũ pereat. *l. Indignũ. 3. ff. de His qu. ut indig.* non adhibẽdo ſcilicet ei Medicum, vel imperitum, aut non præſtando neceſſaria ad alimenta. Hi enim cum effectu ſuccedere non poſſunt. Studio apponuntur verba *cum effectu*: quia verè ſuccedit, & hæreditatem capit, ſed effectus ſucceſſionis, id eſt plena acquiſitio & uſus indigno adimitur, & tan-
4 dem fiſcus ab eo aufert. Quid ſi indignus hæreditatem acquirere & adire nolit, an nihilominus fiſcus vigore hujus Juris ex indignitate venientis maſſam hæreditariam conſequetur aut ſubſtitutus vel conſanguinei vocabuntur? Difficilis ſanè hæc eſt controverſia & maximè intricata pro-
5 pter varios caſus, qui exiſtere poſſunt. Et *primus* quidem eſt: Cum indignus repudiat hæreditatem. *Secundus*, quando non capit, quia & ſit indignus & incapax. *Tertius*, quod nolit capere hæreditatem ſibi delatam, poſtquam factus eſt indignus, idque in fraudem fiſci. *Quartus* deniq; cum in-
6 dignus per mortem excludatur. In primo caſu: quando nempè repudiat hæreditatem: omninò tenendum erit fiſcum excludi, quia tempore repudiationis non ſubeſt cauſa, ex quâ fiſco quidquam acquiri poſſit, & conſequenter proximioribus ſucceſſio deferenda, propter Jus qvæſitum quod habent, ne iis per fiſcum iniqua conditio inferatur *l. Non debet. 74. ff. de R. I.* niſi de fraude apertè conſtet: Idem quoq; in ſecundo caſu dici debet, cum in concurſu indignitatis & incapacitatis magis prævaleat incapax, & nul-

nullam omninò habilitatem pro ſe habeat, conſequenter
quoq; idem in fiſco obſervari oporteat: quia ablatio præ-
ſupponit habitum capiendi. Similiter dicas de quarto ca-
ſu, qvo per mortem excluſus fuit indignus: nam & fiſcus 7
excluditur, & lucrum penes illos remanet, apud qvos
manſiſſet ſi indignus ille in medio non fuiſſet; Secus ta- 8
men pronunciandum in tertio, ex quo apertè colligitur in
fraudem fiſci nolle indignum adire hæreditatem, & ideò
meritò eundem in Jure ſuo conſervandum eſſe benè con-
cludit *Bart. in l. Si frequens. ff. ad SC. Syllan.* Statuta tamen lo-
corum in hiſce maximè conſideranda ſunt. Dixi conſan-
gvineos, in caſu qvo fiſcus aufert ab indigno hæredita-
tem, non ſuccedere; qvod verum eſt, ſi ſolus conjunctus
vocatus fuiſſet; nam alias eſſet dubitatio non levis, ſi 9
plures & pares in gradu interfecto ſuccederent. U-
bi tamen ſine multis ambagibus concludendum foret,
hoſce pares in portione ſuâ ſuccedere, non item in por-
tione interfectoris, quæ fiſco debetur, quam ideò aufert,
ne filii interfectoris eam conſequantur; Qvod fortè non
ita abſolutè dici poſſet, præſertim in caſu quando teſtator
filium ſuum hæredem inſtituit hac Lege, ne alienet bona
in favorem deſcendentium; Nam tunc fiſcum excludi &
nepotes admitti putant, qvod adeò expeditum mihi non
videtur, cum prohibitio illa non reddat filium incapa-
cem.

Prædicta locum non habent in eo, qui interfecerit 10
fratrem defuncti, nam is qui occidit fratrem domini feu-
di non privatur feudo *tit. 37. lib. 2.* niſi in injuriam teſtato-
ris id feciſſet.

Confiſcationem iſtam bonorum intelligat Lector de 11
bonis allodialibus, & iis in qvibus liberam habuit defun-
ctus diſpoſitionem. Nam in Feudis, Fideicommiſsis, Pri-
mogenituris, Majoratibus, & hujusmodi, quæ ordine
ſucceceſsivo deferuntur, aliud dicendum eſſet; quia in ca-

ſibus, in quibus per conſtitutionem fiſcus bona capit, durante vitâ indigni fiſco locum daret; in Feudalibus verò & Pr mogenituris propter incapacitatem ſucceſſionis illum excludere oportet, tribuendo ſucceſſionem iis quibus
12 competit. *Secundò*, pro indigno reputatur is, qui necem defuncti non ulciſcitur; Et hinc fiſcus hæreditatem ab eo aufert. *l. Hæredē. 17. ff. de His quib. ut indig.* Quod ſaltē in hærede obtinet, non verò in legatariis & fideicommiſſariis.
13 Hi enim etiam qvando hæreditas à fiſco vindicata fuit legata & fideicommiſſa nanciſcuntur. *d. l. cum fiſco. ff. ad SC. Sylan.* ſalvâ tamen ipſi fiſco Falcidiâ & Trebellianicâ, cum no-
14 mine hæredis ſucceſſionem acquirat. Tenetur inſuper indignus ad reſtitutionem omnium fructuum perceptorum, etiam ante litem conteſtatam, nec non percipiendorum; ſive fructus extent, ſive non, & ſive ex iis factus ſit locupletior ſive non. Ratio eſt: qvia indignus ob aliqvod ſuum delictum cenſetur malæ fidei poſſeſſor, & propterea ad reſtitutionem fructuum perceptorum & percipiendorum compellitur, nec titulus teſtamenti aut ab inteſtato illum excuſat; niſi ſubeſſet aliqua ignorantia facti licet ſupina; tunc enim ad fructus poſt litem motam perceptos tantum teneretur.

15 *Tertiò*, pro indigno habetur is, qvem poſt teſtamentum factum indignum ipſe teſtator dixerit, idq; expreſſe declarando illum indignum ſuâ hæreditate. Et tunc procul dubio fiſcus hæreditatem ab eo auferet, non ſolum
16 qvando non apertè id expreſſit; & aliis tantum verbis denotantibus eum malè meritum; ſed etiam qvando mens denotantis hæredem indignum ex conjecturis colligi potuit. Niſi præſumptio ſit eum voluiſſe, ut bona ſua ad proximos devenirent, hoc poſtremo caſu fiſcus excluderetur.
17 Qvod ſi teſtator nomen hæredis vel legatarii cancellaverit, & inſuper indignum declaraverit, fiſcus itidem ſuccedet; niſi expreſſè venientes ab inteſtato, vel alium no-

mi-

minaſſet, tùm enim ſervaretur voluntas defuncti, bonaqve ad hæredes legitimos pervenirent. Ad hoc autem ut qvis dicatur indignus à defuncto declaratus, non ita ſimpliciter obtinet, ſed probatione opus eſt, ſi aliundè conſtare non 18 poſſit, & quidem per teſtes; ita ut, ſi agatur de expreſſâ ademptione, quæ ex verbis & teſtatoris diſpoſitione inducitur, tot ſint teſtes neceſſarii in revocatione, qvot in do- 19 natione requiruntur, in inſtitutionibus ſeptem, & in legatis quinqve. Si verò ſermo ſit de tacitâ ademptione, qvæ ex facto aliqvo reſultat, tunc duos teſtes ſufficere certum 20 eſt.

Quartò, fiſcus aufert ſucceſſionem illius ut indigni, qui aliquem teſtari prohibuiſſet. *l.1.& per tot. ff.& Cod.Si* 21 *qvis aliq.teſt.probib.l.Si ſcriptis.19.ff.de His qu.ut indig.* quod fieri poteſt per coactionem, ut ſe hæredem inſtituat, quæ coactio talis eſſe debet, quæ cadit in virum conſtantem. Ejusmodi indignus primò criminaliter punitur. Secundò, 22 Civiliter, dum fiſcus adimit hæreditatem, & Tertiò læſus agit contra eum ad duplum. Quam doctrinam meritò 23 Doctores ad eum referunt, qui dolo malo teſtatorem ad teſtandum inducit, per falſas ſcilicet ſuggeſtiones, quibus venientes ab inteſtato, vel etiam in priori teſtamento inſtituti, hoc modo excluduntur per dolum, qui in mendace ineſt, & præſumitur.

Hinc criminaliter contra talem, ad extraordinariam illius condemnationem agitur, deinde civiliter ad bonorum avocationem, qvo caſu venientes ab inteſtato, vel hæredes ſcripti in alio teſtamento contra doloſum agere poterunt per actionem de dolo, vel in factum, pro intereſſe eorum ex cauſâ hæreditatis doloſè ſibi & ipſis extortæ & ablatæ. Secus tamen erit, ſi blanditiis, affectatis verbis & ſermonibus inductus fuerit teſtator, cum qvodammodo 24 licere videatur, qvod tamen qvibusdam non probatur. Idem cum ſuperioribus etiam eſſet, ſi qvis compelleret teſta-

ſtatorem inſtituere aliqvem hæredem, aut etiam prohiberet quem teſtari, qui teſtatus non eſt, hac tamen notandâ
25 diſtinctione. Ut ſi hujusmodi prohibens propinquior gradu fuerit Agnatus, fiſcus ei ut indigno ſucceſſionem adimat, ſi verò plures ſint ejusdem gradus; unius factum cæteris non præjudicabit, ſed ſola ejus portio fiſco applicabitur. Quodſi prohibens omninò perſona extranea fuerit; tunc nullum hæredibus ab inteſtato præjudicium creabit, niſi conſtet de voluntate defuncti, qui alios quàm hos inſtituere in animo habebat. In eandem pœnam in-
26 digni incidit, qui impedit teſtamentum jam factum immutare. Quæ tamen probanda erunt ab eo, qui ſe læſum hiſce circumventionibus dicit, qvod defunctus ſibi quid relicturus erat in teſtamento quod facere volebat: Nec præſumitur in dubio teſtator dolo circumventus *l.*
27 *Metum. 9. Cod. Quod. met. cauſ. l. Non eſt veriſimile. 23. ff. eod.* niſi probetur, & quidem probationibus legitimis, & luce meridianâ clarioribus, quemadmodum in ejusmodi criminibus reqviruntur *l. fin. Cod. de Prob.* nec non etiam teſtibus & conjecturis quæ ſint legitimæ & concludentes.

28 *Quintò*, Indignitatis notâ laborat, qui teſtamentum nullum ex defectu perſonæ dicit, quia teſtari non potuit, cui fiſcus ſuccedit *l. Cum tabulis. 16. ff. de His qvib. ut indign.*

29 *Sextò*, inter indignos connumerantur ij, qvi ingrati adverſus defunctũ extiterunt. *l. 1. ff. de His quib. ut indign.* Exẽpla ingratitudinis paſſim reperiuntur, quorum unum videri poteſt in *d. l. 1.* in eo qui defunctum illicitæ mercis negotiatorem detulit, quamvis etiam ex eâ delatione præmium ex publico meruiſſet. Item ſi quis uxorem filiamve defuncti poſt illius mortem cognoviſſet *Gloſſ. in l. Sororem. Cod. eod.*

30 *Septimò*, indignus ſucceſſor eſt, qvi defuncto Status

qvæ-

qvæſtionem moverit *l. Si inimcitiæ. & l. Cum tabulis. 16. ff. de Hisqvib. ut indign.*

Octavò, deniq; qui per contractum inter vivos de hæreditate viventis in totum vel in partem, utpote contra bonos mores & Gentium Jura feſtinans diſponit: huic enim ut indigno à fiſco hæreditas aufertur. *l. 2. in f. ff. de His quib. ut indign. l. 29. §. 2. & l. ſeq. ff. de Donat.* Plures paſſim in legibus exprimuntur Indignitas cauſæ, ad quas recurrere qvis poterit.

SECTIO III.

De Succeſſione Fiſci ex cauſis delictorum.

SUMMARIA.

1 *Facinoroſorum perfidia pœnis coerceri debet, & coercetur Conſtitutione Criminali Caroli Qvinti.*
2 *Committentes Crimen Læſæ Majeſtatis Divinæ bonis cadunt.*
3 *Crimine Hæreſis qvi notentur?*
4 *Hæreſis unde dicatur?*
5 *Hæreticorum qvidam à nomine ſuorum Authorum dicuntur, qvidam à Dogmatibus.*
6 *Manichæi à qvo dicantur & qvodnam eorum fuerit dogma?*
7 *Qvi ſint Novatiani, & qvod eorum dogma?*
8 *Qui ſint Arriani & qvod eorum dogma?*
9 *Qui Macedoniani, Donatiſtæ, Tertullianiſtæ, Pelagiani, Euthychiani, Seducei, Samaritæ, Janſeniſtæ, Epicurei & unde Hæreſes eorum ortæ?*
10 *Pœna Hæreſiarcharum in Civilibus.*
11 *Criminaliter etiam puniuntur, ipſique cum libris igne concremantur.*
12 *Eorum bona fiſco applicantur.*
13 *Argumentatio ab humanæ Majeſtatis læſione ad Divinam.*
14 *Pœna tamen executioni non mandatur, niſi poſtquam Epiſcopus loci, vel alia perſona habens poteſtatem, ſententiam ſuper hoc crimine promulgaverit.*
15 *An liberi Orthodoxi privantur hæreditate patris qui ſit Hæreticus?*
16 *Negativa placet.*
17 *Qvid ſi Hæretici ad meliorem men-*

tem

tem revertantur an reſtituantur bona confiſcata?

18 Hodie per Pacem Religioſam diverſæ Religiones in Imperio Romano permiſſæ absq; bonorum & famæ jacturâ.

19 Filius tranſiens ad unam aut alteram non excluditur à ſucceſſione patris.

20 Error eorum qui putant ob hunc tranſitum filium tranſeuntem per patrem exhæredari poſſe.

21 Committentes Crimen Læſæ Majeſtatis humanæ etiam bonis cadunt, infames redduntur & ultore gladio pereunt memoria eorum damnatâ.

22 Scilicet qui contra Imperatorem vel Rempublicam qvid hoſtili animo machinatus eſt.

23 An damnetur memoria eorum, qvi in necem Conſiliariorum Cæſaris conſpirant?

24 An confiſcatis bonis liberi ſaltem legitimam detrahant?

25 An committatur Crimen Læſæ Majeſtatis in alios quoq; Principes & Civitates Liberas, & memoria talium damnetur?

26 In Pontificem Maximum illud absq; dubio committitur, & graviſſima pœna conſtituta eſt in conſpiratores in necem Illuſtrum DD. Cardinalium.

27 In aliis Regibus, Principibus, Rebuspublicis, Ducibus, Marchionibus & Dominis perpetuis Bartolus non putat admitti, ex ratione ibidem poſitâ,

28 Sententia diſtingvens an non recognoſcant ſuperiorem vel recognoſcant.

29 Hodie dubium non eſt, qvin in Electores & Principes Imperii hoc crimen committatur damnatâ inſuper delinqventium memoriâ.

30 Principes Imperii participant de Juribus Majeſtatis.

31 Sub delicto Læſæ Majeſtatis continentur qvoq; Rebelles.

32 Quibus modis qvis fiat Rebellis?

33 Illa tantum Rebellio inducit Crimen Læſæ Majeſtatis, qvæ Statum Imperij concernit.

34 Ad hoc ut Rebellis qvis ſit & bona ideo confiſcentur, reqviritur ſententia confiſcatoria.

35 Rebelles ante ſententiam capaces ſunt commodorum Juris Gentiũ, non item Juris Civilis.

36 Quibus Juribus deſtituantur?

37 An in Rebellione notoriâ opus ſit ſententiâ condemnatoriâ?

38 An bona ubicunque ſita ubicunque confiſcentur?

39 Sententia diſtingvens inter crimina.

40 Delinqvens, extra territorium delicti commiſſi puniri non poteſt propter deficientiam Jurisdictionis.

41 Bona non poſſunt dici vacantia quæ extra territorium delicti poſſidentur.

42 Error Bartoli & Baldi inhabilitatem ſervorum pœnæ, deportatorum, & damnatorum in metal-

tallum extra territorium, defendentium.
43 Rationes quæ in uno Regno confiſcationem important, in alio ceſſare poſſunt.
44 Delinqventium filiii inſuper puniuntur, fiunt infames, & ſucceſſionibus carere debent.
45 An etiam feudis fili priventur?
46 Quod ſi feudum nondum apertum ſit vivente avo an nepotibus hoc crimine præjudicetur?
47 Negativa mitior eſt.
48 Affirmativa tamen verior, quia nepotes vocabulo liberorum continentur.
49 An filiæ contineantur ſub pœna L. 5. Cod. ad Leg. Jul. Majeſtatis.
50 Filias dotandas ſaltem eſſe plurimi volunt.
51 Exemplum egregium Ferdinandi Regis Neapolitani dotantis nobiliter Filias Principis Roſiani Rebellis.
52 An bonis cadat ille qvi ſibi violentas manus infert metu ſententiæ condemnatoriæ, poſtqvam de crimine convictus eſt?
53 Affirmatur ſi tali crimine nexus fuerit, qvod confiſcationem ſecum trahit.
54 Confirmatur Conſtitutione Criminali Carolinâ.
55 An fiſcus ſuccedat, ſi quis ſe interficiat tædio vitæ vel æris alieni pudore aut propter impatientiam doloris?
56 An in dubio qvis præſumatur ſibi violentas manus injeciſſe, ſi alicubi ſolus mortuus inveniatur?
57 Qvid præſumatur de mortuo invento in carcere aut in puteo.
58 An Tit. de his qvi ſibi mort. conſciver. hodie correctus dici poſſit per Autb. Bona damnatorum?
59 Quidam dicunt confiſcationem per totum mundum abolitam eſſe excepto Crimine Læſæ Majeſtatis, ſed minus rectè.
60 Autb. Bona damnatorum. qvomodo intelligenda, & in qvibus caſibus accipienda?
61 An plures hodiè, quam in Crimine Læſæ Majeſtatis, ſint confiſcationis caſus?
62 Enumerantur ex Receſſibus Imperij.
63 Confirmatur per Conſtitutionem Criminalem Caroli Quinti.
64 Memorabilis Lex Reipub. Venetæ latæ ad terrendum homicidas, quâ bona commitentium homicidium, qvæ alias fiſco deberentur, proximioribus occiſorum conceduntur.
65 An mortui antequam conjuncti & condemnati publicationem bonorum patiantur?
66 De Jure Communi delicta morte rei extinguuntur ſi lis cum defuncto non ſit conteſtata.
67 De conſuetudine locorum aliquãdo in cadavera ſævitur.
68 Limitantur Jura Communia ſi Lex ipſo Jure & facto inducat confiſcationem.
79 Quam pœnam tamen præcedere de-

debet ſententia declaratoria ſuper facto.
70 Excipe quosdam caſus.
71 Limitantur eadem jura in Crimine Læſæ Majeſtatis quod non extinguitur morte rei.
72 Limitantur inſuper in contrahente nuptias inceſtas & in crimine repetundarum.
73 Item in crimine peculatus & de reſiduis, in delicto hæreſis aut ſi quis interfecerit eum cujus hæres eſſe debuerat.
74 Nec non in fraudante Gabellam, contra hæredes enim intra quinquennium actio exercetur.
75 An fiſcus generaliter in delictis quæ morte rei non extinguuntur intra quinquennium ſub pœnâ præſcriptionis agere teneatur?
76 An præter corporalem pœnam delinquentes capitaliter etiam bonorum confiſcationem mereantur?
77 Generalis eſt Regula, non poſſe intentari confiſcationem bonorum propter delictum, niſi in caſibus in jure expreſſis.
78 Non propter quodvis delictum bonis exuuntur, ſed Jura Civilia perdunt.
79 De conſvetudine capitaliter damnatis teſtamenti factio concedi, imò & Princeps cum tali diſpenſare poteſt.
80 Hiſce igitur caſibus res cadit ad cauſam inteſtati excluſo fiſco.
81 Quibus Juribus priventur damnati perpetuo in metallum.
82 An ad tempus damnati libertatem amittant?
83 An pœna damnationis in metallum in uſu eſſe deſierit?
84 Quæ pœnæ damnationi in metallum ſurrogatæ ſint?
85 An deportati ſint capaces ſucceſſionum vel non?
86 Negativa verior, deportatos ſcilicet amittere ea, quæ ſunt Juris Civilis.
87 Non ſuccedit itaque deportatus ex teſtamento, & portio ejus vel ad ſubſtitutum vel conjunctum tendit.
88 Quæ ſit pœna Relegatorum, & an amittant libertatem & bona?
89 Reſpondetur negativè, niſi id per ſententiam declaretur.
90 Relegati non amittunt Jura Civilia.
91 Publicatio bonorum non includit bona futura.
92 An Banniti bona amittant, & durante banno in patriam revertentes impunè offendi poſſint?
93 Per ſententiam & Statutum fieri poteſt ut bannitus impunè offendi poſſit.
94 Bannum ſtricti Juris eſt, & quidquid in eo omiſſum eſt, pro omiſſo habetur.
95 Bannitus qui impunè offenditur amittit Jura & beneficia municipalia & propria illius Civitatis, Provinciæ & Regni non verò Jura Gentium.
96 Ratio hujus incapacitatis.

97 An

97 An eadem pœna decreta eſt in bannitum, qui impunè offendi non poteſt.
98 Dividitur Bannum in Generale Imperii & ſpeciale alicujus Status, & illud eſt ſtrictè tale, vel privatio omnium bonorum.
99 Quid ſit Bannum Imperiale ſtrictè dictum?
100 Quid ſit privatio bonorum & Jurium Imperii?
101 Bannum Imperiale decernitur ab Imperatore aut à Rege Romanorum, aut cui Imperator demandaverit, uti Cameræ Imperiali.
102 Camera Imperialis à primordio Conſtitutionis ſuæ in primo anno undecim declaratorias banni publicavit.
103 An Judicio Rothweilenſi competat declaratio banni, & quousque ſe extendat poteſtas ejus?
104 An Judicium arcanum Weſtphalicum etiam hanc poteſtatem habeat?
105 Hoc Judicium à Carolo Magno originem trahit.
106 Quæ cauſæ ad hoc Judicium poſt Reformationem Sigismundi Imperatoris Anno 1439. deferri debebant? Illius nulla amplius veſtigia reperiuntur.
107 Quinam Bannum Imperiale incurrant?
108 Quatuordecim recenſentur cauſæ ex quibus quis in bannum declarari poſſit.
109 In quibus conſiſtat effectus banni Imperialis?
110 Banno Imperiali tactus Jura propria Regum Principum & Civitatum Imperatorem in Superiorem non recognoſcentium non amittit.
111 An talis impunè occidi poſſit?
112 Banniti Imperiales pro hoſtibus Imperii habentur.
113 Qui pœnâ receptatorum bannitorum teneantur?
114 Bannitus actiones nullas inſtituere, & inſtitutas proſequi non poteſt.
115 Quomodo ad declarationem banni in Camerâ Imperiali procedatur?
116 Declarationi Præſides, Aſſeſſores & Procuratores Cameræ Imperialis interſunt.
117 Ceremoniæ in declarando Banno in Camerâ Imperiali uſitatæ.
118 Edicta Cæſarea Banni in loco denunciationis & domicilii ad valvas Eccleſiarum vel domus Senatoriæ affiguntur.
119 An hæc affixio etiam in privatione bonorum & Jurium Imperii admittatur?
120 Citatio auff die Acht ſub nomine conſortium impetrari non poteſt, ſed nominatim peti debet.
121 An mulieres etiam Banno Imperiali ſubjiciantur?
122 Ratio Negativa.
123 Perſonæ Eccleſiaſticæ huic fulmini non ſubjiciuntur niſi in quantum gaudent Regalibus & privilegiis Imperii.
124 Eccleſiaſtici cæterarum Religionum

num Banno Imperiali peti poſſunt.

125 *Quid circa executionem ſententiæ declaratoriæ banni obſervandum?*

126 *An Bannitus audiatur ſi intra annum venerit purgandi ſui gratia?*

127 *Banni Saxonici proceſſus examinatur.*

128 *An Statibus Imperii declaratio banni quoq; competat?*

129 *Negativa non multis probationibus indiget.*

130 *An abſolutio à banno importet reſtitutionem quoad omnia?*

131 *Reſtituere bannitos eſt de reſervatis Principum.*

132 *An liceat Judici poſt latam ſententiam pœnam minuere?*

133 *Qvomodo reſtituatur bannitus per viam gratiæ, & an per eam omnia reſtituta cenſeantur?*

134 *Reſtitutio reddit qvod læſio abſtulit.*

135 *Quid ſi bona à fiſco alienata fuerint, an hic fiſcus in pretio locupletior factus illud reſtituere teneatur?*

136 *Quomodo bannitus per viam Juſtitiæ reſtituatur, & an ei hoc modo pleniſſimè ſuccurratur?*

137 *In eam reſtitutionem veniunt fructus percepti & percipiendi, imò & bona alienata per fiſcum.*

138 *An bannitus quoque reſtituatur in dignitates?*

139 *Reſtituitur niſi dignitates ante abſolutionem in alium collatæ fuerint.*

140 *Plenariè reſtitutus an recuperet Jura agnationis, cognationis, filiationis, ſucceſſionum & Reliqua Jura Civilia?*

141 *An actus geſti & per bannum infirmati reconvaleſcant?*

142 *An reſtitutus ſuccedat ex teſtamento extranei in relictis puris & conditionalibus ante ſententiam condemnatoriam.*

1 QUam facilè hodiernis temporibus homines facinoroſi ad delicta moveantur, non multis opus eſt probationibus ſeſe fatigare, cum triſtia hujusmodi exempla paſſim obvia ſint. Ideoq; & habitâ proportione delictorum & pœnarum coerceri debuerunt, de quibus Conſtitutio Criminalis *Glorioſiſſimi Imperatoris Caroli Qvinti*, quantum fieri potuit, pro enormitate cujusque diſpoſuit. Noſtri autem inſtituti hic non eſt delicta qvævis examinare, ſed
2 ea tantum, quæ publicationem bonorum important. Inter qvæ enormius iſtud Crimen Læſæ Majeſtatis Divinæ pri-

primùm recenſetur. Crimen ſcilicet hæreſis, qvod in- 3
currunt ij qvi de fide dubitant, qui firmiter & conſtanter non credunt quæ Catholicæ & Orthodoxæ fidei ſunt, qui aliter intelligunt Scripturam quàm ſenſus Spiritus Sancti ab Eccleſiâ declaratus receptusqve flagitat, novas Sectas fingentes, aut jam fictas ſeqventes *l. 2. Cod. de Hæret. & Manich.*

Dicitur Hæreſis à verbo αἱρῦμαι qvod ſignificat eligo 4
vel exſpecto: Hæreticus eſt qui in opinione tenaci eſt *X. de Hæret. l. Omnes. Cod. eod.* Hæreticorum quidam à nomi- 5
ne ſuorum Authorum nuncupantur, quidam à cauſis qvas eligentes inſtituerunt. Agmen ducunt Manichæi, de qui-
bus *in tit. de Hæret. & Manich.* utpote inſigniores, qui no- 6
men ſortiuntur à Mane Perſâ: Eorum fanaticæ fuerunt opiniones de Diis duobus, uno bono, altero malo; nec non errores plurimi adverſus naturam humanam Chriſti Domini, teſtamentum vetus reſpuunt, & novum ex parte recipiunt. *Deindè* ſunt *Novatiani* à Novato Urbis Roma- 7
næ Præsbytero orti, qui adverſus Cornelium Cathedram Sacerdotalem conatus invadere, hæreſin inſtituit, voluit apoſtatas recipere, rebaptizans Baptizatos.

Tertiò ſunt *Ariani*, qui ortum ſuum habuerunt ab 8
Ario Alexandrino Præsbytero, qui coæternum patri filium non agnoſcens, diverſas in Trinitate ſubſtantias aſſeruit. Hac formâ loqvendi utuntur. ἦν ποτε ὅτε ὐκ ἦν λόγος. id eſt, erat pater cum nondum erat λόγος: item dicunt eſſe λόγον ὐκ ὄντων ex non extantibus.

Qvartò, Macedoniani qui à Macedonio Epiſcopo ita 9
dicti ſunt negantes Deum eſſe Spiritum Sanctum.

Qvintò, Donatiſtæ à Donato quodam Afro, qui totam pœnè Affricam ſuâ perſvaſione decepit, aſſerens minorem Patre Filium, & minorem Filio Spiritum Sanctum.

Sextò, Tertullianiſtæ à Tertulliano Præsbytero Africæ Provinciæ, qui dicunt animam immortalem eſſe ſed

corpoream deprædicantes, & animas peccatorum hominum in dæmones converti putantes.

Septimò, Pelagiani à Pelagio Monacho orti, ij liberum arbitrium Divinæ gratiæ anteponunt, dicentes ſufficere: voluntatem ad implenda Divina juſſa.

Octavò, Neſtoriani à Neſtorio Conſtantinopolitano Epiſcopo nuncupati, qui beatam Virginem non Dei ſed hominis tantummodò matrem eſſe aſſerunt, ut aliam perſonam carnis facerent, aliam Deitatis: Nec unum Chriſtum in verbo Dei & carne credidit Neſtorius, ſed ſeparatim alterũ filium Dei, alterum filium hominis prædicavit.

Nonò, Euthychiani ab Euthyche Conſtantinopolitano Abbate, qui Chriſtum poſt humanam aſſumptionem negavit exiſtere in duabus naturis, ſed ſolam in eo Divinam aſſeruit naturam.

Decimò, Seducei, qui negant reſurrectionem mortuorum.

Undecimò, Samaritæ qvorum Secta mixta eſt ex Judaiſmo & Paganiſmo, idola colunt, Moyſis libros tantum admittunt, poſteriores Prophetas rejiciunt, à qvibusdam cibis abſtinent, negant carnis reſurrectionem.

Duodecimò, Janſeniſtæ, ita dicti à Janſenio Epiſcopo Yprenſi, cujus propoſitiones qvædam damnatæ ſunt.

Decimo tertio, Epicurei, quorum Deus venter eſt, & plures alii, qui ab Impp. Theodoſio & Valentiniano in *l. ſ. Cod. de Hæret. & Manich.* numerantur.

10 Hæreſiarchæ puniuntur ſeveriſſimè, & quidem in
Civilibus pro infamibus habentur *l. ſ. Cod. de Hæret. &
Manich.* fiunt inteſtabiles, & bonorum adminiſtratio a-
11 dimitur, pelluntur Civitate. Nec non etiam cum iis, qui
alios ad ſe pertrahere tentant, libros facinoroſi dogmatis
ſcribunt & docent, ultimo ſupplicio afficiuntur, ipſique
cum libris eorum igne concremantur. Secundum *Pa-
normit. in c. Abolendum. de Hæret.* Et textum Evangelicum
Jo-

Joann. 15. Si qvis in me non manſerit, mittetur foras ſicut pulvis, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent. Eorum quoq; 12 bona fiſco applicantur, & filii hæretici indiſtinctè paternâ hæreditate ex Conſtitutione Friderici privantur: quia longè gravius eſt æternam, quàm temporalem offendere Majeſtatem. Qui autem temporalem offendit Majeſtatem non tantum vitâ exuitur, ſed & omnibus bonis priva- 13 tur, & poſteri ejus, utpotè hæreditatis paternæ indigni, propter criminis metuenda exempla ad egeſtatem remittuntur; qvidni etiam in Crimine Læſæ Supremæ Majeſtatis idem obtineret? Igitur meritò ejusmodi Sectæ damnantur, conventicua prohibentur, loca congregationis deſtruuntur, Jure ſucceſſionis tàm ex teſtamento qvàm ab inteſtato privantur, bonaq; eorum meritiſſimâ ſeveri- 14 tate fiſco addicuntur, & executioni mandantur, poſtquam Epiſcopus loci vel alia perſona, quæ habeat poteſtatem, ſententiam ſuper hoc crimine promulgaverit *C. Cum ſecundum. de Hæret. in 6.* Nec obſtabit quod fortè hæreticus 15 mortuus ſit; cum bona ipſo Jure fiſco addicta poſt mortem occupentur. Limitatur quando ejusmodi hæretici orthodoxos habent liberos: Illi enim ſicut etiam agnati 16 rectæ fidei, fiſcum cùm quoad totam hæreditatem, tùm quoad partem, ſcilicet legata excludunt, & reliquorum hæreticorum portionem Jure accreſcendi adipiſuntur.

Aliud tamen eſſet ſi ad meliorem mentem reverte- 17 rentur: qvoniam reſtituenda forent bona ſed absq; fructibus. *Auth. Idem eſſet. Cod. de Hæret. & Manich.*

Quam ſeveritatem pœnæ magnâ ex parte relaxari miſeriâ præſentium temporum coegiſſe ingemiſcit *Perez. tit. 5. Cod. lib. 1. n. 3. in f.* quibus plures Religiones in Pace Religioſâ de An. 1555. in Imperio promulgatâ, permiſſas 18 eſſe videmus, ita ut ab unâ ad aliam liber ſit tranſitus absque bonorum, famæ vel honoris jacturâ, §. Und damit ſolcher Fried &c. verſ. ſondern bey ſolcher Religion auch ihrer

Haab

Haab/Güthern liegend und fahrend / Landtleuthen / Herrlich= und Gerechtigkeiten friedlich und ruhig bleiben laſſen. conſequenter hæreditates ſibi delatas obtineant, & filij eorum
19 ſive ad hanc ſive ad illam tranſierint partem, non excludantur ab hæreditate patris, ſed planè cum reliqvis admittantur. Unde valdè errant ij, qui firmiter credunt licere
20 parentibus exhæredare hujusmodi liberos, qui uni aut alteri religioni ſe addicunt: Ex modo allegato §. enim pleniſſimè videre liquet libertatem Religionis: Quænam autem foret libertas, ſi liberi ob eam ex familia vel hæreditate excluderentur? Idem de Calviniana (ſive ut vocant) reformata Religione vigore *Inſt. Pac. Oſna. art. 7. pr.* dicendum erit.

21 Alterum enorme delictum eſt, dum quis committit Crimen Læſæ Majeſtatis humanæ *l. 5. Cod. ad Leg. Jul. Majeſtat.* qvod qui incurrunt, non tantum bonis ſuis cadunt, ſed & inſuper infames & incapaces redduntur, gladioque ultore pereunt cum damnatione memoriæ defuncti, in duobus ſcilicet capitulis in jure expresſis, cum quis contra
22 Imperatorem, vel contra Rempublicam Romanam deliquerit, & hoſtili animo adverſus eum & Reipublicæ Imperiiq; Statum machinatus quid fuerit *l. fin. ff. ad Leg. Jul. Majeſt.* In aliis capitulis non item, quæ videri poſſunt apud *Afflict. in tit. 56. verb. & bona committentium. Qvæ ſint Regal.* intuitu quorum Majeſtatis Crimen quidem committitur, ſed pro iis defuncti memoria non damnatur, illius
23 v. g. qui conſpiravit in necem Conſiliariorum Cæſaris: cum Conſtitutio pœnaliſſima Legis Juliæ in *d. l. Qvis qvis.* id non juſſerit, quæ idcirco extendenda non eſt, ſed potius ſtatuendum, crimen iſtud morte rei diſſolvi, & memoriam eorum damnari non poſſe, *Salyc. in d. l. & in l. fin. Cod. eod.* Si itaq; reus ex primo & ſecundo capitulo damnatus fuerit, omnia ejus bona fiſco applicabuntur ſive liberi fuerint ſuperſtites *l. Eorum. ff. ad. Leg. Jul. Maj. Auth. Bona damnatorum.*

torum, ſivè in vitâ non fuerint, præter Jura libertorum *d. l. Eorum*. adeò ut nec legitimam deducant. Et ita in paupertate vivere cogantur, quem rigorem aliter excuſare non poſſumus, quàm *Cicero* olim apud Romanos excuſavit *Epiſt. 15. ad Brut. circa. f.* *Videtur*, inquit, *illud eſſe crudele, qvod ad liberos, qvi nihil meruerunt, pœna pervenit: Sed id & antiqvum eſt & omnium Civitatum; ſiqvidem etiam Themiſtoclis liberi eguerunt.* Græcorum Tyrannos, una cum patribus filios mactaſſe: alios in exilium miſiſſe Author eſt *Halyc. lib. 8. Antiq. Rom. Quaſi natura non ferat ut boni filii ex malis patribus aut mali ex bonis naſcantur.* 24

An autem Jura illa *d. l. fin.* de memoriâ defuncti damnandâ, & *d. l. Quisqvis.* in aliis qvoq; Principibus & Civitatibus liberis ſimiliter procedant? non immeritò quis quærere poſſet. Et certè quoad Pontificem Romanum aliud ſtatuendum non eſt ac in ipſo Imperatore, cum & ille ſupremam habeat poteſtatem, & Juribus Imperii gaudeat, imò etiam in officialibus ſuis, qvod abundè colligi poteſt ex particulari & graviſſimâ pœnâ conſtitutâ adverſus conſpiratores in necem Illuſtrium Dominorum Cardinalium, & de eorum familiâ. In alijs verò Principibus, veluti Regibus, Rebuspublicis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, & Dominis perpetuis, ſunt qui contrarium putarunt, inter qvos eſt *Bartolus*, qui in eâ fuit opinione, ideo illis hæc jura competere non poſſe, cum Leges diſponentes de hoc crimine loqvantur ſolum de Imperatore ejusque officialibus, & Republ. Romanâ, hinc minimè haſce Conſtitutiones ad eos extendēdas eſſe, ſive recognoſcant Imperatorem in Superiorem, ſive non recognoſcant, aut de facto aut de Jure, per præſcriptionem aut privilegium, ſed Jura vetera in ijs locum habere in *l. Amiſſione. 5. §. Qui deficiunt. 1. ff. de Cap. minut.* & in *l. Si qvis ingenuum. 21. §. In Civilibus. 1. ff. de Capt. & poſtlim. revers.* 25 26 27

Quidam diſtinctione qvæſtionem expedire ſatagunt, 28

ita ut in eos hoc crimen cum damnatione memoriæ de-
functi, & publicatione bonorum propriè committatur,
qui ſuperiorem non recognoſcunt, cum & ijdem Majeſta-
tem habeant. *Salycet. in d. l. Qviſqvis. Guid. Pap. Qvæſt.*
344. Ex ratione: quia plurimæ Leges qvæ nominatim lo-
qvuntur de Imperatore & Auguſtâ, ad hujusmodi Principes
trahantur *l. pen. Cod. de Donat. int. Vir & Uxor. l. Cum mul-*
ta. 7. Cod. de Bon. qvæ lib. l. Benè à Zenone. 3. Cod. de Qua-
29 *drien. præſcript.* In alios verò, qui Superiorem recognoſ-
cunt non item. Aſt diu hiſce immorari conſultum non
videtur, cum de Regum & Principum Imperij Juribus am-
plius dubitari non poſſit, in qvos Crimen Læſæ Majeſtatis
committitur cum effectu damnationis memoriæ, & pu-
blicationis bonorum delinquentium cum extenſione ad
30 filios eorum: Eo quod de Juribus Majeſtatis participent,
& tantum poſſint in ſuo Statu, quantum Imperator in Im-
perio, exempla eſſent obvia & qvotidiana, quæ in unoqvo-
que Statu examinari poſſunt.

31 Sub hoc delicto quoq; comprehenduntur Rebelles:
qui quinqve modis tales dici poſſunt. Convertendo ſe in
32 hoſtes, denegando obedientiam Principi, vel non recep-
tando ejus gentem, exercendo opera hoſtilia in eum, & in
ejus Civitates & caſtra machinando ad verſus perſonam
ipſius Principis & ſuorum officialium *Gigas in tr. de Rebell.*
33 *Qvæſt. 1. & 2.* ita tamen ut non omnis Rebellio inducat
Crimen Læſæ Majeſtatis, ſed ſolum qvæ Statum Imperij
34 concernit. Hic nihilominus advertendum, non ſtatim
aliqvem rebellem dici, & bona ejus confiſcari, niſi ſequa-
tur ſententia confiſcatoria *l. Eorum. 9. l. fin. ff. ad Leg. Jul.*
35 *Majeſt.* qvoniam ante ſententiam capaces ſunt bonorum,
& ex contractibus Juris Gentium acqvirere poſſunt. Secus
verò ſtatuendum in ijs quæ Juris Civilis ſunt, quæ continuo
poſt crimen commiſſum amittunt, ſicut & ea quæ ex cau-
ſis Civilibus, puta ex teſtamento & ab inteſtato obvenire

poſ-

poſſent, perdunt. *l. 130. ff. de V. S.* Deſtituuntur & officijs 36
& beneficijs, nec non Jurisdictionalibus omnibus, illisque utpote hoſtibus Imperij Jus non redditur, & per conſeqvens bona propria ad fiſcum deferuntur, Feudalia verò devolvuntur vel ad Dominum, aut etiam proximiores prò eorum naturâ & facti qualitate. *Iſern. & Bald. in cap. 1. §. Callidis. in tit. de probib. feud. alien.* Niſi rebellio fuerit 37
notoria: qvoniam tunc ſententiâ condemnatoriâ opus non eſt, & absq; aliâ citatione condemnari, puniri, & bona invadi poſſunt. Qvodſi verò hæc bona in diverſis terri- 38
torijs ſita ſint, an ubiq; confiſcabuntur, ita ut unus Jure confiſcationis, alter occupationis ut vacãtia capere poſſit? ad cujus ſolutionem diſtinguendum inter caſus: aut enim 39
confiſcantur bona propter delictum, quod ubiq; hanc pœnã importaret; v.g. propter Crimẽ Eccleſiaſticũ hæreſis; & procul dubio fiſcus bona omnia jure confiſcationis ubiq; apprehendet. Aut intentatur confiſcatio pro crimine ſæculari, & tunc vix concludi poſſe arbitror, talem reum 40
ubiq; locorum & extra territorium delicti commiſſi puniri poſſe propter deficientiam Jurisdictionis *Paul. Caſtr. Conſ. 319. Col. 2. in I.* Nec juvat qvod dicunt fiſcum ex- 41
ternum bona occupare uti vacantia. Cum contrarium verius ſit; non vacare ſcilicet, eo qvod damnatus capax ſit omnium Jurium in alio Regno vel Provinciâ, intra quam Bannum nullos operatur effectus, propter deficientem, ut dixi, Jurisdictionem. Et miror Bartolum & Baldum con- 42
trarium ſenſiſſe, dum in ſervis pœnæ, aut etiam deportationis & damnationis in metallum ſententiam paſſis inhabilitatem eorum extra territorium damnantis ſummoperè notent: Nullum enim eſt dubium qvin potius hæredes ab inteſtato ſuccedant in bonis non confiſcatis, & conſequenter vacantia dici non poſſint; Maximè verò cum hi damnati libertatem retineant. *Autb. Sed hodiè. Cod. de Donat. inter Vir. vid. Caſtr. d. Conſ. 319.* quæ ſententia 43

eò magis procedit, qvando bona confiſcantur ſecundum Decreta & Leges unius Regni, quæ in alio omninò ceſſarent.

Porrò non tantum ipſi rei fœdiſſimi illius Criminis Læſæ Majeſtatis in perſonâ bonisq; puniuntur, ſed & filij
44 eorum, vigore Conſtitutionis latæ, ſub *Honorio & Arcadio Imperatoribus, Maj. l. 5. Cod. ad Leg. Jul.* infames fiunt & incapaces ſucceſſionú ex teſtamento vel ab inteſtato, item feu-
45 dorum paternorum, & antiqvorum ex pacto & providentiâ majorum; potiſſimum qvando contra Dominum horum feudorum delictum commiſſum ſit; ſecus ſi feuda ab alio provenerint: In illis enim delictum patris filijs nocet,
46 in his non item. Sed quidſi Patri committenti Crimen Læſæ Majeſtatis feudum apertum non fuerit vivente adhuc avo, an crimen illud nepoti in his feudis nocumento
47 erit? Quantumvis dici poſſet hujusmodi pœnam ad filios delinqventium tendentem repugnare rationi Civili & naturali, ac propterea odioſam cenſeri odio qvodam irrationabili, adeoq; ſtrictiſſimè accipiendam, & non ad nepotes extendendam eſſe; cum in pœnalibus filiorum appellatione non contineantur. Attamen *Afflict. in cap. Un. Quæ*
48 *ſint Regal. §. Præterea. Gloſſ. 3. num. 15. cum. ſeqq.* contrarium ſenſit, filiis ſcilicet & deſcendentibus hoc crimen vel maximè nocere etiam in feudis hiſce nondum apertis patri delinquenti, qvod etiam ſenſit *Iſern. in d. cap. 1. nec non Cyn. in l. Qvisqvis. 5. Cod. ad Leg. Jul. Maj.* qui dicit dubitationem ſublatam eſſe ex novâ Conſtitutione Friderici Imperatoris, quæ utitur verbo liberorum, qvorum nomine nepotes & cæteri deſcendentes continentur *l. 220. ff. de V. S.* qvod & verius exiſtimo, ſaltem, uti dictum, in deſcendentibus, non autem in cæteris agnatis ulterioribus. *Iſern. Afflict. d. l. Jaſ. Cons. 106. Col. ult.*

49 In Filiabus aliud conſtitutum eſt: hæ enim non comprehenduntur ſub pænâ *d. l. Qvisqvis. §. Filii.* quia maſcu-

culinum in odioſis odio irrationabili non continet fœmi-
ninum *Bart. in l. 1. ff. de V. S.* ſed potius confiſcatis bonis
paternis pro hoc abominando crimine, Doctores clarè de- 50
clarant, filias eſſe dotandas ex bonis paternis: qvod egre-
gio in ævum duraturo exemplo docuit *Ferdinandus Rex Ne-* 51
apolitanus, qui ejecto Principe Roſſani ob defectionem & Rebellionem, ejus filias nobiliter dotari, & maritari curavit. *Afflict. in d. cap. 1. Quæ ſint Regal. in verb. Bona committ. num. 3.* Et Marcus Imp. Caſſij filias etiam argento, auro gemmisq; frui paſſus eſt. *Vulcat. Gallic.* Cujus exemplo Alphonſus Arragonius Uxori & Liberis Ant. Candalæ Siculi theſauros etiã mariti & patris reddidit *Panormit. 3. de Vit. Alphon.* qvoniam minus paterni ſceleris participes præſumuntur filiæ quam filij, quippe *præ ſexus infirmitate minus auſuræ d. l. §. Ad Filias ibi Scip. Gent. c. 5. in f. & cap. 8.*

In pœnas Legum æque incidit & ex ijsdem punitur 52
ille, qui in propriam committit perſonam, dum ſe luci eximit, & metu futuræ ſententiæ condemnatoriæ pœnalis violentas manus ſibi infert. Poſtquam ſcilicet ob crimen captus & convictus erat; talis enim non transmittit bona ſua ad hæredes, ſed fiſco applicantur, ſi nempe tale fuerit delictum, qvod confiſcationem ſecum importabat. *l. 2. ff. de Bon. eor. qvi ſibi. ant. ſent.* Ubi Martianus JCtus inquit: *Bona ejus, qvi manus ſibi intulit, fiſco vindicantur, ſi eo crimine*
nexus fuit, ut ſi convinceretur, bonis careat. quod etiam in 53
Conſtitutione criminali Carolinâ. Art. 135. conſtitutum eſt.
in verbis: Wann jemand beklagt / und in Recht erfordert oder
bracht wird / von Sachen wegen / ſo er der überwunden ſein Leib oder 54
Gut verwürckt hätte / und aus Furcht ſolcher verſchuldeter Straff ſich ſelbſt ertödt / deſſen Erben ſollen in dieſem Fall ſeines Guths nicht fähig oder empfänglich / ſondern ſolch Erb und Güther der Obrickeit / der die peinlichen Straffbuß / und Fälle zuſtehen / heimgefallen ſeyn. Wo ſich aber ein Perſon auſſerhalb offtgemeldter Urſachen / auch in Fällen / da er ſein Leib allein verwürcket / oder ſonſt aus Kranckheit

deß Leibs/ Melancholey/ Gebrechlichkeit ihrer Siñ oder ander dergleichen Blödigkeiten ſich ſelbſt ertödtet/ derſelben Erben ſollen deßhalben an ihrer Erbſchafft nicht verhindert werden/ und dawieder kein alter Gebrauch/ Gewonheit oder Satzung ſtatt haben/ ſondern hiemit revocirt/ caſſirt und abgethan ſeyn/ und in dieſem und andern dergleichen Fällen Unſer Kayſerl. geſchrieben Recht gehalten werden. In qvâ Imperator loquitur de crimine importante pœnam capitalem cum publicatione bonorum. ſein Leib und Guth verwürckt hätte.

Requiritur itaqve ad hanc pœnam confiſcationis ut crimen ſit tale qvod importat publicationem bonorum, & ſibi ipſi violentas manus metu pœnæ delinqvens intulerit. Secus autem ſi ſe ipſum interficiens hoc feciſſet tædio vitæ, vel æris alieni pudore, vel propter impatientiam doloris, vel rabiem furoris, vel quia incautè ſe projecit in flumen: hiſce enim caſibus, fiſcus ei non ſuccedit, ſed conſangvineus & legitimus hæres *l. fin. §. Si qvis autem tædio. ff. de Bon. eor. qvi ante ſent mort· l. 2. Cod. Qui teſt fac. poſſ. l. 6. §. Cum qvi. ff. de Injuſt. rupt. & irrit. fact. teſt.*

55

Quid ſi autem neſciatur an violentas manus ſibi intulerit, an verò naturali morte obierit? v. g. ſi non conſtet aliqvem ſe luci exemiſſe, & ſolus alicubi mortuus reperia-
56 tur, aut de crimine adhuc non liqueat? In dubio ſanè non videtur præſumendum talem ſibi manus injeciſſe: quin-
57 imò in carcere mortuus inventus, potius à cuſtodibus necatus, & in puteo inventus, iſtuc per imprudentiam illapſus creditur, & non tantum cuſtodes purgare ſe debent, ſed & fiſcum de crimine probare oportet; ita ut hæredibus defuncti nihilominus defenſio innocentiæ ejus ſemper pateat *arg. l. 1. §. Si ſibi manus. 11. ff. de SC. Syll.* Prius aſſertum noſtrum de Jure Saxonico qvoq; procedere dicit *Schneid. ad lib. 3. Inſt. tit. 1. Rub. de Succeſſ. Fiſc. num. 15.* allegans illud Jus *Art. 31. lib. 2.* Wer von Gerichtshalben ſein Leib verliehret/ oder wer ihm ſelber den Tod anthut/ ſein nechſter Erb

nimbt

nimbt ſein Guth. Hoc eſt qui metu Judicii ſe ipſum interimit, illius bona ad proximum hæredem pertinent.

Sunt tamen qui putant titulum *de His qvi ſibi mort. conſciv.* hodiè correctum eſſe *per Auth. Bona damnatorum.* cum bona damnatorum ad mortem, de quibus ſupplicium ſumptum eſt, ad fiſcum non pertineant, ſed ad legitimos hæredes transmittantur, excepto ſolo Crimine læſæ Majeſtatis tàm Divinæ quàm humanæ. *Franciſc. Lucan. in Tr. de Fiſc. & ejus Privil.* §. *Hic tamen qværi. & dubitari. pr. Azon. in Summ. Cod. in Tit. de Bon. eor. qui ſibi mort. conſciv.* 58
imò etiam eousque excurrunt quidam, ut dicant confiſcationem per totum mundum præterquam in dicto caſu abolitam eſſe, qvod abundè probatum arbitrantur ex d. Conſtitutione Carolinâ *Art. 135. & Art. 218.* Sed ut huic opinioni in conjecturis fundatæ ſubſcribam, induci non 59
poſſum, cum *d. Auth.* non ſine ratione & utiliter conſtituta ſit, & in terminis, in quibus loquitur ſarta tecta ſervanda, ac proindè ex ejusdem verbis evincatur evidentiſſimè, nihil ibidem de ijs tractari, aut novi quid ſtatui, qui facto ſuo vel culpâ ſuâ indignos hæreditate alterius ſe faciunt, de quâ indignitatis qvæſtione nec prædictæ Conſtitutiones Carolinæ loqvuntur, ſed accipiendæ magis de illis caſibus, de quibus agit *d. Auth. Bona damnatorum.* & quando intuitu commiſſi delicti, vel corpora & bona ſimul, vel corpora ſaltem confiſcantur. 60

Porrò quin & hodiè contra ſententiam quorundam, 61
cum Crimine Læſæ Majeſtatis, plures confiſcationis caſus ſuperſint, dubium non eſt; nam & publicatione bonorum plectuntur ij, qui monetas falſificant. Die gefährlichen 62
Müntzaußwechsler / Außführer / Zerbrecher / und Vermünter. R. J. de Anno 1571. §. Aber damit. Item qui pannos vitioſos vendunt, die / welche zu viel gepreßte oder betriegliche gefärbte Tücher wiſſentlich feil haben / *R. J. de Anno 1577. tit. 21.* Qui piper, crocum & Saccharum corruptum vendunt, die ge-
ſärb-

farbten Ingwer verkauffen/und unter den Zucker/Pfeffer/Saffran oder andern Gewürtz und Spetzereyen andere Materien einmiſchen. *d. R. I. tit. 24.* Qui vina calce alijsque mixturis vetitis corrumpant, die den Wein mit Kalck oder dergleichen ſchädlichen Zuſätz und Einſchlag bereiten ſchmieren und fälſchen. *Ibid. Tit. 16. add. R. I. de Anno 1497. §. 3.*

Confiſcatur quoqve quarta pars eorum, qui contractus Uſurarios celebrant, Daß der vierdte Theil der Hauptſumma verlohren *d. R. I. 1577. tit. 17. §.* Dieweil aber. Bona etiam eorũ qui monopolium exercent commiſſa ſunt *ibid. tit 18. §. 2.* Inſuper pœna non ſoluti vectigalis. Wann man den Zoll verfähret/ eſt amiſſio mercium *Col. Decis. 190.*

63 Hiſce addatur Conſtitutio Criminalis *art. 218.* quæ clarè propoſitionem & ſententiam noſtram probat in verbis: Item an etlichen Orthen/ ſo ein Ubelthäter / auſſerhalb deß Laſters Unſer beleidigter Majeſtät / oder ſonſt in andern Fällen / ſo der Ubelthäter Leib und Guth nicht verwürckt/ vom Leben zum Tod geſtrafft werden/ Weib und Kinder an Bettelſtab/ und das Guth dem Herrn zugewieſen/ und die und dergleichen Gewohnheiten wollen Wir/ daß ein jede Obrigkeit abſchaffen und daran ſeyn ſolle / daß ſie hinführter nicht geübt gebraucht oder gehalten werden/ als wir dann aus Kayſerl. Macht dieſelbe hiemit auffheben/vernichtigen und abthun/ und hinführter nicht eingeführt werden ſollen. Ubi etiam expreſſa fit mentio bonorum confiſcabilium ex cauſa delictorum præter Crimen Læſæ Majeſtatis.

64 Memorabilem ſanè Legem Inclytæ Reipublicæ Venetæ hic apponere lubet, quæ ad terrendum homicidas Anno 1578. 29. Septemb. Conſtitutione digniſſimâ cavit, ut bona committentium homicidij delictum, quæ alias fiſco acquirebantur, deductis quibusdam portionibus, in proximiores occiſorum & eorum deſcendentes transferri deberent, ſub recognitione qvâdam feudali verſura quandoq; in fiſcum ob defectum deſcendentium ab illis, qvâ ſubvenitur filijs & proximioribus interfecti in ſummo eorum

rum mœrore ad non mediocrem ultionem verſus homicidas.

Et hæc de perſonis condemnatis ipſo Jure & facto. Quid verò de ijs dicendum erit, quæ antequam convictæ & condemnatæ eſſent, diem ſuum obeunt, an nihilominus 65
ad pœnam reſpectu hujus perſonæ, & ad publicationem bonorum procedi poterit? Quid Jura Communia hoc in caſu alias tradant, facilè quis deprehendet *ex l. Defuncto. 6. ff. de Publ. Jud. l. Ex Judiciorum. 20. ff. de Accuſatoribus. l. Si pœna. 20. ff. de Pœn. l. 1. ff. Si pend. appell. l. 3. Cod. eod.* Ubi 66
Regulariter delicta morte rei extinguuntur quoad pœnam & publicationem bonorum; potisſimum ſi cum reo defuncto lis non ſit conteſtata, & condemnatio ſecuta, cum pœna corporis afflictiva in defuncti cadaver non exerceatur *Jaſ. in l. 2. Cod. Qui teſt. fac. poſſ.* Ratio: quia pœna eſt ſenſus, mortuus autem non ſentit, ideoq; in defuncti corpus exerceri nequit, De conſvetudine tamen locorum a- 67
liquando in cadavera ſævitum fuiſſe, nemo eſt qui ignorat. Excipiuntur nihilominus caſus, in quibus Jura iſthæc communia limitantur, cum ſcilicet Lex ob delictum ipſo jure & 68
facto inducit pœnam pecuniariam & confiſcationem. Præcedat tamen ſententia declaratoria facti neceſſe eſt, per quam declaretur crimen illud fuiſſe commiſſum; Antea enim ad confiſcationem procedi non poteſt, quod egregiè confirmavit *Alex. in l. Si qvis major. Cod. de Transact.* Ubi 69
inquit: omnia jura mundi pœnam aliqvam ipſo jure imponentia debere intelligi ſecutâ ſententiâ declaratoriâ ſuper facto. Niſi crimen ſit notorium & manifeſtum, aut 70
proceſſus fuerit formatus, & factum ita liquidatum, ut ſententia eſſet ferenda contra reum; Aut quia ſolenniter fuerit confeſſus delictum.

Limitatur *Secundò* in Crimine Læſæ Majeſtatis *d. l.* 71
Ex Judiciorum. 20. ff. de Accuſ. quod non extinguitur morte rei, ſed ſecum importat pœnam corporis & inſuper

confiſcationis omnium bonorum in capitulis ſupra mentionatis.

72 Limitatur *Tertiò*, in contrahente nuptias inceſtas, qui ipſo jure incurrit pœnam confiſcationis. §. 1. *in Auth. de Inceſtis nupt.* ibi: *mox rerum ſuarum caſum imminere.*

Quartò, in crimine repetundarum *d. l.* §. *Ex Judiciorum.* intra annum tamen ex die mortis delinquentis. *l. 2. ff. ad Leg. Jul. repet.*

73 *Quintò*, in crimine peculatus & de reſiduis *l. fin. ff. ad Leg. Jul. pecul.* Intra qvinqvennium ex crimine commiſſi.

Sextò, in delicto hæreſis. *l. 4. Cod. de Hæret. C. Cum ſecundum. de Hæret. in 6.*

Septimò, Crimen illius morte non extinguitur, qui interfecerit eum, cujus ſucceſſionem conſequi debuerat, vel etiam ejus eſſe hæres, ſed fiſcus aufert bona *l. Lucius. 9. ff. de Jur. fiſc.*

74 *Octavò*, In fraudante Gabellam: nam contra hæredes exercetur, intra quinquennium tamen & in re ipſâ *l. Commiſſa. 14. & l. Fraudati. 8. ff. de Public.* Dicitur intra 75 quinquennium: Quia in omnibus caſibus in quibus reus poſt mortem damnatur, & fiſco bona deferuntur, Fiſcus intra qvinqvennium agere tenetur, & de crimine docere ad effectum bonorum vindicandorum, intra qvod tempus & hæres rei defuncti innocentiam ejus defendere poterit, ſuſpenſâ interim publicatione *l. fin. Cod. de Jur. fiſc.* alioqui præſcriptione quinqvennij fiſcus excluditur, & rei defuncti hæres moleſtari amplius nequit. Sunt & alij caſus, in quibus defuncti crimen morte non extinguitur, qui apud Authores videri poſſunt.

Nunc ulterius procedamus ad delicta capitalia propter quæ facinoroſi ad ultimum ſupplicium damnantur & 76 ſervi pœnæ ideò effici dicuntur: An quoque præter corporalem hanc pœnam bonorum confiſcationem mereantur? Quantumvis hic nodus qvodammodo ſuperius ſolu-

ſolutus ſit, & ex Conſtitutione Carolina demonſtratum, fiſcú adimere poſſe ſubſtantiam delinqventis propter delicta confiſcationem importantia, attamen paulo altius inqvirere decrevi.

Eſt autem firma modo allata Regula, qvod non poſſit intentari confiſcatio bonorum propter delictum, ſi jura eandem expreſſè non tribuant; ſed jura nullibi ſtatuunt damnatos ad ultimum ſupplicium propter qvodvis delictum bonis exuendos, ſed Statum & Civitatem amittere, & bonorum incapaces reddi *l. Qui ultimo. 29. & l. Quadam. 14. ff. de Pœn.* Ideò teſtamenti factione deſtituuntur, & teſtamentum antea factum irritatur. *l. Si qvis filio. 6. §. Irritum. 5. ff. de Injuſt. rupto & irrit: fact. teſtam.* Niſi de conſvetudine loci conſtet, poſſe talem teſtamenti factionem paſſivam & activam habere; aut Principes adverſus Legem ſcriptam diſpenſaverit. *l. Princeps. 31. ff. de Legib.* Extra qvos caſus redeunt omnia ad cauſam inteſtati, quà proximiores excluſo fiſco vocantur, non obſtante ſimiles damnatos ſervos effici, ex eo qvod amittant libertatem, & conſequenter ex eorum perſonâ acqvirant fiſco, prout regulariter ſervus acqvirit Domino: Quandoqvidem iſti non efficiuntur ſervi Principis & fiſci, ſed ſervi pœnæ, ideò fiſco non acqvirunt. textus *eſt in l. In metallum. 21. ff. de Jur. Fiſc.* 77 78 79 80

81 Ejusdem Juris habentur qui perpetuò in metallum damnantur, & continuo ſervi pœnæ efficiuntur, ideoq; etiam incapaces Jurium Civilium cenſentur, ita ut non tantum purè relicta capere non valeant, ſed & conditionalia denegentur per ſententiam condemnatoriam in opus perpetuum; quamvis adveniente conditione reſtitutus reperiatur. Imò etiam acquiſitionibus Juris Gentium non gaudent. *Ang. in l. 2. Cod. de Bon. damnat.* nec non etiam ijs quæ ſunt facti, veluti eſt factum electionis; dixi.

82 *perpetuo damnati* nam ad tempus condemnati non admittunt libertatem.

Inſtabis: Jure novo neminem benè natum effici ſervum pœnæ. *Auth. Sed hodie. Cod. de Donat. inter Vir & Uxor.* & pœnam damnationis in metallum & in opus metal-
83 li in uſu eſſe deſiiſſe. *Gloſſ. in §. Pœnæ ſervus. Inſt. qvib. mod. Jus pat. pot. ſolv.* Reſpondetur hoc quidem verum eſſe qvo-
84 ad denominationem, & antiquum puniendi modum: At pœnæ ijsdem ſurrogatæ ſunt aliæ & non leviores, ut videre eſt Primò, in damnatis ad carceres perpetuos, qui damnatis in metallum æqviparantur, illisq; adempta eſt teſtamenti factio activa & paſſiva. Secundò, in damnatis ad remigandum in perpetuum, ad beſtias vel ad ferrum fodiendum, qui omnes tamen deportatis ſimiles ſunt.

85 De deportatis qvoq; dubitatur; an hi ſint capaces ſucceſſionum vel non? *Gloſſ. in l. 1. Cod. de Hæred. Inſt.* affirmat, deportatos omninò capaces eſſe ſucceſſionis per ultimas voluntates; ita tamen, ut fiſcus poſtmodum ijs-
86 dem tanquam ab indignis auferat. Aſt negativa ſententia verior eſt, eo qvod deportatus amittat ea qvæ ſunt Juris Civilis. *l. Quidam ſunt. 17. ff. de Pœnis.* teſtamenti factionem autem tàm activam quàm paſſivam Juris Civilis eſſe omnes norunt. *Graſſ. Sent. recept. §. Legatum. Quæſt. 10.*

87 Si itaque ejusmodi deportatus hæres inſtituatur, perinde habebitur ac ſi ſcriptus non fuiſſet, & conſequenter ejus portio vel ad ſubſtitutum, aut ad conjunctum perveniet. Aliud erit in acqviſitionibus Juris Gentium, quæ non ſunt ablatæ *d. l. 17. ff. de Pœn.* ideo poterit contrahere, & contrahendo ſibi acqvirere, cum contractus ſint Juris Gentium; ex qvibus inſtituere poteſt actiones, quarum capax eſt.

88 Relegatorum pœna non ita gravis eſt ex naturâ ſuâ ac deportatorum: qvoniam ij qui extra fines Regni ſeu Principatus aut etiam Civitatis exire jubentur, non amittunt

tunt civitatem nec bona, ſivè in perpetuum ſivè ad tempus *l. 1. ff. de Interd. & releg.* Niſi expreſſè per ſententiam 89
declaretur, ut relegatus aut in totum, aut in partem bonis exuatur. *l. Relegatorum. 7. §. His qvi. 17. ff. eod.* & pœna perpetui exilij adjiciatur *l. Bona. 39. ff. de Jur. fiſc.* Hiſce 90
conſequens eſt Relegatos ex naturâ relegationis non amittere Jura Civilia *l. Relegati. 4. ff. de Interd. & Releg.* nempè teſtamenti factionem, ſive relegatio facta ſit in perpetuum ſive ad tempus, ſive adjecta fuerit clauſula publicationis ſive non, intellige bona futura: quæ publica- 91
tione non veniunt. *l. Si tibi mandavero. 22. §. Is cujus. 5. ff. Mand.* tales qvoq; non amittunt patriam poteſtatem *§. Cum autem. Inſt. qvib. mod. patr. poteſt. ſol.* Ex quibus differentiam inter deportationem & relegationem facilè quis deprehendere poterit.

Relegatis æquiparantur, qvi noſtris temporibus 92
banniti vocantur; qui propriè ſic dicti & ex naturâ ſuâ bona non amittunt, nec impune, ſi durante Banno in patriam revertantur, offendi poſſunt. Niſi Statutis locorum expreſſè contineatur, aut ſententia declaratoria permittat, ut impunè offendi queant: utroq; enim modo permiſſo 93
interfici poterit ejusmodi Bannitus. Idem erit dicendum de publicatione bonorum Banniti ſub pœnâ capitali: nam niſi ex Lege aut per ſententiam bona fiſco applicentur, non applicabuntur omninò; quia bannum ſtricti Juris, & quid- 94
quid in eo omiſſum eſt, pro omiſſo habetur, cum pœnale ſit.

Qui itaqve Bannum hoc modò incurrit, ut impunè à quocunq; offendi poſſit, ex formâ Legum & Statutorum il- 95
lius patriæ amittit Jura ac beneficia municipalia propria illius Civitatis, Provinciæ & Regni; non autem Jura Gentium vel Jura Civilia & Communia in eo loco. Ratio hu- 96
jus incapacitatis ex eo provenit: quia, cum poſſit impunè offendi, eidem bellum indictum videtur tàm per offici-

 ales

ales publicos, quàm per homines privatos, ideò velut ho-
97 ſtis patriæ, privatur Juribus & beneficiis illius. Secus verò in eo qui impunè offendi non poteſt: Cum non cenſeatur hoſtis Civitatis, & ideò non tantum retinet Jura communia, ſed etiam Municipalia & propria illius Civitatis & Provinciæ à quà exulat, non attento primò, quod ſit ſive in perpetuum ſiue ad tempus Bannitus, aut etiam Secundò quod ſit relegatus cum publicatione bonorum. Nam per eam non redditur incapax Jurium Civitatis & futurarum acqviſitionum ad exemplum relegati, qvi Civitatem & Jura Civitatis retinet *d. l. Relegati.* Nunc in ſpecie de Banno.

98 Eſt autem Bannum vel Generale Imperij, aut Speciale alicujus Status Imperij puta Principis, Civitatis &c. Illud ſubdividitur in ſtrictè dictum; & privationem omnium bonorum & Jurium Imperij. Bannum Imperiale ſtrictè
99 dictum deß Heyl. Römiſchen Reichs Acht und Bann / *eſt Imperii Judicialis cenſura qvà violatoribus Pacis Publicæ aqvâ & igni interdicitur, ita ut à nemine in Clientelam, fidem & amicitiam recipi, ab omnibus verò impunè tàm in Perſonâ quàm Rebus offendi poſſint. Ord. Cam. P. 2. tit. 9. §.* So iemands. In verbis: Deß gedachten Leib und Guth ſoll allermänniglich erlaubt / auch die Lehen / ſo die Uberfahren gebraucht / den Lehen-Herrn verfallen ſeyn / Es ſoll auch der Lehen-Herr ſolche Lehen ſo lang der Friedbrecher lebt / weder ihm noch andern Lehens-Erben nicht leyhen.

100 Privatio bonorum & Jurium Imperii, *eſt Coercitio, qvà qvis ita ab Imperio Romano excluditur, ut à nemine in clientelam, fidem aut amicitiam recipi, ab omnibus verò in bonis ſub eodem Imperio ſitis, offendi qveat.*

101 Ad hæc ſciendum, Bannum Imperiale non niſi ab Imperatore, aut eo abſente à Rege Romanorum decerni: quia ille ſolus Univerſalem in Imperio Jurisdictionem habet, & ratione iſtius Univerſalis Jurisdictionis Dominus omnium eſt. *Gail. cap. 2. num. 4. de Pac. Publ.*

Aut

Aut etiam cui Imperator hanc poteſtatem contulit, ſicuti Cameræ Imperiali, cui omnino competit poteſtas cunctos Imperij ſubditos in Bannum Imperiale deß Reichs Acht declarandi. *Gail. d. l. num. 3.* Quo munere egregiè à primordio Conſtitutionis ſuæ eam functam eſſe affert *Blum. Proceſſ. Cam. tit. 25. num. 29.* ubi dicit ex *Gail. 2. de PP. num. ult.* Eam quamprimum in primo anno in- 102
ſtitutionis ſuæ, videlicet à 26. Februarij, (Quo die omnium prima ſententia Banni Imperialis ibidem pronunciata ſit) usque ad 14. Octobris 1496. unam ob fractam pacem, & decem ob contumaciam non comparentium, atque ſic in univerſum undecim declaratorias Banni publicaſſe.

Nonnulli qvoque in Judicio Rothweilenſi in Bannum 103
declarantur, omniaq; Jura & beneficia amittunt, eo qvod intuitu Imperatoris emanent. Sed effectus ejus limitatus eſt, & ultra limites Judicii ſe non extendit *Clar. in §. Teſtamentum. Quæſt. 21. circa fin.* Si itaque Bannitus Rothweilenſis in alio territorio illi Judicio minimè ſubjecto vigore Statuti aut de Jure Communi hæres inſtituatur, talis certè ſucceſſionis hujus capax erit, ex ratione: quia Jurisdictio, illius Judicij in aliis locis invalida eſt. Idem dicendum de 104
Arcano Judicio Weſtphalico, qvod Germanicè appellatur das freye und heimliche Gericht. *Refor. ejusd.* de Anno 1439. das heimliche Gericht. R. I. 1442. *art. 7. pr.* das Wäſtphäliſche Gericht. *Refor. Jud. Weſtph.* de Anno 1495 pr. qvod Judici- 105
um à Carolo Magno originem traxiſſe declarat Fridericus Tertius Imp. *in d. Art. 7. pr.* Cui conſentit Æneas Sylvius in *Europ. cap. 49.* ubi dicit: *Sub Imperium coactos Weſtphalos in fide Chriſtianâ cum retinere non poſſet, occultos inſtituit Judices, quibus poteſtatem dedit, ut quamprimum dejeraſſe aliquem comperiiſſent aut fidem fregiſſe, aut aliqvod aliud flagitium commiſiſſe, maxillum ſupplicio afficerent, ubi primum comprehendii poſſet, nullâ citatione prævià aut defenſione præmiſſâ.*

Quæ cauſæ ad hoc Judicium poſt Reformationem Sigis-

106 giſmundi Imperatoris An. 1439. deferri debebant, videri
poſſunt in dictaReformatione, quam Imperator Fridericus
Tertius ulterius declaravit. *d. R. 1442. art. 7. in f.* & tan-
dem Maximilianus Primus Imp. auxit. *Reform. Jud Weſtph.*
Anno 1495. §. *ult. vers.* Auch die ſo ſich. Multum de hocce
Judicio occulto diſſerere, opus non eſt, cum obolitum re-
periatur, & nulla amplius ejusdem veſtigia ſuperſint.

107 Hoc itaque Bannum Imperiale incurrunt ij, quos
refert *Jacob. Blum. Proc. Camer. tit. 29. num. 88. & ſeqq.* Pri-
108 mò, qui Pacem Publicam tùm Religioſam tùm Prophanam
violant. Secundò, ſi quis Electoribus ad celebrandam Ele-
ctionem Regis Romanorum proficiſcentibus ſalvum con-
ductum non præſtet. *Aur. Bull. tit. 1.* §. *Statuimus. 1.* Ter-
tiò, qui feudum reſignat, & poſtea dominum malitioſè dif-
fidat. *Aur. Bull. tit. 14.* Quartò, ſi quis Anabaptiſtas reci-
piat & foveat. *Conſt. contra Anabap. 1529.* §. Deßgleichen ſoll.
Quintò, ſi qvis moroſus ſit in ſolvendis Collectis Imperii.
R. J. 1544. §. Wir haben. 63. *R. I. 1566.* §. Weiter nach dem:
46. *R. J. 1570.* §. Es ſollen auch. 34. Sextò, ſi milites ſe
congregent, & Cæſari aut Statibus Imperii bellum infe-
rant. *R. I. 1559.* §. Damit dann. 38. Septimò, ſi quis pe-
regrinis Principibus ſine ſpeciali permiſſione Germanos
milites in Imperio Romano clam, palamve conſcribere,
& adducere conatur *R. J. 1576.* §. Da aber. 46. Octavò, ſi
quis auxilio, conſilio, aut deliberationibus Turcarum a-
liorumve contra Chriſtianos aut Rom. Imp. interſit. *C. P. 2. tit. 2.* §. *4. Gail. 1. de Pac. publ. cap. 1. num. 41.* Nonò, ſi
quis ſumptus in executionem Pacis Publicæ & ſententia-
rum factos refundere recuſet. *C. P. 2. tit. 117.* Decimò,
ſi quæ ædificia ad æmulationem Imperij cœpta (qualia
ſunt quæ in finibus limitibusq; extruuntur) poſt denunci-
atum novum non demoliantur, cum materiam ſeditionis
præbere poſſint. *Gail. d. cap. 1. num. 42.* Undecimò, ſi quis
executioni à Cæſare aut Camerâ demandatæ, Directoribus

Cir-

circuli ſeu Magiſtratui loci ſe opponat *R. I. 1654.* §. Wegen deß modi exequendi. 15. junct. §. Ob ſich aber. 161. Duodecimò, ſi quis injunctam cautionem de non amplius turbando, impediendo, excedendo, attentando, offendendo &c. contra ſententiam in Camerâ latam intra præfixum terminum non præſtat. *R. I. 1654.* §. In Fällen. 162. Decimo tertiò, ſi qvis à Cæſare aut Camerâ citatus contumax ſit in non comparando. *C. P. 3. tit. 52. §. 1. & 2.*

Effectus porro hujus Banni Imperialis in ſeqventibus conſiſtit. Primò, qvod ille notatus pro tali ubiq; terrarum in Imperio Romano reputetur. *Gail. 1. de P. P. 6. num. 14.* Non autem in terris Imperio non ſubditis: quia in ijs Imperator jus non dicit, nec bona vel Jura eorum locorum afficit aut afficere poteſt, *l. fin. ff. de Jurisd. omn. Jud.* & conſeqventer Imperiali fulmine tactus jura propria Regum, Principum & Civitatum non recognoſcentium Imperatorem in ſuperiorem, non amittit, nec Juribus ſuis in alio Regno vel Provinciâ privatur. Secundò, quod fiat infamis Landfried. *1548. art.* Wie wegen. *16.* Und wo. *2. Con. P. 2. tit. 11. §. 6.* Tertiò, qvod corpus & bona Banniti omnibus liberè pateant, atque nemo in illis violandis delinquat. *d.* Landfried. *1548. art.* Die Poen. *3. pr. Con. P. 2. tit. 10. §. 2.* Quartò impunè occidi poſſunt. *Gail. 2. d. P. P. cap. 5. num. 12. & ſeqq.* De eo qvamvis aliquando dubitaſſent DD. Aſſeſſores Cameræ Imperialis faciendo diſtinctionem inter declarationem Banni in Criminalibus, & Banni in contumacijs, qvod ſcilicet non in his, ſicuti in illis Banniti perſona omnium offenſioni impunè exponatur; tamen à Statibus contrarium ſancitum eſt. *R. I. 1532. Art.* Cammergericht. 2. §. Item als Cammer Richter. 13. ut ſcilicet impunè qvocunque modo occidi poſſint. Quintò, Juribus Gentium non gaudent. Sextò, pro hoſtibus Imperii habentur, adeò ut etiam gravis ſit conſtituta pœna Pacis Publicæ in eos qui dolo malo pacifragos, & taliter

109 110 111 112

Bannitos hoſpitio recipiunt, licet alias privilegium Bannitos recipiendi ac protegendi habeant Landfrieden *1548. art.* Auffhebung 27. *Gail. 2. de P.P. cap. 10. num. 4.* ubi *num. 36.*
113 dicit: Receptatorum pœnâ quoque teneri eum, qui Bannito pecuniam, commeatum, annonam armave ſuppeditat, aut pro illo fidejubet. In quam tamen Advocatus proſcripti non incidit, *Clar. 5. §. ult. Q. 82. Stat. 2.* quia defenſio, quæ Juris naturalis eſt, nemini debet adimi. Septimò, nullus Bannitus actiones inſtituere poteſt. *Gail. 2. de*
114 *P. P. cap. 12.* Nec etiam ante inſtitutas ullo modo proſequi licet. *Gail. d. cap. 12. num. 11.* per amiſſionem enim Juris Romani ejus perſona in habilis ad ſtandum in Judicio efficitur. *ibid. n. 7. & 8.*

115 Quomodo de cætero ad ipſam declarationem Banni in Camerâ Imperiali procedi debeat? exponit *Ord. Cam. P. 3. tit. 56. §. pen.* Cui omnes Præſides atqve Aſſeſſores ob majorem Authoritatem & terrorem nõ tantum intereſſe jubentur, ſed etiam ad denunciandum publicandumq; Bannum ex Judicio in conſvetum locum deſcendere de-
116 bent. In verbis: Damit dann ſolche Kayſerl. Erklärungen in die Acht bey iederman deſto mehr Anſehens und Abſchreckens machen/ ſo ordnen und wollen Wir/ daß in ſolchem Fall alle Præſidenten und Beyſitzer im Gericht zu gegen ſeyn / auch von dannen hinaus an gewöhnlichen Orth unterm freyen Himmel zu publicirung der Acht ſämptlich erſcheinen ſollen; Et inſuper omnes Procuratores §. Es ſollen auch alle Procuratorn/ da die Præſidenten und Beyſitzer/ wie gemeldt/ aus der Audienz-Stuben hinab die Achts-Erklärung unter dem freyen Himmel zu publicirn gehen/ zugleich dem Gericht zu Ehren/ und dann mehrers Anſehens und Abſchreckens wegen/ auch gehorſamblich hinabgehen / und zu ſolcher publication erſcheinen.

117 Præſentibus hoc modo & Præſidibus & Aſſeſſoribus Cameræ ſententiam declaratoriam Banni in magno populi conventu Protonotarius recitat, & ſub dio denominatio-

tionem profert, quâ perlecta Schedulam denunciationis frustillatim rumpit, & in terram abjicit, ad eum finem, ut ſignificet Banni fulmine percuſſum Jura Civitatis Romanæ amittere, & Civium Romanorum conſortio indignum, adeoq; etiam ceu membrum abjectum & putridum, Privilegiorum & beneficiorum Juris Communis & Imperij omninò incapacem eſſe. *Gail. 2. de P. P. cap. 6. num. 22.* Quo facto Edicta Cæſarea Bannni in loco denunciationis nec 118
non domicilii ad valvas Eccleſiarum vel domus Senatoriæ affiguntur, ad hoc ut omnibus declaratio Banni innoteſcat, & Banniti perſona tanqvam communis omnium hoſtis evitari, & impunè offendi qveat. *Gail. d. cap. 6. num. 20.* Quam affixionem etiam in privatione bonorum & jurium 119
Imperii admitti debere Camerales tenent. Advertendum hic eſt nominatim quempiam Banno feriri debere, & non ſub nomine conſortium, adeoq; etiam ſi petatur citatio auff die Acht contra N. & Conſortes, certè qvoad hos denegabitur: qvia qvorum nomina in citatione ſpecialiter expreſſa non ſunt, illi banniri & excommunicari nequeunt. 120
Magen. ad O. C. P. 1. tit. 22. Hinc excipiuntur mulieres, 121
quæ ſi commiſerint per Præfectos in Pacem Publicam, vel cauſam Bannum importantem, hiſce pœnis non ſubjiciuntur, ſed omnibus bonis, beneficijs, favoribus, Privilegiisque Juris Communis ac Municipalis privantur. Ratio 122
eſt: quia Bannitorum corpora cuivis impunè committuntur, & ne condemnatæ proſtituantur, habetur ratio pudoris ac verecundiæ. *Gail. 1. de P. P. cap. 1. n. 34.*

Item Clericos fulmen Banni non ita tangit, cum ſaltem coram ordinario adverſus eos ad reſtitutionem damni agi posſit, niſi ſermo ſit de feudis Regalibus & Privilegijs ab Imperio dependentibus: qvoniam qvoad iſta Imperatori ſubſunt, & conſeqventer etiam privari poſſunt. *Gail. d. c. 1. num. 13. & 14.* Inſuper etiam conveniri posſunt ad pœnam 2000. ſeu 100. Mar. aur. pur. *per* Landfrieden 123

Art. Wie der Landfrieden. 2. & *Art. ult.* §. Und gebiethen. 3. Se-
124 cus erit in Eccleſiaſticis cæterarum Religionum, qui Imperiali Banni fulmine à Cæſare feriuntur: Quia Jurisdictio Papalis qvoad hos per Pacem Religioſam ſuſpenſa eſt. *R. J. 1555.* Damit auch. 20.

125 Quodſi igitur ſententia declaratoria Banni lata fuerit, continuo exeqvenda venit, adhoc ut actor immiſſionem in bona petat, qui per Judicem Cameræ per Judiciale Decretum in ſpecificata bona immittitur, *C. P. 3. tit. 57. §. 7.* tùm demum pro Mandato executoriali ſeu immiſſoriali judicialiter ſupplicare, ac ſimul ſpecificam deſignationem bonorum Banniti exhibere ſolet, ſub cujus itidem Jurisdictione bona ſita, an ſcilicet feudalia vel allodialia, mobilia vel immobilia ſint? *Gail. 2. de P. P. cap. 17. n. 3.* ſi ta-
126 men Bannitus intra annum venerit ſeque purgaverit, auditur. Cujus liberationis à Banno proceſſum vide apud *Coler. Diff. Jur. Civ. & Saxon. Decis. 108. cir. fin.* Qui ſi intra annum & diem à Banno doloſè perſeveraverit, cenſura Eccleſiaſtica notatur & excommunicatur. Landfrieden 1548. art. Von denen die über Jahr. 25.

127 Hoc in paſſu Juris Saxonici Bannum ſpeciale examinare lubet, qvod duplex eſt: Acht und Oberacht / oder Aberacht. Quando Reus neglectâ citatione ſecundâ, & probatione legitimorum impedimentorum, itidem intermiſſâ purgatione contumaciæ non comparet, tunc declaratur in Bannum, Wird in die Acht und Verfeſtung erklärt / aus dem Fried in Unfrieden / ſein Leib und Leben wie eines Vogels in der Lufft iederman gemein / und in demſelben Gerichten erlaubt / daß er ohne alle Straff entleibt / und vom Leben mögte zum Tod gebracht werden / und daß ſich jemand an ihme vergreiffen könne.

Quando verò intra annum, à die primæ annotationis der Acht computandum, non comparet & innocentiam purgat, ſecundam incurrit annotationem, quæ Oberacht oder Aberacht vocatur. Landrecht *lib. 3. art. 34.* adverſus quem ubi-

ubique locorum criminaliter agi poteſt. Si nihilominus poſt ſecundam hanc annotationem Reus ſeſe purgare voluerit, auditur qvidem, ſed bona ſemel confiſcata non recuperat. *l. fin. ubi Gloſſa. Cod. de Reqvir. reis. lib. 1.* Landrecht. *Art. 38. §. ult.*

Dictum ſuperius ſolum Imperatorem vel Cameram Imperialem Bannum Imperii tàm adverſus eos, qui contra Pacem Publicam, vel alias ſupra expreſſas Sanctiones commiſerint, qvàm etiam contra contumaces decernere: ſunt tamen qui putent etiam Statibus Imperij idem licere, vel ideò, quia *in Viſit.* Abſch. *de Anno 1557.* Statibus conceſſum, ut qvævis delicta Juri Cæſareo, Receſſibus Imperij, Paci Publicæ, reliquisque Conſtitutionibus conformiter puniant, unde Bannum Imperiale fruſtra elicere ſtudent. Cum de Banno Provinciali prædicta intelligenda ſint, qvod ipſis in ſuo territorio competere poteſt; qvamvis alias inferiores Summo Principe, cæteriq; Magiſtratus non Banno, ſed relegationibus alijsque pœnis Juris Communis potius utantur. *Modeſt. Piſtor. Illuſtr. Quæſt. 26. Gail. lib. 2. de P. P. cap. 9. Roſenth. de Feud. C. 10. Conclus. 35. num. 72.* qvæ relegationes, ſive etiam Banna particularia alicujus Status Imperij, ultra illorum Statuum territorium ſe non extendunt. *Gail. lib. 1. de Pac. Publ. cap. 6. num. 12.* 128 129

Quidſi deniq; abſolutio à Banno ſeqvatur, An & ideò reſtitutus qvoad omnia cenſebitur? Ad hanc qvæſtionem ſciendum ſolum Supremum Principem Bannitum adverſus Bannũ reſtituere: qvia reſtituere Bannitos eſt de Reſervatis Principũ *l. Relegati. 4. l. Ad beſtias. 31. §. Ex provinciâ. ff. de Pœnis.* Nec licet Judici poſt latam ſententiam ſine Principis permiſſu pœnam minuere. *l. Acta. 45. §. De amplianda. 1. ff. de Re Jud.* Ratio: quia hujusmodi diſpenſatio contra Jus itidem eſt de Reſervatis Principis, quæ idcirco nec Vicario Generali & locumtenenti Principis non competit, cum a- 130 131 132

 lias

lias inferior Principe jus alteri qæſitum per Bannum vel per ſententiam auferret, qvod minimè procedit: eo quod Jus unius auferre & alteri dare ſit ſolius Principis. *Bald. in l. 1. n. 39. Cod. de Servit.*

133 Reſtituitur autem Bannitus vel per viam gratiæ vel per viam Juſtitiæ: per viam gratiæ fit reſtitutio, cum Princeps utitur verbis denotantibus plenam aut plenariam gratiam; Et tunc omnia bona tàm alienata quàm non alienata cenſentur eſſe reſtituta, ſive quis fuerit Bannitus ob contumaciam, ſive ob pacifragium, eâ ſcilicet æſtimatione & pretio, qvo fuerunt tempore immiſſionis & occupationis, *C. P. 3. tit. 55. §. pen.* cum omnibus fructibus extantibus & non conſumptis, *Gail. 2. de P. P. cap. ult. num. 30.* quia eſt de naturâ reſtitutionis ut fructus veniant. *l. Videamus. 38. §. In Favianâ. 4. ff. de Uſur.* Et reſtitutio reddit quod læſio abſtulit. Secus de fructibus perceptis, *C. P. 3 tit. 55. §. penult.* quia non recuperat, ſed immiſſus ſuos faciat, ex ratione: qvod immiſſio Authoritate Cæſareâ fiat, & qvi Authore Cæſare poſſidet, Juſtè poſſideat. *Gail. d. C. ult. n. 28.*

134

135 Quod etiam intelligendum de reſtitutione bonorum jam fiſco acquiſitorum, ſi apud eum adhuc reperiantur. Nam ſi bona infiſcata vendidiſſet, aut per contractum in tertium transtuliſſet, hujusmodi reſtitutus bona illa à tertio hoc poſſeſſore vindicare non poterit. *Afflict. in C. 1. num. 30. de Vaſall. decrepit. ætat.* Qui emptor à poſſeſſore bonæ fidei hæreditatis alienæ rem hæreditariam emptam non reſtituit. *l. Sed ſi lege. 25. §. Item ſi rem. 17. ff. de Hæredit. petit.* ſed tenebitur fiſcus in pretio locupletior factus illud reſtituere.

136 Per viam Juſtitiæ Bannitus reſtituitur, dum de innocentiâ ſuâ docet, & accuſationem factam ad nihilum deducit, qvo caſu æquitas vel maximè ſuadet bona reſtitui, & pleniſſimam operationem conſequi. *l. 1. §. fin. ff. de Quæſt.*

Unde

Unde non tantum in eam reſtitutionem veniunt fructus 137
percepti ſed & percipiendi, *Gloſſ. in l. Patri pro filio. §. E diverſo. verb. cum fructibus. ff. de Minorib.* quia, ut dixi plenariè ſuccurrit reſtitutio facta per viam Juſtitiæ, etiam quoad bona & Jura in alium translata, & pingvior eſt quam gratioſa, adeo ut etiam recuperet bona per fiſcum alienata. De reſtitutione in dignitates dubitari poſſet, an reſti- 138
tutus eas recuperet? *Bart. in l. 2. ff. de Decurionib.* putat talem non recuperare locum, quem in dignitatibus habebat tempore declarationis Banni, ſi alius in illum locum ſuffectus fuerit. *Gail. 2. P. P. cap. ult. num. 1.* Idem ſentit bannitum reſtitutum non tantum bonis, ſed etiam famæ & honoribus reſtitui, quia tantum reddit abſolutio qvantum abſtulit condemnatio: niſi dignitates ante abſolutio- 139
nem alijs collatæ fuerint. *d. cap. ult. num. 3. & 27.* Quia reſtitutio non trahitur ad Jus alteri qvæſitum, qvod Princeps ſuo Reſcripto adimere velle non præſumitur. *num. 4.* Addi poſſet illa limitatio: niſi talis particulariter fuiſſet reſtitutus ordini & collegio; nam locum ſuum reaſſumeret *d. l. 2. in vers. reſtitutus.*

Ex dictis conſequitur à Banno liberatum & plenariè 140
reſtitutum recuperare qvoqve jura Agnationis, Cognationis & Filiationis, ſucceſſionum ab inteſtato vel præter vel contra teſtamentum paternum vel avitum, ſi fortè eadem per Bannum perdidiſſet. Redintegrantur etiam reliqua Jura Civilia. *l. 1. ff. de Bon. poſſ. cont. tab.* Item effectus patriæ poteſtatis activè & paſſivè, actus quoqve geſti, & ob 141
damnationem infirmati, eo reſtituto reconvaleſcunt, veluti teſtamentũ per Bannũ irritũ factũ. *l. Si qvis filio. 6. §. Quatenus. 12. ff. de Injuſt. rupt. & init. fact. teſt.* ſuccedit etiam ex diſpoſitione hominis puta ex teſtamento extranei. *l. Intercidit. 19. ff. de Cond. & demonſt.* & non tantum in relictis puris, 142
ſed & conditionalibus, ſi ante ſententiam condemnatoriam relicta fuerint, alias ſi poſt eandem inſtitutus fuiſſet,

relicta non reconvaleſcerent ob incapacitatem illius temporis obſtante Regulâ Catoniania. *l. 1. ff. de Reg. Caton.*

SECTIO IV.

De cauſis Fiſci Cæſarei.

SUMMARIA.

1 Cauſæ Fiſcales Cæſareæ vel ſunt ordinariæ vel extraordinariæ.
2 Quæ ſint ordinariæ?
3 Extraordinariæ quæ ſint?
4 Utrum adverſus Banno Imperiali percuſſum fiſcus Cæſareus agat?
5 Mandatis Cæſareis & Cameræ Imperialis non parentes pro parte ſubjiciuntur Fiſco Cæſareo.
6 Item ij qui pro ſuſtentatione Cameræ non contribuunt aut etiam qui peccant contra Ordinationem Politicam.
7 Item qui ſubditum Imperij ad forum externum extrahit.
8 Fiſcalis Cæſareus quoque agit contra emanentes Viſitatores & Reviſores propter ſumptus quos præſentes fecerint.
9 Similiter contra eos, qui ſe ab oneribus publicis eximere tentant.
10 Item qui debitam reverentiam Judicio non præſtant & Mandata Cæſarea debito cum reſpectu non recipiunt.
11 Si quis in cauſis in Camerâ pendentibus alibi Mandata inhibitoria & annullatoria impetrat.
12 Judex inferior quoque fiſco tenetur, qui ab appellante legitimè requiſitus Acta edere doloſe recuſat.
13 Si quis propter temeritatem litigando condemnatur in pœnam fiſco ſolvendam.
14 Item ſi Advocatus cauſæ Juramentum appellationis præſtare recuſet.
15 Fiſcus Cæſareus in Aulâ Cæſareâ an agat adverſus eos, qui non obediunt Mandatis à Camera emanatis & econtra.

1 Cauſæ fiſcales Cæſareæ vel ſunt ordinariæ vel extraordi-
2 nariæ. Illæ ſunt, quibus viâ ordinariâ Juris & ordine ſervato per Citationem & libellum ſummariè proceditur: Uti ſunt cauſæ fractæ pacis & exemptionum, item cauſæ pœnales & aliæ, de qvibus in *tit. de Jur. Fiſc.* agitur.

Ex-

Extraordinariæ ſunt quæ de plano & extra ordinem peraguntur, in quibus à præcepto & ab executione tanquam ſuper liqvidis initium ſumitur. *Gail. 1. obſerv. 20. 2. 5.* 3

Procedit autem fiſcus Cæſareus Primò in ijs, quæ Bannum Imperiale ſecum important. De quibus ſectione præcedenti abundè diximus, nam præter Bannum & bona confiſcantur. Secundò, Fiſco Cæſareo ſubjiciuntur ij, qui Mandatis Cæſareæ Majeſtatis & Judicij Cameræ Imperialis non paruerint; pœna enim Mandatis inſerta modo tota, modo pro parte pro qualitate & tenore eorundem fiſco adjudicatur. Tertiò, cum Status quidam Imperii in ſolvendis neglectis moroſus inveniatur. *R.J. 1654. §.* Wir haben uns. *63.* Quartò, dum mora nectitur in ſolvendâ ſuſtentatione Cameræ, *C. P. 2. tit. 21. §. 2. R. Deput. 1557. §. 15.* Quintò, ſi qvis contra Ordinationem Politicam Policeyordnung/ committit. *C. P. 2. tit. 21. §. 3.* Sextò, ſi quis infeſtatis per vagos milites auxilium non tulerit imploratus, qui incidit in pœnam 40. Mar. aur. pur. à Fiſcale exigendam. *d. tit. 21. §. 6.* Septimò, ſi quis Imperij ſubditum ad externum forum pertrahat. *R.J. 1512. §.* Wo aber hiewieder. 39. Octavò, ſi contra emanentes Viſitatores & Reviſores propter ſumptus, quos præſentes magno damno facere debebant, agatur, ad pœnam ſcilicet mille aureorum, quos Fiſcalis per mandata executorialia exigit. *C. p. 1. tit. 64. §. 11.* Nonò, quando Status Imperii ſe ab oneribus publicis eximere tentat, quo caſu Fiſcalis celeriter procedere debet, eique nulla retardatio à Collegio Camerali permittitur. *C. p. 1. tit. 29. lit. 1.* Decimò, Fiſcalis quop; agit contra eos qui in & extra Judicium Camerale debitam Reverentiam non præſtant, & Cæſarea Mandata decenti reſpectu non recipiunt, nec ijsdem legitimo modo parent. *R. J. 1654. §.* Damit aber. 165. Undecimò, ſi qvis in cauſis in Camerâ pendentibus, alibi Mandata inhibitoria, reſtitu-

4 5 6 7 8 9 10 11

toria, avocatoria ſuſpenſoriaq; impetret, & ita pendentes retardet; talis fiſco & parti adverſæ in pœnam decem Mar. aur. pur. tenetur *R. J. 1654.* §. Ebenmäſſig ſollen. 166. Duodecimò, quoq; fiſco tenebitur ſub pœnâ. 20. Marcarum
12 auri puri Judex Inferior, qui ab appellante legitimè requiſitus, Acta edere doloſè recuſat. *R. J. 1654. §.* Ob auch ſchon.
13 61. in f. Decimo tertiò, ſi quis propter temeritatem litigandi, vel oppoſitionem frivolarum exceptionum in pœnam Fiſco Cæſareo ſolvendam à Camerâ condemnetur *d. R. I.* §. Nichtweniger. 83. Decimo quartò, ſi qui propter frivolam appellationem pœna promerita imponatur *C. p.*
14 *1. tit. 31.* §. *3.* Decimo quintò, ſi Advocatus cauſæ Juramentum Appellationis præſtare recuſet G. B. *28. Januar. 1657.* §. *pen.* plures videri poſſunt hujusmodi cauſæ, quæ paſſim *in Receſſibus Imperii & Ord. Cam.* inveniuntur, aut etiam uſu qvotidiano deprehenduntur. De cætero illud adhuc monendum eſt, Fiſcum Cæſareum in Aulâ Cæſareâ adverſus eos, qui Mandatis in Camerâ emanatis non obediunt, agere non poſſe, & econtra, *C. p. 2. tit. 25. num. 46.*
15 Cum lis in Aulâ Cæſareâ ſemel cæptâ ad Camerale Judicium & econtra pertrahi nequeat propter concurrentem Jurisdictionem.

SECTIO V.

De Emolumento Fiſci ex Contractibus.

SUMMARIA.

1 *An ex contractibus privatorum pœna fiſco deberi poſſit & quomodo?*

2 *Pœna Fiſco ſolvitur quæ per ſtipulationem & non nudo pacto promiſſa eſt.*

3 *Fraudator fiſci in quærendis in duplum, in quæſitis in quadruplum punitur.*

4 *An alienationes in fraudem fiſci teneant?*

5 *An alienationes ante delictum Læſæ Ma-*

Majeſtatis facta teneant etiam in fraudem fiſci factæ?

6 *Alienationes poſt crimen commiſſum an à fiſco revocentur?*

7 *Limitatur affirmativa.*

8 *An alienatio ante litis conteſtationem ſed poſt accuſationem facta revocari poſſit?*

9 *An poſt litis conteſtationem ante ſententiam alienata revocentur?*

10 *Alienatio poſt ſententiam facta omnino improbatur.*

11 *Specialiter Fiſcus in eo habet privilegiatam cauſam, qvod bona citra pignoris conventionem ipſi ſint hypothecata.*

12 *An fiſcus præferatur creditori anteriorem hypothecam habenti in bonis debitoris?*

13 *Quid Juris ſi fiſcus ut privilegiatus cum pupillo in privilegiato aut aliâ cauſâ privilegiatâ concurrat?*

14 *An præferatur fiſcus totam Remp. concernens potius, qvàm privatum ærarium Principis, ſi alia cauſa privilegiata concurrat?*

15 *In adminiſtratione Primipilatus fiſcus creditor præfertur omnibus.*

16 *Quid ſit Primipilatus officium? diverſæ ſententiæ.*

17 *Quid ſi in concurſu privilegiati v. g. dotis cum privilegiato fiſco de prioritate non conſtet?*

18 *Ratio pro prælatione dotis.*

19 *An eadem doctrina in concurſu cauſæ piæ cum fiſco locum habeat?*

20 *Limitantur prædicta ſi fiſcus poſſeſſione rei gaudeat.*

21 *Quod commodum fiſco accedat in perſonalib9, & quando ad uſuras teneatur, & ipſe tales recipiat?*

22 *An debitores fiſci manifeſtè convicti appellationis privilegium habeant?*

QUin ex contractibus privatorum pœna fiſco deberi poſſit, dubium non eſt, *l. 1. ff. de Jur. Fiſc.* quod fieri poteſt qvando fiſcus in locum privati ſuccedit, cui pœna conventionalis debebatur. *l. Fiſcus. 6. ff. eod.* Nec non etiam, qvando in contractu inter duos privatos inito de obſervantia illius ſub pœnâ fiſco applicandâ in caſu contrafactionis quid promiſſum eſt: Eo enim caſu pœna conventa fiſco debebitur, potisſimum ſi per ſtipulationem & non nudo pacto promiſſa dicatur: quia alias inefficax actio futura eſſet. *l. Servus ea. 7. ff. de Serv. exportand.* Accedit & hoc qvod fiſcus ea, qvæ per contractum in fraudem illius alienata ſunt, revocare poſſit. *l. In fraudem. 45.*

(margin numbers: 1 beside line 1, 2 beside line 7 of the paragraph)

3 *pr. & in §. à Debitore. 3. ff. de Jur. Fiſc.* adjectâ hac ulteriori pœnâ, ut fraudator fiſci in qværendis in duplum, in quæſitis verò in quadruplum condemnetur.

4 An autem in omnibus alienatis procedat? examinare lubet, quæ ut melius intelligantur, qvinqve diverſa tempora ex Doctoribus notanda ſunt. *Primum* eſt ante delictum commiſſum: qvo alienationes qvocunque modo fa-
5 ctæ tenent; ſivè contractus interceſſerit inter perſonas conjunctas, ſive extraneas, etiam in delicto Læſæ Majeſtatis, *l. fin. Cod. ad Leg. Jul. Majeſt. Alex. Cons. 83. Col. 83. in d. Dec. Cons. 235. Col. 1.* niſi deprehendi poſſit id propter crimen committendum in fraudem fiſci factum eſſe; quanquam *Salycet. in l. Si qvis poſthac. Cod. de Bon. proſcript.* putaverit, qvod alienatio ante perpetratum facinus confecta, ut ut etiam in fraudem fiſci id factum eſſe comprobetur, revocari non poſſit, ex ratione: quia ante crimen nulla erat obligatio contracta cum fiſco. Hac contradictione non obſtante, prior ſententia verior eſt: quia omnis alienatio etiam facta in fraudem futurorum creditorum revocatur *l. Ait Prætor. 10. §. Ita. 1. ff. Quæ in fraud.*
6 *cred. ibi. Bart.* *Secundum*, poſt crimen commiſſum ante accuſationem tamen: Vigore cujus â die criminis commiſſi indiſtinctè alienationes revocantur remedio rei vindicationis, pretio non ſoluto. *l. Commiſſa. 14. Cod. de Publ. & Vectig. l. Incivile. 12. Cod. de R. V. Cov. de Spons. P. 2. c. 6. §. 8. num. 9. Surd. de Alim. tit. 8. Privileg. 35. num. 1. & Decis. 247. num. 4.* quod tamen non ita ſimpliciter procedere quidam putant, ſed tum demum, quando in fraudem fiſci metu pœnæ alienatio facta dicatur. Quæ ſententia mihi non probatur, eo qvod per hujusmodi delictum fiſco quamprimum in bonis delinqventis jus quæratur, intellige delictum, qvod alias ſecum importat confiſcationem bonorum: quamvis pœna non ſit nec dicatur debita jure obligationis, niſi ſecutâ ſententiâ condemnatoriâ. Fallit

præ-

prædicta deciſio in alienationibus neceſſariis, & quia veris 7
creditoribus ſoluiſſet. *l. Reo. 41. ff. de Solut. l. Alienationes. 13. ff. Famil. erciſc.* nam talem ſolutionem fiſcus ratam habere debet, quia & ipſemet teneretur. *Tertium* tempus alienationis eſt poſt accuſationem ante litis tamen conteſtationem: hoc certè caſu vix eſt ut revocari poſſint alie- 8
nata, propter quod non ita eliciatur præſumptio reum metu futuræ pœnæ alienaſſe, quemadmodum in eo qui deprehenditur in delicto, aut etiam delictum ſit notorium: Maxima namque intercedit differentia inter deprehenſum in crimine atqve notoreitatem ejus; & inter accuſatum de crimine; quia accuſatio non reddit eum delinqventem, prout deprehenſio & facti notoreitas. *Quar-* 9
tum, poſt accuſationem & litis conteſtationem ante ſententiam. Hic concludendum eſt, de Jure quidem validam eſſe alienationem & translationem Dominii, ſed demum à fiſco propter fraudem factam reſcindi, idqve potiſſimum, ſi ex cauſâ lucrativa facta ſit, nec non etiam ex cauſâ oneroſâ ſiqvidem emptor venditorem accuſatum ſciverit: qvoniam de facili fraus præſumitur. *Quintum* tempus, 10
poſt ſententiam condemnatoriam; qvod omninò alienationem improbat, cum per eam adminiſtratio ſibi intelligatur adempta, & deſinat eſſe Dominus. Etſi fortè poſt interpoſitam ab hac ſententiâ condemnatoriâ appellationem res nihilominus alienata fuerit, Judex appellationis revocabit eam per viam attentati ſecutâ confirmatione ſententiæ. *l. Chirographis. 57. §. fin. ff. de Adminiſt. tut.*

Emolumentum fiſcale quoq; non minimum conſiſtit 11
in eo, ut citra omnem pignoris conventionem bona ipſi ſint hypothecata *l. Aufertur. 46. §. Fiſcus. 3. ff. de Jur. Fiſc.* non tantum mobilia & immobilia, ſed etiam jura & actiones, nec non mercimonia extantia tempore confiſcationis, adeo ut creditor anteriorem generalem hypothecam ha- 12
bens in bonis debitoris poſtea qvæſitis fiſco non præfera-

 tur.

tur. *l. Si qvi. 28. ff. de Jur. Fiſ.* In quæſitis verò ante creditor privatus hypothecarius anterior ſive expreſſam ſive tacitam hypothecam habens præfertur. *l. Si pignus. 8. &*
13 *l, Titius. 21. in pr. & §. fin. ff. Qui potior.* Niſi privilegiatus cum privilegiato concurrat, puta pupillus cum fiſco, item cauſa dotalis cum cauſa fiſcali, quia in hiſce pupillus anterior & obligatio dotis prior, non tantum in ante, ſed etiam poſt quæſitis fiſco præferuntur, *l. fin. P. 2. ff. Qvi potior.* modo tamen talis privilegiata cauſa non tàm ad fiſcum
14 Principis, quàm ad totam Rempubl. pertineat. Veluti eſt cauſa Primipili *l. 3. Cod. de Primip.* Contributionum & penſitationum publicarum. *l, 1. Si propt. publ.* Unde Germani dicunt: Herren und Heyligen gehen über alles. *Tob. Otto. Tabor, in Theſ. Locor. Comm. Jurisprud. lib. 6. cap. 18. Axiom.*
15 *1. inf.* In officio enim & adminiſtratione Primipilatus, ſi fiſcus creditor ſit, præfertur uxori in omnibus mariti bonis, etiam per eam ex cauſâ dotis traditis, licet mulier eſſet anterior in tempore. Secus in bonis paraphernalibus, in quibus mulier præfertur. *l. 1. Cod. de Privil. fiſc.*

16 Quid fuerit Primipilatus officium non conveniunt Interpretes: *Ripa enim in l. Privilegia. num. 44. ff. de Privil. cred.* credit eos eſſe, qvi primum in hoſtes tela feriebant, Alij ex Authoritatibus Scriptorum Romanorum dicunt eſſe centurionis officium, qui aquilæ vexillo in Legione præerat, qviqve quadringentos Primipilarios milites ducebat, *Bald. verò. & Ang. in l. Satis notum. Cod. In qvib. Cauſ. pign. tac.* in illâ ſunt opinione, eum hoc officio fungi, qui pecunias Principi debitas colligit, quem nos Camerarium appellamus.

17 Quid ſi privilegiatus cum privilegiato, puta cauſa fiſci cum cauſa dotis concurrat, nec de prioritate unius conſtare poſſit? Certè pro dote in ambiguo hoc caſu reſpondendum cenſerem. *l. In ambiguis. 70. ff. de Jur. dot.* Cum hæc magis ſit privilegiata, & ideo præferenda. *l. Verum, 11. §.*

11. §. fin. ff. de Minorib. Ratio rationis: quia fiſcus non 18
præfertur creditoribus habentibus hypothecam anteriorem tacitam l. un. Cod. Rem. alien. quibus tamen præfertur cauſa dotis. l. Aſſiduis. 12. Cod. Qui pot. in pign. quidquid reclamet Salycet. in l. 2. Cod. de Privileg. Fiſc. putans, ideò quia pares cenſentur, neutram alteri præferri debere, cui ego minus conſentio, quia, qvantumvis inducatur paritas quædam, ea tamen non ita ſimpliciter conſideranda venit & abſolutè, ſed in aliquibus v. g. ſicut fiſcus habet privilegium tacitæ hypothecæ, ita & dos, item ſicut cauſa fiſci anterior prævalet cauſæ dotali, ita & econtra. I- 19
dem quoq; tenendum ſvaderem, ſi cauſa pia cum fiſco concurreret.

Contrarium tamen verius foret in caſu, ſi fiſcus poſ-
ſeſſione rei gauderet: nam tunc conditio ejus potior eſſet, 20
prout inter privatos obtinet, Salycet. d. l. 2. quia poſſeſſionis additamentum efficaciter ampliat Jura fiſci §. Commodum. Inſt. de Interd. Nec movet qvod objiciunt cauſam dotis eſſe potiorem, quia id intelligendum eſt cæteris paribus.

Commodum ulterius fiſco accedit in perſonalibus: 21
nam uſuras pro tempore futuro non ſolvit, poſtquam ſucceſſit: Secus verò in ijs, quæ tempore anteriori debitæ fuerunt, ad quas tenebitur aut etiam ſi in locum privati debitoris ſucceſſerit, l. Cum qvidam. 17. §. Cum autem. ff. de Uſur. l. 2. Cod. de Fiſcal. Uſur. quia Jure privati hoc in paſſu utitur. Econtra eidem quoque Uſuræ debebuntur, & quidem Jure Civili citra interpellationem. Uſuras etiam ſemiſſes à debitoribus ſuis, qui tardius pecunias ſolvunt, exegit. d. l. Cum qvidam. §. Fiſcus. l. fin. Cod. de Uſur. Fiſc.

Deniq; & hoc fiſco tribuitur, ut debitores fiſcales 22
manifeſtè convicti nullo modo appellare poſſint. l. Quoniam. 18. Cod. de Appellat. Et hinc non ſuſpendit executionem Judicati in materia publicæ pecuniæ.

SEC-

SECTIO VI.

De Oneribus Fiſcalibus.

SUMMARIA.

1 Fiſcus in publicatione bonorum mobilia & immobilia Jura & actiones ſibi quærit.

2 An condemnatus actiones adverſus debitores ſuos inſtituere poſſit & econtra hi contra illum?

3 An fidejuſſor poſtea datus obligetur?

4 Quâ ratione onera in fiſcum transeant & quibus cauſis?

5 Creditoribus pro debitis ante commiſſum delictum contractis fiſcus tenetur.

6 Quomodo intelligendum id quod dicitur fiſcum loco hæredis haberi?

7 An fiſcus teneatur ultra vires patrimonii delinquentis?

9 An prius fiſcus quàm fideijuſſor excuti debeat?

10 An & liberis, & uxori de alimentis & filiæ de dote proſpicere debeat?

11 Affirmativa placet, niſi in crimine Læſæ Majeſtatis dubitare velis.

12 An ex alio quam Læſæ Majeſtatis Crimine publicatis bonis filii legitimam habere poſſint?

13 Communis & probabilior eſt ſententia legitimam tribuens, ratio ibidem.

14 Boni Principes magis privatis, quàm fiſco favere ſolent.

15 An legitima portio quamprimum bonis confiſcatis debeatur, vel à morte patris naturalis?

16 Quid Juris in natis poſt confiſcationem, an & hi legitimam hanc portionem conſequantur?

17 De hac portione reſervatâ filius patrem Bannitum & confiſcatum alere tenetur.

18 An peculium profectitium cum reliquis bonis paternis confiſcetur?

19 Sententia Negativa verior excepto Crimine Læſæ Majeſtatis.

20 An publacatis filiifamilias bonis econtra etiam publicetur peculium prefectitium?

21 An publicatis bonis uxoris etiam dos publicetur in præjudicium mariti?

1 Quando fiſcus ad publicationem bonorum tendit, non tantum mobilia & immobilia, imò jura & actiones ſibi acqiicit, *Dec. Conſ. 442. Col. 1.* adeò ut per ſententiam, vel ipſo

ipſo jure ex permiſſu legis ſibi acquirat bona fiſcata quoad ejus dominium, etiam ſine aliqvâ illorum apprehenſione, & propriè in locum condemnati, & in ejus actiones tàm activas quàm paſſivas ſuccedat. *l. 2. Cod. ad Leg. Jul. de Vi publ.* hoc effectu plane ſingulari, ut condemnatus non 2
tantum actiones adverſus debitores ſuos movere non poſſit, ſed etiam nec econtà his adverſus reum ex defectu obligationis procedere integrum ſit, imò fidejuſſor poſtea 3
datus non obligetur principali obligatione ceſſante, ſed omnes fiſco ſolventes liberentur: Hoc igitur poſito, quan- 4
doquidem emolumenta omninò fiſco acquirantur & commoda condemnati; hinc merito & onera in eum transire debent: Nam ex Regulis Juris, qui ſentit commodum, incommodum qvoq; ſentiat oportet; Potiſſimum quod ſucceſſor univerſalis ſit, & hæres annomalus dicatur, aut etiam loco hæredis extranei reputetur, ideoq; factum rei 5
ceſſante fraude præſtare, & creditoribus de bonis illius pro debitis ante commiſſum delictum contractis ſatisfacere teneatur *l. 2. §. fin. ff. de Cap. minut.* quicunqve etiam illi fuerint. Dixi fiſcum loco hæredis haberi: intellige non 6
per omnia, ſed in aliquibus: quia, quando lis cum defuncto cœpta eſt, illa activè & paſſivè ad hæredes ejus tranſit. *l. Si hominem. ff. de Fidejuſ.* at in fiſcum non tranſit, cum ſpeciales Judices habeat. *l. Si conſtante. 24. §. fin. ff. Sol. matr.* Deinde per jura vulgata obvium eſt hæredem creditoribus defuncti in ſolidum teneri, licet bona non ſufficiant, niſi adierit hæreditatem cum beneficio Inventarij: *l. fin. Cod. de Jur. delib.* Fiſcus autem bonis confiſcatis ultra vires bono- 7
rum non tenetur. *l. 1. §. An bona. l. Non poſſunt. 11. ff. de Jur. fiſc.* Rationem affert *Ripa in l. Ex facto. n. 7. ff. ad SC. Trebell.* Quia fiſcus convenitur â creditoribus uti poſſeſ- 8
ſor, ideoq; pro menſura bonorum tenetur, & pro modo eorum perſonaliter conveniri poteſt, ita tamen ut prius excuti debeat, quam fidejuſſor, ſervato Juris ordine, cum u- 9

tatur jure privati, & hoc in caſu in ſpecie non reperiatur privilegiatus.

10 Alterum onus quod incumbit fiſco, eſt: ut liberis & uxori inopi condemnati de alimentis provideat, imò etiam bonis omnibus confiſcatis filiæ de dote proſpiciat. *Surd. de Aliment. tit. 1. Quæſt. 31. num. 16. Auguſt. Barbos. in Re-*
11 *pert. Jur. Civil. & Canon. vocabulo: Fiſcus. in f.* Qvod ſanè in Crimine Læſæ Majeſtatis maximum mihi movet dubium per textum expresſiſſimum, qvo de matris qvidem ſubſtantiâ filiabus reſervatur legitima, de paternis nihil: Filij verò tàm in paternis quàm maternis arceantur, & conſequenter à legitimâ penitus excludantur *Card. in Clem.*
12 *Paſtoralis. num. 15. de Re Jud.* An nihilominus legitimam ex alio qvàm Læſæ Majeſtatis Crimine liberi habere posſint? quæri poſſet. Quidam omninò arbitrantur publicatis bonis paternis nullam omninò deberi legitimam. Alij econtra in mitiorem ſententiam deſcendunt, tribuentes illis hanc portionem. *Jul. Clar. in Pract. Crim. lib. 5. §. fin. Q. 78.*
13 *Col. 13. Menoch. Cons. 77. n. 25.* quam idcirco magis communem & probabiliorem deprædicant, eò qvod naturâ ſvadẽte illa debeatur, à qvâ non niſi per propria delicta excluderentur, ut in maximo mœrore filijs piè & humaniter conſulatur de aliquâ portione, quibus naturali ratione univerſa ſucceſſio in bonis paternis debebatur. *l. Scripto. 7. ff. Und. lib.* Item quia fiſcus prætendit cauſam lucrativam, unde in portione favorabilior videtur filiorum cauſa *arg.*
14 *tit. Cod. de Inoffic. donat.* Cum alias boni Principes ſemper privatis potius quàm fiſco faveant. *textus eſt in l. 2. Cod. Theod. de Advoc. fiſc.* Cujus rei præclarum exemplum reperitur *in l. 2. & l. 6. Cod. de Serv. pign. dat.* Ubi Imperatores non favent fiſco ſuo, & pupillis tamen favent: Pupillus enim & fiſcus habent tacitam hypothecam in bonis debitoris, & ob id debitor pupilli, ſi manumittat ſervum, nihil agit. Si verò debitor fiſci manumittat ſervum

vum

vum non obligatum aut pignoratum fiſco ſpecialiter, valet manumiſſio.

Stante itaqve hac concluſione filijs confiſcati legitimam concedi; ſeqvitur inde eam ſtatim à confiſcatione deberi, & non à morte naturali patris: quia & ipſe pro mortuo habetur, nec non fiſcus tanquam hæres exiſtimatur, cui incumbit onus perſolvendi debita ipſius condemnati. 15 Secus erit in natis poſt confiſcationem, qui non vocarentur ad portionem liberis debitam, niſi tempore confiſcationis jam concepti fuerint, tunc enim pro natis haberentur ad eorum commodum per Jura vulgata *in l. Qui in utero. 7. ff. de Stat. hom.* de quâ portione reſervatâ filij patrem Bannitum & confiſcatum alimentorum capacem alimentare tenentur: Quanquam *Bald. in Auth. Bona damnatorum. num. 4.* negativè concludat.

16 17

Illud adhuc coronidis loco qværemus An, ſi filius peculium profectitium habuerit, illud cum reliquis bonis paternis publicetur? Reſpondetur qvod non *l. 3. §. Sed utrum. ff. de Minorib.* cum creditores poſtea contracti per patrem in peculium niti non poſſint. *Bald. in l. pen. Cod. Qui bon. ced. poſſ.* Excepto Crimine Læſæ Majeſtatis, & caſu qvo pater amitteret patriam poteſtatem. 18 19

Econtra qvoq; bonis filiifamilias publicatis non publicatur peculium profectitium: quia Jus dominij & poſſeſſionis recidit ad patrem. Idem eſt de peculio adventitio, in qvo filius non habet adminiſtrationem, nec poteſt patri aliquando præjudicare. *l. fin. §. Filiis autem. Cod. de Bon. qvæ liber.* Publicatis etiam bonis uxoris ex cauſa alicujus delicti, non publicatur ejusdem dos in præjudicium mariti. *Bart. in l. Si qvis in tantum. Col. 4. Cod. Unde Vi.* niſi in quinque tantum caſibus, qvos refert. *l. Qvinq; legibus. 3. ff. de Bon. damnat.* Extra qvos non admittitur cofiſcatio. 20 21

SECTIO VII.

De Succeſsione Fiſci in Theſauris & metallis.

SUMMARIA.

1 *Fiſcus ratione theſaurorum etiam qvandoq; agit.*
2 *Quid ſit theſaurus?*
3 *An etiam pro theſauro reputabitur, quod metus & cuſtodiæ cauſâ qvis abſcondit?*
4 *Theſaurus incantationibus & arte magicâ inventus cui cedat?*
5 *Cui relinquatur qui inproprio vel alio loco ſivè caſu ſivè induſtria ſine incantationibus tamen theſaurum invenit?*
6 *Aliæ diſtinctiones, an deprehendatur in fundo publico vel privato, fortituo caſu vel induſtria?*
7 *Quid ſi inveniatur in loco Sacro & Religioſo?*
8 *Concilatio §. Theſauros. Inſt. de R. d. Cum. l. 3. §. Si in locis. ff. de Jur. fiſc.*
9 *Quid moribus hodiernis in Theſauro in loco Sacro invento obtineat?*
10 *Cui debeatur theſaurus, qui in loco publico, qui nullius ſit, inventus dicatur?*
11 *Explicatio textus Juris Saxonici cum Jure Communi.*
12 *De inventione metallorum diſtinctio notanda, & qvid debeatur fiſco?*
13 *Metalla in publico inventa ad Principem ſpectant & ad Regalia pertinent.*

1 THeſauri etiam quandoq; fiſco cedunt. *l. 1. ff. de Jur. fiſc.*
2 Eſt autem *Theſaurus vetus pecuniæ depoſitio cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat, & ſic ſit ejus qvi invenerit, qvod non ſit alterius.* quemadmodum *Paul. JurisC. in l. Nunqvam nuda. 31. §. 1. ff. de Acqvir. Rer. dom.* definire voluit: *Leo Imperator in l. un. Cod. de Theſ.* dicit eſſe pecuniam ab ignotis Dominis tempore vetuſtiore abſcondi-
3 tam. Unde ſi quis metus vel cuſtodiæ cauſâ pecuniam abſconderit, non habebitur loco theſauri, nec ſit inventoris, ſed manet deponentium. *d. l. 31. §. 1.* Quibus modis theſauri acquirantur? certis & ſeparatis propoſitionibus de-

declarandum. Vel enim *primò* quis theſaurum incantationibus & arte magicá ſivè in proprio ſivè in alieno reperit. Eo caſu expreſſè ſtatuit *d. l. un.* talem fiſco appropriandum. 4

Vel *Secundò*, inventus eſt in fundo meo aut alio loco 5
proprio ſive caſu, ſive induſtriâ ſine incantionibus tamen: Tunc voluit Imperator Hadrianus naturalem qvandam rationem ſecutus. *§. Theſaurus. Inſt. d. R. d.* ſicut & *Leo. in d. l. un.* totum inventori cedere, qvod qvidam ad utile ſaltem dominium extendunt; ut Vaſallus & Emphyteuta habent. *Gloſſ. in d. l. Unic. verb. nam in ſuis.*

Vel *Tertiò*, Theſaurus deprehenditur in fundo alieno 6
privato vel publico, & hoc fit fortuito caſu, aut datâ induſtriâ. *Si primum*: pro dimidia ad inventorem & pro alterâ dimidiâ ad privatum, fiſcum, Civitatem aut Dominum pertinebit *d. §. Theſauros.* niſi partem fiſcalem inventor ſuppreſſerit; nam tunc totum fiſco deferre tenetur. *l. Non intelligitur. 3. §. fin. ff. de Jur. fiſc. Si ſecundum*: totus acquiritur Domino iſtius loci & inventori nihil debetur, ſivè quæſierit eum volente Domino & ipſum ad hoc conducente, ſive ignorante & invito eo, *d. l. un.*

Vel *Quartò*, invenitur theſaurus in loco Sacro, Religio- 7
ſo, in monumentis & locis publicis: hoc caſu dicit *JCtus Calliſtratus*, pro dimidiâ inventoris, & pro alterâ dimidia fiſci
eſſe. *l. 3. §. Si in locis. ff. de Jur. fiſc.* Cui obſtat *d. §. theſauros.* 8
ubi ſtatuitur theſaurum in locis Sacris & Religioſis inventum inventori cedere. quæ eſt maxima contradictio. Conciliationes plures *Accurſius & Gloſſ.* quæſiverunt, ſed optima, meo judicio, erit illa, quam *Ang. & Aret. in d. §. Theſauros.* proponunt. *d. l. 3.* ſcilicet per Conſtitutionem poſteriorem Juſtiniani derogatum eſſe, per rationem; cum bona Sacra & Religioſa in nullius bonis ſint, naturaliter ſequi theſaurum ijs in locis fortuito caſu inventum, inventori cedere debere, eò qvod nullo exiſtente Domino diviſio fieri nequeat.

 Ho-

9 Hodiernis tamen moribus contrarium obtinet, & Prælato Eccleſiæ tanquam domino fundi Sacri & Religioſi dimidiam, & alteram dimidiam inventori tribuunt. *Gloſſ. in C. Si qvid inveniſti. 14. Q. 5.*

10 Sed quid ſi theſaurus inveniatur in loco publico qui nullius ſit, v. g. in plateis vel viis publicis: *Bald. in l. Item lapilli. ff. de R. D.* totum inventori cedere putat, modo fortuito caſu inventus fuerit. Sed contraria opinio fortè verior erit, quæ dimidiam partem fiſco, & dimidiam inventori concedit. uti ſupra.

11 Quomodo explicetur textus Juris Saxonici Landrecht. *lib. I. art. 35.* cum Jure Communi de theſauris inventis videri poteſt apud *Paul. Matth. Webner. Obſer. Pract. vocab.* Schatz.

12 De inventione metallorum diſtinguitur an in privato vel publico reperiatur, ſi in privato fundo decima debebitur fiſco, decima fundi Domino, & reſiduum erit metallarii, qui tamen in ingreſſu officij ſolvere debet octo ſcrupulos illius metalli ſemel tantum, & ulterius annuatim, ſi aurum fodit, ſeptem ſcrupulos: Si verò aliud metalli genus, libram unam illius metalli unciarum 14. portionem autem metalli eidem remanentem vendere tenetur. Sic deciditur *in l. 1. 2. & 3. Cod. de Metall. lib. 11.* quod Jus Regale conſiſtit in decima fiſco debitâ.

13 Si in publico inveniantur, ad Principem ſpectabunt, ſed qvia hæc ad Regalia propriè pertinent, ideò in ijs infra in ſucceſſionibus Regalibus latius nos extendemus.

CAPUT

Caput VII.

De ADITIONE, ET TRANSMISSIONE SUCCESSIONUM CIVILIUM.

Sectio I.

SUMMARIA.

1 *Methodi ratio à perſonis teſtantium ad perſonam hæredis ad effectum teſtamentarium.*

2 *Ad hoc ut teſtamentum & cætera in eo relicta ſalva maneant, hæredis perſona perqvam neceſſaria eſt.*

3 *Creditores ex incertitudine hæredis, in incertitudine crediti verſantur.*

4 *Differentia inter hæreditatem jacentem & vacantem.*

5 *Cautela pro creditoribus hæreditariis ad hoc ut in caſu hæreditatis jacentis Curatores petant.*

6 *Quâ ratione in hæreditate jacente hæredes ab inteſtato citari debeant?*

7 *Quomodo & quando creditores ex primo & ſecundo decreto in bona immittantur?*

8 *Hæreditas non adita regulariter non transmittitur.*

9 *An hæc regula in filio obtineat?*

10 *Filius eſt hæres qvoad Jus ſuccedendi, non qvoad neceſſitatem adeundi.*

11 *An præter poſſeſſionem & aditio intervenire debeat?*

12 *Aditio non tàm eſt facti qvàm animi & hinc difficilioris probationis.*

13 *Quomodo probetur aditio, qvæ in animo potius conſiſtit?*

14 *Qvis dicatur pro hærede ſe gerere?*

15 *Per eam geſtionem & declarationem teſtamentum confirmatur, & talis in Jus defuncti ſuccedit tàm qvoad commoda qvàm qvoad onera.*

16 *An ex poſt facto admittatur pœnitentia? ita eſt niſi minor læſus pro-*

præbetur, aut alia gravis cauſa interveniat.

17 *Ad commodum qvorumcunque hæredum introductum eſt certum tempus deliberandi.*

18 *Quid ratione hujus temporis Statutum reperiatur?*

19 *Imperator Juſtinianus annum integrum à die ſcientiæ conceſſit cum privilegiis nonnullis.*

20 *An hodie ſui hæredes, item pupilli & minores 25. annis etiam per ſe vel per alios deliberare poſſint.*

21 *Quos effectus habeat hoc privilegium temporis deliberandi?*

22 *Quod incommodum ſeqvitur poſt annum elapſum.*

1 HActenus multis teſtantium, nec non ab inteſtato decedentium qualitates & perſonas, de ſuis rebus, aut actu diſponentes, aut etiam nihil ordinantes examinavimus. Nunc reſtat ut perſona qvoq; hæredis, qvoad primarium ultimarum voluntatum effectum producatur, adhoc ut
2 non tantum ipſa hæredis inſtitutio, utpote fundamentum & baſis teſtamentorum ſalva maneat; verum etiam cætera legata & fideicommiſſa in ſuo vigore conſiſtere valeant; atque creditoribus eo facilius ſubveniatur, qvi alio-
3 qui ex incertitudine hæredis, in incertitudine quoque crediti contra æquitatem verſarentur, quando hæreditas jacens diceretur; quæ diſtinguitur à vacante, quod in illâ
4 adhuc ſpes ſuperſit hæreditatem adiri poſſe: hæc verò ſit deficiente naturali & legitimo hærede ad decimum gradum uſque, quæ tandem ad fiſcum cum ſuo onere tranſit. *l. 1. ff. de Succeſſ. Edict.* de quibus capite antecedenti plu-
5 ribus egimus. Ad prædicta autem Primò ſequens cutela pro creditoribus obſervanda erit, ut in caſu hæreditatis jacentis curatores petant, quatenus contra eosdem actiones ſuas inſtituere poſſint, ne inanes efficiantur ex defectu
6 tertij requiſiti Judiciorum, ſcilicet perſonæ rei, qui omninò adeſſe debet, ut hæreditas jacens excutiatur. Intellige tamen poſt citatos hæredes, vel in teſtamento inſtitutos, vel etiam ab inteſtato fortè venientes. *d. l. 1. ff. de Succeſſ. Edict.* quibus aſſignatur terminus puta centum dierum

rum ad adeundam vel repudiandam hæreditatem; quibus non exiſtentibus aut etiam adire non volentibus, creditores ex primo Decreto in bona immittuntur, & demum asſignato curatore immiſſio ex ſecundo Decreto decernitur. Secundò notandum, hæreditatem non aditam non transmitti regulariter, *l. 1. §. Noviſſimo. Cod. de Cad. toll. l. un. Cod. de Eo qvi ant. apert. tab.* propter Jus qvod hæres non habet, qvod & conſeqventer non transmittit. *l. 1. §. Usqve adeo. ff. Quib. mod. Uſusfr. vel Uſus amitt.* etiam tunc quando filius patri ſuccedere vult: hic enim ante aditam hæreditatem impropriè hæres eſt, ſicut & impropriè Dominus rerum paternarum vivente adhuc patre. *l. In ſuis. 11. ff. de Lib. & poſth.* non verò propriè & cum effectu; cum beneficio abſtinendi jure Prætorio gaudeat. *l. Cum hæreditate patris. 55. ff. de Acqvir. hæred.* qvo adeundi neceſſitate non aſtringitur; non obſtante quod hæres ante dici poſſit: Hæres namque erit quoad Jus ſuccedendi, non quoad neceſſitatem adeundi. Aut etiam quod in poſſesſione bonorum paternorum reperiatur: parum firma enim eſt conſequentia: filius poſſidet, ergo eſt hæres; eo qvod poſſim poſſidere rem, ut non ſim hæres illius rei. Hinc præter poſſesſionem aditio intervenire debet, quæ in animo & nudâ voluntate adeuntis conſiſtit. *§. fin. Inſt. de Hæred. qualit. & different. l. Si avia. 6. Cod. de Jur. deliber.* cum non tàm ſit facti quàm animi. Ex ratione illud colligo, quod quemadmodum aditio hæreditatis non tàm ſit facti, ita etiam difficilioris probationis indicium importet, quandoquidem facta regulariter probanda veniant, & non præſumantur niſi probentur, ex vulgatis; animi enim intentionem, quæ in occulto eſt, qvomodo exactè probabis? Certè ad extrinſeca deveniendum erit, quæ aut ex verbis aut factis eliciuntur. *Verbis:* ſi hæredem ſe apertè profiteatur, *Factis:* ſi hæreditati ſeſe immiſceat, atq; pro hærede gerat. *l. Pro hærede. 20. ff. de Acqvir. hæred.* aut par-

9 10 11 12 13

tem hæditatis ſibi relictam alteri in ſuo teſtamento re-
14 linqvat. Gerere autem pro hærede dicitur, qui re ipſâ & facto aliqvo clarè demonſtrat, & declarat mentem ſuſcipiendæ hæreditatis, faciendo nimirum quod nemo aut vix
15 quisquam alius facit quam hæres *d. l. 20.* Unde neceſſariò evenit ut teſtamentum per hanc declarationem aut geſtionem ipſo actu confirmetur, atq; hæres in omne Jus defuncti ſuccedat, non tantum qvoad fructus hæreditari-
16 os, ſed etiam qvoad onera quæ deprehenduntur, nec audiatur poſtea repudiare volens, ob injuriam, quæ creditoribus fieret, niſi concedatur reſtitutio in integrum minoribus ex cauſa ætatis, vel etiam majoribus ex aliâ juſtâ cauſâ, aut ſaltem antea repudiatio facta ſit, qvæ propriè in extraneis locum habet, & vel verbis vel re declaratur; Vel filius abſtinuiſſe dicatur: quia cum tales per repudiationem & abſtentionem comoda hæreditaria â ſe amoveant, idcirco & incommodis hæreditatis minimè ſubjace-
17 bunt. Ne tamen hæredes temerè hæreditates defunctorum adire & demum maximis ſe ſe periculis obnoxios reddere contingat, cautè introductum eſt certum tempus, quo hæredi tàm ſcripto quàm venienti ab inteſtato deliberare & conſultare permittitur, an hæreditatem ſibi delatam adire vel repudiare velit? Et hoc propter damnum emergens, ne hæreditate ſemel aditâ omnibus creditoribus hæreditariis obligetur, ut ut etiam hæreditas non
18 ſit ſolvendo. De tempore deliberandi nihil certi conſtitutum fuit, ſed arbitrio judicis permittebatur. *l. 1. §. ult. ff. de Jur. delib.* aut etiam teſtatoribus ipſis inſtituentibus hæredem cum cretione, id eſt cum præfinitione certorum dierum, intra qvos hæreditatem adire cogerentur. Aliquando nullius omninò temporis mentio fiebat, præſertim in ſucceſſione hæredum legitimorum, qui ſemel repudiatâ hæreditate eam adire amplius non poterant; quod tamen ijs cum cretione inſtitutis intra præſcriptum de-

deliberandi tempus non attentâ repudiatione factâ, adhuc integrum erat. Prætor verò ſuum interponebat officium, qvando tàm hæredes ſcripti, quàm etiam legitimi in hoc deliberandi Jure moram nectebant, præſcribendo ijs temp',intra quod niſi adiiſſent, à ſucceſſione omninò excludebantur, bonaq; vel ad ſubſtitutos, aut reliqvos legitimos hæredes deferebantur. *l. 69. ff. de Acqvir. hæred.* Quæ paulatim mutata fuêre, & aliud temporis ſpatium conſtitui cœptum; ita ut Prætor pro rerum circumſtantijs non minus quam centum dies tribueret. *l. 2. ff. de Jur. delib.* Tandem *Juſtinianus Imperator* annum integrum â 19
die ſcientiæ ſibi delatam eſſe hæreditatem ex Lege conceſſit. *l. 19. Cod. de Jur. delib.* ad hoc ut pendente eo non tantum ipſis creditoribus jura intacta manerent, ſed etiam quicunq; hæredes damnum ex incautâ aditione emergens authoritate Magiſtratus evitare poſſent, permiſſâ Inſtrumentorum inſpectione *l. 5. Cod. d. t.* & conceſſâ quoq; inſpiciendarum, aperiendarum & deſcribendarum tabularum teſtamenti facultate. *l. 1. & 2. ff. Quemad. teſt. aper.* conceſſisque quibuſcunque privilegiis & Juribus, ijs præſertim, ſine quibus ad certam rerum hæreditariarum & perfectam cognitionem, aut virium patrimonialium clariorem inveſtigationem difficulter aliàs pervenirent, ne temerè damnoſam hæreditatis maſſam ſuſciperent & conſequenter omnibus creditoribus hæreditariis ſe ſe obligarent. Dixi *qvicunqve hæredes*. Nam licet Jure antiquo ſui hæredes hoc privilegio minimè gauderent; ho- 20
diernis tamen moribus non minus admittuntur ac alij, & ex beneficio Prætoris ijsdem abſtinere permiſſum. *d. l. 19.* Similiter pupillis & minoribus 25. annis Leges ita ſubveniunt, ut eorum Tutores & Curatores ipſorum nomine deliberare valeant. *l. 7. Cod. d. t.* Imò & fiſcus ſuccedens veluti hæres ab hoc deliberandi privilegio minimè excludatur: Ad hos ſcilicet effectus, ut Primò ſi hæreditatem 21

 poſt

poſt legitimum deliberandi tempus non repudiaverint, omnibus creditoribus hæreditariis obligentur, *l. ult. §. fin. Cod. de Jur. delib.* Secundò, ut creditores hæreditarij pendente deliberatione pignora aut qvæcunqve alia ex maſſâ hæreditariâ diſtrahere & alienare non poſſint, niſi ex Decreto & Authoritate Magiſtratus. Tertiò, ut hæredes intra hoc deliberandi ſpatium adeundi facultatem trans-
22 mittant. *d. l. Cum antiqvioribus. 19. Cod. d. t.* Secus verò poſt annum elapſum. *l. 7. & l. 9. §. Et ſiqvidem. Cod. d. t.* modo tamen hæreditas delata fuerit, aut eam ſibi delatam ſciverit, vel etiam ſibi delatam, de qvâ ſcivit, nondum adiverit, nec repudiaverit: Cum poſt aditionem non ſit opus transmiſſione, nec etiam interpoſitâ repudiatione hæredes illius quicquam Juris ſibi aſſerere valeant. *l. 120. ff. de Reg. Jur.*

SECTIO II.

De Transmiſſione hæreditatis.

SUMMARIA.

1 An hæreditas non adita ad hæredes transmittatur?

2 Negativa limitatur in fideicommiſſo univerſali purè relicto ſi fideicommiſſarius ante reſtitutionem ſibi factam decedat.

3 Qvid ſi fideicommiſſum debeatur vi clauſulæ codicillaris, & eadem inſtitutio directa convertatur in fideicommiſſum, an à morte teſtatoris transmittatur?

4 Allata doctrina de fideicommiſſo Univerſali in conditionali non obtinet.

5 Quoties qvid in diſpoſitione hominis vel Legis ſub conditione relinqvitur, illud cenſetur reqviri pro forma & eſſe de formâ, adeò ut ſi non ſervetur, actus ſit nullus.

6 In hoc conditionali fideicommiſſo qvidam diſtinguunt.

7 Quid dicendum in caſu, qvando pater inſtituit duos ſuos Filios, eosqve ſibi invicem ſubſtituit, quandocunqve ſine liberis decedant, & poſtea unus moriatur relictis libe-

liberis, alter demum absq; liberis?

8 *Qvid ſi ultra hanc modo dictam inſtitutionem & ſubſtitutionem adhuc alium v. g. extraneum ſubſtituat filiis ſine liberis decedentibus?*

9 *Prædicta de fideicommiſſo univerſali limitantur, ſi contrarium per conjecturas ex voluntate teſtatoris appareat.*

10 *Declaratio hujus notationis in caſu ſtatim propoſito.*

11 *An ſi teſtator inſtituens filium hæredem univerſalem ei ſubſtituat alium filium, ſi ſine liberis deceſſerit, qui ſubſtitutus mortuo patre deceſſiſſet relictis liberis, & poſtmodum inſtitutus facto teſtamento, qvo filium ſororis inſtituiſſet, an inquam liberi ſubſtituti gaudebunt Jure transmiſſionis contra filium ſororis in teſtamento inſtitutum?*

12 *Quomodo conjecturæ transmiſſionis amplius eliciantur?*

13 *An transmiſſio in deſcendentibus ſimpliciter obtineat?*

14 *Proponitur caſus contra transmisſionem pro ſubſtituto poſtremo niſi extraneus fuerit.*

15 *Legata purè relicta transmittuntur ante hæreditatem aditam poſt mortem teſtatoris.*

16 *Etiam legatum annuum infinitum, qvod pro primo anno purum eſt, ſicut etiam & illud qvod initium anni attigerit.*

17 *An idem obtineat in annuo legato (finito?*

18 *Affirmativa limitatur, ſi ex causâ alimentorum relictum fuerit.*

19 *Caſus qvando legata pura non ita ſimpliciter ante hæreditatem aditam transmittuntur.*

20 *An legata qvandoq; transmittantur, ſi legatarius ante teſtatorem moriatur?*

21 *Legata relicta ex die transmittuntur, licet legatarius decedat ante diem.*

22 *Qvid ſi dies incertus ſit?*

23 *Quot modis dies incertus dici poſſit?*

24 *Exemplum ſi dies qvidem certus ſit ratione eventus, ſed incertum qvando.*

25 *Incertum etiam dicitur ſi incertum ſit an eveniat, ſed certum quando.*

26 *Diſtinctio Graſſi an tempus adjectũ ſit ſubſtantiæ legati, an verò executioni illius?*

27 *Quid ſi tempus adjectum ſit perſonæ onerati vel tertii an impediat transmiſſionem?*

28 *Legata ſub conditione relicta non transmittuntur, ſi legatarius decedat ante conditionis eventum.*

29 *Quid Juris ſi una res purè, altera ſub conditione legetur, an pura ad ſe trahat conditionalem, & ita ambæ transmittantur?*

30 *An transmiſſio locum habeat in caſu, qvo qvis conditionem adjicit ſi filiam pariat, & uxorem prægnantem reliquerit, & filia illa*

illa poſt mortem legatarij naſcatur?
31 *Similis fermè caſus proponitur.*
32 *An conditiones tacitæ impediant transmiſſionem?*
33 *Transmittitur etiam hæreditas non adita in hæreditate aſcendentium, pater enim transmittit illam in filium, quicunqve etiam illi ſint.*
34 *Et dicitur transmiſſio ex jure ſangvinis.*
35 *Requiſita ad transmiſſionem hanc hæreditatis aſcendentium.*
36 *Idem eſt in ſuis hæredibus, qvi Jure ſuitatis hæreditatem non aditam transmittunt.*
37 *An qvoqve in fraternâ hæreditate transmiſſio locum habeat?*
38 *An non infans ante aditam fraternam, hæreditatem decedens transmittat ad ſuos hæredes beneficium reſtitutionis in integrum adverſus omiſſam aditionem hæreditatis?*
39 *Gail. putat hanc qvæſtionem indigere deciſione Cæſareâ.*
40 *Quâ ratione minori 25. annis aut etiam majori reſtitutio in integrum competat.*
41 *Monachus qvoq; hæreditatem aſcendentium non aditam ad Monaſterium transmittit Jure ſuitatis.*
42 *Legitima & ſupplementum ejus ad hæredes etiam transmittuntur.*
43 *Aliqvi caſus ex Legibus decerpti, in qvibus transmiſſio obtinet contra regulam ſupra poſitam.*

1 AN hæreditas non adita ad hæredes transmittatur? maximè inter ſe diſceptant Doctores, qvemadmodum ex *Gail.* 2. *obs.* 131. colligere licet, ubi Regulam, quæ dicit hæreditatem non transmitti, aliquibus modis limitat.

2 Primò in fideicommiſſo univerſali purè relicto, ſi contingat fideicommiſſarium ante reſtitutionem ſibi factam decedere. per textum *in l. Poſtulante.* 44. *in pr. ff. ad SC. Trebell. Dec. Cons.* 488. ex ratione: quia Fideicommiſſario officium Judicis ad compellandum hæredem, ut hæreditatem periculo Fideicommiſſarij adeat & poſtea reſtituat, competit, *l. Qvia poterat.* 4. *l. Namqvod.* 14. §. 1. *d. T.* ſed officium Judicis nobile ad hæredes tranſit. *l. Non ſo-*
3 *lum,* 6. *ff. de In integr. reſtit.* imò etiam quando fideicommiſſum debetur vi clauſulæ Codicillaris, & vi illius directa inſtitutio convertatur in fideicommiſſum: Quamprimum enim à morte teſtatoris, etiam antequam hæres ab in-

inteſtato aderit, transmittit. *Graſſ.* §. *Fideicommiſſum. Quæſt. 67. num. 3. Vasq. de Succeſſ. prog. lib. 3. §. 26. num. 39.* Item competit actio ex teſtamento, quam omninò ad hæredes transmittere poteſt. *Gail. d. l. num. 3.* Secus in fideicommiſſo conditionali *Gail. obs. 132. num. 10.* ubi caſum ponit: *Teſtator inſtituit hæredem Titium, ejusque fidei commiſit, ut poſt mortem ſuam Sempronio hæreditatem reſtituat, moritur Fideicommiſſarius ante hæredem inſtitutum.* Hoc caſu fideicommiſſum ad hæredes non transmittit; cum ſit ſub conditione, & tale qvod poſt mortem hæredis demum adimplendum foret. *l. 2. ff. Qvando dies leg. ced.* & dies fideicommiſſi conditionalis non cedat, niſi adveniente conditione. *l. un. §. Sin autem. Cod. de Cad. toll. Gail. d. l. num. 2.* ubi *num.* 4
3. affert, qvod quoties in diſpoſitione Legis, Statuti vel hominis ponitur aliquid ſub conditione, illud cenſeatur requiri pro formâ, & eſſe de formâ, adeò ut formâ non ſervatâ actus ſit nullus, & deficiente conditione perinde ſit, ac ſi diſpoſitio facta non fuiſſet. 5

In allato caſu aliqui diſtingvere malunt, quando nempè hæres ante conditionis eventum deceſſit; an fuerit extraneus, vel unus ex deſcendentibus teſtatoris. *Si primum:* qvod non transmittat, præſertim qvando filio ſubſtitutus eſt, *Si Secundum:* Itidem non transmitti dicunt fideicommiſſum ad ſuos liberos. *Gom. d. t. 1. cap. 5. num. 9.* 6
Idem dicendum foret in reciprocâ ſubſtitutione, cum pater inſtituerit duos ſuos filios, eosque invicem ſubſtituerit, quandocunque ſine liberis decederent, poſtmodum unus mortuus fuerit relictis filijs, alter demum absque liberis. Hoc ſane caſu filij prioris non admittantur ad fideicommiſſum, ſed ſimpliciter ſuccedent ab inteſtato. At quale Jus obtineret quando quis inſtituit filios, & hos invicem ſubſtituat ſi ſine liberis deceſſerint, atq; tandem ſine liberis deſcendentibus ſubſtituat extraneum, unus verò prius decedat relictis liberis, alter verò poſtmodum ſine liberis: 7 8

Ini-

iniqvum enim eſſet talem extraneum ſubſtitutum admitti ad portionem decedentis absqve liberis. 9 Prædicta limitantur, niſi ex probabilibus conjecturis evidenter apparcat voluntatem teſtatoris fuiſſe, qvod fideicommiſſum univerſale transfertur ad hæredem *Gail. d. l. num. 7.* propter rationem: quod in ultimis voluntatibus ſufficiat voluntas teſtatoris etiam tacita, quæ ex veriſimilibus conjecturis colligatur, ex qvibus talis transmiſſio induci poſſet. Caſus paulo ante expoſitus huc referri poteſt; 10 quo fit ſubſtitutio inter deſcendentes, & ijs ſine liberis deſcendentibus extraneus ſubſtituitur: Ex conjecturis enim decidendus erit, eo quod præſumatur teſtatorem voluiſſe fideicommiſſum conditionale transmitti: quia videtur magis dilexiſſe nepotes ſuos quam extraneum. *Graſſ. §. Fideicommiſſum. Qvæſt. 68.* Ampliatur etiam quando nullus omninò fuerit extraneus ſubſtitutus, qvoniam ex conjecturâ voluntatis filij per fideicommiſſum in conditione poſiti admittuntur jure ſaltem transmisſionis ex perſonâ eorum patris defuncti, licet ipſe pater per fideicommiſſum conditionaliter ſubſtitutus deceſſerit ante conditionem.

11 Quidſi teſtator inſtituat unum ſuum filium hæredem univerſalem, & eidem, ſi ſine liberis decederet, ſubſtituiſſet alium filium, qui ſubſtitutus deinde mortuo patre decesſiſſet relictis liberis, & demum inſtitutus ſine liberis facto tamen teſtamento, qvo filium ſororis ſuæ inſtituiſſet, an liberi ſubſtituti gaudebunt jure transmiſſionis contra filium ſororis in teſtamento inſtitutum? omninò ex præſumptâ voluntate teſtatoris, qvæ magis pro ſubſtituti filijs militare videtur, quam expresſiſſet ita, modò de ſimili caſu cogitaſſet, idq; in favorem familiæ multo magis concludendum foret.

12 Conjectura transmiſſionis itidem elicitur, qvando ſubſtitutio unita eſt cum Jure accreſcendi v. g. ſi filij ſint in-

inſtituti, & invicem ſubſiſtuti ſub conditione, *ſi ſine liberis deceſſerint.* Ille enim qui prior deceſſerit, ſi adierit ſuam portionem, potuit transmittere Jus accreſcendi, & conſeqventer fideicommiſſum cônjunctum cum Jure accreſcendi. *Menoch. Cons. 95. num. 100.*

Ex hiſce colligitur has modò prolatas conjecturas tunc admitti, qvando ſubſtitutus eſt ex deſcendentibus teſtatoris, & deinde in teſtamento fit mentio de liberis hujus ſubſtituti ſaltem conditionaliter.

Notandum tamen non ita ſimpliciter transmiſſionem in hiſce deſcendentibus obtinere: ſi enim quis inſtituat 13
ſuos liberos, & hos invicem ſibi ſubſtituat ſub expreſſâ conditione, *ſi ſine liberis decederent.* & hiſce demum alium ſub- 14
ſtituat ſub eâdem conditione, unus autem & prior decedat relictis liberis, alter verò ſine liberis: Jam qværitur de ſucceſſione? Et reſpondendum erit, poſtremo loco ſubſtitutum, ſi qvoq; fuerit ex deſcendentibus & nepos teſtatoris præferri liberis primi ſubſtituti præmortui, qui nullo gaudent transmisſionis jure, textus eſt expreſſus *in l. Hæredes mei. 57. §. Cum ita. ff. ad Sc. Trebell.* Quod ſi verò extraneus fuerit, aut etiam in remotiori gradu quàm liberi ejus qui prius deceſſit? maximoperè Doctores inter ſe certant, uter præferatur? Ego ſanè intrepidè concludendum exiſtimarem transmiſſionem omninò locum habere, & ſubſtitutum nihil Juris ſibi afferre poſſe. ut ſupra quoque declaravimus.

Secundò, A regulâ priori excipiuntur legata purè re- 15
licta, quæ ante hæreditatem aditam ad hæredes legatarij ita transmittuntur, quando ſcilicet legatarius decédit poſt mortem teſtatoris; ea enim, qvæ cedunt, etiam transmittuntur, ſed legatum ſtatim cedit à morte teſtatoris etiam absqve requiſito aditionis, aut agnitionis legatarij, vel ſcientiæ. Ergo. Idem erit de legato annuo infinito, qvod 16
pro primo anno purum erit, ſicut & illud, ſi initium an-

 ni

ni attigerit Legatarius, & conſeqventer etiam transmiſſibile. *l. 4. & 8. ff. de Ann. leg. Graſſ. §. Legatum. Quæſt. 43.*
17 *num. 9.* Reliqua verò annua legata conditionalia dicenda ſunt. Æqvale Jus obtinet in legato annuo finito ad certum ſcilicet tempus conceſſo, nam & illud ad hæredes transmitti verius eſt, quia unicum videtur eſſe legatum diviſum in annuas præſtationes in gratiâ hæredis, & ne alioqui hæres nimis urgeretur, ſi unâ ſolutione cogeretur inte-
18 grũ legatũ ſolvere. Niſi ex cauſâ alimentorum relictum fuerit: Hoc enim caſu ſi Legatarius intra tempus aſſignatum deceſſerit, ad hæredem ſuum annum reſidui temporis non transmittit. *l. 20. & l. Firmio. §. ult. Quando dies leg. ced.* Aliquando tamen legata pura non ita ſimpliciter ante adi-
19 tam hæreditatem transmittuntur, ut ut etiam Legatarius poſt mortem teſtatoris deceſſerit; nam ſi legatum ſit à primo legatario ſecundo, ſecundum legatum non transmittetur ſi ſecund. legatarius deceſſerit ante aditam hæreditatem, ſed remanet apud primum legatarium, qvia ſecundum legatum non cedit, niſi mediante traditione aut ceſſione. Ponitur alius caſus: ſi in teſtamento, cui apponitur clauſula Codicillaris concepta verbis futuri temporis, legata ita relinquantur: *Quisquis mihi hæres erit legata præſtet.* & teſtamentum deficiat ita ut non ſuſtineatur niſi per clauſulam Codicillarem. Quæritur an legata transmittantur caſu qvo hæreditatem non adierit hæres? Non aditâ hæreditate non transmitti verius eſt: quia hæc legata, quæ erant pura, conditionalia facta ſunt.

Diximus paulo ante legata pura etiam ante aditam hæreditatem transmitti, ſi legatarius deceſſerit poſt mortem teſtatoris: qvod & verum eſt. Sed nonnunquam etiam hunc effectum ſortiuntur in caſu qvo legatarius mor-
20 tuus fuerit vivo adhuc teſtatore, ſi hic ita legaverit: *Titio & Titii hæredibus*; quantumvis etiam conditionale fuerit in his terminis. niſi aliud appareat, aut etiam

am magis dilectus excluderetur. *Menocb. Cons. 105. num. 33. 36.*

21 Tertiò prædicta regula limitatur in legato relicto ex die, qvoniam illud in certum diem directum transmittitur, licet legatarius decedat ante eum diem. *Graſſ. §. Legatum. Qvæſt. 43.* De incerto autem die dubium eſſe posſet, qui tribus caſibus talis dici poteſt: Primò, *ſi omninò in-* 22 23 *certus ſit, an & quando eveniat.* Exemplum eſt: *Lego Titio cum domus facta fuerit.* Aſt cum conditionis inducat naturam, conditionale erit. & non transmiſſibile, ſicuti etiam qvando particula qvædam adjiceretur importans conditionem, qvæ etiam foret, ſi tempus adjectum fuerit diſpoſitioni & ſubſtantiæ legati. Secundò, *ſi certum* 24 *qvidem ſit diem eventurum, ſed incertum quando, v. g. Lego Titio domum poſt mortem Mævij, vel ſi Mævius moriatur.* Hoc itidem caſu conditionale legatum dicendum erit, ſi Legatarius ante Mævium decedat, & non transmiſſibile. *Graſſ. d. Q. 43. n. 8. Vaſq. de Succeſſ. progr. lib. 3. §. 27. n. 11.* quanquam aliqvi diſtinguant, an adverſativa adjecta ſit, puta, *Sed volo qvod præſtentur legata poſt mortem Mævii.* Et tunc non transmitti: Econtra verò transmitti, ſi adverſativa non ſit adjecta, v. g. *& volo qvod legata præſtentur poſt mortem Mævij.* Sed male: cum utroq; caſu legata non transmittantur. 25 Tertio, *ſi incertum ſit an eveniat, ſed certum qvando.* Circa quem tertium caſum diſtinguit *Graſſ. §. Fideicommiſſum. Qvæſt. 20. Gomez. Reſol. tom. 1. cap. 5. num. 26.* An tempus adjectum ſit ſubſtantiæ legati; an verò executioni illius: Exemplum prioris eſt: *Titio cum erit annorum quatuor-* 26 *decim lego centum.* Poſterioris exemplum eſt, ſive qvando tempus executioni adjectum reperitur: *Titio centum lego qvæ accipere debebit, cum pervenerit ad qvartum decimum annum.* Primo caſu quando ſubſtantiæ legati tempus adjectum eſt, ob effectam conditionem decedente legatario ante tempus non transmittitur. *Cujac. ad Rubr. C. Qvand.*

dies leg. ced. niſi *primò* tempus ætatis adjectum ſit gratiâ honorati, qvod elicitur ſi filius fuerit, aut minor, aut etiam tota hæreditas relinquatur. Secundò, ſi tempus adjectum ſit ad legati extinctionem, v. g. *Lego Sempronio uſumfructum dum filius meus ad certam ætatem pervenerit*: Hic enim dies ſuſpenſivus non eſt, ſed extinctivus, ideoq; durabit usqve ad illud, quantumvis filius deceſſerit ante eam ætatem. Hiſce caſibus tempus adjectum ſubſtantiæ legati
27 non impediet transmiſſionem: Secus verò erit, quando adjectum reperitur perſonæ onerati vel tertij. v. g. *Hæres meus cum pervenerit ad decimum quartum annum præſtabit centum Sempronio.* quia verba: *Cum pervenerit ad decimum qvartum annum*. hanc in ſe conditionem habent: *Si hæres effectus fuerit annorum quatuordecim.* Secundo caſu, quando ſcilicet tempus adjectum eſt executioni, transmittitur legatum. *Vaſq. de Succeſſ. progr. lib. 3. §. 29. n. 5.*

Et hæc de legato purè & ex die relicto, nunc de conditionali etiam paucis videamus. De conditionali fideicommiſſo quædam attulimus, quæ quoque non inconvenienter & huc applicari poſſunt, tamen quædam de trans-
28 miſſione ejusdem in ſpecie diſſerere placet. Eſt autem ſupradicta regula in legatis ſub conditione relictis etiam vera, qvod non transmittantur, ſi legatarius deceſſerit ante conditionis eventum. *l. 1. §. Cum autem. Cod. de Cad.*
29 *tollend.* etiam eo caſu, quando una res purè, altera ſub conditione relicta eſt: nam neutra debebitur ante conditionis eventum, cum in electione conſiſtat incertumque ſit, quam legatarius elegiſſet, & conſequenter dies legati nondum cedat, niſi alternativa morte illius ita extinguatur, ut purum debeatur. Nec obſtabit allata doctrina, quod certum ſit conditionem poſt mortem legatarii exituram. v. g. *Lego Titio centum, ſi hæres ſine liberis deceſſerit.* Legatarius verò tunc moriatur, quando hæres liberos amplius habere non poſſet ob naturæ impedimentum vel ali-

liam rationem: dicendum enim eſt, transmiſſionem non fieri, cum non debeatur ante conditionem purificatam. *l. Huiusmodi. 13. ff. Qvand. dies leg. ced.*

Quidſi quis reliquerit uxorem prægnantem, & conditio ſi filiam pareret, adjecta ſit, & poſt mortem legatarij illa naſcatur? ſunt qvi putant teſtatoris vehementem de nativitate filiæ imaginationem facere conditionem impletam, effectum transmiſſivum tribuentes. Aſt negativa verior eſt ex regulà: quod, quamdiu conditio pendet, transmiſſioni non ſit locus: Multo magis in caſu ſequenti: *Si teſtator inſtituat filium, quem pareret uxor. & ſi filiam pareret non filium, eam inſtituat in re certâ, & Titium hæredem univerſalem, qui Titius poſtea deceſſerit, & poſt eum mortuum uxor pepererit filiam.* Jus enim ſuccedendi ad Titium hæredem univerſalem ſubſtitutum non transmittitur propter conditionem non impletam. Plures extenſiones prædictæ regulæ videantur apud *Graſſ. in §. Legatum. Quæſt. 51. Mant. lib. 11. tit. 20. num. 11. Pereg. de Fideicomm. art. 22.* Limitationes verò apud *Mant. d. l. num. 7. Galgan. de Cond. P. 2. C. 6. Qvæſt. 8: item P. 2. c. 1. Q. 47. n. 5. de Prætis. lib. 3. int. 1. dub. 5. fol. 4. n. 55.* 30 31

De cætero notandum, conditiones tacitas (quarum tria genera recenſet *Mant lib. 10. tit. 5. num. 6. & lib. 11. tit. 20. num. 5.*) licet expreſſæ fuerint, non impedire transmiſſionem legati, eæ ſcilicet quæ proveniant ex natura rei legatæ, & ſine quibus legatum deberi non poteſt. *Peregr. de Fideicom. Art. 31. n. 24.* De quibus videatur *Graſſ. §. Legatum. Q. 47.* 32

Quarto limitatur regula dicens: qvod hæreditas non adita non transmittatur, qvæ fallit in hæreditate aſcendentium, eò qvod pater illam non aditam transmittat in filium, tàm ex teſtamento quàm ab inteſtato. *Gomez. Var. Res. tom. 1. c. 9. num. 81. & 42.* ſive in patriâ poteſtate liberi conſtituti fuerint, ſive emancipati, ſive etiam ex 33

patre, ſive ex matre ſint deſcendentes. *Anton. Gomez. d. num. 42.* Item non intereſt cujus ſint gradus. *Vaſq. de Succeſſ. progr. lib. I. §. 6. num. 24.* aut etiam ſint legitimi vel
34 illegitimi; qvæ dicitur transmiſſio ex Jure ſanguinis. De quâ
35 textus eſt expreſſus. *in l. un. Cod. de His. qvi ant. apert. tab.* ad quam requiritur Primò, ut hæreditas ſit alicujus aſcendentis, uti modo dictum. Secundò, ut transmittens ſit ex ejus deſcendentibus; nam licet is, in quem transmittitur hæreditas, ſit ex deſcendentibus teſtatoris, non tamen ſufficit; cum neceſſe ſit ut intermedius ſit ejusdem qualitatis, quapropter ſi ſocer vel ſocrus inſtituerit ſuum generum, iſte gener non transmittit ex *d. l. un.* in ſuos liberos, licet ſint deſcendentes teſtatoris. *Vaſq. de Succeſſ. progr. lib. I. §. 6. num. 2.* Unde colligitur Collaterales & aſcendentes excludi. *Pet. Greg. lib. 46. cap. 2.* quæ opinio receptior eſt. *Gomez. Var. Reſol. tom. I. c. 9. num. 41. & 42.* Tertio requiritur ut ille, in quem fit tranſitus, ſit ſimiliter de deſcendentibus transmittentis.

36 Quinto fallit ſimpliciter in ſuis hæredibus, qui hæreditatem non aditam transmittunt Jure ſuitatis *Gail. d. obſer. 131. num. 7.* tàm ex teſtamento qvàm ab inteſtato ad qvoslibet hæredes. *Ranch. Decis. part. 2. concl. 186.* etiam extraneos. *Vaſq. de Succeſſ. progr. lib. I. §. 7. num. 20.* quantumvis alij relicti fuerint filij teſtatoris cohæredes transmittenti. *Idem Vaſq. de Succeſſ. creat. lib. 3. §. 21. num. 268.* Aut etiam ttansmittens furioſus extiterit. *de Prætis lib.*
37 *3. Interp. I. dub. 5. fol. 4. num. 6.* vel infans fuerit. *Gail. d. obs. 131. num. 7.* & non tantum in hæreditate paternâ, ſed etiam in fraternâ obtinet: ut ſi pater filio ſuo pupillariter ſubſtituerit alium filium, hoc enim caſu ſucceſſio defertur Jure ſuitatis. *de Prætis. d. lib. 3. Interp. I. Dub. 5. fol. 4. num. 28.* Dubium adhuc mihi remanet ex citato loco *Gailij num. 8. pr.* An non infans ante aditam hæredita-
38 tem fraternam decedens, transmittat ad ſuos hæredes

be-

beneficium reſtitutionis in integrum adverſus omiſſam aditionem hæreditatis? Gail. hunc articulum adeò dubium eſſe dicit, ut deciſione Cæſareâ opus habeat; Putat nihilominus ex communi opinione reſtitutionem hæredibus competere ex clauſulâ: *ſi qua Juſta Cauſa* &c. cum infans per ſe non poſſit adire, ſed per patrem vel tutorem. 39
Gail. d. l. num. 10. quamvis hoc caſu agi poſſit contra tutorem negligentem, aut etiam hæredem, ſi ipſi poſſit imputari negligentia non petiti tutoris. Quæ reſtitutio in integrum qvoq; locum habet in eo qui minor viginti quinq; annis, & deceſſerit poſt tempus transmiſſionis. *Gomez. d. cap. 9. num. 5. 6.* etiam in majore, ſi ignoraverit ſibi hæreditatem delatam fuiſſe, idqve ſimiliter ex clauſulâ generali: *ſi qua Juſta Cauſa* &c. Sextò fallit in Monacho, qui hæreditatem aſcendentium non aditam tranſmittit ad Monaſterium beneficio *l. un. Cod. de His qui ante apert. tab.* & quidem Jure ſuitatis; Nam quantumvis per Monachiſmum patria poteſtas ſolvi dicatur, ſuitas tamen non extinguitur. 40 41

42 Septimò fallit in legitimâ liberorum & ſupplemento illius. *Gail. d. l. num. 11. & 12.* ubi hanc addit rationem: Quod legitima non ſit qvota hæreditatis, ſed bonorum, & regulariter qvoties lucrum non defertur ut hæreditas, vel pars hæreditatis, tunc illud ſine ullâ agnitione ad hæredes transmittatur: *l. Si arrogator. 22. ff. de Adopt.*

43 Octavò fallit in caſu *l. 6. §. 1. l. 42. §. ult. ff. de Bon. libert.* ubi ſuccedens ab inteſtato in teſtamento inſtitutus, & cum adiiſſet, hoc teſtamentum falſum accuſatum eſt, eâque accuſatione pendente inſtitutus deceſſit: Hac enim accuſatione non obſtante transmittetur ſucceſſio ad hæredes, etiam hæreditate non aditâ ab inteſtato.

Nonò hæreditas non adita transmittitur in caſu *l. 3. §. Eleganter. ff. de SC. Syllan.* quæ loquitur de hærede, qui me-

metu pœnæ illius SCti. non adierat hæreditatem ſibi delatam, & ita deceſſerat.

Decimo denique in caſibus *l. Scriptus. 12. ff. de Carb. Ed. l. Si infanti. 18. Cod. de Jur. deliber. l. Ventre. 84. ff. de Acquir. hæred.* Aut etiam quando teſtator expreſſè dixerit ſe velle ut hæreditas non adita transmittatur.

SECTIO III.

De Succeſſione ex Beneficio Inventarii.

SUMMARIA.

1 *Per remedium Juris deliberandi hæredes ſibi plenè conſulere non poſſunt.*
2 *Ideo Juſtinianus beneficium Inventarij conceſſit.*
3 *In confectione Inventarij diligentior cura adhibenda.*
4 *Inventarium unde dicatur & quid ſit?*
5 *Quot ſint ſpecies illius?*
6 *In favorem hæredis ne ultra vires hæreditarias teneretur hoc beneficium conceſſum eſt.*
7 *In quibus hæreditatibus conficiatur?*
8 *An Princeps ſuccedens ut privatus, illud quoque conficere teneatur?*
9 *An minor 25. annis Doctor adverſus omiſſam Inventarii confectionem in integrum reſtituatur?*
10 *An Ruſticus ſub pœnâ indicta ad illud teneatur?*
11 *Ruſticus ex clauſulâ generali reſtituitur in integrum, ſi non potuit conſulere peritiores.*
12 *Qualiter citari debeant creditores & illi quorum intereſt, ad actum Inventarij?*
13 *Si incerti fuerint creditores illi, quomodo citandi veniant?*
14 *Creditoribus ita citatis non comparentibus, hæres nihilominus ad confectionem Inventarij procedit.*
15 *Quid requiratur in citatione pupilli?*
16 *Et in citatione adulti?*
17 *Quis ſit terminus præfixus ad inchoandum & perficiendum Inventarium?*
18 *Sufficit ut intra tres menſes inchoetur & abſolvatur.*
19 *Quodnam tempus requiratur ſi hæreditas vel major ejus pars alibi ſita ſit?*
20 *Requiritur inſuper ut manu Notarii Inventarium ſcribatur.*

21 *An pars una Inventarii ab uno cœpta, ab alio finiri poſſit?*
22 *Quid ſi defunctus ipſe manu propriâ Inventarium conſcripſerit, an nihilominus Notarii deſcriptio ad ſuam formam reqviratur?*
23 *Inventarium non in perſonâ defuncti, ſed in perſonâ hæredis initium capit.*
24 *Debent deſcribi tàm res mobiles qvàm immobiles.*
25 *Res immobiles per duos ſaltem confines deſignandæ item per ſigna & latera.*
26 *An etiam æſtimatio rerum apponenda?*
27 *An qvoq; res aliena Inventario inſeri debeat & qvare?*
28 *Cautela pro hærede bene notanda.*
29 *An hæres neceſſariò adeſſe & Inventarium ſubſcribere teneatur?*
30 *Si bona extra domicilium hæredis ſita ſint, per procuratorem deſignatio expediri poteſt.*
31 *An ſubſcriptio teſtium ſit de ſubſtantia Inventarij?*
32 *In conſvetudinibus locorum plurimum momenti conſiſtit.*
33 *Forma ejus hodierna.*
34 *Commoda qvæ ex confectione Inventarii legitimo modo factâ hæredi obveniunt.*
35 *Hæres confecto Inventario deducit expenſas in funus defuncti factas & quamcunqve cauſam neceſſariam.*
36 *Ejusmodi hæres rem vel pretium creditoribus ſolvere poteſt.*
37 *Cujus ſit damnum ſi res poſt confectionem Inventarii ſine culpa hæredis intereat?*
38 *Quæ incommoda ex omiſſione Inventarij hæredem ſeqvantur?*
39 *Talis beneficio Falcidiæ non gaudet.*
40 *An hæredem juvet purgatio moræ in confectione Inventarii?*
41 *An per omiſſionem Inventarii æqvè qvarta Trebellianica amittatur?*
42 *Quinam in affirmativam deſcendant?*
43 *Negativa verior eſt.*
44 *Rationes pro hac negativâ militantes.*
45 *An argumentatio â Falcidiâ ad Trebellianicam procedat?*
46 *Pœna privationis nunquam irrogata cenſetur, niſi ipſam in ſpecie Lex exprimat?*
45 *An Falcidia & Trebellianica per omnia comparentur? & in qvibus differant?*
48 *Ratio pulchra cur Falcidia amittatur non confecto Inventario Trebellianica non item.*
49 *Qua ratione ſecundum Legem antiqvam in teſtamento militis Falcidia & Trebellianica locum habeant?*
50 *Non datur igitur parificatio inter illas duas qvartas.*
51 *Probatur noſtra negativa ex C. Raynaldus de Teſtam.*
52 *Alia probatio deſumpta ex Jure deliberandi.*
53 *Reſponſio ad objectionem.*

54 *In gravato ſufficit deſcriptio ſine tantâ ſolennitate, quia ſat inde proviſum Fideicommiſſario.*
55 *Objectionis alterius ſolutio.*

1 QUanquam per remedium Juris deliberandi aliquo modo hæredibus cautum eſſet, non tamen adeò luculentum eſt, ut per illud plene ſibi cõſulere potuerint, maximè verò dum ſerò nimis & poſt agnitã hæreditatem damnũ emergens agnoſcere, creditoribusqve hæreditarijs ſatisfacere cogebantur. 2 Ideoq; Imperator Juſtinianus huic periculo occurrere volens, beneficium Inventarii quibuscunqve hæredibus conceſſit, ut ſcilicet deſcribantur ſingulæ res hæreditariæ, & ſubſcribat hæres, profitendo ſe nullas alias ſcire, & bonâ fide in hoc negotio verſatum eſſe. *l. fin. Cod. de Jur. delib.* 3 Cum enim confectio Inventarij, teſte *Baldo Cons. 141. pr. vol. 4.* ſit res adeò ſcrupuloſa, ut ſæpè induſtrioſi in ipſius confectione decipiantur, ideò eo diligentior cura in illo conficiendo adhibenda erit. 4 Eſt autem Inventarium (quod ab inveniendo dicitur. *l. fin. Cod. de Bon. Vacant. lib. 10.*) *Illa ſcriptura, in qvâ res inventæ in hæreditate deſcribuntur.* Triplex ejus ſpecies conſtituitur à *Nep. de Mont. Alb. in tract. de Except. in Rub. Contra Tutores & Curatores. num. 6.* Scilicet tutoris & curatoris, hæredis & fiſci. 5 Econtra *Specul. in tit. de Inſtr. Edit. §. fin.* qvintuplicem ſpeciem proponit, nempè tutoris, curatoris, Orphanotrophi, Prælati & hæredis. Nobis hîc loci confectio Inventarij ab hærede facienda præcipuè conſideranda venit, in cujus favorem & commodum, ne 6 ultra vires hæreditarias teneretur, aut aliud damnum ſentiret, ut diximus, conceſſa eſt *d. l. fin.* idqve non tantum in hæreditatibus ex teſtamento, ſed etiam ab inteſtato, ſive 7 in totum ſive in parte delatis *d. l. fin. §. 1.* ſivè unus ſivè plures fuerint hæredes, niſi omnes conſentiant, uni conficienti nomine omnium *Salic. in d. l. fin. col. fin. vers. quæro ab extra.* 8 Etiamſi Princeps fuerit: Hic enim hæres inſtitutus, vel ſuccedens ut proximior agnatus non confe-

cto Inventario ultra vires hæreditarias tenetur, cum veni-
at tanqvam privatus. *Jaſ. in d. l. fin. pr. in 2. Col. §. pen. in
vers. Etiam Imperiali Culmine. in Auth. de Hæred. & Facilit.*
Item minor, cui tamen adverſus omiſſionem conceditur 9
reſtitutio in integrum. *Guid. Pap. Conſ. 161. & in Quæſt.
141. cum ſeq.* Niſi Doctor fuerit: qvia profeſſio & deſide-
rium ipſius inter ſe diſcrepant, juxta *Gloſſ. in l. Profeſſio.
Cod. de Mun. & honorib. lib. 10.* Nec non mulier qvæ ven-
tris nomine mittitur in poſſesſionem bonorum mariti. *l. 1.
§. penult. ff. de Vent. in poſſeſſ. mitt.* Imò etiam ruſticus 10
qvia non obſtante ſimplicitate, nullâ omninò Lege cautum
reperitur, qvod excuſetur, ſed rigori Legis ſcriptæ ſtatur,
niſi in caſibus in jure expresſis. *l. fin. Cod. de Jur. & fact. ig-
nor.* Quamvis negari non poſſit, ruſticum, ſi non potue- 11
rit conſulere peritiores, reſtitui in integrum ex clauſulâ
generali: *Si qua Juſta Cauſa. Salic. in l. 1. Col. 4. vers. qvero
qvarto. cum Gloſſ. Cod. de Jur. & fact. ignor.* quem omninò
vide. An deniq; Eccleſia vel Præsbiteri teneantur inven-
tarium facere? jam ſupra, ubi de teſtamento Canonico e-
gimus, abundè diſcuſſum eſt.

Ad actum Inventarij Primò reqviritur citatio credi- 12
torum & legatariorum ad comparendum certo die & horâ
ſi certi fuerint creditores; aut etiam incerti, ſed qvi faci-
lè certificari poſſunt. *Dec. in Conſ. 633. Col. 2. & Conſ.
251. Col. pen. inf.* Si verò omninò fuerint incerti per pro-
clamata. *Bald. in Conſ. 261. Col. 1. Vol. 3.* qvidqvid recla- 13
met. *Bart. in Conſ. 154. Col. 2. in pr.* Etiam ad domum fa-
cta. *Gloſſ. in §. Illo adjecto. in verbo: agentes. in Auth. de Hæ-
red. & Falcid.* & unica ſaltem; quia Judex nullam debet
ferre ſententiam, ſed tantum coram eo debet explicari a-
ctio Inventarij. *Guid. Pap. in Conſ. 160. pr.* Fit inquam e-
jusmodi citatio creditorum, legatariorum & aliorum quo-
rum intereſt, ad videndum fieri confectionem Invetarij,
quod hæres facere intendit de bonis, rebus, juribus & a-

14 ctionibus debitorum & creditorum hæreditatis per ſe vel
per procuratorẽ, cum comminatione quod ipſis non com-
parentibus nihilominus hæres ad confectionem Inventa-
15 rij procedat. Hic notandum ſolam citationem pupilli non
ſufficere, ſed inſuper & citandum tutorem. *Paul. de Caſtr.*
in l. 2. ff. de Condict. furt. quo deficiente, amicos & conjun-
ctos, ad hoc ut pupillus reddatur contumax, & proceda-
tur contra eum ad primum Decretum. *l. Hæc autem. 5. §. 1.*
16 *Ex qvib. cauſ. eat. in poſſeſſ.* Quanqvam in perſonâ adulti
aliud obſervari videatur, qui ſolus citatur, ita tamen ut
legitimè, id eſt cum curatore ſuo compareat, nec actor ta-
17 lem expellat. Secundò, ut intra triginta dies à die aditæ
hæreditatis confectio Inventarij inchoetur, & intra alios
ſexaginta perficiatur neceſſe eſt, ſcilicet quando ſunt in eo-
18 dem loco. *l. fin. §. Sin autem dubius. Cod. de Jure delib.* Et
ſufficere dicit *Bart. in d. l. fin. §. Si verò poſtquam.* intra tres
menſes perfectam Inventarij confectionem, ut ut etiam in-
tra triginta inchoandi Inventarij dies non fuerit cœpta:
Cum omiſſio modicæ ſolennitatis non ſubſtantialis non vi-
tiet; & qvando plures termini ſtatuuntur circa idem,
mora commiſſa in uno termino, poſſit purgari in alio.
19 Quid ſi tota hæreditas vel major ejus pars alibi quam in
domicilio hæredis ſita ſit? Eo caſu annus datur *d. l. fin.*
ita ut quatuor menſes ad inchoandum, & octo ad perfici-
endum actum concedi debeant ſecundum proportionem,
argumẽto deſumpto ab uno, & duobus menſibus, uti enim
unus menſis in loco domicilij, & tertia pars datur. ita & hic
quatuor de duodecim asſignandi erunt. Tertiò, requiri-
tur de ſubſtantia ut ſcribatur manu Publici Notarij *d. l. fin.*
20 etiam unius tantum, qvia cum ſit perſona publica, cui fi-
des adhibenda eſt in ſuorum Inſtrumentorum confectione
unus ſufficere debet *§. Si qvis igitur. in Auth. de Fid. Inſtrum.*
ita tamen ut usqve ad finem perſeveret: Nam una pars
21 Inventarii ab uno cœpta, altera per alium finita non valet,
ni-

niſi propter neceſſariam abſentiam, aut latè diffuſum patrimonium, vel aliud etiam legitimum impedimentum iidem teſtes & idem Tabellio adhiberi nequeant. *Arg. l. 1. ff. de Offi. Cons.* Quodſi autem defunctus manu propriâ 22
Inventarium & omnium bonorum deſignationem reliquerit, An & tunc Notarij deſcriptio inſuper pro formâ ſuâ ſubſtantiali reqviratur? *Bald. in d. l. fin. Col. pen. in pr.* omninò Notarij deſcriptionem pro formâ & eſſentiâ ſuâ requirit, nec ſufficere hæredi, qvod defunctus dum viveret, coram teſtibus manu ſuâ propriâ omnes ſuas res ſcripſiſ- 23
ſet, cum Inventarium in perſonâ hæredis, non autem defuncti originem ſumat. Niſi quis fortè dubitare velit, caſu qvo defunctus ſaltem per paucos dies ante mortem illud induſtrioſè confeciſſet, quod dubium tamen me parum movet, dum conſtat ſcriptionem hæredis absq; fide Notarij ſcribentis nihil operari. Quartò, requiritur ut 24
tàm res mobiles in hæreditate repertæ, cum adjectione ponderis, numeri, menſuræ, qualitatis & quantitatis. *per l. Si qvis intra. 7. Cod. de Bon. proſcript.* quàm etiam immobiles in Inventario deſcribantur, *d. l. fin.* hæ quidem 25
per duos ſaltem proximos confines deſignatæ. *arg. l. Ita fidei. 40. ff. de Jur. Fiſci.* Ubi cum quidam nominaſſet fundum nullis adjectis demonſtrationibus, unde colligi poſſit de quo loqueretur: *Paulus JCtus dicit majorem fraudem excogitaſſe, qvia non tantum Legem circumvenire voluit, ſed etiam interpretationem Legis, cum diverſitas obſcurum faciat.* Nec non etiam per ſigna & latera, adhoc ut certæ reddantur. *per d. l. Si qvis intra. 7.* quæ quamvis loquatur de bonis proſcripti & de fiſco, nihilominus tamen, ea in alijs quoque Inventariis locum habet, attentâ ratione Legis, quæ magis attendenda eſt quam dictum illius. Aliqui 26
inſuper monent rerum æſtimationem ad minimum mobilium apponendam eſſe, quod de conſvetudine vix doceri poterit. Item nomina debitorum & creditorum non o-

27 mittenda, ſicut etiam non tantum res teſtatoris propriæ,
ſed & alienæ, puta depoſitæ, mutuo acceptæ, pignori datæ defuncto, & precariæ. Ex ratione: quia hæres poteſt agere & conveniri petitione hæreditatis ad tales res. *l. 19. ff. de Hæred. petit.*

28 Cautela tamen eſſe poterit hæredi, ſi proteſtationem
in Inventario inſerat, ut ſi quæ ponenda ſunt, quæ poſita non fuerunt, & ſi quæ poſita ſunt, quæ poni non debue-
29 runt, nullum ſibi præjudicium creare velit. Quintò, ut
hæres perſonaliter & non per procuratorem conficiendo Inventario interſit, modo poſſit adeſſe, præſertim ſi in loco domicilij conficiatur; & ut ipſe ſubſcribat, aut ſi ſcribere neſciat, Notario committat. Secus qvando bona ſita
30 ſunt extra domicilium hæredis: quoniam non tantum
hæc deſignatio bonorum per procuratorem confici poteſt. *d. l. fin.* ſed etiam per eundem ſubſcribi: quia cum Lex conceſſerit, quod per eum fiat Inventarium, pariter & ſubſcriptionem conceſſiſſe videtur. Idem erit, quando Inventarium apud Acta factum dicitur, qvoniam ſubſcriptio hæredis neceſſariò non requiritur: cum omnia præſumantur ſolenniter facta, ex qvo Decretum Judicis fuit in-
31 terpoſitum. An autem ſubſcriptio teſtium ſit de ſubſtan-
tiâ? quæri poſſet. Aſt facilis eſſe poteſt reſponſio qvod non, eò qvod nullâ Lege mandata reperiatur, deinde etiam minimè neceſſaria videatur, ex qvo Notarius rogatus de Inventario atteſtatur ipſos interfuiſſe, cui creditur, etiamſi de centum teſtibus faceret mentionem: quia tot teſtium vices obtinet Inſtrumentum, quot ibidem deſcripti.

32 Cum autem in conſvetudinibus locorum plurimum
momenti conſiſtat, quæ Jure Communi aliter ſe habent, ita & hic in confectione Inventarii eædem obſervandæ e-
33 runt, ſi quæ ſint, & legitime probatæ fuerint. Hodie ta-
men præter Conſtitutionem Caroli V. Imp. in Edicto per-

pe-

petuo *Anni 1651. art. 10.* præſcribitur forma, quam ſi hæres neglexerit, beneficio excidit, & pro hærede ſimplici habetur; Econtra ſi obſervaverit, favoribus & commodis ejus pleniſſimè gaudet.

Et primò quidem omnibus creditoribus hæreditariis, legatarijs vel fideicommiſſarijs ultra vires hæreditatis non tenetur, & ab omnibus vexationibus liberatur. Secundò, hæredi confecto Inventario permittitur detractio Falcidiæ de legatis, & conſeqventer ultra dotrantem erogare non tenetur *d. l. fin.* Tertiò, quod durante tempore confectionis Inventarij hæres non poſſit vocari in Judicium â creditoribus & legatarijs. *d. l. fin.* Quartò, quod non obligetur ſervare ordinem in perſonis creditorum & legatariorum, eò quod primò venienti ſolutio fieri poſſit, relictâ tamen competente actione creditoribus potioribus adverſus alios. Quintò, quod hæres confecto Inventario poſſit deducere expenſas in funus defuncti, nec non etiam quamcunque cauſam neceſſariam hæreditatis factas, antequam fiat ſolutio creditoribus & legatarijs. *d. l. fin. §. In computatione.* Sextò, quod ſtante Statuto vel Conſvetudine, quod debitor ad inſtantiam creditoris poſſit incarcerari, hic hæres carcerari non poſſit. Septimò, qvod hæres rem vel ejus pretium creditoribus ſolvere valeat. *d. l. fin. §. Sin verò hæredes. 6.* intellige tamen ſi in hæreditate pecunia non reperiatur, nec etiam de facili ſit inventorem venire, alias ſecus. *l. Si pecunia. 12. ff. de leg. 2.* Octavò, qvod ſi pecunia non extet, & res hæreditariæ absq; culpa hæredis poſt confectum Inventarium intereant, damnum erit creditorum & legatariorum. Nonò, ſi quas hæres habuit actiones contra defunctum, illæ ex beneficio Inventarii intentari poſſunt, nec extinguuntur confuſione per aditionem *d. l. fin. §. In computatione. Cod de Jur. delib.* Sic etiam hæres conveniri poteſt ex actionibus, quæ defuncto competebant adverſus eum. Econtra etiam incommo-

[Margin numbers: 34 (beside "Et primò quidem…"), 35 (beside "adverſus alios. Quintò…"), 36 (beside "carcerari… Septimò"), 37 (beside "torem venire… Octavò"), 38 (beside "Inventarii intentari…")]

moda ex negligentiâ non confecti Inventarij ſeqvuntur, ut Primò omnibus creditoribus, legatarijs & fideicommiſſarijs de proprio & ultra vires hæreditatis ſolvere hæres teneatur. *d. l. ult. §. Sin verò poſtquam.* Eoquod Lex præſumat, quod occultaverit res hæreditarias. Secun-
39 dò perdit Falcidiam, *§. Si verò. in Auth. de Hæred. & falcid.* non etiam legitimam filius negligens in conficiendo Inventario, cum dicatur jure naturæ debita, cui non prævalet diſpoſitio Juris Civilis: Quam ſententiam de Praxi obſervari dicit *Gail. lib. 2. obs. 138. num. 14.* quanquam ſint nonnulli, qui putent eam etiam amitti. vid. *Salic.*
40 *in d. l. fin. §. Si qvis autem.* Nec hæredem juvabit purgatio moræ in confectione inventarij, cum æqvè perdat Falcidiam. *l. 1. §. Item ſi ita. ff. ad leg. Falcid.* Nam quantumvis alias per purgationem moræ pœna evitetur, tamen nunquam operatur effectum detractionis Falcidiæ, qvæ antea
41 detrahi poterat. *Ang. in d. l. 1.* An eodem modo Trebellianica per omiſſionem Inventarij amittatur? maximè ſibi contrarij Doctores hic reperiuntur; adeò ut nonnulli hanc quæſtionem deciſione Cæſareâ indigere apertè profiteantur. Eam *Bald. in Cons. 99. Col. 1. Vol. 4.* dubiam vocat, propterea quod textu expreſſo Trebellianicam neq; permitten-
42 te, neq; prohibente deſtituamur. In affirmativam ex parificatione Falcidiæ & Trebellianicæ deſcendunt *Bald. Salic. in Auth. Sed cum teſtator. eod. ad leg. Falcid. Paul. de Caſtr. in Cons. 487. Col. 1. Vol. 1. 36. Vol. 2. 188. & 445. Vol. eod. Guid.*
43 *Pap. Q. 53. Dec. Cons. 236. Col. 4.* & plures recentiores. Aſt negativam veriorem, Juri & æquitati magis conſentaneam dicit *Gail. 2. obſ. 138. n. 9.* quæ & in numero Authorum, alteri non cedit, qui paſſim apud Doctores allegantur.

44 Rationes hujus poſterioris ſententiæ in ijs fundantur: quod Primò ademptio iſta nullâ Lege caveatur; igitur quod mutatum non eſt, ſtare non prohibetur: Nec eſt qvod adverſarij ſe torqueant in deductione argumenti

â Fal-

à Falcidiâ ad Trebellianicam: Nam quantumvis Lege an- 45
tiquâ æquiparari dicuntur, atq; hoc caſu Falcidia amittatur: tamen concluſio parum firma erit ad Trebellianicam: eo qvod fieret extenſio in correctorijs, qvod fieri non poteſt. *l. fin. junct. Auth. Qvas actiones. Cod. de Sacroſ. Eccleſ.* Maximè verò in ſubjectâ materiâ, ubi correctoria & 46
pœnalia concurrunt, cum aliàs pœna privationis nunquã irrogata cenſeatur, niſi ipſam in ſpecie Lex exprimat. *Clem. 2. de Vit. & honeſt. Cleric.* Deinde etiam Falcidia & Trebel- 47
lianica non ita per omnia æquiparantur, ut ſi quid Lex corrigat in unâ, in alterâ qvoq; corrigi debeat: impropriè enim Trebellianica nomine Falcidiæ venit, *Gail. d. l. num. 11.* & in multis differunt: quoniam Falcidia locum habet in hærede gravato particularibus legatis ultra dotrantem. Trebellianica verò in hærede gravato univerſaliter hæreditatem reſtituere, ut non ſubſit eadem ratio in hac quæ in Falcidiâ. Hæc enim, *dicit Perez. ad Cod. lib. 6. tit. 3. num. 15.* ideò amittitur non confecto Inventario, quia præſumitur 48
pro teſtatore, qvod legata certa quæ reliqvit, ea habeat in bonis, unde oritur præſumptio qvod hæres negans in bonis eſſe, uſus ſit aliquâ malignitate, & res hæreditarias ſubtraxerit ad inducedam Falcidiam alias non competituram. Cujusmodi ſuſpicio non eſt quoad quartam Trebellianicam, cum non detrahatur ex certâ quantitate, ſed ex univerſis, non determinatis qvotis per teſtatorem, ut proindè ceſſet occaſio quid ſiniſtrè ſuſpicandi de hærede gravato. Accedit quod ſecundum Legem antiquam in teſtamen- 49
to militis Falcidia locum non habebat, & tamen ex eo Trebellianica conceſſa erat. *l. 1. §. In filii. ff. ad SC. Trebell* Ex qui- 50
bus conſequens eſt, qvod, cum in omnibus & per omnia non detur purificatio Lege antiqvâ inter Falcidiam & Trebellianicam, Lex una corrigens in uno caſu ex æquiparatis non videatur corrigere in alio. Plures differentiæ videri poſſunt *apud Jaſ. in Rubr. ad SC. Trebell. Col. 2. ſecundò* proba- 51

tur noſtra opinio per text. *in C. Raynaldus. de Teſtam.* dum loquitur de legitimâ & Trebellianica à Filio deducendis, permittens illas ſimpliciter absq; Inventarij conſideratione poſſe deduci. Inferius autem loquitur de Falcidiâ deducendâ, dicens: eam deduci, ſi hæres Inventarium confecerit. Ex quibus concludi poteſt, Falcidiam non confectione Inventarij amitti, non item Trebellianicam, quia ſi de eâ ſenſiſſet utiq; de illa etiam diſpoſuiſſet ſicut de Falcidiâ.

52 Tertiò cum beneficium Inventarij ſucceſſerit, in locum longioris deliberationis, eodem jure etiam haberi debebit, at nullâ hiſce caſibus opus fuit deliberatione ſcilicet in opulentâ hæreditate, igitur nec jam opus eſſe, validè concluditur.

53 Nec me movet qvod hæres gravatus de reſtituendo teneatur fideicommiſſario reddere rationes, & per conſequens ad Inventarij confectionem: quia ſeparata ſunt, & nihil ex ijs infertur. *Gail. d. l. n. 12.* Quanquam & illud dici poſſit, gravatum non teneri ad confectionem Inventarij

54 ſecundum formam poſitam *in l. f. Cod. de Jur. delib.* ſed ſufficere deſcriptionem ſine tantâ ſolennitate: quia in Inventario, qvod non fit ad commodum hæredis & de quo loquitur *d. l. fin.* non ſunt neceſſariæ ſolennitates illius Legis, ſed ſatis eſt, qvod fiat ut tutor tenetur. Dixi ſufficere deſcriptionem, ad hoc ſcilicet ut quarta detrahatur, eò quod per eam ſit ſatisfactum Legi, proviſum Fideicommiſſario, ac ceſſet fraus, & ratio bonorum appareat.

55 Neque morari nos debet *d. l. fin.* §. *Sancimus.* Vigore cujus hæres in ſolidum tenetur Creditoribus, Legatarijs & Fideicommiſſarijs: Cum ſaltem loquatur de fideicomiſſis particularibus & non univerſalib⁹. *Natta in Cons. 220. Col. 2.*

FINIS PARTIS SECUNDÆ.

SPE-

SPECULI SUCCESSIONUM

PARS TERTIA

De

SUCCESSIONIBUS FEUDALIBUS

Methodus Dicendorum.

A Principio operis noſtri ſeriem tractationis exponentes, Materiam Succeſſionis Feudalis ad tertiam partem ſpecialiter reſervare placuit, quatenus poſt Succeſſiones Civiles & Canonicas tanto commodius illi inhærere poſſemus. Diu autem in commendatione ejus verſari, ſuperfluum erit: cum omnibus ſeſe ita commendet, ut lucem præſtantis illius ſcientiæ obſcurare potius, quàm effundere videatur, qui ad illam illuſtrandam verborum lenociniis tantum inſiſtere ſtuderet: Res ipſa etenim loquitur, & non ſolum præcipuam patrimonii cujusque privati partem afficit, ſed & Regum, Principum

 No-

Nobiliumqve ſubſtantia in deferendis Regnorum, ſupremorum Principatuum & Ditionum Succeſſionibus à Jure Feudorum ita dependet, ut neutiquam ab illo ſeparari queat, imò ſubſiſtere non valeat. Ut verò ſuccinctâ methodo præcipua rerum & quæſtionum momenta percurramus; ita tractatus noſtri partem Tertiam inſtituemus; ut primum caput Naturam, Conſtitutionem, acqviſitionem, amiſſionem Feudorum, judicia Feudalia, & eorum nomine competentes actiones diſcutiat. Alterum verò Succeſſionem Regalium, quæ feudis plerumqve annectitur, & iisdem propria eſt, intermixtâ qvæſtionum utiliſſimarum delectabili varietate nervosè Juriqve publico conformiter deducat. Et tandem Succeſſionum Renunciationes huic libro finem optatum imponant. Sit ergo.

CAPUT I.

De FEUDIS

SECTIO I.

De Origine, Etymo, Naturâ & Definitione Feudorum.

SUM-

SUMMARIA.

1 *Enumeratio Doctorum qvi in uſus Feudorum commentati ſunt.*
2 *In qvæſtione an ſit? Quænam conſideranda veniant?*
3 *An libri Feudales ſint Authentici, & an libris Juris Civilis annumerandi?*
4 *Varia doctrina Interpretum circa numerum librorum Feudalium.*
5 *Diſtributionem duorum librorum admittimus.*
6 *An Jura Feudi conſtent ex Jure ſcripto vel non ſcripto?*
7 *Quomodo ex Jure non ſcripto conſtent?*
8 *Libri Feudorum vim Legis obtinent, & Authentici ſunt.*
9 *Probatio dicti.*
10 *An Feuda eo qvod in ſcripturam redacta ſint, propterea deſinant eſſe conſuetudines?*
11 *Diverſitas inter hæc duo: Jus ſcribi, & jus in ſcripturam redigi.*
12 *An præter approbationem Imperatores etiam compilaverint conſvetudines Feudorum?*
13 *Feuda cum vim Legis obtineant, qvinam, & præſertim an extra Romanum Imperium degentes illis obligentur?*
14 *An etiam Clerici? ſicut an qvoqve ſecundum Jura Feudalia in foro Judiciali Eccleſiæ judicetur?*
15 *Probatio Affirmativæ.*
16 *Fundamenta Negativa, quæ non invertunt alteram utpote veriorem opinionem.*
17 *Epiſcopi recognoſcentes Feudum ab Imperatore, eum, non ArchiEpiſcopum Judicem agnoſcere debent.*
18 *Quâ ratione Jus Feudale præferatur Canonico, & Civili & econtra?*
19 *Diverſæ Feudiſtarum opiniones circa inveſtigationem originis Feudorum.*
20 *Communior & probabilior eſt, ea à Longobardis deſcendiſſe. Rationes aſſerti.*
21 *Vocabulum Feudum unde dicatur?*
22 *Fidelitas Juratò præſtanda eſt, aut etiam absq; juramento ſi id nominatim actum ſit.*
23 *Fidelitas conſtituit ſubſtantiam & eſſentiam feudi.*
24 *Feuda habentes qvandoq; fideles nominantur.*
25 *Exploditur ſententia eorum putantium dictionem Vaſalli à Baſſis Turcarum deſcendere.*
26 *Turcarum nomen ante Annum Chriſti 870. incognitum fuit, & apud nos inauditum.*
27 *In quâ ſignificatione ſumatur vox Baſſa apud Turcas, & qvi per eam denotentur?*
28 *Alia opinio deducens vocem vaſalli à vaſario.*
29 *In eruendâ definitione Feudorum Interpretes variant.*
30 *An definitio Oberti admittenda ſit?*

31 Negativa placet, cum laboret in differentiâ.
32 Alia recipitur.
33 Quidnam ſentiendum ſit de definitione Hotomanni?
34 Quid propriè feudum ſit, & quomodo rectius definiatur?

1 CIrca doctrinam Feudorum JurisConſulti tàm veteres quàm recentiores plurimùm occupati fuêre; inter qvos ſunt *Jacobus Cujacius*, *Andreas de Isneria*, *Matth. de Afflictis*, *Thomas de Marinis*, *Alvarottus*, *Hotomannus*, *Julius Clarus*, *Jaſon*, *Curtius Jun.*, *Zaſius*, *Roſenthal*, *Ludolphus Schraderus*, *Mozzius*, *Blanc. Sonsbeckius*, *Borcholt*, *Claud. de Seiſell. Duarenus*, *Schneidewinus*, *Weſtmbecius*, *Petrus de St. Gregorio*, *Petrus Gudelinus. His adjungendi Hermannus Vultejus*, *Henricus Bocerus*, *Henricus Zoeſius*, *Rittersbuſius*, *Carpzovius*, *Ludwellus*, *Schulz*, *Struvius*, *Svevus*, *Reusnerus*, *Camillus de la Ratha*, *Thomas Cragius*, *Anglus*, *Ferrarius*, *Montanus & Alii paſſim*, qui integros & Excellentes Commentarios Feudales nobis reliquerunt, quorumq; operâ & ſtudio Conſvetudines Feudorum mirum in modum illuſtratæ ſunt, inqvirentes primum
2 an ſint, qvid ſint & quotuplicia? In quæſtione an ſit? Cicero quatuor notanda eſſe deprehendit. Primò an aliquid ſit? Secundò, unde ortum habeat. Tertiò, quæ cauſa id effecerit? Quartò, dum de mutatione & interitu rei quæ-
3 ritur. Circa primam notationem attendenda venit quæſtio: an libri Feudales ſint Authentici, & an libris Juris Civilis annumerandi? Commentatores in uſus Feudorum in numero librorum variant; Unum enim ſub nomine decimæ collationis Odofredum, & antiquiſſimam editionem Feudorum, quæ eſt Tubingæ in Bibliothecâ ſtipendij Martiniani, agnoſcere à *Doctiſſimo Domino Erico Mauritio Judicii Cameræ Imperialis Aſſeſſore Patrono meo Colendiſſimo* didi-
4 ci in *Poſitionibus Feudalibus Decad. 1. theſ. 9.* Ab aliquibus duo paſſim libri citari & Corpori Juris annecti ſolent: Alij tres

fa-

faciunt incipiendo tertium à *titulo 23. libri ſecundi.* Cuja-
cius in quinq; libros diviſit. *Antonius Mericutius de Prato*
Veteri novam Collectionem Bononienſem (quam tantope-
rè ab eruditis expeti teſtatur *Dominus Ericus Mauritius d. l.*)
in ſex libros diſtinguit. Sed ego in citatione textuum, du- 5
orum tantum librorum mentionem faciam. Quantum
autem ad propoſitam quæſtionem attinet: Omninò dicen- 6
dum reor tàm ex Jure ſcripto, quàm non ſcripto feuda con-
ſtare: Ex Jure ſcripto: Ex Conſtitutionibus ſcilicet Impe-
rialibus *Conradi, Lotharii Primi & Secundi. Henrici II. V.*
VI. & VII. Item *Friderici I. & II.* nec non ex Romano-
rum Pontificum Decretis. *cap. Cæterum. cap. Novit. de Ju-*
dic. c. Quæ in Eccleſiarum. de Conſtitut. & alijs quæ videantur
apud *Sonsbeck. de Feud. p. 1. num. 26.* Ex Jure non ſcripto: 7
nempè Conſvetudinibus *Mediolanenſium, Cremonenſium,*
Placentinorum & aliorum: Partim etiam conſtant ex non-
nullis Oberti de Orto, Gerardi Capegiſti & nonnullorum
ſapientum ac Juriſperitorum reſponſis. Adeoq; vim le- 8
gis obtinere, & conſeqventer libros Feudorum authenticos
eſſe, nec non in Scholis legi & in Judicis allegari poſſe rectè
infertur. Quod elicitur tacitè, per tot actus cujus initij
memoria non extat & expreſſè: per Confirmationes Impe- 9
ratorum *Conradi. Lotharii & Friderici.* Neq; propterea de- 10
ſinunt eſſe conſvetudines quod in ſcripturam redactæ ſint,
quod aliqui voluerunt: Rationem pulchram affert *Herm.*
Vult. de Feud. lib. 1. cap. 1. num. 4. Sicut enim inqvit *ſcrip-*
tura ad ſubſtantiam Legis ſivè Juris ſcripti nihil confert, ita nec
conſvetudo, ex eo, qvod in ſcripturam redacta ſit, quicquam ha-
bet momenti. Nam Jus ſcribi, & Jus in ſcripturam redigi, ſunt 11
diverſa: ſiquidem illa vox eſt Juris, hæc eſt facti. Et Jus ſcri-
bi nihil eſt aliud niſi Jus ſancire: qvod fieri utiqve poteſt, etiam-
ſi in ſcripturam non redigatur. Conſvetudo igitur & Lex non
ſunt diſtingvendæ ex ſcripturâ, ſed ex ſcripto; ſcriptura au-
tem eſt litera, ſcriptum eſt ſanctio. Sunt etiam nonnulli qui

af-

12 affirmare præſumunt, Imperatores non tantum approbaſ-
ſe libros Feudales; ſed etiam compilaſſe; ex conjecturis,
quas Primò ex textu *in tit. 54. lib. 2. Feud.* eliciunt, ibi:
Statuimus tàm in Italiâ quàm Alemannia. Quæ verba non
conveniunt Doctoribus ſeu Juriſperitis, qui non habent
Authoritatem Leges condendi. Secundò, *ex tit. 22. lib. 1.*
Feud. ubi Princeps præcipit Vaſallos venire ad ſuam præ-
ſentiam. Unde itidem colligunt Imperatorem fuiſſe Au-
thorem: Cum verba illa non poſſint proferri ab alio. Sed
hæ conjecturæ priorem opinionem non invertunt. Si ita-
13 que Conſvetudines Feudorum longo uſu & Confirmatione
Imperatorum vim Legis obtineant, ſequetur eas obligare
omnes, non tantum qui Imperio Romano ſubjecti ſunt *Bor-*
cholt. de Feud. c. 2. num. 10. ſed etiam qui extra Imperium
Romanum degunt, quatenus tamen cum ipſorum Mori-
bus & Legibus non pugnant: Et hinc omnes Reges & Po-
puli ſicut ligantur aut non ligantur, aut ſe non ligari præ-
tendunt Legibus Imperialibus: Ita etiam ligabuntur, aut
non ligabuntur iſtis Conſtitutionibus & Conſvetudinibus.
14 Dixi, *omnes ligare.* Tàm Laicos quàm Clericos: Quia ſe-
cundum Jura Feudalia etiam in foro Judiciali Eccleſiæ ju-
dicandum. *Bald. in cap. 1. de Controv. Feud. apud quem*
termin. Ubi dicit: quod, licet Vaſallus ſit Clericus; ta-
15 men Pares Curiæ Seculares ſint Judices. Pro hac affir-
mativâ ſunt expreſſi textus in Jure Canonico *in cap. Cete-*
rum. de Judic. in cap. Verum. & in cap. Ex transmiſſâ. de Foro
competet. vigore cujus ſummus Pontifex remittit Clericos
ad Dominos Feudi quamvis Seculares; quid quid etiam
contradicat *And. Barbat. Sicul. in d. cap. Cæterum. de Judic.*
16 *num. 18.* qui apertè profitetur Clericos non ligari Juribus
Feudorum. per *textum in cap. Qualiter. de Jud.* quo prohi-
bentur Clerici trahi ad Judicium ſeculare. Item per *C. Si*
diligenti. de For. compet. Ubi Clericus non poteſt ſibi conſti-
tuere Judicem Laicum etiam cum juramento. Sed pa-

rum

rum allatæ allegationes juvant: cum pluribus alijs caſibus Clerici coram Laico Judice conveniri queant, qui paſſim apud Canoniſtas videri poſſunt. Accedit, qvod, quantumvis per inveſtituram dominium utile tranſeat in Vaſallum, dominium tamen directum remaneat apud Feudum tribuentem, adeò ut Dominus judicando de Feudo, cenſeatur judicare de re ſuâ propriâ potius, quam de Clerici perſonâ. Indè rectè infertur quod Epiſcopus recognoſcens 17
Feudum ab Imperatore, Eum, non ArchiEpiſcopum, Judicem agnoſcere debeat: quià textus Feudalis eſt pro Lege in ſuâ materiâ *tit. I. lib. 2. Feud.* ut meritò *Herman. Vult.* 18
lib. I. cap. I. num. 9. præferri dicat Jus Feudale Juri Civili & Canonico: Intellige in controverſijs Feudalibus. Econtra etiam Jus Canonicum & Civile in alijs cauſis & qvæſtionibus quam Feudalibus, Feudali præfertur.

De origine Feudorum non conveniunt Interpretes, 19
recurrunt enim qvidam ad mores Romanorum ex ſimilitudine Clientelarum & Feudorum: De qvo Jure Clientelari pulchrè diſſerit *Gudelin. de Jur. Feud. P. I. c. 2. num. I.* Alij Romanis non tribuunt, ſed ad militias referunt, putantes eas, quarum fit mentio in Jure Romano, eſſe Feuda. Hanc. opinionem refutavit *And. de Isneria. in Proem. Feud. in primâ Quæſtione.* Alij, ſicut *Lucas de Pennâ* originem Feudorum tribuunt prædijs ſtipendiarijs & tributarijs per textum *in §. Per traditionem. Inſt. de Rer. diviſ.* Ubi fit mentio horum prædiorum, quæ militibus debentur ſtipendiorum vice, ut ex eorum fructibus viverent. *Matth. de Afflict.* Feuda inventa deducit à *Conrado Imperatore*, qui paſſim refellitur. Et mirantur Feudiſtæ eum virum, alias doctiſſimum in tàm craſſum errorem incidiſſe. Communior tamen & probabilior eſt ſententia eorum, qui à Barbaris, & quidem Longobardis, dum in Italiâ multis temporibus ſedem ſuam habuerunt, originem Feudorum trahere conantur, aut ijs ſaltem progreſſum præcipuum at- 20

 tri-

tribuunt: Cum non ſit improbabile etiam ante tempora Longobardorum Feuda in uſu fuiſſe: eoqvod antiquiſſimum hoc jus eſſe ſcribat Gerardus *in tit. 1. §. Antiquiſſimo. lib. 1. Feud.* Quanquam fatendum ſit, in extantibus Legibus Longobardorum nihil palam de Feudis ſcriptum reperiri. Ratio eſt: quia hoc Jus ex moribus potius quàm ex ullis ſcriptis Legibus emanavit. *d. tit. 1. lib. 2.* De cœtero qvàm ex parvis initijs Feuda incrementum acceperint, declarat textus *in d. tit. 1. §. Et quia vidimus. lib. 1.*

21 Dicitur autem Feudum à verbo Longobardico fede, quod etiam Italis hodiedum uſitatum eſt, ſignificans fidem: quia datur ſub reſervato fidelitatis, quæ Domino ju-
22 ratò præſtanda eſt. *tit. 4. lib. 2. Feud.* aut aliquando etiam absq; Juramento, ſi nominatim actum ſit, ne fidelitas cum Juramento præſtetur *d. lib. 2. tit. 3. in f. & tit. 24. §. 1.*
23 quæ conſtituit ſubſtantiam & eſſentiam Feudi *Borcholt. in Conſvet. Feud. cap. 1. num. 20. Schrader. in Tract. Feud. P. 2. c. 2. num. 28. & ſeqq.* idqve non tantum ratione acquirentis Feudum, ſed etiam ratione perſonarum illi ſubjecta-
24 rum ex jure in re, qvod Dominus Feudi habet. Unde fit, ut fideles paſſim nominentur *tit. 9. lib. 1. In Rubro & in Nigro*, aut etiam magis ſpecificè Vaſalli, ita dicti à vade, ſeu vadimontio, id eſt obligatione quod ad plura tenean-
25 tur *tit. 7. 2. Feud.* Hic miror non deeſſe, qui arbitrantur Vaſallos dictos fuiſſe à Baſſis Turcarum: Nam cuiq;
26 obvium eſt Turcarum nomen ante annum Dominicæ ſalutis 870. circiter apud nos inauditum fuiſſe; econtrà verò Longobardos, quibus initium Feudorum adſcripſimus, circa annum Domini 568. circiter, & ſic ſupra trecentos an-
27 nos ante Turcas regnaſſe. Accedit qvod vox Baſſa apud ipſos Turcas in aliâ ſignificatione ſumatur, atq; per eam denotentur Patricij, qui â Conſilijs Principibus ſunt: Vaſalli autem ipſis dicantur *Sangiachi*, feuda recognoſcentes, quæ *Timari* appellant. Sunt etiam qui Vaſallorum E-

tymon deducunt à Vaſario, quod Ciceroni eſt omne id 28
quod publicè dabatur Magiſtratibus, ut Mulæ, Equi, Vaſa & reliqua, quæ Magiſtratus inſtrumentum implerent, ita ut Vaſalli diantur tanquam vaſa & inſtrumenta Principum. Denominantur & valvaſores *tit. 16. lib. 1. Feud. in Rubro & Nigro*, quaſi digni ſint ſtare ad valvas ſeu portas Domini, propter Feudum quod ab eo tenent.

In definitione Feudi Interpretes qvoqve variant & ſe- 29
cundum *Afflict. in Prælud. Feud. num. 69.* uſitatam recipiunt illam quam Obertus de Orto *tit. 25. in f. lib. 2. ex Seneca lib 1. de Benef. cap. 6.* affert. Eam recipit *Petr. Gudelin. de Jur. Feud. P. 1. c. 1.* atq; defendit, in eo ſcilicet qvod beneficium conſtituat genus non tamen in definiendo ipſo Feudo, ſed potius in explicandâ conceſſione illius, qui videri poteſt per totum. Prædictam definitionem quoque ſequuntur *Clar. in §. Feudum. Q. 4. Borcholt. cap. 1. num. 10. de Feud.* Aſt cum hæc Oberti definitio, deſcriptio potius 30
plerisq; videatur, imò etiam plura ſecundum *Hotomannum Diſput. Feud. c. 4.* in eâ notari poſſint, præcipuè cum definiatur per Beneficium, *qvod ſecundum Obertum ipſum eſt actio benevola tribuens gaudium capientibus, capiensqve tribuendo, in id qvod facit pronè & ſpontè ſua peracta.* Feudum verò tribuatur ob cauſam obligatione inter Dominum & Vaſallum interveniente aut præcedente; quod beneficio congruere non poteſt; deinde etiam in differentiâ quodammodo laborare videatur: dum dicit Feuda concedi 31
in perpetuum, quod tamen nec antiquioribus nec modernis moribus cõvenit: Notum enim eſt ante *Conradum Imperatorẽ* nulla fuiſſe Feuda data in perpetuum. Hodie verò plura ad tempus concedi ſolent, ut Feudum *Gvardiæ Caſtaldiæ* &c. De quibus in ſeqventibus. Igitur alia definitio inve- 32
ſtiganda, quæ Juriſconſultis magis qvàm Philoſophis propria ſit. Omiſsâ autem illâ *Duareni*, qui dicit Feudum eſſe *rem immobilem, qvæ fidei vel obſeqvii gratiâ fruenda alicui*

33 *conceditur.* Item exploſa illa *Hotomanni d. c. 4.* dicentis, quod Feudum *ſit Clientela Militaris eâ Lege contracta, ut Cliens pro beneficio accepto militarem operam præbeat, vicisſimque Patronus ſuam illi fidem & benevolentiam præſtet.* Nec non neglectâ definitione *Bartoli* explicantis Feudum *in l. Juris Gentium. §. Quinimò. ff. de Pact.* per contractum nominatum:
34 Illud absque ſubtilitate ita definire placet: ut ſit *Libera conceſſio rei immobilis vel æquipollentis cum translatione utilis dominij, retentâ proprietate ſub Lege fidelitatis & ſervitiorum.* Quanquam non incommodè quoque per uſumfructum definiatur, ſicut fit ab *Herm. Vult. de Feud. lib. 1. c. 2. n. 9.*

SECTIO II.

De multiplici diviſione variisque acceptionibus Feudorum.

SUMMARIA.

1 *Mirè variantes opiniones circa diſtributiones Feudorum.*

2 *In diſtribuendis Feudis tot ſunt ſententiæ quot capita.*

3 *Bocerus ex cauſis, effectis, ſubjectis & adjunctis: Zoeſius ex cauſis tantum, eam conſtituit.*

4 *Noſtra diſtributio erit illa, quæ petitur ex Cathegoriâ ſubſtantiæ, & quæ per accidētia cōſideratur.*

5 *Nulla datur differentia inter ſubſtantiam & naturam Feudi.*

6 *Exemplificatio hujus dicti in contractibus.*

7 *Ratione ſubſtantiæ Feudum eſt rectum, purum, ſimplex & proprium.*

8 *Requiſita Feudi proprij.*

9 *Ratione ſubſtantiæ Feudum itidem erit improprium & non rectum, ſive, ut loquuntur, conditionatum.*

10 *Improprii feudi diviſiones tot ſunt, quot diverſa pacta, quæ propriam naturam feudi invertunt.*

11 *Feudum Emptitium quod ſit, & quando improprietas ejus probetur?*

12 *Sententia Emptitio feudo propriam naturam tribuens refutatur, ſicut & ea, quæ dicit nullum feudum emi poſſe.*

13 *Magna eſt differentia inter feudum*

dum pecuniæ prætextu acquiſitum, & pecunià interveniente conſtitutum.
14 Dictio beneficij, & benevola actio nihil obſtat feudo emptitio. Quare?
15 Feudum improprium cenſetur quod eſt temporale, quale eſt & dicitur Feudum Habitationis.
16 Sub feudo temporali quænam inſuper comprehendantur?
17 Quid ſit Feudum Soldatæ, Guardiæ & Caſtaldiæ?
18 Quis per Caſtaldum hodie intelligi debeat?
19 Feudum improprium quoque eſt quod fœmininum vocatur.
20 Fœmininum quotuplici reſpectu dicatur?
21 Quo ordine fœminæ in feudo fœminino ſuccedant?
22 Feudum abſolutè hæreditarium etiam improprium cenſetur & Jure Allodij habetur.
23 Regula in feudis notanda: quod in alteratis degenerent à verâ feudorum naturâ; in non alteratis propriam naturam retineant.
24 An Feudum Francum improprium ſit, & quod tale dicatur?
25 Reſolvitur objectio quâ dicitur Feudum Francum donationi ſimile eſſe.
26 An quis de Feudo Franco teſtari poſſit?
27 Feudum in quo remittitur Juramentum fidelitatis an impropriorum nomine contineatur?
28 Sicut & feudum, quod in re mobili conſtituitur? & an reverà Jure feudi cenſeatur?
29 Argumentatio ab uſufructu in pecunià conſtituto, ad feudum in pecunià conſtitutum.
30 An in feudo in pecunia conſtituto requiratur cautio, & an ſit de ſubſtantià hujus feudi?
31 Ratio cur non ſit de ſubſtantia illius
32 Feudum præſcriptione acquiſitum inter impropria numeratur.
33 Quemadmodum & illud, quando loco ſervitii perſonalis præſtatur annua penſio.
34 An Vaſallus nectens moram per biennium in ſolvendo canone, amittat feudum ſub eo conſtitutum?
35 Negativa verior eſt. Et privatio Friderici Siciliæ Regis per Pontificem Maximum facta, non fuit irrogata ob id, quod Canonem debitum per biennium non ſolverit, ſed propter alias quatuor cauſas in Cap. Quæ in Eccleſiarum. X. de Conſtitut. expreſſas; quod tamen Baldus putavit.
36 Reſpondetur ad objectionem ex tit. 24. §. Sed non eſt alia. lib. 2. Feud. deſumptam, in quo ſummoperè triumphat Baldus.
37 An feuda conditionata habeant propriam naturam feudi.
38 Quid ſit feudum Caſtrenſe, Aulicum, item feudum pro aſſociandâ uxore Domini?

39 Quidam illa feudis impropriis annumerant.
40 Alij propriis.
41 Non intelliguntur remiſſa quæ ex natura feudi veniunt.
42 Sententia feuda conditionata pro propriis agnoſcens verior eſt.
43 Limitatur ſi inſolita ſervitia in inveſtiturâ exprimantur, & uſitata tollantur.
44 In dubio feudum præſumi debet rectum, & in non alteratis propriam naturam retinere.
45 Digreſſio à ſubſtantia feudi ad accidentia ejusdem.
46 Qvomodo in accidentalibus feuda conſiderentur?
47 Feudum conſideratum in prædicamento qvantitatis eſt vel magnum, vel parvum, dividuum vel individuum.
48 Sub individuis Regalia comprehenduntur.
49 Ratione qvalitatis Feudum vel ut Seculare vel Eccleſiaſticum.
50 Diverſæ opiniones Circa definitionem feudi Eccleſiaſtici.
51 Proprie quodnam dicatur?
52 Clericus feudum conſtituens in bonis patrimonialibus an ſit Seculare vel Eccleſiaſtiacum?
53 An Clerici gaudeant feudis ſecularibus?
54 Perſonæ Eccleſiaſticæ ut Epiſcopi in Imperio Romano conſiderantur ut Principes & Status recognoſcentes feuda ab Imperatore & Imperio.
55 Feudum nobile & ignobile quod ſit?
56 Feudum nobile ratione rei qvomodo ſubdividatur?
57 Quæ requirantur ad feudum nobile quà tale?
58 Feudum nobile qvomodo rectius definiatur?
59 Feuda Nobilia nobilitant poſſeſſorem Vaſallum.
60 Feudum ignobile & plebejum quod ſit?
61 Feudum in prædicamento qvalitatis conſideratum eſt vel Regale vel non Regale.
62 Regale quod ſit?
63 Feudum in prædicamento Relationis conſideratum eſt Ligium & non Ligium?
64 Qvænam reqvirantur ad feudum ligium?
65 Nemo poteſt eſſe Vaſallus Ligius plurium Dominorum.
66 Si qvis ſit Vaſallus non Ligius plurium Dominorum & hi in bellum incidant? utrum horum juvare teneatur?
67 Variæ opiniones circa eam qvæſtionem.
68 Tutius Dominum antiqviorem juvare perſonaliter, alium per ſubſtitutum.
69 Feudum à loco conſideratum vel eſt in Curte, vel extra Curtem, item de Camera & Cavena. Qvid ſint?
70 Ratione temporis feudum eſt novum vel vetus. Qvid ſint?
71 An ſit differentia conſtituenda inter feudum antiqvum & paternum?

72 Paternum quod propriè dicatur?

73 Feudum ad Collaterales de naturâ ſuâ tranſiens an ſit paternum?

74 An feuda antiqva nonnunquam tranſeant in nova?

75 Qvid ſi Dominus remittat commiſſam feloniam Vaſallo, per qvam feudo privandus eſſet, an remanebit illud feudum antiqvum, aut novum dicendum erit?

76 In dubio feudum potius præſumi debet antiqvum qvam novum.

77 Magis naturale eſt feudo ut ſit antiqvum & ad poſteros tranſeat.

78 Qvidſi Dominus reperiatur in poſſeſſione feudi & vaſallus contendat eſſe feudum antiqvum, cui probandi onus incumbat?

79 Ratione habitus, feudum vel eſt hæreditarium vel ex pacto & providentiâ vel mixtum.

80 Hujus diſtributionis Authores.

81 Quomodo hæc diſtributio irrepſerit? ejusq; notanda explicatio?

82 An illa diviſio Juri feudali cognita ſit?

83 Affirmativa apertè probatur.

84 In tit. 8. lib. 1. Feud. ſit mentio feudi hæreditarij.

85 Non eſt abſurdum illis temporibus, quibus feuda conſcripta, eam incognitam fuiſſe, & poſtea innotuiſſe.

86 Feudum ex pacto & providentia quomodo definiatur?

87 An definitio Herm. Vultei admittenda ſit?

88 Affirmativa placet. Ejus rationes.

89 Subdiviſio feudi hæreditarii in hæreditarium in ſpecie, in merè & abſolutè tale, & in mixtum participans de utroq;.

90 Mixtum quod dicatur?

91 An feudum mixtum magis induat naturam feudi hæreditarii vel ex pacto & providentiâ?

92 Diverſæ Feudiſtarum opiniones circa eam quæſtionem.

93 Feudum conceſſum pro ſe & hæredibus merè eſt ex pacto & providentiâ.

94 Multo magis ſi concedatur pro ſe & hæredibus ſuis maſculis. Etiam pro ſe & hæredibus ſuis maſculis & fœminis collatum.

95 Feudum datum pro ſe & hæredibus ſuis qvibuscunque: ſive pro ſe, & hæredibus quibus dederit, eſt hæreditarium.

96 Nec non illud qvod ſimpliciter conceditur nullâ factâ mentione hæredum.

97 In dubio an feudum præſumatur ex pacto & providentia, an verò hæreditarium?

98 Fundamentum And. de Iſner. pugnantis pro hæreditario.

99 Verius at præſumi ex pacto & providentiâ.

100 In feudalibus magis præſumitur id, qvod ex naturâ rei eſt, non quod recedit à natura ejus.

101 Pacta quæ facti ſunt non præſumuntur, ſed probanda.

102 Solutio objectionis.

Quàm

1 Quàm mirè in exponendâ diſtributione Feudorum Doctores ſimiliter variare contingat, facilè apud eos deprehenditur. Sunt enim qui quinq; genera profitentur, ut *Duaren d. cap. 4.* Alij ſeptem ut *Zas. de Feud. P. 2.* Alij octo ut *Borcholt. de Feud. c. 4.* Alij undecim, nonnulli quatuordecim, ſeptendecim, viginti, viginti duo, imò etiam quidam centum & decem feudorum genera enumerare auſi ſunt; in qvorum claſſe fuit *Thom. de Marinis.* ut
2 meritò ex *Curtio Juniore Vult. cap. 8. num. 1.* dixerit, in feudis diſtribuendis tot fermè fuiſſe ſententias, quot fuerunt capita; duos tandem diſtributionum fontes ita conſtituens, ut diviſio una ſit effectorum, altera adjunctorum; & eam ex effectis ad cauſam efficientem, materialem & formalem; ex adjunctis verò ad qvantitatem & qualitatem referat *d. cap. 8. per tot.* Similem fermè, ſed ampliorem obſervat *Henr. Bocer. in Tract. de Subst. nat. & ac-*
3 *cid. Feud. cap. 2. 3. 4. & 5.* Dum eam ex cauſis, ex effectis, ex ſubjectis & demum ex adjunctis eleganti methodo conſtituit. *Henr. Zoeſ. de Jure Feud. cap. 2.* & alij paſſim
4 ex cauſis tantum diviſionem ordiuntur. Nobis autem illa erit diſtributio, quæ ex Cathegoriâ ſubſtantiæ petitur, & quæ per accidentia conſideratur. Non diſtinguendo hic inter ſubſtantiam & naturam feudi ſicut *Curt. Jun.*
5 *Tract. Feud. P. 1. cap. 7. num. 24. & ſeq.* Cum nulla detur differentia inter ſubſtantiam illius & naturam *Herman. Vult. cap. 7. num. 55.* Ubi dicit, quod illa, qvæ paſſim vo-
6 cantur naturalia, alij appellent adminicula. Exemplum eſt in contractibus nominatis, qui certis ſuis definiti ſunt limitibus, quibus tanquam ſuâ formâ à ſe invicem diſtinguuntur, puta in emptione venditione limites ſunt conſenſus, res & pretium, quæ tria conjuncta emptionem-venditionem conſtituunt in ſubſtantiâ & naturâ ſuâ: ſed idem illi contractus plerumq; ſua etiam habent adminicula, ſicut in emptione-venditione eſt evictio *Vult. d. l.* Idem

ſen-

ſentit *Cujacius in Comment. in lib. 9. Qvæſt. Papin. pag. 205. fac. 1.* dicens: non eſſe audiendos, qui differentiam conſtituunt inter ea, qvæ ſunt contractus naturalia & ſubſtantialia.

Ratione itaqve ſubſtantiæ feudum vel erit rectum, 7
purum, ſimplex & proprium *tit. 2. §. 1. lib. 1. Feud. ibi. nomine proprii Feudi.* quod omni ſui parte ad naturam, ſivè (ut textus *in tit. 8. §. Præterea. lib. 2.* loquitur) ad communem feudorum rationem, qvam habet ex Jure & conſvetudine Feudali confirmatam, accedit. De naturâ hujus 8
infra pluribus videbimus, requiſita, conſtitutionem ſcilicet in re immobili, liberam & benevolam conceſſionem, item inveſtituram, fidelitatem, ſervitia perſonalia, prohibitam alienationem & alia feudo proprio communia examinaturi. Vel erit improprium, non rectum, &, uti lo- 9
quuntur, conditionatum, qvod â qualitate illâ, quæ feudis propria eſt, & tacite ijs ineſſe creditur, propter conditionem ſeu modum pactumque adjectum deficit. Cui diviſi- 10
oni multæ aliæ ſubjiciuntur, ac tot ſubjici poſſunt, qvot diverſa ſunt pacta, qvæ propriam illam naturam ſeu qualitatem mutare ſolent, & nihilò tamen minus Jure feudi cenſentur, atqve reverâ feudum conſtituunt. ut patet ex *tit. 48. de Feudo non habente propriam naturam feudi. lib. 1.* his verbis: *Licet propriam feudi naturam non habeat, Jure tamen Feudi cenſebitur.*

Impropriorum Feudorum nomine continetur Primò, 11
Feudum Emptitium, quod non amore & honore, ſed pro pecuniâ datur. *Curt. Jun. Tract. Feud. P. 1. Quæſt. 6. num. 14. Borch. de Feud. c. 4. num. 26. Lud. Schrad. P. 2. cap. 4. n. 56. Henr. Roſenth. in Synops. Jur. Feud. cap. 2. Concl. 36. Obrecht. Diſput. de Feud. 3. Thes. 297.* qui paſſim teſtantur impropriam conſtituere Feudi naturam. Cui patrocinatur textus in *tit. 27. pr. vers. Feudum enim. lib. 1. Feud.* Ubi Juriſconſultus Feudiſta *feudum*, ait, *non ſub prætextu pecuniæ,*

ſed amore & honore Domini adqvirendum eſt. Unde ſequitur qvod propriam feudi naturam non habeat illud, quod
12 pecuniâ interveniente acqviritur. Cui apertè contradicit *Sonsbeckius*, quem ſecutus eſt *Henr. Bocer. de Subſtant. & Nat. Feud. cap. 2. num. 18.* qui propriam illi naturam tribuunt. Aſt *Herm. Vult.* Sonsbeckium manifeſtè refutat *d. l.* Argumenta pro contradicente opinione affert *Bocer. d. l.* ex qvibus refellitur eorum opinio, qui omninò negant feudum emi poſſe, per *tit. 27. lib. 1.*, & ex ratione quam deducunt ex *tit. 22. in f. lib. 2.* ubi dicitur quod feudum ſit beneficium: item benevola actio quæ pecuniam reſpuit: Nam feudum emi poſſe communis opinio eſt. *Curt. Jun. P. 1. Quæſt. 6. num. 14.* imò id fieri quotidie vi-
13 demus. Nec obſtat textus primo allegatus, in quo ſaltem dicitur feudum ſub prætextu pecuniæ non eſſe acquirendum. Magna etenim eſt differentia inter feudum pecuniæ prætextu acquiſitum, & illud pecuniâ interveniente conſtitutum: Et quanquam principium feudi ab amore & honore, non autem à pecuniâ ſumi debeat; abſurdum tamen non eſt, ſi ex poſt facto accedat pecunia, ſicuti in contractibus gratuitis origine & naturâ ſuâ accedit preti-
14 um, qvod potius pro honorario habetur. Multominus beneficium & benevola actio hanc deciſionem infringent, eo qvod non omne beneficium ſit gratuitum. *l. 3. ff. de Obſeq. parent. & patr. præſt.* Et benevola actio non minus in conceſſione feudi emptitij, atque non emptitij conſtituatur: puta propter affectionem ad rem, quæ in feudum conceditur, & quod res viliori pretio donationis cauſâ vendi poſſit. *l. 38. ff. de Contrah. Empt.*

15 *Secundò* improprietas feudi in eo conſtituitur, qvod temporale dicitur (ad differentiam perpetui) peritque tempore: quale eſt Feudum Habitationis; quod etiam vaſallus locare poteſt, niſi in habitando per ſe ipſum verſaretur aliqvod commodum Domini. *Bald. in c. 1. pr. de Feud.*

Gvar-

Gvardiæ. ſub feudo temporali comprehenditur qvoqve 16
FeudumSoldatæ, quod annuâ, eâq; gratuitâ ſolidorum
vel annonæ, puta vini & frumenti præſtatione continetur 17
tit. 10. §.pen. & ult. lib. 2. Feud. ex eoque nullum ſervitium præſtatur, ſed & morte dantis & accipientis finitur *d. §.pen. tit. 10.* Hujusmodi etiam ſunt Feuda Gvardiæ: quæ Gvardianus, id eſt Cuſtos Territorij, Caſtri vel domus Domini ratione officij poſſidet *Schrad. Tract. Feud. P. 2. C. 2. num. 21.* Item Gaſtaldiæ: quod vaſallo Gaſtaldo, id eſt Gubernatori Curtis ſive Diſtrictus id eſt Territorij Domini pro operâ & labore, quem in gubernandâ Curte ſive Diſtrictu
Domini ſuſtinet, conceditur. Talem vaſallum in Diſtrictu 18
Eccleſiaſtico linguâ Germanicâ Vitzdomb. in Seculari verò Vogt oder Ambtmann dici quidam putant. Item Feudum Advocatiæ & aliorum officiorum quæ finito anno aut etiam longiori tempore revocantur.

Tertiò, improprium eſt Feudum Fœmininum, ita di- 19
ctum: aut reſpectu fœminæ, quod illa primo acquirit 20
tit. 30. & tit. 50. pr. lib. 2. feud. atque ad hæredes fœminas transmittit. *d. tit. 50. lib. 2. tit. 6. §. Quin etiam. tit. 8. §. Filia*
verò. lib. 1. Feud. Aut ex eo, quod maſculo defertur cum 21
pacto, ut tàm hæredes ſui maſculi, qvàm etiam fœminæ ſuccedere debeant; ita tamen, ut licet copulativè in inveſtiturâ comprehenſi ſint, non aliter veniant qvàm maſculis non extantibus. *d. tit. 8. §. Filia verò.*

Qvartò, impropriam naturam induit feudum tranſi- 22
torium ad hæredes extraneos, qui non ſunt de ſanguine acquirentis; de quo vaſallus & ſucceſſor liberè diſponere poteſt, & allodij Jure habetur, *tit. 48. lib. 2.* imò etiam factâ
alienatione mortuo vaſallo ad alios maſculos, ſicut alia 23
feuda, tranſit, propter regulam bene notandam: *quod feudum in alteratis degeneret â verâ feudorum naturâ, in non alteratis autem retineat propriam eorum naturam.*

Qvintò, Feudum Liberum ſeu, ut vulgo vocant, Fran- 24

Cccc 2 cum

cum improprium eſt: dicitur Francum, id eſt ab obſequiis immune, nulliq; ſervitio ſubjectum, atq; ab oneribus liberum quæ libertas ex tenore inveſtituræ conſtare debet.
25 *Sonsbeck. Tract. Feud. P. 1. num. 25.* objicere quis poſſet hoc feudum donationi potius ſimile eſſe: Cum etiam directum dominium in accipientem transferatur. *Bald. in l. Si plures. vers: dicitur autem Francum. Cod. de Cond. inſert.* ſed advertat Lector, quanquam hoc Feudum Francum à ſervitijs & operis dicatur; tamen à maleficiis ſivè in faciendo ſive in tacendo conſiſtentibus Francum non eſt. Accedit
26 qvod Vaſallus ſecundum communiorem opinionem de eo minimè teſtari, aut etiam illud in præjudicium Domini alienare poſſit, per textum clarum in *d. tit. 45. lib. 2.* qui ſupra allatam regulam exponit, quod nempè in ſolis alteratis feudum deficiat quoad propriam naturam, in alijs verò ſervet: Jam autem in materiâ maleficiorum, in conceſſo actu teſtandi, & non prohibitâ alienandi facultate non invenitur alteratum.

27 *Sextò*, ſub improprietate feudi continetur & illud, in quo Juramentum fidelitatis remittitur. *Schrad. de Feud. cap. 4. num. 18.* qvod fieri poteſt; Vaſallus tamen tenebitur ad ea qvæ comprehenduntur *ſub tit. de Formâ fidelitatis. lib. 2. Feud.*

28 *Septimò*, Feudum rei mobilis inter impropria numeratur. Nec obſtat, quod in immobili propriè alias conſtituatur. *per textum in tit. 1. §. Sciendum. & tit. 23. §. ult. lib. 2.* Et in *d. tit. 1. §. Sciendum.* reperiantur verba: *nonniſi.* Licet enim verum ſit ita conſtitui: Inde tamen non ſequitur, impropriè conſtitui non poſſe: Eo qvod Jure feudi cenſeatur, & revera feudum ſit, ſicut omne aliud improprium
29 diſertè in Libris Feudorum appellatur feudum, præſertim quia de feudi ſubſtantialibus participat, nempè fidelitate mutuâ &c.: Exemplum eſſe poteſt in uſufructu in pecuniâ numeratâ conſtituto, qui quamvis uſusfructus propriè

non

non ſit, ſed quaſi uſusfructus §. *Conſtituitur. Inſt. de Uſufruct.* Attamen appellatione uſusfructus continetur. Ita etiam de feudo in re mobili conſtituto. Ubi tamen hæc cautela memoriæ imprimi debet, qvod in feudo in pecuniâ conſiſtente opportuna ſit cautio, quâ Vaſallus utiliter caveat ſe finito feudo pecuniam ejusdem quantitatis & generis reſtituturum, argumento *§. Sed utilitatis. Inſt. de Uſufruct.* quæ tamen non erit de ſubſtantiâ feudi, ſicut nec eſt de ſubſtantia quaſi uſusfructus, contra *Bart. in l. 1. num. 12. Cod. de Uſufr.* Ratio eſt: quod licet cautio iſta in conſtitutione uſusfructus omiſſa ſit; nihilominus conſiſtat, eaque poſt traditionem incerti condictione, imò etiam finito uſufructu qvantitas datâ condictione peti poſſit. *l. 5. §. 1. de Uſufr. ear. rer. qvæ uſu conſum. Facbin. lib. 8. Controv. Jur. Civ. cap. 42.* 30 31

Octavò, Feudum præſcriptione acquiſitum propriam naturam invertit, *tit. 26. §. Si qvis per triginta. lib. 2.* ubi præſcriptione triginta annorum feudum rectè acquiri apertisſimè declaratur. qvod alias nonniſi inveſtiturâ aut ſucceſſione acqviri dicitur *in d. tit. §. Sciendum. vers. ult.* 32

Nonò, Feudum improprium etiam cenſetur, qvandò loco ſervitij perſonalis præſtatur annua penſio, quare ſi Vaſallus fuerit in morâ ſolvendi Canonem per biennium, eum exemplo Emphyteutæ amittere feudum qvidam putant. *per C. Ad Apoſtolicæ. de Sent. & Re Jud. in 6.* in qvo Pontifex Maximus *Fridericum Regem Siciliæ* Regno privavit, qvod per novem annos & ultra ceſſaverit ſolvere Canonem. qvod dictum *Innocentij* probat *Bald. in cap. Quæ in Eccleſiarum. X. de Conſtit.* & idem *in tit. 24. §. Sed non eſt alia. lib. 2. Feud.* deducit. Ubi: *non eſt alia Juſtior cauſa beneficij amittendi, qvàm ſi recuſaverit facere ſervitium pro qvo datum eſt.* cui textui, inqvit *Baldus*, nequidem Apollo reſponderet. Aſt contraria ſententia verior eſt *ex textu in tit. 26. §. Licet.* 33 34 35

lib. 2. Ubi Vaſallus non tenetur præſtare ſervitium, niſi ut reqviſitus, etiamſi per mille annos ſtaret, multominus ergo lapſu biennij privari poſſet; Privationis *Friderici* quoque cauſa non fuit ſola omiſſio non ſolutæ penſionis, ſed inſuper qvatuor aliæ in *d. cap.* referuntur, præſertim dum dicit: *poſſet etiam meritò reprehendi, qvod annuam penſionem mille ſcutorum per novem annos & amplius ſolvere prætermiſe-*
36 *rat:* Ex qvo elicitur non propterea tantum fuiſſe privatum. Qvod ad textum ſupra allatum attinet, & in qvo *Baldus* triumphare videtur, ille intelligi debet, quando in illâ cauſâ tantum feudum fuit conceſſum. Secus ſi detur principaliter ob fidelitatem, & ultra ob penſionem aliqvam: qvia penſio eſt cauſa impulſiva non finalis.

37 *Decimò*, An Feudum Conditionatum, qvod ad certum ſervitium eſt datum, cujusmodi eſt Feudum Caſtrenſe,
38 Burg-Lehen/ eâ conditione conceſſum, ut Vaſallus Caſtrum quoddam Domini defendat. Item Feudum Aulicum, Hoff-Lehen/ eo pacto datum, ut Vaſallus fungatur in Aulâ munere v. g. Præfecti Aulæ, Dapiferi, Pincernæ, *Schrad. de Feud. P. 2. C. 4. num. 17. & 54.* Item feudum pro aſſociandâ uxore Domini, vel pro filiâ maritandâ *tit. 2. §. fin. lib2.* & alia ſimilia, quæ Doctores afferunt paſſim *in tit. 51. §. fin. lib2.* An, inquam, hæc feuda conditionata ad numerum propriorum vel impropriorum referenda ſint? *Schrad. d. P. 2. cap.*
39 *4. n. 12. Item Herm. Vult. lib. 1. cap. 8. num. 49.* improprijs feudis annumerant, qvod etiam Feudiſtæ communiter
40 faciunt. *Sonsbeck. Tract. Feud. P. 3. num. 40.* contendit ea propriam naturam feudorum propriorum ſortiri; quia definitio comprehendit ſervitia tàm certa, qvàm etiam incerta, quæ ſimiliter, & maximè ea, quæ in feudis uſitata ſunt, in dubio præſtari debent, etiamſi ad certum & determinatum ſervitium data ſint: *tit. 2. §. Præterea. lib. 2.*
41 *Feud.* cum non intelligantur remiſſa, quæ ex natura feudi veniunt. arg. *l. Quoties. ff. de Oblig. & Act.* Ubi qvoties Lex ob-

obligationem introducit etiam veteres actiones compe-tunt, niſi nominatim caverit, ut eâ ſolà uti debeat. Quam opinionem veriorem qvoqve exiſtimo, quanquam apertè contradicat *Schrad. d. cap. 4. num. 14. & P. 6. cap. 6. num. 4. Borch. in Comment. in Cons. Feud. cap. 1. num. 28.* qvibus tamen accederem, & ejusmodi Feudis impropriam natu- 43
ram tribuerem, ſi illud ſervitium inſolitum in inveſtitura exprimatur, cætera verò uſitata ſervitia tollantur: Natura enim Feudi hoc modo alterata erit in modo ſervitiorum.

De cœtero omittendum hic non eſt, qvod illæ qualitates, qvæ cuiqve rei ex diſpoſitione Legis aut hominis 44
ineſſe debent, in dubio ineſſe præſumantur. Inde fit, ut feudum in dubio cenſeatur proprium. *textus eſt in d. tit. 2. §. Præterea. ubi Bald. & Alvarott. & alii lib. 2. feud. Sonsbeck. P. 9. num. 24.* adeo ut licet feudi natura in aliquo alterata ſit & immutata, quoad cætera tamen intelligatur propriam & rectam ſuam retinere *Vult. de Feud. Cap. 8. n. 53.* ubi pluribus de alteratâ feudi naturâ loquitur.

Diviſionem feudorum in ſubſtantiâ paucis exami- 45
navimus, nunc eam ſuſcipiamus, quæ per accidentia conſideratur.

Conſiderantur autem vel in prædicamento qvantita- 46
tis, vel qvalitatis, vel relationis, loci, temporis, vel deniq; in prædicamento habitus.

Feudum conſideratum in prædicamento quantitatis, vel 47
eſt primò magnum vel parvum: qvæ magnitudo vel parvitas ex reditibus æſtimanda erit potius, quàm ex re: Qvia contingere poteſt, ut reditus ex re modicâ ſint multi, & ex re magnâ parvi. Vel ſecundò erit dividuum: qvod ita dividitur, ut ſimul dividatur res in qvâ eſt. Cujusmodi ſunt omnia Feuda Regalem Dignitatem annexam non habentia. *Tit. 26. §. Omnes filij. lib. 2.* Aut individuum, qvod diviſio- 48
nem nec Juris nec rei feudalis admittit. qvalia ſunt Feuda Regalia, de qvibus inferius.

Ra-

49 *Ratione qualitatis*, primò, Feudum vel eſt Seculare,
vel Eccleſiaſticum. Hoc Germanis vocatur ein Lehen vom
50 krummen Staab/ & variè definitur: Quidam enim tale di-
cunt, qvod perſona Eccleſiaſtica tribuit. Alii qvod Eccle-
ſia, vel perſona Eccleſiaſtica poſſidet, licet à perſonâ Secu-
51 lari ſit conceſſum. Rectius tamen illud Eccleſiaſticum di-
citur. qvod perſona Eccleſiaſtica, penes qvam ea pote-
ſtas eſt, in bonis Eccleſiæ tribuit: Cujusmodi ſunt Ponti-
fex Maximus, ArchiEpiſcopi, Epiſcopi, Abbates Abbatis-
ſæ, Præpoſiti. *tit. 1. §. 1. tit. 6. lib. 1. Feud.* Dicitur: *in bonis*
52 *Eccleſiæ.* qvia ſi Clericus conſtituat Feudum ex bonis ſuis
proprijs & patrimonialibus, Seculare erit *Sonsbeck. P. 3. n.
5. Schneid. P. 3. n. 12. & ſeq.* Econtra etiam Laicus tribuit
Feudum Eccleſiaſticum, eo ſcilicet caſu; qvando bona Ec-
cleſiaſtica poſſidet, de ijsq; diſponendi & in feudum dandi
53 poteſtatem liberam habet. *tit. 40. §. fin. lib. 2.* Eodem modo
Clerici gaudent Feudis Secularibus, qvemadmodum in Im-
perio noſtro Romano-Germanico Eccleſiaſtici ratione bo-
54 norum, qvæ ab Imperio recognoſcunt, non conſideran-
tur ut Eccleſiaſtici, ſed ut Principes & Status Imperij. *Gail.
lib. 1. obs. 30. num. 4. & ſeq.* Hinc oritur ſubdiviſio Feudi
Eccleſiaſtici, qvod vel ſit Papale vel Clericale. Illud eſt,
qvod Pontifex Maximus in bonis Eccleſiæ confert: Hoc,
qvod ex Clericis Prælatus, veluti ArchiEpiſcopus, Epiſco-
pus, Abbas, Abbatiſſa, Præpoſitus in bonis Eccleſiæ ſuæ a-
55 licui conſtituit. *Secundò ratione qualitatis* feudum vel eſt
Nobile vel Ignobile: *Nobile* eſt, qvod is concedit, qvi habet
poteſtatem & voluntatem nobilitandi, v. g. Summus Prin-
ceps, Comes, Marchio. *tit. 10. lib. 2.* Unde autem æ-
ſtimetur? non convenit: Eo qvod vel reſpectu dantis, vel
56 reſpectu rei tale dici poſſit: Reſpectu rei, iterum aliud ſit
nobile, minus nobile & aliqvaliter nobile. *Nobile* eſt om-
ne Feudum Regale, ut Ducatus, Comitatus, Marchionatus.
Mi-

Minus nobile quando iſti habentes Feuda Regalia inveſtiunt alios; qvi ita inveſtiti vocantur Majores Valvaſores. *Aliqualiter nobile* eſt, quando habentes feudum minus nobile inveſtiunt aliqvem inferiorem, qui dicitur Minor Valvaſor, ſeu Valvaſinus. *Franc. Duaren. de Feud. cap. 4. num. 8.* ad 57
hoc ut Feudum ſit Nobile duo conjunctim requirit. Unum ut Dignitatem aliquam habeat; Alterum ut poſſeſſorem Vaſallum Imperator inveſtiat. Alij Feudum Nobile confundunt cum Regali, prout *Weſemb. de Feud. cap. 2.*
num. 4. Itaque potius cum *Henr. Bocer. de Feud. ſubſtant.* 58
cap. 3. num. 13 cenſerem nobile feudum definiendum, per
quod Vaſallus eam obtinet dignitatem, quâ & honoris titulo ſingulari ornatur, & â plebejorum conſortio alienus eſt; undè rectè concludit hujusmodi feuda nobilia nobilitare poſſeſſorem Vaſallum: Qui enim inveſtitus eſt de *Ducatu, Marchiâ,* aut *Comitatu,* Jure Feudorum ab ipſo *Ducatu Dux* dicitur, *à Marchiâ Marchio, à Comitatu Comes, vid. Bocer. d.l.* ubi amplè hæc tractat contra *Vultej. & Obrecht.* 59
Feudum ignobile, quod & plebejum dicitur, eſt, quod con- 60
ceſſum eſt absq; intentione nobilitandi, vel quia concedens non voluit, vel quia non potuit. *Tertiò, In prædica-* 61
mento Qvalitatis feudum conſiderari poteſt ut *Regale* vel *non Regale.* Hoc non habet dignitatem Regalem annexam, & conceſſum eſt ab aliquo inferiori, vel ſi conceſſum ſit à Superiori, ſine Dignitate tamen Regali. *Regale eſt,* quod 62
conceditur à Summo Principe cum dignitate regali, cujusmodi ſunt *Ducatus, Marchionatus, Comitatus.* De quibus *cap. 2.* agitur, ubi de ſucceſſione Regalium nobis ſermo eſt.

In prædicamento Relationis datur feudum Ligium & 63
non Ligium. Primum requirit fidelitatis præſtationem contra quoscunq; nullo ante poſito *tit. 52. §. Satis benè. lib. 2.* Alterum verò, quantumvis jubeat fidelitatem Domino præſtare, nihilo tamen minus inſuper & alij ſimul præſta-

64 ri poteſt. *tit. 28. §. fin. lib. 2.* Ad feudum Ligium duo requiruntur, ut concedens non recognoſcat ſuperiorem, ni-
65 ſi eum à quo habet feudum ligium: Hinc eſt, quod vulgo dicitur neminem poſſe eſſe Vaſallum Ligium plurium Dominorum *tit. 99. lib. 2.* Sed benè non Ligium. Quid ſi quis autem eſſet Vaſallus non ligius plurium, & hi in bellum
66 incidant, utrum horum juvare tenebitur? Quæſtio ſanè dubia eſt: Alij enim dicunt neutri auxilium ferendum:
67 cum nemo poſſit duobus Dominis ſervire. Nonnulli utrumq; juvandum cenſent pro viribus feudi, unum per ſervitium reale, alterum pecuniâ interveniente: Eo qvod duobus ſervire poſſimus in compatibilibus. Quidam ſentiunt gratificationi locum eſſe, exemplo ſervi, qui ſi viderit duobus Dominis imminere periculum mortis, ſi utrumq; liberare non poſſit, ſatis erit unum periculo eximere quem elegerit, & reſpectu alterius excuſatur. *l. Si qvis gravi. 3. §. 4. ff. de SC. Silan.* Alij deniq; convenientius reſpondent, dicentes, illum juvandum, cui primò ho-
68 magium præſtitum eſt. Tutius tamen erit Dominum antiquiorem juvare perſonaliter, alium verò per ſubſtitutum: Cum hoc non fiat animo nocendi, ſed ſibi conſulendi.

69 A loco feudum dici poteſt, qvod ſit *in Curte vel extra Curtem, de Camerâ & de Cavenâ.* Feudum *in Curte* eſt, cum res, in qvâ utilitatem ſibi Jure Feudi qvis conſtitutam habet, non concedatur Vaſallo, ſed retineatur à Domino quaſi in ipſius domo: Ut eſt ærarium vel cella Domini. *Extra Curtem* dicitur, cum res ipſa, in quâ Vaſallus uſumfructum feudalem habet extra domum quaſi concedentis, tranſit in domum accipientis ut eſt fundus, prædium, & alia res immobilis. *Feudum de Camerâ* eſt, qvod tribuit penſionem qvæ ex ærario ſive Camerâ ſolvitur. *De Cavenâ,* aut potius *de Caveâ*, quod præſtat penſionem ex Cellâ, ſive penuario domini.

Ra-

Ratione temporis porro dividitur feudum; quod aliud 70
ſit novum aliud vetus. Novum: cujus cauſam acqvirens non habet ab alio, quàm à ſe ipſo & Domino concedente, *Borcholt. de Feud. cap. 4. num. 2.* Vetus ſive antiqvum: Si ab aſcendentibus acquiſitum ſit, quod qvidem ultra quartum gradum conſtituunt, faciendo differentiam inter pater- 71
num & antiqvum, quæ tamen propria non eſt: Eo quod magis & minus antiqvum ſpecie non differant, ſed & hodie differentia illa non ſervetur, ideoq; illud appoſitè paternum dicitur in *tit. 50. §. Paternum. lib. 2.* quod à quocunq; 72
ſuperiorum acquiſitum eſt; ſuperiores autem non tantum cenſentur, qui intra quartum gradum continentur, verum etiam qui ulterius ultra tritavum numerantur, imò etiam in infinitum parentes dici poſſunt, cum proprijs vocabulis deſtituamur. *Soc. Jun. in l. Filiusfamilias. 113. §. 11. de Leg. 1. num. 26.* Excipe tamen caſum, ſi eâ conditione feu- 73
dum datum ſit, ut eo mortuo ſine hæredibus ad collaterales tranſeat: Quia propriè paternum dici non poteſt, ſed potius antiqvum, paternum improprium. Hic notan- 74
dum Primò, feudum antiqvum nonnunquam tranſire poſſe in novum, ſi caſu quodam redeat ad Dominum, hicq; id feudum ad ſe reverſum, eidem, qui antea poſſeſſor fuit, aut alij per novam inveſtituram concedat. *Schrad. de Feud. P. 2. C. 3. num. 43.* Aut etiam ſi vendatur extraneo: quia non poterit amplius fundari in priſtinâ ſua conditione. Similiter quando forma inveſtituræ primæ mutatur per novas conventiones, pacta & conditiones. Niſi interſit agnatorum, & in ullius præjudicium non tendat, aut tales ſaltem conſenſerint. *vid. Gail. lib. 2. obſerv. 49.* Quid 75
autem dicendum in caſu, quo Dominus remittit culpam & commiſſam feloniam, per quam Vaſallus feudo privari debuerat? An feudum remanebit antiqvum, aut fiet novum? Remanere antiqvum verius eſt: Cum Vaſallus maneat in poſſeſſione, donec ejiciatur per Dominum decla-

76 rantem, ſe illud habere pro commiſſo; Niſi poſſeſſio à Domino apprehenſa fuerit; Tunc enim per hanc remiſſionem induit naturam novi feudi. Secundò, notandum, in dubio feudum præſumi antiqvum potius quàm novum:
77 cum id præſumatur, quod actui eſt magis naturale. Eſt autem magis naturale feudo, ut ſit antiqvum & ad poſteros tranſeat *tit. 8. lib. 1.* niſi novum probetur ab eo qui ta-
78 le allegat. Quod ſi Dominus reperiatur in poſſeſſione feudi, & Vaſallus contendat illud eſſe antiqvum, tum onus probandi Vaſallo incumbit.

79 *Ratione Habitus* Feudum dividitur in *Hæreditarium, ex Pacto & Providentiâ, & Mixtum. Hæreditarium* dicunt, qvod alicui & hæredibus ejus conceſſum eſt. *Ex Pacto & Providentiâ*, quod ad Vaſallum & liberos ejus nullâ factâ mentione hæredum tranſit. *Schrad. tract. Feud. P. 2. cap. 3. n. 19.*
80 *& ſeq.* Quam diſtributionem ex diverſo ſuccedendi Jure deſumptam Magiſtralem potius qvàm naturalem deprædicant, ejusq; Authores faciunt *Pileum & Bulgarum* vete-
81 res Gloſſatores; Antiqvis enim temporibus, cum nulla eſſet feudorum ſucceſſio, tractu temporis eò tandem excrevit, ut in infinitum ex ſpeciali concedentis proviſione, nullâ adjectâ hæreditariâ qualitate concederetur, & demum etiam hæreditario Jure permitteretur. Illa ex Lege, hæc ex conventione: Ex Lege, ſcilicet feudali, & naturâ ejus, qvam præcedit pactum, ita ut cætera relinqvantur providentiæ, id eſt diſpoſitioni Juris Feudalis; adeoqve ſit ex pacto hominis, ut etiam ſit ex providentia Legis. Altera verò ex pacto origine ſuâ: ut non tàm ſecundum tenorem Juris Feudalis, quàm ſecundum conventionem ex Juris Civilis diſpoſitione in ijs ſuccedatur. Unde hæc diſtributio facta, quâ feudum dicitur aliud ex pacto & providentia, ex pacto nempe hominis
82 & providentiâ Legis. Aliud hæreditarium, ſive ex pacto & providentia hominis. Quæ diviſio Juri Feudali omninò incognita non eſt (qvod tamen magnæ Authoritatis vi-

viri voluerunt) ſi non ipſis verbis, ſaltem in effectu: 83
Nam quid quæſo feudum rectum, de quo in *tit. 33. lib. 2. Feud.* aliud importat, quam feudum, quod nos vocamus *ex pacto & providentia?* ſcilicet origine & naturâ feudali tale, & propriè ex tenore Juris Feudalis ſecundum omnia ejus requiſita ita conceditur, ut potius recti feudi qualitas ſervetur, quam deſtruatur, in eo quando filijs ſucceſſoribus Jure Sanguinis defertur hujusmodi ſucceſsio, quæ ipſorum propria eſt. Neque ideò deſtruit hanc qualitatem recti feudi, quantumvis in accidentibus alterari videatur, modo ſucceſſio in recto tramite in filiis continuetur.
Non minus in *tit. 8. lib. 1. & tit. 9. lib. 2.* mentionem Feu- 84
di Hæreditarij fieri videmus, unde Doctores eam diſtributionem deſumsêre; quæ licet expreſſis verbis non contineatur, nihilominus tamen ex mente Legis recepta, & tot locis approbata eſt, quot locis de Succeſſione Feudi, utpote à rerum hæreditariarum ſucceſſione diverſâ, agitur, & quot locis econtra affirmatur pacto ſive convenientibus, ab his, quæ feudis ſunt propria, recedi poſſe. *Herman. Vult. de Feud. lib. 1. cap. 8. n. 5.* Ubi, etſi concedere 85
velit, de hac diſtributione in Jure Feudali nihil cautum reperiri: dicit tamen non eſſe abſurdum, quod illis temporibus, quibus Authores Conſvetudines Feudorum deſcripſerunt fuerit incognitum, poſt illorum tempora innotuiſſe.

Circa definitiones *Feudi ex pacto & providentiâ*, ſicut & *hæreditarij* Interpretes non conveniunt. *Bocer. de Subſt. Feud. cap. 5. num. 4.* definitiones *Vultei* expugnat, quas imperfectas ait, & alias affert, quæ Vaſalli diſponendi facultatem exprimunt. Quod ſcilicet *feudum ex pacto & pro-* 86
videntiâ dicatur, *cujus ea ſit ex providentiâ Legis natura, ut ad primi adquirentis liberos, præcipuè maſculos, cujusque gradus ordine ſucceſſivo ita Jure proprio pertineat, ut illi commodum ejus ad dies vitæ capere, non etiam in eo ſucceſſuris præju-*

dicare ulla ratione poſſint. Quanquam fatendum ſit *Dominum Bocerum* omnes qualitates feudi recti exprimere, & naturam feudi ex pacto & providentia exactè declarare:
87 non minus tamen id quoq; Dominum Vultejum feciſſe dicendum eſt, ſaltem implicitè: Cum definitio illius (*feudum* nempè *ex pacto & providentiâ eſt in qvo ſucceditur Jure ſanguinis ſecundum diſpoſitionem Juris Feudalis*) æque om-
88 nes ejus qualitates comprehendat. Nam quod per verba: Jure Sanguinis, liberi & deſcendentes acquirentis intelligantur, non opus erit deducere; maſculi etiam: quia ex diſpoſitione Juris Feudalis fœminæ arcentur. Quatenus ad dies vitæ eo uti, frui, & nemini ſucceſſorum præjudicare debeant, ex eâdem diſpoſitione Feudali dicimus; adeò ut nullam inter haſce definitiones aliam videam differentiam quàm verbalem, quæ ex pluralitate verborum reſultat, & in modum deſcriptionis ſeſe habet.

89 *Feudum Hæreditarium* alij ſubdividunt in *hæreditarium in ſpecie dictum*, quod liberis primi acquirentis datur ſub mentione hæredum, & *in merè & abſolutè hæreditarium*, quod ex placito Domini dantis, & Vaſalli primi acquirentis Jure allodij cenſetur. *Jul. Clar. in lib. recept. ſent.* §. *Feudum. Qvæſt. 9. n. 2.* Hiſce adjiciunt Feudum, qvod dicunt nec ſimpliciter hæreditarium, nec ſimpliciter ex pacto & providentiâ, ſed *mixtum* & participans de utroque:
90 Quando nempè conceditur pro ſe & hæredibus, ut, qui in hoc ſuccedere valet, ſit filius & hæres. Sed adhuc eſt quæ-
91 ſtio, an illud feudum mixtum (cujus Authorem Philippum Decium faciunt) magis induat naturam Feudi
92 Hæreditarij, vel ex pacto & providentiâ? Plures hoc in caſu arbitrantur diendum eſſe feudum ex pacto & providentiâ. *per textum in tit. 39. §. Et ſi Clientibus. lib. 2. Feud.* Alij hæreditarium dixerunt. *And. de Iſern. in d. tit. 39.* §. *Et ſi Clientibus.* & plures ab eo allegati. Alij denique neque hæreditarium, neque ex pacto & providentiâ ſtatuerunt: *Eo* qvod

quod prior opinio attendat vim vocabuli *filiorum*, poſterior verò fundamentum agnoſcat in vocabulo *hæredum*, qvod hæreditarium arguit, in quâ ſententiâ eſt *Math. de Afflict. in cap. 1. num. 13. An Agnat. vel Fil.* In hac triplici varie- 93
tate opinionum cum *Hen. Bocer. de Subſt. Feud. cap. 5. num. 15.* intrepidè affirmo, hujusmodi feudum *pro ſe & hæredibus* conceſſum merè & abſolutè eſſe ex pacto & providentiâ. Qvam in judicando Cameram Imperialem ſequi dicit *Mynſing. Cent. 4. obs. 2.* fundamentum hujus aſſerti egregiè expoſuit *Piſtor. Quæſt. 3. num. 2.* qvi omninò videatur. Idem dicendum eſt, ſi in inveſtiturâ reperiantur 94
verba: *pro ſe & hæredibus ſuis maſculis. Afflict. in prælud. n. 158. Schrad. de Feud. P. 2. c. 5. num. 23.* quemadmodum etiam ſi feudum concedatur *pro ſe & hæredibus ſuis maſculis & fœminis. Mynſing. d. Cent. 4. obs. 2.* Item *pro ſe & legitimis hæredibus*, necnon *pro ſe & hæredibus ex ſuo corpore legitimè deſcendentibus*. De qvâ ultimâ ſpecie jam ſuprà *Part. I.* 95
diximus. Secus eſſet ſi in inveſtiturâ hæ formulæ exprimerentur: *pro ſe & hæredibus ſuis qvibuscunqve.* Sive *pro ſe & hæredibus qvibus dederit.* quia illa feuda facient hæreditaria, quibus ſimile eſſe poſſet illud, quod ſimpliciter ali- 96
cui conceditur nullâ factâ mentione ullius. *Afflict. in C. 1. de Alien. Feud. probib. num. 55. Gail. 2. obſer. 154. n. 7.*

An autem in dubio feudum præſumatur ex pacto & 97
providētiâ, an hæreditarium? mirè inter ſe controvertunt Feudiſtæ. *Andr. de Iſern. in d. C. 1. An. Agn. vel Fil. vers:* 98
& qvando conceditur. tale *hæreditarium* præſumi dicit: quia quilibet in dubio ſibi & hæredibus ſuis proſpexiſſe videtur, & feudum in petitionem hæreditatis veniat. Con- 99
traria tamen opinio verior eſt, præſumi ſcilicet potius *feudum ex pacto & providentiâ. Schrad. de Feud. P. 2. C. 3. Mynſing. d. Cent. 4. obſer. 2.* & multi apud Authores paſſim allegati: Quia in omni diſpoſitione etiam feudali in dubio præſumitur id, quod eſt de naturâ rei, non id quod recedit à

na-

100 naturâ ejus. *tit. 1. §. Hoc autem. lib. 1.* Deinde, quia feu-
dum hæreditarium non eſt, niſi pacto inveſtituræ id fue-
rit actum: pacta autem quæ facti ſunt non præſumuntur,
101 ſed probanda ſunt etiam in feudis, *tit. 4. §. Item ſi Vaſallus.*
lib. 1. tùm etiam quia contrahentes cenſentur ſe confor-
102 maſſe diſpoſitioni Juris *per C. Cum dilectus. X. de Conſvet.*
Nec contrariatur hiſce ratio præcipua primæ ſententiæ,
quod quis præſumatur proſpicere ſibi & hæredibus ſuis
l. 9. ff. de Probat. Non enim ſimpliciter procedit, ſed adje-
cta reperitur particula *plerumqve*, nimirum tùm; quan-
do materia ſubjecta id patitur. Similiter & altera ratio
nil juvat *Afflict. in Prælud. Feud. n. 99.* quia nullum aliud,
quàm feudum hæreditarium tantum in petitionem hære-
ditatis venit. *Menoch 3. Præſumpt. 94. n. 6.*

SECTIO III.

De Perſonis Feuda Dantibus & Recipientibus.

SUMMARIA.

1 *Duo requiſita ad effectum ſucceſſionis Feudalis tribuendum.*

2 *Alienatio præſupponit dominium & Jus ſuccedendi.*

3 *Feuda nova pupilli & minores 25. annis, item furioſi & prodigi non conſtituunt.*

4 *Et generaliter omnes qui legitimam ſtandi in Judicio perſonam non habent.*

5 *Maritus in fundo dotali non poteſt conſtituere feudum.*

6 *Admittuntur omnes ad conceſſionem feudi qvi non prohibentur.*

7 *Olim nulli feuda dabant, niſi qui Magiſtratus creandi aut belli poteſtatem haberent.*

8 *Recte hodie conſtituit plebejus & Ruſticus.*

9 *Qvatenus fœminæ feuda concedant?*

10 *An etiam Prælati, ArchiEpiſcopi, Abbates & aliæ perſonæ Eccleſiaſticæ bona in feudum dare poſſint?*

11 *Negativa limitatur, ſi conſenſus Pontificis aut Capituli acceſſerit, aut etiam fuerint res antiqvitus infeudari ſolitæ.*

12 Ad

12 Ad hoc ut dicatur res infeudari ſolita quantum requiratur temporis ſpatium?

13 Verior eſt ſententia eorum, qui dicunt, rem in feudum dari ſolitam à conſtitutione prohibitoriâ in ſynodo Placentiæ ſub Urbano II. Pontifice habitâ cognoſcendam.

14 Monitio ut Eccleſia retineat rem feudali qualitate exutam ſi expediat.

15 An Feudum Eccleſiæ apertum Prælatus in alium ex cognatis conferre poſſit?

16 Affirmativa verior eſt, cum nullâ Lege Civili aut Canonicâ prohibeatur.

17 Prælatus favorabilior eſſe debet ſuis, quàm extraneis; dummodo abſit ſuſpicio.

18 Generali conſvetudine Germaniæ ſuſtinetur affirmativa.

19 Pontificis Maximi poteſtas in conſtituendis feudis.

20 Omnes feuda recipere poſſunt, qui non prohibentur.

21 Rationes cur fœminæ regulariter probibeantur?

22 An nihilominus admitti poſſint ceſſante causâ excluſionis?

23 Inhabilitas fœminæ reſpectu Juramenti & fidelitatis præſtandæ. Deeſt & conſilium, quod apud eos fragile eſt; & ſecretorum retentio.

24 Hodiernis moribus fœminæ feudorum capaces ſunt, cum dentur feuda ab omni ſervitio libera, & ad talia onera conceſſa, quæ mulier ſubire poteſt.

25 Quâ ratione infans, & major infante feudum acquirat, multoq; magis minor etiam absqve curatore?

26 An perſonæ Eccleſiaſticæ feudorum capaces ſint?

27 Fundamenta negativa non ſpernenda.

28 Affirmantium opinio verior per textus expreſſos.

29 Pontifex Maximus feuda capit ab Eccleſiis, Imperatoribus & Regibus. Sicut aliæ perſonæ Eccleſiaſticæ à Laicis.

30 Solutio objectionis petitæ ex tit. 26 §. Qui Clericus. & tit. 36. lib. 2.

31 Bona ſæcularia poſſidere, non eſt ſe immiſcere ſecularibus negotiis.

32 An Ruſtici ab acqviſitione feudorum repellantur?

33 Sententiæ affirmativæ rationes.

34 Quatenus accipientes feudum à ſummo Principe efficiantur nobiles?

35 An Ruſticus emens ab alio feudum nobile, efficiatur nobilis? Rationes pro affirmativâ.

IN Conſtitutionibus Feudorũ præcipuè attenditur qualitas & habilitas perſonarum, ad eum finem, ut effectum ſortiantur propoſitum, qui duo imprimis deſiderat, ut 1

conſtituens ſit Dominus rei in feudum dandæ, deinde legi-
2 timam bonorum ſuorum habeat adminiſtrationem: Quia alienatio ſeu translatio dominij hoc præſupponit, ſicut & Jus conferendi; quod autem infeudatio ſit ſpecies alienationis, diſcimus ex *tit. 3. §. 1. lib. 1.* quæ comprehenditur ſub genere, quo prohibito, & ſpecies ejus prohibita cenſetur.

3 Prohibentur verò feuda concedere pupilli, minores viginti quinq; annis, intellige feuda nova: Nam qvin antiqva renovare poſſint, nullum eſt dubium, quia qvod non eſt, ipſi non faciunt, & qvod eſt, renovant *Vult. ex Hotom. lib. 1. Feud. cap. 2. num. 6.* Item furioſi & prodigi, quibus bonis interdictum *l. 6. ff. de Verb. Oblig.* Nec multum juvabit Authoritas Tutorum vel Curatorum, qvæ omninò nil confert ad hanc alienationem: eo qvod in rebus ſoli & ſimilibus fieret, in qvibus decretum Magiſtratus interveni- re debet. *l. Magis puto. de Reb. eor. qvi ſub tut. vel cur. ſunt.* Ab hiſce non excluduntur patriæ poteſtati ſubjecti, niſi a-
4 gatur de translatione bonorum Caſtrenſium vel qvaſi. Et deniqve omnes, qui legitimam adminiſtrationem non habent, in qvorum numero eſt maritus, qvi quamvis aliqvo modo Dominus bonorum dotalium dici poſſit; non tamen ex prohibitione Legis Juliæ in fundo dotali feudum conſti-
5 tuere poteſt. Quid in muto & ſurdo obſervetur? aliquoties in ſupradictis declaratum, & alias abunde deducit *Hotom. Diſput. Feud. cap. 13.*

6 Ex quibus jam firma elicitur concluſio: Quoscunq; qui non prohibentur, feudum condere poſſe, ut ut etiam
7 olim nulli, niſi qui Magiſtratus creandi, aut belli poteſta-
8 tem haberet, permiſſum eſſet: Nam indubitatum eſt ex *Curt. Jun. Tract. Feud. P. 2. num. 12.* & alijs; etiam plebejum & Ruſticum Feuda conſtituere. Textus eſt in *tit. 1.*
9 *pr. & §. 1. lib. 1. Feud.* Nec eſt diſtinctio inter mares & fœminas, quia & hæ feuda hodiè conſtituunt *tit. 3. 2. Feud.*
Schra-

Schrader. de Feud. P. 4. cap. 1. num. 59. niſi tamen eas impudicè vivere, & ſua diſſipare comprobetur.

An etiam Prælati Eccleſiarum ArchiEpiſcopi, Abbates, Abbatiſſæ & Præpoſiti feudum concedere poſſint? dubium eſt. Et regulariter dicendum eſſet, qvod non *l. tit. 3. pr. 2. Feud.* cum rerum Eccleſiaſticarum legitimi tantum ſint adminiſtratores, non Domini *C. 2. X. de Donat. & C. Ut ſupra. X. de Reb. Eccles. alien. vel non.* Limitatur tamen primò, ſi acccesserit Conſenſus Pontificis vel capituli, ſvadente neceſſitatis & utilitatis cauſâ *C. 1. & 2. pr. de Reb. Eccleſ. non alien. in 6. C. Sine exceptione. 12. Quæſt. 2. Junct. c. Ad noſtram. X. de Reb. Eccleſ. alien. vel non.* Secundò, ſi fuerint res infeudari ſolitæ, & quas antiquitus Prælatus in feudum dedit *tit. 1. §. 1. tit. 6. I. Feud.* cum nova infeudatio non ſit, ſed veteris continuatio. *Cur. Jun. Tract. Feud. P. 2. Q. 1. n. 7. & Q. 2. n. 6. & 8.* 10 11

Ut autem res dicatur ſolita in feudum dari, Quæritur qvantum temporis ad quantitatem ejus requiratur? In hac Qvæſtione Interpretes non uniformiter ſentiunt; Plures enim ad tempus immemoriale recurrunt cujus initij memoria non extat. Nonnulli tempus triginta, alij quadraginta annorum, alij decem, alij qvatuor: De qvibus videatur *Jacob. de Belviſo ad tit. 1. pr. lib. 1. Feud. Duar. ad conſvet. Feud. c. 5. num. 6.* Quidam diſtingvunt inter infeudationem Eccleſiæ damnoſam, & requirunt tempus immemoriale: & utilem; & admittunt triginta annos. Quidam, ſicut *Curt. Jun. P. 2. Quæſt. 4. num. 7.* ſimiliter diſtinctionem adhibent, An abſque debitâ ſolennitate res in feudum data ſit: quo caſu determinant tempus immemoriale: Quod ſi verò adhibitis ſolennitatibus conceſſa fuerit, nullo temporis ſpatio opus eſſe. Sed ne diutius in hiſce immoremur, magis nobis placet ſententia eorum, qui fundamentum deciſionis ponunt *in Tit. 6. pr. lib. 1.* ubi dicitur rem ab Eccleſiâ in feudum dari ſolitam à Conſti- 12 13

tutione prohibitoriâ in Synodo Placentiæ ſub *Urbano II. Pontifice Maximo* habitâ cognoſcendam. Si itaqve à tempore promulgatæ illius Conſtitutionis res in feudum dari inſolitas concedi contingeret, nullius omninò eſſent valoris *d. tit. 6.* & conſequenter cæteræ opiniones omnes erroneæ, quod optimè deducit *Frid. Schenck. Baro à Trautenberg. ad d. tit. 6.* Secus ſi ante eam Conſtitutionem etiam ſemel tantum in feudum datæ eſſent *Schrad. P. 4. c. 2. num. 25.* Intellige prædicta ſine conſenſu Pontificis. *c. 2. X. de*
14 *Feud.* Si tamen rem qvalitate feudi exutam in Patrimonio Eccleſiæ retinere expediat, eidem reſervandam omninò ſvaderem *per d. c. 2.* Aut ſi denuò transferre ſuperior maluerit, tutius erit conſenſum Capituli adhibere, ſicut adhibetur in rebus majoris momenti *Tit. Decret. de iis, quæ fiunt à Præl. ſine conſens. Capit.* potiſſimum ſi cauſa Eccleſiæ diverſa eſſe videatur, qvàm fuit tempore primæ conceſſionis.

15 An Feudum Eccleſiæ apertum Prælatus alicui ex Cognatis conferre poſſit? hic loci non inconveniens oritur dubitatio. Negativa pluribus arridet, propter finiſtram ſuſpicionem, ne non tàm utilitas Eccleſiæ, quàm propinquorum ſpectata videatur. Et hinc eſt qvod olim œconomis Eccleſiarum, & qui ipſis ſanguine vel affinitate conjuncti erant, res Eccleſiarum per Emphyteuſin, conductionem ſimilemq; contractum dare & accipere prohibitum erat *Nov. 120. cap. 3. §. Oeconomis. Auth. Quibuscunqve. Cod.*
16 *de SS. Eccleſ.* Affirmativa nihilominus verior eſt: Nulla enim Lege ſive Civili ſive Canonicâ rem cognatis & conſanguineis in feudum dari non debere, cavetur. *Menoch. lib. 3. Præſumpt. 54. n. 8. Fach. lib. 7. Controv. c. 31.* Et probatur ex *C. Dilecto filio. X. de Præbend.* Ubi Prælatis Eccleſiarum permiſſum eſt, ſuis quoq; nepotibus alijsqve propinquis concedere in Eccleſiâ Præbendam. Debete-
17 nim Prælatus eſſe favorabilior ſuis quàm extraneis: dummo-

modo abſit ſuſpicio, & Jus Eccleſiæ non reddatur deterius *Jas. in Prælud. Feud. num. 19.* qui favor abundè patet in *C. Relatum. 12. X. de Teſtam.* ubi Prælatis Eccleſiarum interdictum non eſt conſanguineis ſuis ea relinqvere, quæ extraneis concedere poſſunt. Et hanc opinionem ex Generali 18
Germaniæ conſvetudine ſuſtineri tradit *Mynſing. Cent. 5. obſ. 45. num. 5.* Cui non contrariatur *d. Nov. 120. cap. 5. & d. Auth.* qvæ loqvuntur de rebus, quæ nunquam antea in Emphyteuſin datæ ſunt: noſtra autem qvæſtio agit de feudis in feudum dari ſolitis. Deinde ſermo eſt de Oeconomis tantum ex Lege novâ, quæ ad Prælatos extendi non debet, de quibus nil ſpecialiter dictum.

Deniq; qvin Pontifex Maximus à fortiori id poſſit, 19
nemini dubium movere debet: Ejus enim pleniſſima eſt poteſtas, non tantum in res Romanæ Eccleſiæ, ſed etiam in res quarumvis Eccleſiarum, nec ullis Canonum ſolennibus eſt aſtrictus *arg. C. Licet. de Præbend. in 6.*

De Perſonis feuda recipientibus generalis illa ſu- 20
prapoſita regula etiamnum hic locum habet: *Omnes ſcilicet accipere poſſe feuda, qui nominatim Jure feudorum non prohibentur Tit. 3. §. Perſonam verò. lib. 2. Feud.* per qvem textum *Weſemb. Tract. de Feud. cap. 5. num. 1.* prædictam regulam probat.

Regulariter autem fœminæ prohibentur *tit. 1. §. Hoc* 21
autem notandum. 1. Feud. ex tribus rationibus: propter militiam nempè, intuitu cujus ſervitia militaria præſtantur, ad quæ mulier inhabilis eſt *Borch. de Feud. cap. 1. num. 10.* Eam tamen *Andr. de Iſner. de Feud. tit. 1. §. Hoc autem. lib. 1.* admitti poſſe putat; caſu quo ratio hujus excluſio- 22
nis ceſſet. At vix eſt ut illius limitationi conſentire poſſim: quia dantur & aliæ excluſionis cauſæ etiam in fœminis bellicoſis. Deindè fœminarum inhabilitas deprehen- 23
ditur reſpectu juramenti & fidelitatis præſtandæ, cui hæc duo adhærent, ſcilicet bonum conſilium, quod apud mu-
 lie-

lierem fragile & infirmum, & ſecretorum retentio: de quo poſtremo quid ſentiendum ſit in perſonis fœminarum non opus eſt deducere. Accedit & honeſtas publica, quæ non patitur, ut mulier virorum cœtui ſe ſe immiſceat.

24 Verum prædicta hodiernis moribus contraria ſunt, quibus fœminæ feudorum incapaces non ſunt *tit. 8. §. Filia. lib. 1. tit. 30. lib. 2.* Nec obſtat quod feuda militiæ cauſâ dari dicantur, & ad eam mulieres inhabiles cenſeantur; hæc enim non ita neceſſario conjunguntur, ut aliter valere non poſſint: Cum dentur feuda ab omni ſervitio libera, aut etiam ad talia onera conceſſa, quæ ſubire mulier nullâ ratione impeditur: vel ſi præciperetur tale quid, quod indecenter præſtaretur, id per ſubſtitutum utiq; fieri conveniret.

25 Deinde infans Feudum accipere non poteſt, niſi tutor nomine Infantis acquiſierit *Roſenth. de Feud. cap. 3. concl. 4.* Vel etiam major ſit infante: Nam hic rectè acceptat feudum, cum rem ſuam non faciat deteriorem, ſed meliorem. *Weſemb. in Tract. de Feud. cap. 5. num. 5.* imò etiam ante perfectam ætatem juramentum præſtare non tenetur. *Sonsbeck. P. 7. num. 15.* Multoq; magis dicta obtinent in minore etiam abſque Curatore feudum acquirente, niſi fuerit furioſus, aut rem ſuam propriam allodialem in Feudum recognoſcat, quod ei permiſſum non eſt: cum conditionem ſuam faciat deteriorem.

26 An Ratione ordinis feudorum acquiſitio prohibeatur, ſive an Perſonæ Eccleſiaſticæ feuda accipere valeant? quæritur: Interpretres in diſcrepantes hic abeunt ſen-
27 tentias, qvas producit *Fachinæus lib. 7. Contro. C. 35.* Negativam plures amplectuntur, imprimis *Udalr. Zas. in Epitom. Feud. cap. 5. inf.* ex rationibus non ſpernendis, quas deſumit ex *tit. 21. 2. Feud.* Ubi expreſſe cavetur ut, ſi vaſallus efficiatur Clericus, aut ſe voto Religionis aſtringat, feudo ſuo privetur, *tit. 26. §. Qui Clericus. & tit. 36. lib. 2,*

Vi-

Vigore cujus Clericus militaria ſervitia aut alia ſecularia Domino præſtare neqvit, ut qui non ſæculo ſed Chriſto & Eccleſiæ ſervire teneatur. *dict. tit. 21. in f. vid. Zaſ. d. l.* Ubi pluribus hanc ſuam opinionem confirmat.

Qvantumvis Negantium partes non levibus argumentis proviſæ ſint; nihilominus tamen affirmativa concluſio utpote communis (ut ipſe fatetur *Zaſius d. cap. 5. n. 71. & ſeq.*) verior eſt, qvod ſcilicet Clerici ad Feuda admittantur. *Textus eſt expreſſus in tit. 40. §. Item ſi Clerici. lib. 2. cap. Transmiſſa. & cap. Verum. X. de Foro competenti.* Ubi Clericus beneficium habens, ſe coram feudi Domino ſiſtere debet. Hinc eſt quod Pontifex Maximus feuda accipiat ab Eccleſiis, Imperatoribus & Regibus *Sonsbeck. P. 7. num. 1.* Item ArchiEpiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Prælati, non tantum ab Eccleſiaſticis, ſed etiam à Laicis *Borch. de Feud. C. 5. num. 49.* Nec obſtant rationes in contrarium allatæ, qvoniam illæ loqvuntur de Feudo dato militi ab initio, quod Clericatu aut Monachatu amittitur. Ratio eſt: qvia is cui datum eſt, talis eſſe deſiit, qvalis eſſe debet ex Lege Feudi, atqve ita vicarium operæ ſuæ ſervitium eo caſu Clericus factus ſupponere nequeat. Secus ſe res habet in qvæſtione noſtrâ, quæ intelligenda eſt de Feudo in perſonâ Clerici conſtituto citra injuriam conſtituentis, qui cenſetur feciſſe gratiam ſervitij tale feudum concedendo. Nec ideò qvis deſinit eſſe miles Chriſti: Cum bona ſecularia poſſidere, non ſit ſe immiſcere ſecularibus negotijs, imò ad ſplendorem Eccleſiæ & incrementum ejus pertinere videtur poſſeſſionibus ditionum gaudere, qvæ fortè pluribus in locis defeciſſet, niſi Gubernationi Politicæ præfuiſſent Prælati Eccleſiaſtici.

28

29

30

31

Deniq; ab acqviſitione Feudorum non repelluntur ruſtici, generaliter enim in Jure Feudali ſancitum reperitur, non eſſe diſtinguendum inter perſonas accipientes inveſtituram *tit. 3. Perſonam verò. lib. 2. Matth. de Afflict. ad* 32

tit. 1. num. 8. lib. 1. Feud. Schrad. P. 4. C. 3. num. 7. Zas. in Epitom. Feud. P. 5. num. 68. Accedit qvod ut plurimum feuda militiæ cauſâ dentur *tit. 21. lib. 2.* Ruſtici autem ad ſuſtinendas belli difficultates ſint aptiſſimi, ut ſcribit *Veget.*
34 *lib. 1. de Re milit.* Qvos, utpote accipientes feudum à Principe, nobiles fieri exiſtimat *Alvarott. in Cap. 1. Quis dicatur Dux?* qvod ſi intelligatur de Imperatore concedente tale Feudum, lubens ſubſcribo cum *Luc. de Pennâ in l.*
35 *13. Col. 2. Cod. de Dignit.* Etiam in caſu, qvando hujusmodi ruſticus emit Feudum Nobile, ſi illud primitus ab Imperatore datum ſit. Ratio eſt: Quia Feudum nullum vendi poteſt inſcio Domino, & conſeqventer ſi Feudum Nobile ſit primitus datum ab Imperatore conſentiente in alienationem, præſumitur Jura nobilitatis transtuliſſe, quod tamen negat *Tiraqvell Tr. de Nobil. cap. 7. n. 8.*

SECTIO IV.

De rebus qvæ in Feudum dantur.

SUMMARIA.

1 *Quænam appellatione rei veniant?*

2 *Ratione cauſæ materialis examinatur res in feudum danda, ut ſcilicet in alienationem cadat.*

3 *In feudum non dantur res Sacræ, Religioſæ, Sanctæ & Publicæ, item bona Eccleſiaſtica in feudum dari non ſolita.*

4 *Qvomodo decimæ in feudum concedi poſſint?*

5 *An res publicæ Imperii infeudari valeant?*

6 *Quatenus res propria in feudum recognoſcatur?*

7 *Ad conſtitutionem rei in feudum requiritur, ut ſit immobilis ut res ſoli & ſolo cohærens, aut talis quæ inter immobiles recenſetur.*

8 *Immobilium nomine veniunt Jura ſervitutum, Jurisdictionum, redituum, venationum, piſcationum, ſalinarum, fodinarum.*

9 *Nec non Jura, quæ vocantur Regalia ita dicta, qvod ſoli Regi competant.*

10 *In hiſce immobilibus & incorporalibus propriè conſtituitur feudum, impropriè in mobilibus.*

11 *Ratio cur in immobilibus potius, qvàm*

quàm mobilibus feuda locum habeant? ex moribus eſt.

12 *Propin qua eſt quod Domini obligando ſibi Vaſallos per fidelitatis præſtationem magis ſibi proſpexerint conſtituendo cauſam obligationis in immobilibus.*

QVænam appellatione rerum veniant & ſub eâ comprehendantur? doctè deducit *Herman. Vult. de Feud. lib. 1. num. 5.* qui omninò videndus erit, ne diutius in hiſce morari nos contingat. Ratione cauſæ materialis feudorum ante omnia examinari debet res in feudum danda, reſpectu cujus neceſſe eſt, Primò, ut in alienationem cadere poſſit: eo qvod conceſſio feudi ſit ſpecies alienationis, uti ex ſupràdictis patet. Hinc excipiuntur res Sacræ, Religioſæ, Sanctæ & Publicæ, *Schrad. de Feud. P. 3. C. 1. num. 1.* item bona Eccleſiaſtica in Feudum dari non ſolita. De qvibus itidem ſupra. Etiam Decimæ, qvæ poſt Concilium Lateranenſe Anno Chriſti 1379. celebratum infeudari non poſſunt. *Roſenth. de Feud. C. 4. Concl. 20.* Imò neqvidem à Laico in alium absqve Conſenſu Epiſcopi per ſubinfeudationem transferre licet. *Sonsbeck. P. 8. num. 11.* Hiſce annumerantur res publicæ Imperij, ſi in magnam Imperij læſionem cedant, *Schrad. d. C. 1. num. 22.* & alienæ: niſi adeò plenam rerum alienarum adminiſtrationem qvis habeat, ut alienare qvoq; poſſit. Additur & res propria accipientis feudum, ſi Jus ſuum ignoraverit; Secus ſi ſciverit: hoc enim caſu res accipientis propria ab alio recognoſci, & in feudum redigi poteſt. Secundò, reqviritur ut ſit immobilis, putà res ſoli & ſolo cohærens, aut talis quæ inter immobiles recenſetur, *tit. 1. §. ult. lib. 2.* ſicuti ſunt tormenta arcium bellica, & reliqua in re aliqvâ ſoli ſive adhærente ita poſita, ut ibi perpetuò ſint; quamvis naturâ ſuâ loco moveri poſſint. *Gudelin. de Jur. Feud. P. 2. cap. 3. num. 5. Roſenth. in Synops. ſuâ Feud. C. 4. num. 5.* Item acceſſiones, Inſtrumenta & pertinentiæ, de quibus utpote

8 proximis & remotis pulchre differt *Vult. d. cap. 5. num. 4.* Immobilium nomine qvoqve veniunt Jura v. g. ſervitutum, Jurisdictionum, redituum, venationum, piſcationum, ſalinarum, & fodinarum, & ſimilium. *Matth. de Afflict. ad tit.*
9 *1. §. ult. lib. 2.* inter quæ præcipuum locum obtinent jura illa, qvæ vocantur *Regalia*, de quibus expreſſus titulus eſt in uſibus Feudorum *qvæ ſint Regalia?* ita dicta, qvod ſoli Regi competant, quem in textibus Feudalibus interpretamur Imperatorem. *Vultej. d. cap. 5. n. 6.*

10 Ex qvibus patet im̃obilib' in reb' & incorporalibus, qvæ appellatione immobilium veniunt, propriè feuda conſtitui poſſe, impropriè verò in mobilibus. Cur autem potius
11 in illis qvàm in his feuda conſtituantur? Non ſpernendam illam opinionem cenſeo, qvæ ex uſu hominum petitur, qui contractum feudi receperunt in immobilibus, non item in
12 mobilibus, potiſſimum cum feudorum vis & approbatio ex moribus orta ſit. Ratio propinquior eſſe poteſt, qvod Domini, qui ſibi qvendam ad fidelitatis præſtationẽ obligare voluerunt, magis ſibi proſpexerint conſtituendo cauſam obligationis in rebus immobilibus, quàm in ijs quas Vaſallus, fugiendo fidem atq; obſequium, facilè transferre poſſet.

SECTIO V.

De Feudorum Conſtitutione.

SUMMARIA.

1 *Modi conſtituendi & acqvirendi feudum non ſunt confundendi.*

2 *Diverſitas Conſtitutionis & acquiſitionis ratione temporis.*

3 *Feudum novum conſtituitur: feudum antiqvum acqviritur.*

4 *In feudo conſtituendo actus qvidam vel præcedunt, vel conjunguntur, vel nullus omninò præcedit.*

5 *Actus præcedens vel eſt inter vivos, vel in ultimâ voluntate.*

6 *An Contractus Feudalis ſit nominatus vel innominatus?*

7 *Fundamentum pro innominato, & probatio.*

8 Ho-

8 *Hodie per quælibet pacta oritur obligatio, & ex contractibus innominatis actio.*

9 *Traditionem poſſeſſionis inveſtitura præcedere debet.*

10 *Inveſtitura undè dicatur?*

11 *Diverſa ejus ſumptio: pro ipſo actu inveſtiendi Germanicè* die Belehnung. *vel pro ſcripturâ publicâ.* den Lehenbrieff.

12 *Inveſtitura duplex: propria ſivè vera, & impropria, ſivè abuſiva & ficta.*

13 *Abuſiva cum interventu ſymbolorum non arguit traditionem ſed conceſſionem eſſe factam.*

14 *Inveſtitura illa aliud nil tribuit, niſi Jus ad rem, adhoc ut Dominus cogi poſſit ad eam tradendam.*

15 *Qvis præferatur in caſu qvo unus prior inveſtitus, alter verò poſſeſſionem ejusdem feudi nactus ſit?*

16 *Alter poſſeſſionem nactus præfertur: quia inveſtitura non tàm dat Jus reale, qvàm contractum ſuper feudo conſtituendo confirmat.*

17 *An non obſtante traditione poſſeſſionis nihilominus abuſivâ opus ſit?*

18 *Forma inveſtituræ præſcripta vel eſt generalis vel ſpecialis.*

19 *Quid ratione citationis Vaſalli, cui feudum promiſſum eſt, ſtatuatur?*

20 *Teſtes adhibendi ad minimum duo, non qvilibet ſed Pares Curiæ.*

21 *Pares Curtis vocantur qvoq;.*

22 *Undè dicti?*

23 *Intellige ſi Dominus habuerit pares, ſecus ſi non habeat & longius abſint, aut vocari non poſſint: qvia tunc extranei admittũtur.*

24 *Quid ſi unum tantum habeat, an illi extraneus adjungendus?*

25 *Parium ſolennitas in feudis Eccleſiaſticis neceſſaria non eſt.*

26 *Excipe feudum novum: in eo enim illi adhibendi.*

27 *Ut præſentibus Paribus poſſeſſio tradatur requiritur, vel ejus loco qvid corporeum, qvod verbo vel ſigno perficitur.*

28 *Signa inveſtituræ qvæ fuerint?*

29 *Ducum & Comitum commune ſymbolum.*

30 *Ducum peculiare.*

31 *Inter nobiliora inveſtituræ ſymbola ſunt Enſis in ſignum meri Imperij: & Vexillum in ſignum Provinciæ conceſſæ.*

32 *Hodiernus inveſtiendi mos ab Imperatore uſitatus.*

33 *Signa in Inauguratione Imperiali à Pontificibus uſitata.*

34 *Ad inveſtituram reqviritur præſtatio fidelitatis poſt verbalem feudi ceſſionem; & homagium vocatur; Germanicè* die Lehens-Pflicht.

35 *Differentia inter fidelitatem & homagium.*

36 *Homagium qvid ſit? item fidelitas qvæ?*

37 *Homagium importat ſubjectionem fi-*

fidelitas non item ſed ſimpliciter præſtatur.

38 Fidelitatis præſtatio duplex eſt.

39 *An fidelitas remitti poſſit?*

40 *Negativa verior, cum pacta hæc alias tenderent contra ſubſtantiam feudi.*

41 *Differentia inter non præſtationem Juramenti fidelitatis & non præſtationem fidelitatis.*

42 *Pactum initum de non amittendo feudum propter feloniam non valet.*

43 *Rejicitur opinio diſtinguens utrum feudum ſit modicum, aut majoris momenti; ad remiſſionem fidelitatis.*

44 *Juramentum fidelitatis præſtare recuſans ex conſvetudine; illam probare debet.*

45 *Infantes, minores, furioſi & alij hujus claſſis non jurant.*

46 *An Clerici ab hoc juramento excuſentur, item fœminæ?*

47 *Per Procuratorem ſpeciali mandato inſtructum hoc juramentum præſtatur.*

48 *An in caſu plurium Dominorum omnibus hoc juramentum præſtetur?*

49 *Forma in Conſtitutione Feudi expreßè ſervanda eſt, prout convenerunt.*

50 *Nullâ initâ conventione, conſvetudo loci: hac deficiente Jus commune locum habet.*

51 *Forma Juramenti Fidelitatis conventa non tendens contra ſubſtantiam feudi & contra Juris probibitionem ſervanda eſt.*

52 *Quomodo quandoq; præſtetur?*

53 *Fidelitas Primò pro ipſâ fide, Secundò pro Juramento fidelitatis ſumitur.*

54 *Fidelitatis Juramentum triplex, ſubjectionis, domeſticitatis & vaſallagij.*

55 *Hæc triplex ſpecies in unâ perſonâ concurrere poteſt.*

56 *Qvid in fidelitate Vaſallagij præſtetur?*

57 *Quandoq; generalibꝰ clauſulis ſpeciales apponuntur.*

58 *Cavendum ne inſolitæ fidelitatis formæ inſerantur. Rationes quare?*

59 *An inveſtitura Juramentum præcedere debeat?*

60 *An ſcriptura ad eſſentiam inveſtituræ requiratur? ſaltem tutius erit eam adhibere.*

61 *An Dominus ad inſtantiam Vaſalli inſtrumentum dare teneatur, & econtra Vaſallus antapocham?*

62 *Argumentum ductum ab Emphyteuſi ad feudum infirmum eſt. neque defendo ſcripturam ad eſſentiam illius requiri.*

63 *Breve teſtatum undè dicatur?*

64 *An requirantur teſtes in breviculo teſtato?*

65 *Conſvetudo hodierna fermè ubique non requirit Teſtes, ſed ſufficit ſcriptura Domini & ſigillum ejus.*

66 Poſt

66 Poſt conceſſam inveſtituram traditio rei fieri debet.
67 An Dominus pœnitere poſſit factæ inveſtituræ, & liberari dando intereſſe?

FEudiſtæ nonnulli modos conſtituendi & acqvirendi (ut 1
pluribus conqveritur *Weſemb. de Feud. cap. 6. in pr.*) confundunt, & Conſtitutionem Feudi ab ipſâ acqviſitione non diſtingvunt; cum tamen ſumma inter hæc duo intercedat 2
diverſitas ratione temporis; Conſtitutio namq; prior eſt & præcedit, acquiſitio demum ex poſtfacto ſequitur, eo modo qvo contractus, qui præcedit negotium, & poſſeſſio, quæ poſt celebratum contractum ſeqvitur. Quando i- 3
gitur in Jure Feudali de Conſtitutione feudi ſermo eſt, intelligi debet feudum novum, non antiqvum inveſtiturâ antea conſtitutum, quod dicitur acqviri.

Jam verò qvod ad conſtitutionem feudi attinet: om- 4
ninò ſciendum, illam aliquando præcedere actum aliqvem de feudo conſtituendo, aliquando ſimul conjungi, aliquando ſolam eſſe ſine ullo actu præcedente. Actus ille qui
præcedit Inveſtituram: vel fit inter vivos, vel in ultimâ 5
qvâdam voluntate, cum ſcilicet teſtator rem ſuam feudi nomine relinqvit; inter vivos autem dum Jus Feudale pactionibus conſtituitur, & de re in feudum dandâ inter Dominum & Vaſallum convenit, adeò ut hic contractus pro- 6
priam naturam nanciſcatur; contractus inquam, non talis qui dicitur nominatus; ut aliqvi voluerunt, qui parit ſolo conſenſu actionem directam reſpectu Domini, & contrariam reſpectu accipientis, nec bonæ fidei: ſed innominatus; ex quo competunt actiones præſcriptis verbis, inter qvas duos ſaltem caſus bonæ fidei poni diſcimus ex §. *Actionum autem. Inſt. de Act.* cum nempè de æſtimato agitur, & ex cauſâ permutationis. Hæc ſententia probatur *ex tit. 21. lib. 1. Feud.* ubi legimus: Cum Vaſalli Domi- 7
nis ſuis ſervire voluerint, tunc conditionem cauſâ datâ

copia absque longo intervallo haberi poſſit, omninò exſpectandi erunt per certum temporis ſpatium arbitrio Judicis relinquendum, *Sonsbeck. P. 9. n. 17.* ut plurimum tamen illis, qui remotiora habent domicilia, Dominus par-
24 cere ſolet; vocatis illis propioribus, aut ſi unum tantum eo in loco habeat, illi uni extraneum adjungit.

25 Hæc Parium ſolennitas in Feudis Eccleſiaſticis neceſſaria non videtur *tit. 26. §. Hæc omnia. lib. 1.* non ex ratione, quæ ibi habetur: Inveſtituras Clericorum ſcilicet eſſe occultiores: ſed potius qvod Eccleſia non deſideret tot ſolennia, ſed ſimplicitate ſit contenta. puta ſi ſermo ſit
26 de feudo antiqvo: In conſtitutione Feudi novi enim omninò adhibendi erunt. *tit. 32. lib. 2.*

27 Tertium requiſitum in eo conſiſtit, ut præſentibus hiſce Paribus, vel etiam extraneis tradatur poſſeſſio illius rei in feudum datæ, aut ſaltem ejus loco quid corporeum, quod verbo vel ſigno perficitur. verbo: *Ego inveſtio te*
28 *de tali feudo.* Signo: in teſtimonium conceſſionis, quod varium eſt. Nempe *Haſta*, quam præcipuam inveſtiendi notam fuiſſe diſcimus ex *Hotom. Diſput. Feud. C. 23.* qui in
29 originem ejus inquirit, ideò omninò videndus, item *Corona, Sceptrum, Armillæ, veſtis purpurea* Regiæ dignitatis ſymbola. *Veſtis Coccinea* Ducum & Comitum commune ſig-
30 num. Ducum peculiare *certus Galerus & Corona à Regali differens minore floſculorum eminentiâ.* Comitum verò capitis tegumentum *Circulus aureus.* Signa inveſtituræ quoq; erant, Baculus, Gladius ſive Enſis, Vexillum, Chirothecæ,
31 Annulus aut ſimile quid. Inter qvæ nobiliora ſunt; Enſis collati meri Imperii & officii propugnatoris nota, qvo olim Regna dabantur: Et Vexillum, utpotè argumentum Provinciæ conceſſæ aut Marchionatus vel Comitatus. *Hotom.*
32 *d. cap. 23.* Hodiernus inveſtiendi mos ab Imperatore uſitatus eſt, ut, is qui de Provinciâ, Ducatu vel Marchionatu inveſtitur, Juramento fidelitatis præſtito, capulum enſis

apprehendat, & extremum ejus conum oſculetur. Hic 33
notanda qvoq; veniunt ſigna in inauguratione Imperiali à
Pontificibus uſitata: Traditur enim Auguſtiſſimo Impe-
ratori primùm gladius, qvo etiam accingitur; tùm ſcep-
trum in unâ manu, & globus aureus mundi figuram re-
præſentans in alterâ: deindè diademate coronâq; dupli-
ci caput ejus ornatur, deferuntur & armillæ, annulus,
chlamis, torqves, crux, Lancea, clypeus cum aqvila bici-
pile & labarum purpureum ex Caroli Magni inſtituto.

Quartò ad ſolennitatem inveſtituræ requiritur præ- 34
ſtatio fidelitatis die Lehens Pflicht/ qvæ proximè ſequitur
verbalem feudi ceſſionem *tit. 3. §. ult. tit. 4. & tit. 7. §. ult.
lib. 2. Feud.* & aliqvibus homagium vocatur, alijs homi-
nium. Hic qvidam non advertunt differentiam, quæ in- 35
tercedit inter fidelitatem & homagium, & ex oppoſitione
horum vocabulorum in *C. Veritatis. ibi: Homagii & fidelitatis.
X. de Jurejur. C. Ex diligenti. ibi: Ut ei homagium faceres & fi-
delitatem præſtares. X. de Simoniâ.* & alibi deſumitur. Idem 36
facilè probat definitio utriusq;: *Homagium enim eſt ſolen-
nis qvædam promiſſio, qvâ qvis potentioris cujusdam efficitur
homo*, id eſt perſonam ſuam ei ſubjicit, & quaſi ſervum ſe
illi ad temporale ſervitium conſtituit. Dicitur *ſolennis pro-
miſſio*: quia fit v. g. vel genibus flexis, vel manibus intra
manus potentioris illius poſitis &c. juxta loci conſvetudi-
nem. Promiſſio fidelitatis autem eſt *cautio qvædam, qvâ
Vaſallus Domino feudi ſpondet ſe illi fidelem fore, commoda ipſi-
us promovere, damna avertere, & venerationem ei præſtare
velle*. Er wolle ihme dem Lehen-Herrn getrew und holdt ſeyn/ deſ-
ſen Nutzen fürdern/ ſeinen Schaden wenden/ ihme auch gebührende
Ehr erzeigen. Ex qvibus abundè ſumma illa diverſitas elici
poteſt: Nam Homagium importat ſubjectionem perſonæ
inferioris erga ſuperiorem: In fidelitate verò Jus ſubjecti- 37
onis non recipitur, ſed ſimpliciter illa fidelitas præſtatur.
Quæ duplex eſt, ſimplex, nuda & ſine Juramento, altera 38

Juratoria. *tit. 3. inf. lib. 2.* regulariter tamen juratoria
eſt, niſi ex conventione remittatur, quod fieri poteſt, cum
39 non ſit de ſubſtantiâ. An autem & fidelitas remitti poſſit?
mirificè ſe torquent Doctores. Communis tamen opinio
eſt, non poſſe: quia pacta quæ tendunt contra ſubſtantiam
40 contractus improbantur à Jure, ſed ad feudi eſſentiam re-
quiritur fidelitas, ergo. Deindè valet argumentatio ab
Etymologiâ vocabuli Negativè. Non præſtatur fidelitas,
igitur non eſt feudum. Huic opinioni communiter obji-
ciunt textum *in tit. 24. §. Eſt & alia. lib. 2.* ubi dicitur, poſſe
remitti fidelitatem. Sed ad illum reſpõderi poteſt, magnam
41 eſſe differentiam inter non præſtationem Juramenti fide-
litatis, & præſtationem fidelitatis: De illâ loqvitur textus;
quod ſcilicet Juramentum fidelitatis remitti poſſit, non i-
tem ipſa fidelitas. Pro confirmatione noſtræ ſententiæ
multum conducit textus *in l. Veritatis. X. de Jurejurand.* U-
bi remiſſo Juramento fidelitatis Regi Siciliæ, propterea
42 non cenſetur remiſſa ipſa fidelitas. Ex quibus infer-
tur, pactum qvod initur inter Dominum & Vaſallum de non
amittendo feudo propter feloniam, non valere: quia ten-
dit contra ſubſtantiam contractus, & fidelitatem remittit,
qvod fieri non poteſt. Sunt tamen nonnulli qui diſtin-
guunt an feudum ſit modicũ & exiguum, an verò majoris
nominis & utilitatis. In illo facilè remittunt fidelitatem,
cum de minimis non curet Prætor, *l. Scio. ff. de In integ. re-*
43 *ſtit.* ſed quàm facilè aſſeritur, tàm facilè negatur: Nam
licet feudum ſit exiguum, tamen ſervitium recipit deter-
minationem ex qvalitate feudi. Aliud erit de Juramento
fidelitatis, qvod remittitur in modico feudo, & quidem ex
44 uſu magis quàm de Jure. Hinc eſt, quod conſvetudo ut-
pote facti probari debeat ab eo, qvi Juramentum hoc
præſtare detrectat, â quo quandoque ætas & aliæ cauſæ
ſimpliciter excuſant: Infantes enim non jurant niſi ad
45 majorem ætatem, quæ doli capax eſt, pervenerint, *tit. 26.*

§. Si

§. *Si minori. lib. 2.* Item furioſi & alij, qui qvod agitur non intelligunt, quodſi tamen minor jurare velit, admittetur, cum *d. l.* dicatur talem non cogi jurare. In Clericis a- 46
liud Statutum reperitur, qui ſecundum Canoniſtas *in cap. Verum. X. de Foro compet. & in C. Nimis. & in C. Petitio. X. de Jurejurand.* jurare tenentur ſi à Laicis feuda obtineant; qvanquam remitti poſſint ſolennitates fidelitatis ex honeſtate, ſi fortè eorum dignitati propter Ordinem Sacrum minus conveniat: Sexus itidem non excuſat. fœminæ enim hoc Juramentum fidelitatis præſtare tenentur, idque per ſe, vel etiam per Procuratorem ; ſi cauſa id poſtulet, vel 47
impedimentum obveniat: quo caſu Mandatum ſpeciale exhibendum. *Schrad. P. 5. C. 3. num. 11. Jul. Clar. in §. Feudum. Q. 47. num. 13.* Quidſi plures ſint Domini & hære- 48
des concedentis, an omnibus hoc juramentum præſtandum erit? minimè: ſed unum ſaltem præſtatur, ſufficitque ut uni nomine omnium deponatur. Econtra plures Vaſalli uni Domino tenebuntur, neque ex multitudine perſonarum etiam multiplicabuntur ſervitia.

De formâ hujus Juramenti fidelitatis nunc diſſerere lubet. Quemadmodum autem forma in qvocunqve ne- 49
gotio ſervanda, prout conventione inter contrahentes præſcripta eſt: aut ſi nihil actum fuiſſe reperiatur, conſvetu- 50
dini locus datur: deficiente verò & conventione & conſvetudine Jus Commune pro normâ habemus. Ita quoqve in materiâ feudorum forma inter Dominum & Vaſallum ſpecialiter conventa, omninò ſervanda eſt: modò non tendat contra ſubſtātiam feudi, vel contra juris prohibitionē. *l. 1. §. 6. ff. de Pact. l. 23. §. Sed hæc ita. ff. de R. I.* ſi verò nihil 51
ſpecialiter de juramēto actū ſit, cōſvetudo loci inſpicienda venit. *tit. 1. lib. 1.* quæ pro varietate locorum varia eſt : A- 52
liquando enim præſtatur per oſculum, per manuum porrectionem, quæ continet ſponſionem fidei, per oris confeſſionem, qvâ Dominus recognoſcitur, per armorum de-

 poſi-

poſitionem, per ſupplicem projectionem ſui ante pedes Domini, aliumq; modum obſeqviosum. Non extante deniqve conſvetudine loci ad Jus Commune Feudorum recurrere oportet, *tit. 7. lib. 2.* quo ſolennia præſcribuntur.

53 Fidelitatis vocem dupliciter in uſibus Feudorum ſumi reperio. Primò pro ipſâ fide, quæ promittitur ut in *tit. 3. §. fin. lib. 2. Feud.* & in rubro & nigro. *Qualiter Jurar. debeat. Vaſall. Dom. Fidelit.* Secundò, pro juramento qvod quis ratione fidelitatis interponit. *tit. 4. 2.* Et hæc poſtremo modo ſumpta fidelitas ex Jure Feudorum triplex perhibetur. *tit. 5. lib. 2.* *Prima* eſt fidelitas Juramenti
54 ſubjectionis: qvod omnes ſubditi Domino Jurisdictionem ſuper eos habenti ratione perſonarum ſuarum, non verò rerum præſtant, vulgò die Huldigung. *Secunda* eſt fidelitas domeſticitatis; quod & Juramentum fidelitatis officij vocant, qvæ tantum reſpicit domeſticos, qvatenus ratione officii Domino obligantur: quales ſunt Conſiliarij, Dapiferi, Pincernæ, Camerarij & omnes illi qui in officio alicujus Principis conſtituti ſunt. *Tertia* eſt fidelitas Vaſallagij, vulgò die Lehenspflicht/ quam præſtat Vaſallus Domi-
55 no Feudum tribuenti; Quæ triplex Juramenti fidelitatis ſpecies non implicat eſſe in unâ eâdemque perſonâ, ita ut ſit ſubditus Domeſticus & Vaſallus, & conſequenter etiam ab uno eodemque præſtari poteſt. Quod ad fidelitatem Vaſallagij attinet, illa præſtari debet, ſicut à veris Vaſal-
56 lis præſtatur, *tit. 5. lib. 2.* promittendo ſcilicet ſe fidei ſuæ commiſſum non proditurum, & ubi opus fuerit, vitam, corpus & honorem Domini defenſurum, & ut paucis dicam verbis ex Oberto *d. tit. 5.* *Incolume, tutum, honeſtum, utile, facile, poſſibile,* quibus additur *conſilium & auxilium,*
57 ſpectaturum. Hiſce generalibus Juramenti clauſulis inſeruntur quandoque ſpeciales cauſæ, atque ſingularis fidei, obſequijque certi obligationes: Quatenus ad Curiam Domini, quoties opus erit, ſe conferat, præſtando

Ju-

Juramentum contra quemcunque, atqve ſe ſe profitendo ſervum Ligium, item certum ſervitium certo modo & conditione peragendo &c.

Moribus hodiernis forma Juramenti Vaſallis præſcribitur, atq; Inſtrumento ſuper inveſtiturâ fieri conſveto inſeritur, cujus tenorem paſſim tradunt Doctores, & appoſitè monent, ne inſolitæ fidelitatis formæ illis immiſceantur: Tum quia clauſulæ inſolitæ actum ſuſpectum 58
reddere ſolent. *C. Qvisqis. Diſt. 41. Tiraq. de Retract. Convent. in Præfat. num. 71.* tùm etiam ſi feudum antiquum ſit, Juramentum metu extortum dici poſſet. *Borch in Comm. ad Conſvet. Feud. cap. 7. num. 39.* Tùm denique quia Vaſallus ejusmodi formam Juramenti recuſare poteſt. *Borch. d. Cap. n. 39.*

Porrò an inveſtitura Juramentum præcedere debeat 59
vel econtra? prolixè diſputant Feudiſtæ de qvo videndus *Herman. Vult. de Feud. cap. 7. num. 41.* Illud tamen ratione fidelitatis præſtandæ omittendum non eſt, quod licet à quodam illa præſtetur, continuo Vaſallus efficiatur: Nam ſequeretur omnia beneficia Clericis collata qvoddam feudi genus conſtituere, quod falſò quidam aſtruunt, dicentes, Clericos eſſe Vaſallos ſummi Pontificis: beneficium enim quod accipiunt, non ob datam fidem confertur, ſed propter Miniſterium, qvod Deo exhibent.

Elegans adhuc de inveſtiturâ movetur qvæſtio. An 60
Scriptura ad eſſentiam ejus requiratur? Regulariter in omni actu ſivè inter vivos, ſive mortis cauſâ fiat, Scriptura neceſſaria non eſt, quæ Doctrina meritò ad hunc inveſtituræ actum extenditur, niſi dicere velis, conſultius & tutius eſſe eam adhibere ad probandum negotium & evitandam fraudem, uti hodiè ex conſvetudine generali fieri ſolet. *Schneid. de Feud. P. 4. num. 29.* & ad inſtantiam Vaſalli Dominus inſtrumentum dare tenetur. *Roſenth. de Feud. cap. 6. Concl. 112.* Et econtra etiam Vaſallus ejusdem argu- 61

menti antapocham, ſive, ut vulgò dicunt, Reverſale. *Roſenth. d. l.* Nec ſtringit argumentum aliter ſentientium ductum ab Emphyteuſi: ad cujus ſubſtantiam requirunt ſcripturam: Nunquam enim ego defendi, nec defendere in animo habeo Scripturam ad eſſentiam Emphyteuſis requiri, cum ſaltem ad pleniorem probationem conducere
62 videatur. Poſito, ſed non conceſſo, ſcripturam ad eam requiri, non tamen inde ſequetur; ergo etiam idem in feudorum conceſſione obtinebit: quia ea quæ ſingulari jure conſtituta ſunt in caſu uno, ad alterum caſum minimè extenduntur. Dic igitur, uti ſtatim monuimus, ad fraudem evitandam & probationem facilem reddendam Scriptu-
63 ram plurimum juvare, quæ dicitur breve teſtatum *tit. 2. lib. 1. & tit. 44. lib. 2.* qvod interpretatum, inſtrumentum publicum denotat, ita dictum, non ab eo, quod teſtes actum teſtificantes ſe aliquando eidem ſubſcribant, ut voluit *Schneid. de Feud. P. 4. num. 18.* ſed quatenus ad proban-
64 dum, ſive teſtificandum ſit idoneum. An autem teſtes, quorum mentionem facit *Schneid. d. l.* in hoc breviculo teſtato requirantur? diverſimodè judicatur: Et tales requiri ex Jure Feudali abundè colligitur: Probavimus enim inveſtituram coram Paribus, qui ſint tanquam teſtes, faciendam, imò etiam publicum inſtrumentum per eos confirmandum. *tit. 2. pr. & tit. 32. lib. 2.* nequid excogitetur falſitatis in perniciem Domini alijs teſtibus inductis, corruptis fortè pecuniâ vel odio vel gratiâ, quæ non ſunt ſuſpicanda in Paribus. Modo copia eorum ſit, qui ſi haberi non posſint, extraneis locus erit. *Mozz. de Subſt. Feud. num. 63. vid. Borch. cap. 7. num. 26.* ubi diſtinguit.

65 De Conſvetudine Germaniæ tamen res aliò devenit; cum non attendantur teſtes, aut ſi forte adhibeantur, non curatur utrum ſint Pares, an verò extranei: Verum loco teſtium receptum eſt, ut fiat inſtrumentum de actu inveſti-

tu-

turæ quod accedente ſubſcriptione Domini & Sigillo ejus roboratur.

Quando itaque inveſtitura conceſſa, atque Juramentum fidelitatis præſtitum eſt, ad poſſeſſionem & traditionem rei in feudum datæ fit tranſitus. Cum non ſufficiat contractum feudalem inveſtiturâ confirmatum eſſe, ſed inſuper neceſſe eſt, ut vigore ejusdem traditio ſequatur; adeò ut hujusmodi abuſivè inveſtitum Dominus teneatur, in poſſeſſionem mittere, *tit. 7. in f. lib. 2.* nec pœnitere 67 66
poſſit factæ inveſtituræ, & liberari dando intereſſe. *tit. 26. §. Si facta. lib. 2.* Intellige, ſi habeat rei tradendæ poteſtatem: ſi enim eâ careat, aut quia perijt, aut alienavit, aut alio ſuo facto ex poteſtate ejus pervenit, dando intereſſe liberabitur, imò etiam de re evictâ tenebitur, per *tit. 8. pr. lib. 2.* quia non eſt mera donatio, ſed ſecum importat onus, quod Vaſallus præſtare, & econtra Dominus promiſſioni ſtare compelluntur.

SECTIO VI.

De Modis Feudum acquirendi.

SUMMARIA.

1 *Connexio materiæ quæ immediatè ſucceſſionem feudalem reſpicit.*

2 *Modum conſtituendi feudum examinavimus, nunc ad conſtitutum tranſeamus.*

3 *Conſtitutum feudum vel acquiritur per actus inter vivos, vel mortis causâ.*

4 *An præſcriptio ſit modus acquirendi feudum?*

5 *Affirmativa vera eſt, ſi non deficiant ea, quæ ad legitimam præſcriptionem requiruntur.*

6 *An decennium ſufficiat ad illam?*

7 *Verior eſt ſententia, quæ dicit, requiri longiſſimum tempus triginta annorum, quod in feudo ſpeciale eſt: quia agitur de mutatione Status.*

8 *Tempus triginta annorum & animus poſſeſſoris habendi rem in feudum cenſentur eſſe loco tituli.*

9 *Bona fides attamen requiritur ex præſcripto Juris Canonici; quod in Camerâ Imperiali obſervatur.*

10 *Ros*

10 Res Eccleſiaſtica non niſi quadraginta annis præſcribitur.

11 An præſcriptio tertij contra Vaſallum tanto tempore fieri poſſit, ita ut is, cui feudum ab initio conſtitutum fuit, ejus feudi nomine deſinat eſſe Vaſallus & hic tertius Vaſallus eſſe incipiat?

12 Contra Dominum non tantum ſcientem ſed & ignorantem tertius præſcribere poteſt.

13 An res feudalis tanquam allodialis per triginta annos poſſeſſa, elapſo hoc tempore reddatur allodialis, & ita dominium directum præſcribatur?

14 Utrum per contractum emptionis & venditionis jus Feudi acquiri poſſit?

15 Modus acquirendi feudum eſt quoque ſententia Judicis.

1 HActenus de Etymo, Definitione, Diviſione Feudorum in quibus rebus, & à quibus fiant, & denique quomodo conſtituantur, diximus. Nunc ad tractatum utiliorem frequentioremq;, & qui magis propoſitum operis noſtri ſcopum attingit, accedimus, qui in id ſemper collimare viſus eſt, quatenus ſucceſſiones & acquiſitiones penitus inſpiceremus, quæ in hac Feudalium materiâ nunc prin-
2 cipaliter conſiderandæ veniunt: Nam quemadmodum modum conſtituendorum feudorum noſcere laboravimus; ita & multo magis jam conſtituta, quomodo ad ali-
3 os perveniant, expendere neceſſarium videbitur. Conſtitutum autem feudum acquiritur vel per actus inter vivos, vel mortis cauſâ. Inter illos recenſeri poſſunt dona-
4 tio, permutatio, *Hotom. Diſput. Feud. 7.* item ſententia Judicis. An & præſcriptio ſit modus feudum acquirendi? Feudiſtæ quærunt, & tandē concludunt, feudum præſcriptione acquiri poſſe, modò non deficiant ea, quæ ad legiti-
5 mæ præſcriptionis Juſtitiam requiruntur, ſcilicet bona fides, Juſtus titulus, *tit. 87. in cap. Extraord.* item continuatio poſſeſſionis debito tempore, in cujus determinatione
6 præcipuè variant: *Jul. Clar.* enim *in §. Feudum. Quæſt. 15. in f. Roſenthal. in Synopſ. ſuâ Feudali. c. 6. Concl. 146.* decennium ſufficere contendunt, ſed minus rectè, & contra expreſ-

preſſum Feudorum textum in *tit. 26. §. Si qvis per triginta.*
lib. 2. in qvo triginta annorum adeoq; logiſſimi temporis
mentio fit, qvod hi ſpatio decem annorum definire non
ſunt veriti. Idcirco altera opinio, qvæ dicit ad præſcrip- 7
tionem feudalem reqviri ſpatium longiſſimi temporis,
triginta ſcilicet annorum, verior eſt, per modo allegatum
textum in *tit. 26. §. Si qvis per triginta*, qvod in materia feu-
dorum maximè ſpeciale invenio, ex ratione: qvod agatur
de mutatione Status & ſubjectione perſonæ, ad quam non
ſufficit longum tempus. Si itaq; per triginta annos rem
quandam poſſederit ut feudum, & ejus rei nomine Domino
ſervitia præſtiterit, is tanto temporis lapſu Jus Feudi in il-
lâ re præſcripſiſſe dicendus eſt, adeò ut qui inveſtituram
non factam fuiſſe probare velit, non ſit audiendus. *Sons-
beck. de Feud. P. 9. n. 42.*

Nec obſtat defectus tituli expreſſi: Nam tempus 8
triginta annorum, & animus poſſeſſoris habendi rem in
feudum cenſetur eſſe ejus loco. Hoc caſu etiam bonam
fidem excludere videtur *Balb. de Præſcript. P. 4. pr. & P.
4. & 1. num. 3.* Sed de Jure Canonico improbatur, quod 9
in materiâ præſcriptionum in Camerâ Imperiali obſerva-
ri teſtatur, *Gail. lib. 2. obs. 18. num. 2. Mynſing. Cent. 4. obs.
6.* Intellige prædicta de re privatâ ſive publicâ & profanâ:
non item de Eccleſiaſticâ, quæ ſaltem de Jure Canonico 10
quadraginta annis præſcribitur, *cap. illud. X. de Præſcript.*
Secundum qvod Jura Civilia & Feudalia interpretationem
accipiunt.

An quoque præſcriptio tertij contra Vaſallum tan- 11
to tempore fieri poſſit, ita ut is, cui feudum ab initio con-
ſtitutum fuit, ejus feudi nomine deſinat eſſe Vaſallus, &
tertius Vaſallus eſſe incipiat? quæritur. Et præſcripti-
oni locum eſſe omnes *in d. §. Si qvis per triginta.* ita tenere
dicit *Decian. Cons. 24. num. 108. vol. 1.* quod receptius eſt
per *tit 9. §. Donare. lib. 2.* Ubi Dominus removetur præ-

12 ſcriptioe triginta annorum à revocandâ re alienatâ, & conſeqventer contra eum non tantum ſcientem, ſed & ignorantem tertius præſcribere poteſt, *Roſenth. de Feud C. 6. Concl. 150.* qui plurimis argumentis hanc opinionem defendit.

13 Dixi rem, quæ poſſidetur ut feudalis, legitimo poſſeſſionis tempore continuato feudalem effici. An idem obtineat, ut res feudalis tanquam allodialis per triginta annos poſſeſſa, elapſo hoc tempore reddatur allodialis, & ita dominium directum præſcribatur? Ad hanc quæſtionem affirmativè reſpondet *Andr. Gail. 2. obs. 160. num. 1.* & communiorem deprædicat, adeò ut hæc præſcriptio noceat Domino volenti vindicare bona feudalia per Vaſallum alienata *Borch. de Præſcript. Feud. cap. 7. num. 13.* quo in loco refutat contrariam ſententiam.

14 Utrum per contractum emptionis & venditionis Jus Feudi acquiri poſſit? jam ſupra in diviſionibus Feudorum, cum de feudo emptitio locuti ſumus, expoſitum eſt.

Inter modos deniq; inter vivos acquirendi feudum etiam ponitur ſententia Judicis; quâ res, quæ allodialis erat, pronunciatur feudalis, & verè facit rem naturali ſuâ veritate aliam, talem effici: res enim judicata pro veritate habetur. *vid. Roſenth. d. C. 6. Concl. 133.*

SECTIO VII.

De Modis adqvirendi Feudum per Succeſſionem.

SUMMARIA.

1 Methodi ratio & ſcopus ſequentis tractationis.

2 Succeſſionem feudalem eam intelligamus quæ poſt mortem obvenit.

3 Differentia inter feudalem & be-

hæreditariam inteſtati ſucceſſionem.
4 Feudum ſimpliciter conceſſum accipienti & hæredibus conceſſum intelligitur.
5 In feudali ſucceſſione non perſona ultimi poſſeſſoris tantum, ſed & primi acqvirentis inſpicitur.
6 An repudiatâ hæreditate defuncti ad feuda qvis nihilominus admittatur?
7 In Feudalibus filio & hæredi feudali non nocet ex hæredatio.
8 Succeſſio teſtamentaria, & ab inteſtato in Jure Feudorum non obtinet.
9 Ratio cur feuda teſtamento relinqui non poſſint?
10 An Authoritate Principis tale teſtamentum ſuſtineri poſſit?
11 An ſaltem ad pias cauſas de illis teſtari liceat?
12 Minime. Niſi hæres gravetur, ut v. g. de vino, qvod provenit ex vineâ feudali, qvot annis pro animâ certa menſura largiatur.
13 Neqvidem æſtimatio aliis caſibus debetur.
14 Teſtamentum ergo nullum erit, tendens in præjudicium Filiorum & Agnatorum.
15 Quid Juris in feudo novo an de eo teſtari permittatur?
16 Sententia diſtinguens.
17 Negativa verior.
18 De abſolutè & ſimpliciter hæreditario ſive novo ſive antiqvo validum ſit teſtamentum; etiam reſpectu fœminarum.
19 An idem in mixto novo & antiqvo locum habeat?
20 Limitatur ſi per inveſtituram ſive conſvetudinem permittatur; aut ſi inſtituerit hæredem qvi alias ſucceſſurus erat in feudo; aut etiam illi, qvorum intereſt, conſenſerint.
21 Cauſa inteſtati propriè ſic dicta in feudis etiam locum non habet.
22 Ratio hujus Juris & diſpoſitionis feudalis.
23 Tres in feudis ſuccedentium ordines.
24 Primus ordo liberorum legitimorum & naturalium, & qvi pro talibus habentur.
25 Rejiciuntur adoptivi (niſi ex pacto ſint capaces) & illegitimi.
26 Arcentur illegitimi, etiamſi feudum fuerit fœmininum.
27 Niſi fuerint legitimati per ſubſeqvens matrimonium.
28 Legitimatio per Reſcriptum Principis non tribuit eundem effectũ.
29 An Agnatis per hocce Reſcriptum de plenitudine poteſtatis præjudicari poſſit?
30 An ſaltem in feudis hæreditariis bi legitimati ſuccedant?
31 An in caſu qvo legitimè nati, & ex corpore legitime deſcendentes vocantur, etiam vocati cenſeantur legitimati per ſubſeqvens matrimonium?
32 Diſponens præſumitur ſe conformare diſpoſitioni Juris Communis.

33 *Legitimatus per ſubſequens matrimonium admittitur ad Epiſcopatum.*

34 *Quid ſi intermedium fuerit matrimonium & in articulo mortis contractum?*

35 *Succedunt omnes deſcendentes in infinitum ſalvâ gradus prærogativâ & partium æqualitate.*

36 *An aſcendentes ſimiliter ad ſucceſſionem feudalem admittantur?*

37 *Ratio aliquorum, dicentium ideò id non fieri quod non præſumatur Seniores eodem modo aſſiſtere poſſe Domino, ac Juvenes.*

38 *Gloſſa putat ideò eam conſvetudinem receptam eſſe, quod ex naturâ feudi aliud conſtitui non potuerit.*

39 *Franciſci Duareni conjectura de hac diſpoſitione feudali.*

40 *Impoſſibile eſt feudum antiqvum ad aſcendentes tranſire. Novum deficientibus deſcendentibus revertitur ad Dominum.*

41 *Succeſſio præpoſtera eſſet, quæ à nepote vel pronepote ad ſuperiorem tranſiret.*

42 *Niſi pater in favorem filij renunciaſſet, cum pacto; ut eo mortuo ſuccederet.*

43 *Aut ſi filius fuerit inveſtitus contemplatione patris & propter ſervitia illius.*

44 *Sententia Mynſingeri & Alvarotti dicentium feuda antiqva non transmitti ad aſcendentes, non probatur.*

45 *Ratio: quia in ijs potior eſt cauſa aſcendentium quàm deſcendentium.*

46 *In caſu demonſtratur & probatur noſtra ſententia.*

47 *An Collaterales in feudis qvoque ſuccedant?*

48 *Juri feudali conformius eſt hanc ſucceſſionem Collateralem locum non habere. Ratio ibidem.*

49 *Textus Collateralium mentionem facientes intelligendi non de lineâ Collaterali primi acqvirentis, ſed ipſius poſſeſſoris.*

50 *Succedens in feudo ex pacto & providentiâ inter deſcendentes numeratur, non item in Civili computatione.*

51 *In feudo antiqvo poſt liberos vocantur fratres cum fratrum demortuorum filijs & agnatis ulterioribus.*

52 *Frater in feudo novo à fratre acqviſito non ſuccedit.*

53 *Acqviſitio operâ aut pecuniâ communi facta nil importat.*

54 *Niſi Dominus id ſciverit, aut communibus armis ab hoſte Domini acqviſitum ſit:*

55 *Aut pacto cautum reperiatur: vel detur cuilibet fratrum in ſolidum:*

56 *Aut feudum fuerit individuum:*

57 *Aut niſi conſvetudine hæc ſucceſſio recepta dicatur.*

58 *Plures fratres æqualia jura habentes æqvaliter ſuccedunt.*

59 *An fratres uterini qvoq; ad feuda admittantur?*

60 *An frater utrimqve conjunctus in*

in feudis excludat conſangui-neum?

61 *De Jure feudali hic admittitur: ſecus de Jure Civili: Ratio dicti.*

62 *An duæ qvalitates utrimq; conjunctum nil juvent?*

63 *An fratrum filij cum patruis in feudis ſuccedant?*

64 *Jus repræſentationis non tantum in feudo hæreditario & mixto, ſed etiam ex pacto & providentiâ locum habet.*

65 *Quid Juris ſi patruus defuncti concurrat cum filio fratris.*

66 *Patruus excluditur per rationem ibi allegatam.*

67 *Jus repræſentationis tunc locum habet qvando ſecundum gradus prærogativam feudum conceſſum eſt.*

68 *An fratrum filii ſoli exiſtentes in capita vel in ſtirpes ſuccedant?*

69 *In capita ſuccedunt ex diſpoſitione Juris Civilis deficiente feudali.*

70 *Succeſſio feudalis ad qvem gradum ſe ſe extendat?*

71 *Diverſæ opiniones.*

72 *Sententia Balbi diſtingvens rejicitur.*

73 *Sententia noſtra aptius diſtingvens.*

74 *Computatio graduum Civilis eſt, & non Canonica in hac materiâ feudali.*

75 *In Succeſſionibus Regnorum ſucceſſio Collateralium nunqvam ad ſeptimum gradum reſtringitur.*

76 *Unus ſuperſtes ex Domo Regiâ ſuccedit etiamſi ad milleſimum gradum ſeſe agnatio extenderet.*

77 *Inter Henricum Borbonium & Henricum Valeſium ultimum, unus & viginti gradus intercedunt.*

78 *An qvis poſſit feudum obtinere repudiatâ hæreditate proximi poſſeſſoris?*

79 *Agnatus in feudo antiqvo admittitur filius non item. Secus in novo, & mixto atq; hæreditario. Ratio pulchra.*

80 *An ſucceſſor Feudalis teneatur ſubire onera Vaſalli defuncti?*

81 *Agnatus non niſi de allodialibus tenetur; aut ſaltem de fructibus illius anni.*

82 *Onera hæreditaria præſtanda ab hærede univerſali, non à feudali, qvi eſt ſucceſſor ſanguinis.*

83 *Ratione feudi hæreditarij Agnatus creditoribus tenetur.*

84 *Summaria deductio ſucceſſionis feudalis.*

85 *Affinitatis neceſſitudo in iis non attenditur.*

86 *An feudum in dotem datum ſoluto matrimonio ad maritum pertineat, an verò ad Dominum revertatur?*

PRæcipuum tractatus noſtri fundamentum ſemper in eo poſitum fuit, quatenus proprios ſucceſſionum mo- 1

dos tam in materiâ Civili & Canonicâ, quàm etiam Feudali proponere poſſemus. De Civili ſicut & de Canonicâ ſucceſſione parte primâ & ſecundâ pro tenuitate ingenij egimus: reſtabat & Feudalis, cujus præliminaria hactenus attigiſſe ſufficiat, ſine quibus alias ſeqveſtratio obſcura reddita fuiſſet.

2 Quando itaque de ſucceſſione Feudorum loquimur, eam intelligimus, quæ poſt mortem acqvirentis, aut alicujus alius proximo vel agnato obvenit.: Non quod Jus inteſtati hæreditarium quoddam in ijs conſtituere, aut
3 propriam hæredum mentionem facere velimus: cum magna ſit differentia inter feudalem & hæreditariam inteſtati ſucceſſionem: In hac enim Lex ſupplens defuncti, qui teſtamentum non fecit, voluntatem, bona proximioribus tribuit, quaſi ea ſuprema fuerit voluntas ejus, qui
4 moriens aliam ſuam voluntatem non expreſſit: In illâ verò feudum ſimpliciter conceſſum, non tantum accipienti, ſed & hæredibus ejus ſeu liberis datum intelligitur. Non
5 inquam Jus hæreditarium conſtituere volo, cum in ſucceſſione feudali non perſona ultimi poſſeſſoris tantum reſpiciatur, ſed & primi acquirentis: Cui ſucceditur ex præſcripto inveſtituræ & qualitatis feudalis, non Jure hæ-
6 reditario proprie ſic dicto. Exemplum eſſe poteſt vel unicum in eo, qui repudiatâ hæreditate defuncti, ad feudum nihilominus admittitur, *tit. 45. & 51. §. Filius. lib.* 2. cum à communi parente, puta avo vel proavo, qui prius pactus eſt feudum, proficiſcatur, & conſequenter Jure hæredi-
7 tatrio non veniat. Ex ſuperabundanti huc ponitur ſucceſſio filij exhæredati in bonis feudalibus, cui non obſtat exhæredatio, eamq; ordinatio teſtamenti tollere & immutare non poteſt, *tit. 8. pr. lib. 1.* de Jure exhæredati in materiâ Primogenituræ ſupra *Part. 1. Cap. 3.* actum fuit.

8 Supra allata ſucceſſionum dictinctio civilis, ut alia ſit teſtamentaria, alia ab inteſtato in Jure feudorum non obti-

obtinet: Videmus enim de feudis nullam fieri poſſe ordinationem in teſtamento. *C. 1. de Succeſſ. Feud. Schrad. de Feud. P. 7. C. 2. num. 1. Roſenth. C. 7. Concl. 3. Mozz. de Subſt. Feud. num. 78.* Ratio eſt: quia res Feudalis ſe ha- 9
bet tanquam uſusfructus, qui morte uſufructuarij exſpirat, & poſt eam nullam jus, ex proviſione primi acquirentis in feudis alias æſtimandum tribuit; qvantumvis etiam Authoritate Principis teſtamentum confirmatum dicatur: Nam Dominus accommodando conſenſum, Juri inveſtitu- 10
ræ Agnatis quæſito derogare non poteſt, qvod per modum contractus ipſis eſt conſtitutum, quem non minus Princeps 11
ſervare tenetur, ac qvivis privatus: imo nequidem ad pias cauſas de illis teſtari permiſſum: *Afflict. in C. 1. n. 71. de Probib. Feud. alienat.* niſi de Jure Canonico aliud cum Schradero *C. 2. num. 4.* ſentire quis mallet, in caſu, qvo Va- 12
ſallus gravaret hæredem, ut de vino, quod educitur de vineâ feudali omni anno pro animâ ſuâ certam menſuram lagiretur. *Mozz. num. 79. inf.* Secus pro alio uſu, qui irritatur in materiâ feudali denegatâ etiam æſtimatione *Gail. 2. obs. 154. num. 13.* non item in allodialibus, in quibus 13
ea debetur. *Roſenth. d. C. 7. num. 19.* Si itaque de feudo ex Pacto & Providentiâ antiqvo qvis teſtetur; teſtamentum nullum erit, utpote tendens in præjudicium filiorum, vel agnatorum, qui habent Jus quæſitum à primo acqui- 14
rente, *Graſſ. in §. Legatum. Quæſt. 14. num. 19.* qui *num. 20.* tenet aliud ſtatui in feudo novo, qvod Pater alienare, & 15
conſequenter uni filiorum prælegare poteſt. Idem docent *Iſern. in C. 1. de Probib. Feud. Alienat. Borch. de Feud. C. 8. num. 5.* Quia æquisſimum eſt, ut qvod pater acqviſivit, & patris contemplatione conceſſum eſt, posſit & ipſe alienare. Alii verò hanc ultimam propoſitionem ſimpli- 16
citer non admittunt, ſed diſtinctione effugium quærunt, ſicut *Roſenth. C. 7. Concl. 16. & ipſe Graſſ. d. l.* dicentes: reſpiciendum eſſe ad conſenſum Domini alienationem hanc

ad-

admittentis, quo tandem deficiente, quamcunque diſpo-
17 ſitionem ſimul deficere. Aſt negativam amplectendam cenſerem: Cum in tertijs poſſeſſoribus Jus radicatum reperiatur, quod ab ipſis invitis aut ſine facto ſuo auferri non debet. Et hanc ſententiam in feudo ex Pacto & Providentiâ tàm antiquo quàm novo ſemper veriſſimam judico.
18 In abſolutè & ſimpliciter hæreditario autem ſive novo ſive antiqvo ſecus: Nam dubium non eſt, quin Vaſallus pro lubitu ſecundum *Graſſ. d. Qvæſt. 14. num. 21.* de eo non tantum diſponere, ſed etiam fœminis & ex ijs deſcendentibus relinquere posſit. *Iſern. in C. 1. de Alien. Feud. pater.*
19 qvanqvam probè ſciam *Rol. à Vall.* hoc ultimum membrum negare in *Cons. 79. in f. Vol. 3.* Hanc Doctrinam extendit *Curt. Jun. P. 4. num. 132. & Cons. 1.* ad feudum mixtum ex Pacto & Providentia hæreditarium novum, ſi tamen teſtetur Vaſallus inter vocatos in primâ inveſtiturâ: Non item ad feudum mixtum antiqvum propter præjudi-
20 cium agnatis creandum: Niſi *primò* per pactum in primâ inveſtiturâ expreſſè id cautum ſit, aut etiam de conſvetudine ejusmodi diſpoſitio recepta dicatur: hiſce enim caſibus de quocunq; feudo liberè diſponi poterit, eo qvod per ſimile pactum redeatur ad Jus Commune. vel *Secundò*, Vaſallus inſtituerit hæredem, qui alias ſucceſſurus erat in feudo, *Schrad. de Feud. C. 2. num. 18.* qvantumvis potius hic dici posſit talem non ſuccedere vigore teſtamenti & ex Volunte hominis, ſed ex vi Juris Feudalis & diſpoſitionis Legis. vel *Tertiò*, Domino & agnatis, quorum intereſt præſentibus & non contradicentibus, diſpoſitio fiat; talibus enim præjudicium creari nullum profitetur. *Roſenth. C. 7. Concl. 9.*

Qvemadmodum teſtamentum in materiâ feudorum nunquam aut vix admittitur: Ita etiam cauſa inteſtati pro-
21 priè ſic dicta locum non habet, quæ alias pro tali reputatur, qvando is, qui teſtamenti factione gaudebat, illud

non

non fecit, uti in præcedentibus abundè vidimus. Cur autem ea in feudis minus admittatur, Ratio eſſe poteſt, qvod in ijs non tàm attendatur cui ſucceditur, qvam quis ſuccedat, qui Jus ſuum ex primâ inveſtiturâ tanqvam normâ in contractu vel in pacto fundatâ repetit, illisq; tantum tribuit, qui à primo acquirente deſcendunt, propinquiq; ejus vocantur: Qvorum tres conſtitui ſolent ordines, Liberorum, Parentum & Collateralium.

Præcipua verò eſt cauſa liberorum, & qvidem in in- 24
finitum remotis agnatis quibuscunque, *tit. 14. §. 1. lib. 1.* ſive ſint nati, ſive poſtumi, & de utero matris cæſi: tàm ſui, quàm emancipati ſive etiam præteriti & exhæredati: ſicut & ij qui pro filijs habentur. *Sonsbeck. P. 9. num. 73. l. Qvod dicitur. ff. de Liber. & poſth.* De qvibus nullum dubium eſt, ſi ex juſtis nuptijs procreati ſint. Unde conſequitur 25
â feudis excludi Primò filios adoptivos, *tit. 26. §. Adoptivus. lib. 2.* cum non cenſeantur comprehenſi ſub pacto inveſtituræ, in qvo acquirens ad ſanguinem ſuum ſeu ex corpore ſuo deſcendentes reſpexiſſe dicendus eſt: Niſi illo ipſo pacto vel conſvetudine contrarium receptum ſit. Secundò, Feudorum ſucceſſione non gaudent filij illegitimi, ſive extra matrimonium ex ſoluto & ſolutâ nati, *tit. 26. §. Naturales. lib. 2. Weſemb. de Feud. c. 6. num. 9.* qvoniam Domino Paribusqve Curiæ parum honorificum eſſet, in ſuo conſortio & ſodalitio reperiri homines natalibus ſuis maculatos atqve adeò infames. *Afflict. in C. 1. §. Naturales. num. 14. Si de Feud. defunct.* Etiamſi feudum diceretur fœmini- 26
num & alias matribus in allodijs ſuccederent. *Sonsbeck. P. 9. num. 72. & 78.* Idem dices & multo magis de reliquis illegitimis, de quibus ſupra *Part. 1. cap. 1. ſect. 17. & P. 2. cap. 2. ſect. 5.* fuſè locuti ſumus: Niſi tamen hi natura- 27
les per ſubſeqvens matrimonium legitimati fuerint: per eam enim Jura agnationis nanciſcuntur, & omnia vitia, qvæ erant circa natales, tolluntur. *Schrad. de Feud. C.*

 5. n.

5. num. 21. Iſern. in d. §. Naturales. Tiraq. de Jur. Primog. Quæſt. 34. num. 54. Gail. 2. obs. 141. num. 2. Sonsbeck. P. 9. num. 71. Myнſing. Cent. 5. obs. 42. & paſſim Doctores *in d. §. Naturales.* qui non obſtat in eo, qvod dicat, nequidem ſuccedere naturales, licet poſtea fiant legitimi: cum intelligi debeat de legitimatione naturalium per Reſcriptum, qui eodem Jure non gaudent, ſicut alij per ſubſeqvens matrimonium; per tradita ſupra *P. 2. cap. 2. ſect. 5.*
28 *num. 30. 31. 32. 33. & ſeqq.* ubi pulchram illam qvæſtionem: An Agnatis per reſcriptum legitimationis de pleni-
29 tudine poteſtatis præjudicari poſſit? propter affinitatem materiæ annectere placuit. Illud ſaltem hic loci monitum velim, in feudis hæreditarijs fortè hoſce legiti-
30 matos admittendos eſſe; ita tamen: ſi legitimationi conſenſerint proximi, præſertim illi, qvibus legitimatus ſuccedere intendit, ſcilicet quando pater non agit ut legitimetur filius.

31 Prior ſententia de legitimatis per ſubſequens matrimonium adeò vera eſt, ut etiam tales ad ſucceſſionem feudorum admittantur in caſu, quo ad feudum vocantur legitimè nati, ſive ex corpore legitimè deſcendentes: quoniam hic non proprietas verborum, ſed potius mens di-
32 ſponentis inſpienda eſt, qui ſe Juri Communi accommodaſſe præſumitur; ideoq; ſecundum illud, verba ejus interpretationem accipere debent. Huc facit *C. Cum in cunctis. X. de Elect.* Ubi dicitur: ad Epiſcopatum non eſſe
33 eligendum niſi qui legitimè natus: Et tamen admittitur legitimatus per ſubſeqvens matrimonium, *Gloſſ. in C. In-*
34 *notuit. X. d. t.* Multoqve magis id in feudis obtinebit, etiamſi aliud intermedium fuerit matrimonium, aut etiam in articulo mortis contractum: quia hujusmodi vis indiſtinctè matrimonio data eſt, aliudq; non quæritur, qvam an teneat? pro eâ ſententiâ in Camerâ judicatum fuiſſe, tradit *Gail. 2. obs. 140. num. 8.* Succeduntitaqve omnes ex

pri-

primo acqvirente deſcendentes in infinitum *tit. 1. §. Hoc quoque. 4. lib. 1. Weſemb. C. 6. num. 9. Clar. in §. Feudum. Q. 79. num. 1.* ſalvâ tamen ſemper gradus prærogativâ & partium æqualitate. Illa computatur ex geniturâ: partes verò ex perſonarum numero conſtituuntur, admiſſo jure repræſentationis, qvod non tantum in ſucceſſionibus Civilibus, ſed etiam in feudalibus obtinet, tribuendo eam in ſtirpes. *Sonsbeck. P. 9. n. 38. Borch. c. 7. P. 2. n. 46.* 35

36 De ſecundo ordine propinqvorum, parentum nempè non minima inter Feudiſtas eſt diſceptatio, An hi ad ſucceſſionem feudalem admittantur? Quid in allodijs obſervetur, parte ſecunda expoſitum eſt; quam doctrinam ad feudalia extendere non poſſumus, *per tit. 50. lib. 2.* Cur autem in feudis id non liceat ſimiliter? non conveniunt Interpretes, & in aſſignanda ratione variare deprehendere licet: dicunt enim aliqvi ideò aſcendentes non admitti, quia non præſumitur, qvod pater & aſcendentes recipientes feudum tanquam ſeniores, poſſint eo modo aſſiſtere Domino, qvemadmodum deſcendentes juvenes: Cum virtus in Juvenibus ſit potentior, qvàm in ſenibus. Alij cum Gloſſâ putant, propterea hanc conſvetudinem ita receptam fuiſſe, quod ex naturâ feudi aliud conſtitui non potuerit, huncq; effectum operetur virtus verborum expreſſorum, vel tacitè ſubintellectorum, & inveſtitura, in quâ providetur Vaſallo & hæredibus ſuis: Hæres autem in materiâ feudali capiatur pro filio. Nonnulli ſeqvuntur *Franciſci Duareni* conjecturam *de Feud. C. 11. num. 10.* Quod cum antiquiſſimo Jure in feudis nulla eſſet ſucceſſio, & rarius eveniret, filios ante parentes ſuos decedere, & hi ad ſucceſſionem eorum ita rarius vocari: feuda qvoad aſcendentes priſtinum ſuum Statum omnis ſucceſſionis expertem retinuerint. Sed opinio *Gloſſæ* multos ſeqvaces habet: ſcilicet eam eſſe naturam feudi, ut non transmittatur ad aſcendentes: ſi enim feudum ſit antiqvum, impoſſi- 37 38 39 40

 ſi-

ſibile erit, ut pater vel avus ad ſucceſſionem admittantur. Si Novum: Vaſallo ſine deſcendentibus mortuo, non ad patrem ſed Dominum revertetur. *Mynſing. Cent. 3. obs. 93.* Cum primus feudi adqvirens liberis & poſteris ſuis
41 gradatim illud acqviſiiſſe cenſeatur; eaq; præpoſtera foret ſucceſſio quæ à nepote, pronepote, aut alio inferiore ad filium, aliumve ſuperiorem reverteretur.

42 Limitatur tamen Primò, ſi pater in favorem filij feudo renunciaſſet cum pacto: *ut filio primum morienti pater ſuccederet*: Quia absq; dubio hæres Feudalis exiſtet. *C. Extraord. qvoddam uſui.* Imo etiam absque tali pacto: ſi pater in favorem filiorum feudum refutaſſet, & filij poſtea patre ſine liberis ſuperſtite morerentur. Ita in Camerâ Imperiali, cum ex facto contigiſſet, judicatum fuiſſe notanter tradit *Mynſing. d. Cent. 3. obs. 93.* Idem tenent *Roſenth. de Feud. cap. 7. Concl. 27. Weſemb. c. 6. n. 8.*

43 Limitatur Secundò, ſi filius eſſet inveſtitus contemplatione Parentis & propter ſervitia ejus. *Roſenth. d. Concl. 27.* addatur textus *in l. Sed etſi plures. §. In arrogato. ff. de Vulg. & pupill. Subſt.* In qvâ doctiſſimè exponit *Bartolus*, quando quid contemplatione patris factum dicatur, qvi omninò videatur.

44 Opinionem *Mynſingeri* dicentis feudum antiqvum non transmitti ad aſcendentes ita ſimpliciter probare non poſſum: quanquam ſciam *Alvarott. in C. 1. de Natur. ſucceſſ. Feud.* ejus qvoqve eſſe mentis, & apertè teſtari, ſe non videre qvomodo de facto posſit adoptari, ut feuda antiqua ad aſcendentes transmittantur: Niſi fortè ſermo ſit de lineâ aſcendente transverſali, in qvâ hanc probat ſuccesſionem; ſecus in lineâ directâ. Ratio autem contra
45 *Alvarottum* hæc eſſe poteſt: quod potior in hiſce feudis aſcendentium ſit ratio, quàm deſcendentium: Quia feudum paternum non poteſt pervenire ad filium patre ſu-
46 perexiſtente, eò qvod pater prior admittatur; Niſi filio ces-

ceſſerit Jus ſuum. Ponimus & hunc caſum *Ex Andr. de Iſern. in d. C. 1.* in Avo, qui emancipavit filium, & dedit feudum antiqvum nepoti ſuo nato ex dicto filio, qvod ipſi fas eſt per *tit. 39. lib. 2.* Moritur avus, & demum nepos exiſtente filio. Quæritur quis ſuccedat in hoc feudo antiqvo? Et intreppidè reſpondetur, hunc ſuperſtitem filium omninò ad ſucceſſionem admittendum non Jure ſucceſſionis, ſed antiqvo ſuo Jure.

Tertius ex Jure ſcripto ſucceſſionis ordo ad Collate- 47
rales pertinet. Quos in feudis qvoq; ſuccedere non uno in loco in libris Feudorum expreſſè legitur *tit. 1. §. Cum verò. lib. 1. tit. 11. lib. 2. & in Conſt. Conrad. de Beneficiis.* Sed 48
huic Juri conformius dicitur ſucceſſionem Collateralem locum non habere, eo qvod non tàm ſuccedatur proximo defuncto, quàm primo acquirenti; Cujus ſucceſſor cenſetur eſſe in lineâ deſcendente. Nec obſtant textus alle- 49
gati mentionem facientes ſucceſſionis Collateralis: Quia ij proprie accipiẽdi non ſunt de lineâ Collaterali primi acqvirentis, ſed ipſius poſſeſſoris. Unde in feudo ex Pacto & Providentiâ ſucceditur tantum primo acquirenti, ad quem ſuccedens reſpicit *Borch. cap. 7. num. 93.* qui reſpectu illius in- 50
ter deſcendentes numeratur: Quanquam ſecundum Civilem computationem in lineâ Collaterali conſtituatur. Inde demum hæc ſucceſſio Collateralis in feudis obtinuit.

Quando itaque ad lineam transverſalem Feudum 51
transmittendum eſt, ante omnia inſpici debet qualitas feudi, an nimirum ſit antiqvum vel novum? *ſi antiqvum:* 52
poſt liberos vocabuntur fratres cum fratrum demortuorum filijs, aut etiam agnatis ulterioribus. *tit. 11. 12. & 18. lib. 2.* Eo qvod à communi omnium parente, reſpectu cujus hi omnes deſcendentes cenſentur, hoc feudum profectum dicatur. *Si Novum:* frater in feudo à fratre acqvi- 53
ſito minimè ſuccedit, *d. tit. 11. §. His verò. & tit. 12.* quia fratres vel agnati non poſſunt dici mutuo reſpectu poſteri, quibus ſaltem feudum novum qværitur, aut his deficien-

tibus ad Dominum revertitur, ut nequidē acqviſitio operâ aut pecuniâ cōmuni facta quicquam importet. *tit. 12. lib. 2.*
54 Excipe caſus Primò, ſi Dominus ſciverit ex communi maſſâ feudum communi nomine comparatum eſſe *Schneid. P. 6. num. 3. Roſenth. cap. 7. Concl. 126.* aut etiam bello partum armis communibus, equisve acquiſitum ab hoſte Do-
55 mini. *tit. 20. lib. 2. Sonsbeck. P. 9. num. 83.* Secundò ſi pacto cautum reperiatur, ut collaterales in feudo novo ſuccedant; hoc etenim caſu fratres ſive Agnati indubiè admittuntur per *text. tit. 20, lib. 1. Schrad. P. 7. num. 2. Sonsbeck. P. 9. num. 80. Mozz. de Divis. Feud. num. 56.* Tertiò ſi feudum detur in ſolidum cuilibet: defuncto enim uno, alteri nihil decedit, ſed ad ſuperſtitem totum devolvitur, non Jure ſucceſſionis, aut accreſcendi, ſed Jure ſuo proprio, & Jure non decreſcendi, *Roſenth. cap. 7. Concl. 122.*
56 Quartò, ſi Feudum fuerit individuum: Nam frater in eo fratri ſuccedit ſecundum vulgò traditam Feudiſtarum doctrinam. Quanquam nihilominus ad æſtimationem dimidiæ partis hunc ſuperſtitem fratrem teneri putet. *Ro-*
57 *ſenth. d. cap. 7. Concl. 122.* Quintò, deniq; limitatur regula allegata dicens: in feudo novo non ſuccedere fratres: Niſi conſveudine hæc ſucceſſio Collateralis recepta probetur. *Roſenth. d. C. 7. Concl. 127.*

58 Si ergo plures fratres hiſce & alijs modis in feuda Jus habentes ſuccedere volent, illi utiq; admittendi erunt æqualiter, ſi æquali Jure fundentur: qvod nullum dubium habet in utrimq; conjunctis. *Gail. lib. 2. obs. 151. num.*
59 *6.* Sed in Uterinis magis dubitatur, communiter tamen concluditur, tales omninò non admitti. Ex ratione: Quia finitum eſt genus primi acquirentis feudum, quando ſolum adeſt frater uterinus; & cognati non ſunt agnati, in quibus nulla eſt ſucceſſio feudalis. *tit. 11. lib. 2.* Cum qvâ hoc in paſſu Jus Civile concordat. Aſt in ſequenti difficultate
60 maxima diverſitas deprehenditur: An ſcilicet frater u-

trim-

trimque conjunctus excludat conſanguineum ? De jure Civili rem expeditam eſſe ſupra vidimus, nempè hunc excludi propter duas qualitates in utrimq; conjuncto concurrentes. De Jure Feudali contrarium ſtatui ex [illegible] 61
cap. 7. Concl. 130. Schneid. P. 6. num. 7. & alijs dicimus. Et quamvis textu expreſſo deſtituamur : Ex ſeqventi tamen ratione huic concluſioni inhærendum erit : Nam ideò cum utrimqve conjuncto admittimus conſanguineum, qvia Jus Agnationis in utroqve conſideramus, quod ad qualitatem feudalem ſufficit. Nec juvant utrimque con- 62
junctum duæ in eo concurrentes qualitates, qvandoqvidem cum altera ipſarum ſit impertinens, non auget effectum : Niſi fortè de fructibus feudi contrarium concludere quis vellet, qui â ſolo ſeparati allodiales cenſentur, & conſequenter ad utrimqve conjunctos pertinent, excluſis alijs. *Bald. Cons. 34.*

Quidſi fratrum filij cum patruís ſuperſtites ? An & 63
illi cum his concurrant in ſucceſſione Feudali ? Concurſum communiter admittunt Feudiſtæ Jure repræſentationis, qvod in Feudis obtinere, & ſucceſſionem in ſtirpes tribui diximus. *Borch. C. 7. P. 2. Mynſing. cent. 3. obs. 94.* Non 64
tantum in feudo ſimpliciter hæreditario & mixto; ſed etiam ex Pacto & Providentia : qvod ultimum fortiter impugnat, *Menoch. Cons. 498. num. 19.* ſed minus rectè; cum generali conſvetudine Germaniæ ſententia prior obtineat, ut fatetur *Herman. Vult. lib. 1. de Feud. cap. 9. num. 109.* qvi tamen *Menochij* opinionem veritati theoriæ magis conſentaneam docendo amplecti mavult. Secus eſſet 65
in concurſu patrui defuncti cum filio Fratris : Qvi non tantum per fratris filium de Jure Communi Civili excluditur, *Auth. Poſt fratres. Cod. de Legit. hæred.* ſed etiam Feudali; præſertim cum hoc jure nihil expreſſè hoc in caſu cautum reperiatur : Et hinc deciſioni Juris ſcripti ſtandum ſit, *tit. 1. pr. lib. 2.* Rationem ſumere licet ex *tit. 50. §.*

Pa-

66 *Paternum. lib.* 2. Quia ſicut in feudis non ſuccedunt aſcendentes, atqve hi excluduntur per deſcendentes; eodem modo patruus, qui eſt in lineâ transverſali aſcendentium, excluditur per filium fratris, qvi eſt in lineâ transverſali deſcendentium: Conſeqventer filius fratris ſuccedit in cellulam patris. Sed patruus non habet aliam cellulam, niſi ſe ipſum, qui remotior cenſetur, & filius fratris proximior per fictionem.

67 Notandum ad prædicta de repræſentatione filiorum fratrum cum patruis; eam tunc non obtinere, quando per tenorem inveſtituræ ſecundum gradus prærogativam aut ſimilem modum, quo proximiores vocati ſunt, feudum conceſſum eſt: Tunc enim filius fratris repræſentationis Jure non venit, ſed excluditur à fratre. *Roſenth. cap.* 7. *Concl.* 56. *n.* 14.

68 Quodſi verò ſoli fratrum filij ſuperſtitis reperiantur. An in Capita vel in Stirpes ſuccedent? *Mynſing. Cent.* 3. *obs.* 94. *num.* 2. dicit Interpretes mirè conflictari, & tandem *num.* 4. hanc dubitationem ex Lege noviſſimâ in Comitijs Spirenſibus Anno 1529. habitis ſolvit, ita ut hujusmodi filij ſoli non in Stirpes, ſed in Capita admittantur. Ex indubitatâ regulâ: omnes transverſales ejusdem gradus ad ſucceſſionem in Capita vocari. *l. Lege.* 12. *Tab. Cod. d. Leg. hæred. l.* 2. *§. Hæreditas. ff. de Suis & legit. hæredib.* Et be-

69 nè: Nam cum ſimiliter hiç caſus in Jure Feudali expreſſus non ſit; Ideo meritò diſpoſitioni Juris ſcripti relinqvitur. Ex quibus ſeqvitur, cœteros Agnatos in pari gradu exiſtentes eodem modo in capita ſuccedere, & feuda acquirere poſſe.

70 Cum hîc loci de gradibus mentio fiat, opportunè eorum determinatio decidenda venit; quæ eo difficilior videri poteſt, quod tàm diverſæ reperiantur Feudiſtarum opiniones; Ut alii ad quartum: alij ad ſeptimum, alii in infinitum hujusmodi ſucceſſionem extendant: Dicunt enim ideò

ideò ad quartum gradum, *tit. 1. lib. 1. §. Hoc qvoqve.* eam 71
coarctatam eſſe: qvod ab initio & uſu ab antiquis conſtituto admodum ſtrictè accepta fuerit, nec ultra fratres & patrueles progreſſa. Quod etiam ſimiliter ſeptimi gradus mentionem ex poſtfacto fecerit. *tit. 8. §. Hoc qvoqve. lib. 1.* Id ex aliqvorum ſententia approbatum eſſe *tit. 1. §. Hoc qvoqve. lib. 1.* Quam tandem in infinitum admittere placuit. *tit. 31. & 50. lib. 2. Bald. in C. 1. §. Et qvia vidimus. qui Feud. dar. poſſ.* diſtinctione rem expedire conatur, & di- 72
cit: aut tractari de ſucceſſione Collateralium per mortem Vaſalli: & hoc caſu admittit Collaterales ad ſeptimum gradum usque. Aut de ſucceſſione eorundem in bonis Vaſalli qui privatur feudo ex aliqvo dèlicto: & tùm in infinitum. Rectius tamen hæc diſtinctio à plurimis rejicitur: Cum inconveniens videatur, quod agnati debeant eſſe melioris conditionis, qvando Vaſallus privatur feudo propter delictum, ut ſic ſuccedat in infinitum: quàm quando ipſe Vaſallus, ut ſic ſuccedat ſolum usqve ad ſeptimum gradum. Ideoqve melius ſentiunt ij, qvi ſeqventi diſtinctione controverſam Interpretum mentem conciliare ſtudent ut dicant: qvod, qvando feudum primordialiter 73
tranſitum facit, de perſonâ acqvirentis in deſcendentes ſuos: collaterales ſuccedant in infinitum. *tit. 50. lib. 2.* Si verò non fecerit hunc tranſitum de perſonâ acqvirentis in deſcendentes, & adhuc ſtet in perſonâ ipſius acquirentis: ad ſeptimum gradum uſque, intellige in caſibus, in qvibus alias hi ſuccederent, & nullo Jure excluderentur. Ita in effectu etiam tradidit, *Laudens. in d. §. Et qvia vidimus.* Hæc computatio graduum non ex Jure Canonico; 74
ſed ex Jure Civili deſumenda erit: Illa enim inrroducta eſt ad ſciendum qvousqve matrimonia ſint licita vel illicita; non ad diſtinguendam ſucceſſionem. *Andr. de Iſern. in d. §. Et qvia vidimus. in pen. Col. Schneid. P. 6. n. 16.*

Notandum tamen circa prædicta de ſucceſſione Col- 75

lateralium uſqve ad ſeptimum gradum: eam non ſemper & ſimpliciter procedere, ſed qvandoque limitari; præcipuè verò ſi agatur de ſucceſſione Regni: qvia illa in infinitum extenditur. Et ſi contingeret totam Domum Regiam extingui, unumq; ſaltem de ſangvine Regio ſupereſſe;
76 Hic unus admitteretur, & ſucceſſio Regia ei deferri deberet; etiam ſecundum *Bald. in tit. 1. lib. 1.* ad milleſimum gradum usq;, prout in ſpecie de Domo Borboniâ tradidit. Quod itidem fecit *Gudel. de Jur. Feud. P. 3. cap. 2. n. 8.* di-
77 cens: qvod inter *Henricum Borbonium, & Henricum Valeſium Regem hujus cognominis poſtremum* generationis ſeu gradus unus & viginti reperiantur; quippè communis eorum progenitor d. Ludovicus fuit.

Hactenus de permiſſâ feudali & agnatis debitâ ſuc-
78 ceſſione actum eſt: Occaſione cujus nunc hæc quæſtio intercedit; An qvis poſſit feudum obtinere repudiatâ hæreditate proximi poſſeſſoris? Ad ejus ſolutionem ſcio Feudiſtas diſtinguere inter agnatum & filium, *per textum in tit. 45. lib. 2.* ad hunc ſcilicet finem, ut agnatus repudiatâ hæreditate in feudo ſuccedere valeat; filius non item. Ex ratione, quam affert *Hotom. de Feud. cap. 19.* in his verbis: *Qvia* inqvit, *filius patris beneficio ſaltem ſecundario feudum adipiſcitur, ut dici ſolet nepotem per patrem affici beneficio l. Si ex patronis. 10. ff. de Bon. libert. Itaqve non eſt æqvum, ut eum, à qvo beneficio affectus eſt, lædat: Intereſt autem memoriæ defunctorum ne ſucceſſoribus careant. l. 6. ff. de Interrog. act. atqvi in aliâ ſtirpe eſt vel linea is, qvi non agnati proximè defuncti beneficio feudum adipiſcitur, neqve unqvam hæreditas cum feudo confuſa eſt; itaqve adventitiam agnati hæreditatem repudiare poteſt: feudum tamen, qvod ex parentis communis beneficio ipſi defertur, retinebit.*

79 Limitatur hæc ſententia Primò in *Feudo Novo*, in qvo nec filius nec agnatus repudiatâ hæreditate admittuntur. *Mozz. de Nat. feud. num. 71.* quia habetur à defuncto, cui non-

nonniſi mero ejus beneficio ita ſucceditur; ut non retineatur absqve hæreditate: quod tantum in *Feudo Antiqvo ex Pacto & Providentiâ* locum habet. *Clar. in §. Feudum. Quæſt. 76. num. 3. Borch. C. 7. num. 94.* Videatur *Iſern. & Aſſlict. in cap. 1. An agnati vel fil. poſſ. retin. feud. repud. hæred.*

Limitatur Secundò in *Feudo abſolutè hæreditario & mixto*: in qvibus itidem neq; agnatus hæreditatem repudiare & feudum retinere poſſunt. *Gail. 2. obs. 154. num. 11. & 12.* Ratio ex abſurdo deſumitur: Nam ſi agnato hoc liberum eſſet, ſeqveretur partem hæreditatis unam hæredem repudiare, alteram ſervare poſſe: Quod fieri non permittitur eo, qvod feudum hæreditarium ſit pars hæreditatis defuncti generaliter ejus hæredibus conceſſa, qvam agnatus agnoſceret, reliqvam repudiaret. Aliud eſſet in caſu, quo filius & feudo & hæreditate repudiatis ex poſtfacto interveniente conſenſu agnatorum à Domino inveſtiretur: Tunc enim feudum absq; hæreditate ſubſiſteret. *d. tit. 45. 2. Feud.* Vid. *Piſt. lib. 2. Quæſt. Jur. Q. 2.* ubi hanc noſtram opinionem ſolidiſſimis argumentis propugnavit.

A modo relatâ qvæſtione videtur dependere illa: 80
An ſucceſſor feudalis teneatur ſubire onera Vaſalli defuncti? Quam *Andreas Gailius d. obs. 154.* per totum tractat, rectè diſtingvens: An Feudum ſit antiqvum ex Pacto & Providentiâ, Stammlehen / aut hæreditarium. *Si primum:* Agnatus, ſi non & allodialia defuncti bona acceptaverit, ad ſolutionem æris alieni non tenebitur: aut nonniſi de 81
fructibus illius anni qvo mortuus eſt Vaſallus. Addit rationem *Gailius n. 2. Nam*, inquit, *ad feudum antiqvum vocantur proprio & jure ſangvinis ex pacto & Legis providentiâ,* 82
non judicio teſtatoris, vel beneficio Vaſalli defuncti, ſed primi acqvirentis: Et notum eſt, onera & debita hæreditaria præſtanda, & ſolvenda eſſe ab hærede univerſali; qualis non eſt hic ſucceſſor Feudalis, qui rectè objicit exceptionem

nem non fundatæ intentionis: Tibi non competit actio contra me; quia non ſum hæres hæreditatis ſed ſangui-
83 nis. *Gail. d. obs. num. 4. Si ſecundum*, id eſt ſi Feudum ſit hæreditarium, ſive illud ſit novum ſive antiqvum: Communiter concludi dicit *Gail. num. 10.* Succeſſorem æs alienum à defuncto relictum ſolvere debere, non tantum filium: quia non ex perſonâ propriâ ſed patris repræſentationis Jure venit, ſed etiam agnatum, qui defuncto hæres exiſtit. *Vid. Gail. num. 18.* Nullâ factâ diſtinctione an fuerit confectum Inventarium vel non: qvod putavit *Piſt. lib. 2. Quæſt. Jur. Q. 2.* Nam nihil ad liberationem debiti à defuncto contracti Inventarium conferre dicit *And. de Iſern. in C. 1. Qui ſucceſſ. teneant. Afflict. in C. 1. pr. num. 4. de Succeſſ. Feud.* De cœtero num feuda in legitimam imputentur *ſupra Part. 1. Cap. 1. ſect. 10.* diximus. qvo Benevolus Lector remittitur.

84 Ex hiſce omnibus perſpicuè obſervare qvilibet poterit, quomodo ſucceſſio perſonarum, & earum qualitates, qualitati feudali correſpondere debeant; ita nempè, ut poſteri, & deſcendentes maſculi; ſivè Germani ſivè Conſangvinei, ſivè Uterini, ſi feudum à matre profectum ſit; Imò etiam in defectu liberorum Collaterales in feudo præſertim antiqvo admittantur, excluſis tàm fœminis & ex hi-
85 ſce natis, quàm etiam aſcendentibus, & ijs, qui nullâ ſanguinis neceſſitudine ſe invicem attingunt, ut ut etiam affinitatis neceſſitudo dicatur: Quia pro extraneis habentur, & in ſucceſſione feudali minimè agnoſcuntur. Niſi Feudum ſit ſimpliciter & abſolutè hæreditarium, ſuſceptum ſcilicet *pro ſe & quibus dederit*, aut etiam conceſſum cum liberâ alienandi poteſtate: In ijs enim extranei ſuccedunt: Et ita de facto in materiâ Emphyteuticâ ſe conſuluiſſe dicit *Curt. Jun. P. 2. in f.* Nec non etiam Uxor aut Maritus. Non item in aliis, in quibus Dominus præfertur contra ordinem alias in allodialibus de Jure Civili præſcrip-

ſcriptum, quo maritus vel uxor præferuntur. quod in feudis non obtinet. *tit.* 5. *lib.* 1. Adeo ut illud in dotem datum; 86
niſi ſpecialiter maritus & ſuo nomine de eo inveſtitus fuerit, ſoluto matrimonio revertatur ad Dominum, *tit.* 8. §. *Quamvis. lib.* 2. ſecundum Regulam quæ habet: *Reſoluto jure dantis, reſolvitur Jus accipientis.*

SECTIO VIII.

De Sexus & Agnationis Conſideratione in Succeßionibus Feudorum.

SUMMARIA.

1 *In Succeſſione Feudorum imprimis conſideratur ſexus & agnatio.*

2 *Fœminæ in iis regulariter non admittuntur.*

3 *In Civilibus non procedit hæc Regula: quia iisdem Juribus gaudent ac maſculi in materiâ ſucceſſionum.*

4 *Quinq; rationes hujus excluſionis. Quæ tamen paſſim refutantur.*

5 *Gloſſa putat pro ratione excluſionis eſſe voluntatem.*

6 *Rectius dicitur eam deſumptam eſſe ex legib. 12. Tab. quibus agnati tantum ad ſucceſſionem vocantur.*

7 *An in caſu, quo feudum pro ſe & hæredibus conceſſum eſt, fœminæ admittantur?*

8 *Hæredes in Jure Feudali interpretamur maſculos & ex iis deſcendentes.*

9 *Quid ſi feudum conceſſum ſit pro ſe & hæredibus quibuscunque, an tunc quoq; fœmina excludatur?*

10 *Hæc quæſtio adeo dubia eſt, ut quo magis quis legit, eo magis ſe confundat.*

11 *Aliqui vocabulum quibuscunque ad perſonas habiles reſtringunt.*

12 *Alij putant ſui generalitate etiam fœminas complecti.*

13 *Origo totius hujus contentionis ex contradictione Baldi.*

14 *Uno in loco Baldus verbum quibuscunque ad habiles reſtringit, ne ſpecialia inducantur: in altero contrarium dicit, & fœminas admittit.*

15 *Ex quibus contradictio aperta elicitur.*

16 *Garzonij ſententia de probabilitate*

tate argumentorum utriusque partis.

17 Quare Deum orandum exiſtimat qui in has contentiones inciderit, ut rectum Judicium illi tribuat.

18 Sententia diſtinguens Garzonii: An Dominus ſciverit Vaſallum non habere filios & non ſperare: aut Dominus ſciverit non habere agnatos maſculos.

19 In hac opinionum diverſitate nihil ego aſſirmare auſim propter authoritatem graviſſimorum JurisConſultorum.

20 Molin dicit in hoc articulo quanto plus legerit tanto minus decernere potuiſſe.

21 Quid quid ſit, malim tamen ſtare Regulæ Juris Feudalis excludentis fœminas, quæ certa eſt.

22 An eodem modo maſculi ex fœminis deſcendentes excludantur ac ipſæ fœminæ?

23 Affirmativa verior: quia infectâ radice, infectum eſt omne quod ab eâ deſcendit.

24 Erutâ radice arborem ſicceſcere neceſſe eſt.

25 Duæ rationes, quod fœminæ ad deſcendentes ſuos non poſſint transmittere ſucceſſionem Feudalem.

26 Fœmina non eſt agens aptum ad operandam transmiſſionem, licet maſculus ſit patiens aptum ad confirmandum ſi fieret transmiſſio.

27 Limitantur prædicta in feudo fœminino.

28 Intellige tamen ſi maſculi non extent: his enim exiſtentibus fœminæ rejiciuntur.

29 An feudum fœmininum tribuatur ex ſpeciali pacto vel tale ſit ex qualitate ſuâ.

30 Fœminæ in Feudo Franco admittuntur diſſentientibus tamen nonnullis.

31 Si in Feudo Franco præſtetur Juramentum fidelitatis an nihilominus fœminæ locus erit?

32 Negativa ſententia ſicut & diſtinguens rejiciuntur.

33 Affirmativa probatur per tit. 104. lib. 2. Feud.

34 An capitula extraordinaria in Jure Feudorum authentica ſint?

35 Plus ponderis habet unus textus quamvis extraordinarius, quàm omnes Doctorum authoritates.

36 Explicatur ulterius textus ab Hermanno Vultejo.

37 Argumentum deductum à ſurdo & muto imperfectis ad fœminam.

38 Fœmina ſuccedit in feudo ad certum ſervitium: conceſſo quod decenter & honeſte ab ea explicari poteſt.

39 An feudum acquiſitum titulo & Jure Emptionis etiam tranſeat ad fœminas?

40 Ratio Gailij affirmantis.

41 In feudo empto ideò ſuccedere dicitur, quod emptitia qualitas importet Jus allodij, cujus æque capaces ſunt fœminæ ac maſculi.

42 Nat-

42 *Natta dicit ſtultum videri in feudo empto attendere regulas feudales. Intellige ſi integro pretio emptum ſit.*
43 *Quid ſi pars pretii tantum data eſſet, & pro parte ſervitiũ præſtaretur aut ſi conceſſum ſit pro filiis maſculis & ex iis deſcendentibus?*
44 *Diſſentientes Gailium & Mynſingerum Vultejus conciliare ſtudet.*
45 *An de feudo empto filiæ poſſint detrahere legitimam.*
46 *An fœmina in feudo Ligio ſuccedat?*
47 *An ſi fœmina aſſveta diceretur armis, ideo habilis ad feuda eſſet cenſenda?*
48 *Succedit fœmina, ſi Dominus fecerit gratiam filiæ maſculis non extantibus aut ſi redimat feudũ.*
49 *Succedit ſimiliter in hæreditario abſoluto & conceſſo pro ſe & quibus dederit Vaſallus.*
50 *An in feudis exiguis eas quoque admitti fas ſit?*
51 *Non valet conſeqventia: Juramentum fidelitatis remiſſum eſt, ergo & ſervitia remiſſa cenſentur.*
52 *Feudum exiguum quodnam dicatur?*
53 *Quid Juris, ſi duobus fratribus feudum conceſſum ſit pro ipſis & eorum hæredibus maſculis & fœminis?*
54 *An verum ſit quod quidam dicunt fœminam in omni feudo improprio ſuccedere?*
55 *Negatur niſi feudum improprietur in eo quod fœmina admittatur.*
56 *Garzonius quadraginta duas affert limitationes, quibus probat fœminas ad feuda admitti.*
57 *Succeſſio feudalis fœminis non tantum ex qualitate feudi, ſed ex ſpeciali pacto inveſtituræ adjecto debetur.*
58 *Quid verbum: ſpecialiter, importet?*
59 *Quomodo intelligendum quod dicitur hæc pacta generaliter eſſe concipienda?*
60 *An ſub factâ mentione filiorum in pacto etiam intelligantur neptes, quemadmodum ſub vocabulo filiorum nepotes?*
61 *Quid ſi feudum concedatur pro ſe & maſculis & uni fœminæ; & plures ſint fœminæ: Quænam illis cenſeatur vocata?*
62 *Variæ ſententiæ. Verior tamen illa admittens primogenitam.*
63 *Vigore conſvetudinis fœminæ in quocunque feudo ſuccedere poſſunt*
64 *Hujusmodi conſvetudines in pleriſque Chriſtiani orbis Regnis obtinent.*
65 *In Hiſpania Exemplum habemus in ſucceſſione Joannæ Ferdinandi Regis Catholici filiâ, quæ per matrimonium cum Archiduce Philippo ad Sereniſſimam Domum Auſtriacam devoluta eſt.*
66 *Eodem modo ſuccedunt in Brabantia, Lucembergo Flandriâ Hannoniâ &c.*

67 E-

67 *Exemplum in Maria Caroli Audacis filiâ unicâ, quæ omnes eas ditiones per nuptias cum Maximiliano Imperatore contractas in Auſtriacam Familiam detulit.*

78 *Quid de hæreditariorum Regnorum ſucceſſione in fœminis ratione matrimonii obſervandum ſit? exponit Betſius.*

69 *In Franciâ vigore Legis Salicæ fœminæ non ſuccedunt, & Corona in Colum, ut ajunt, non cadit; nec etiam appanagia.*

70 *Contentio inter Carolum Quintum Imperatorem & Franciſcum Primum Galliæ Regem ratione Burgundiæ Ducatus, quem ille utpote hæreditarium vindicare volebat: Altero eundem tanquam appanagium ex defectu Lineæ maſculinæ ad ſe reverſum aſſerente.*

71 *Ducatum Burgundiæ à fœminis poſſeſſum atque profectum oſtendit Choppinus.*

72 *Controverſia de ſucceſſione fœminarum & ex ijs deſcendentium in Regno Franciæ inter Regias Angliæ & Franciæ Familias ab Eduardo Tertio Philippi, Cognomento Pulchri ex Iſabella filia nepote.*

73 *Gallorum Fundamentum: Legibus Salicis non admitti fœminas.*

74 *Angli ex eo tempore titulum & arma Regum Galliæ uſurparunt.*

75 *Hæc conſvetudo excludens fœminas in tribus Regiis Familijs ſine interruptione obtinuit.*

76 *An etiam privati tales conſvetudines rectè inducant?*

77 *Hæc omnia de feudis ita ſe habent in ſucceſſione fœminarum quando linea maſculina defecit.*

78 *An etiam obtineat in maſculis deſcendentibus ex fœmina?*

79 *Nepos ex filia excludit nepotes ex filio.*

80 *Quid ſi feudum datum ſit pro certo ſervitio, quod ita explicari poſſit per fœminam ac per maſculum?*

81 *An, ſi duæ ſorores de feudo fœminino inveſtiantur, & altera maſculum pariat, hic ſororem aliam excludat?*

82 *Negativa verior, quia Regula Juris Feudalis præferens maſculum non habet locum in feudo acquiſito.*

1 IN ſucceſſione Feudorum imprimis conſideratur ſexus & agnatio; quia naturam eorundem præcipuè tangere videtur, quæ in eo ſe præ reliqvis fundat, ut perſonæ habiles & ad ſervitia aptæ hiſce juribus donentur: Quam perſonarum habilitatem in fœminis deeſſe jam dudum apud

apud Feudiſtas compertum eſt: Regulariter enim non ad- 2
mittuntur *tit. 1. §. Hoc autem notandum. lib. 1. tit. 11. & tit. 50. lib. 2. Curt. Jun. P. 3. Tract. Feud. Quæſt. 1. Graſſ. in §. Succeſſio ab inteſtato. Quæſt. 4. num. 1.* ubi plures refert. Addatur *Schrad. de Feud. P. 7. c. 4. num. 1. Clar. §. Feudum. Q. 73. num. 1. Sonsbeck. P. 9. num. 119.* & alii, qvi hanc regulam 3
Juris certam, generalem, & communem in Feudis tantum declararunt: In Civilibus enim exploditur, in quibus fœmina ijsdem ſuccedendi Juribus & Privilegijs gaudet, ac maſculus. Quod ſupra *Part. 2.* ſat demonſtratum fuiſſe nobis perſvademus.

Hujus excluſionis fœminarum quinqve rationes 4
affert *Bald. in l. Qvoties. in pen. Col. de Suis & leg. hæred.* De quibus jam ſupra parum locuti ſumus. *Prima* quod fœminæ arma ferre non poſſint. *Secunda* propter publicam honeſtatem, quæ non patiatur ut cœtui virorum ſe immiſceant. *Tertia,* propter fragilitatem conſilij. *Quarta,* propter lubricitatem voti: cum *qvater mutetur in horâ. Quinta,* propter periculum ſecreti, quod reticere non poſſunt. Sed cùm hiſce ſtantibus ſequeretur nullo modo admittendas, nec ullo unquam pacto vocandas eſſe fœminas: Ideò allatæ rationes meritò rejiciuntur. *Hierony. Garzon. in Tract. de Fœm. ad feud. recipiend. vel non. num. 8.*
Rationi *Gloſſæ in d. §. Hoc autem notandum.* inhæret, quod 5
ſcilicet pro ratione ſit voluntas: Cum enim cœpiſſent feuda à liberalitate Dominorum per viam gratiæ vel conventionis, & primis Authorib⁹ placuiſſet ne fœminæ comprehenderentur, & paulatim deinde moribus ita receptum & obſervatum fuiſſet, atqve temporum curſu obfirmatum, ut ſecundum illam originem perpetuò interpretemur: Hinc Regulæ ſupra allatæ excludenti fœminas ſtandum eſſe putat. Sed rectius cum *Valent. Forſter. de Succeſſ. lib. 4. cap.* 6
23. num. 48. in f. exiſtimarem illius conſvetudinis rationem deſumptam eſſe *ex Legib. 12. Tabularum,* quibus agnati tan-

tum ad ſucceſſionem vocantur excluſis fœminis; idqve propter familiæ conſervationem. Et deinde etiam ut bona penes eos remaneant, qui Reipub. in necesſitatibus operam ſtrenuam navare, eamq; ſublevare poſſunt. *vid. Forſt. d. l.* ubi pro eâ conſvetudine plures veteres Juriſconſultos allegat.

7 Prædicta ſententia extenditur Primò ad caſum: quo reperitur *feudum pro ſe & hæredibus conceſſum*: Nam nec tunc illæ admittuntur, qvamvis Jure Communi ſucceſſores omnes etiam fœminæ veniant appellatione hæredis.
8 Eo qvod in Feudalibus contrarium receptum ſit, qvo hæredes interpretamur maſculos & ex ijs deſcendentes, *tit. 1. §. Hoc autem notandum. lib. 1. Gail. 2. obs. 159. n. 1. Mynſing. Cent. 5. obs. 72. num. 5.* ſed quid ſi Feudum conceſſum
9 ſit *pro ſe & hæredibus qvibuscunqve*, an tunc qvoque fœmina excludetur? de hac qvæſtione *Garzon. de Fœm. ad Feud.*
10 *recip. vel non.* ita ſcribit *Reſtrict. 2. num. 80. Certè adeò dubius eſt articulus, ut qvo magis qvis legit, eo magis ſe confundat inveniendo Doctores nedum à Doctoribus diſſidere, verum eosdemmet ſibi invicem contradicere.* Sunt enim, qui verba il-
11 la: *qvibuscunqve hæredibus.* nihil in fœminarum favorem operari volunt, ſed dicunt ea reſtringi debere ſecundum materiam ſubjectam ad perſonas habiles, quales non ſunt fœminæ. Ita tenet *Zaſ. P. 8. num. 26. Verſic. Qvod autem.*
12 *Menoch. Cons. 1. num. 456.* Alij arbitrantur vocabulum *quibuscunque* non recipere reſtrictionem & ſui generalitate etiam fœminas complecti, alias futurum fruſtraneum: cum nihil magis operaretur quam ſimplex verbũ: *hæredibus. Piſt. 2. Quæſt. 1. num. 39. Schrad. de Feud. P. 7. c. 3. num. 1. Roland. à Vall. Cons. 3. 1. 65, Cons. 60. num. 49. & Cons. 96.*
13 *num. 37. vol. 1.* & Alij *à Garzon. d. l.* allegati. Ex quo *num. 80.* collegi totius hujus contentionis originem fuiſſe Authoritatem *Baldi*, qui cùm ſuper *l. Cum virum. num. 21. Cod. de Fideicom.* promptè dixiſſet ex his verbis Feudum extenſum

ſum ad omnem hæredem & venire in reſtitutionem fidei-commiſſi ſicut cætera bona; mox injecit ſcrupulum addens fortè dici poſſe quod talis adjectio referatur ad habiles, non autem ad alioqvi ex Lege Feudorum inhabiles: Quam hæſitationem abſolutè ſuſtulit *in C. 1. §. Donare. num. 4. Qualiter. feud. alien. poſſeſſ.* Ubi omninò ſtatuit hæc 14
verba reſtringi ad habiles, ne ſpecialia inducantur & multiplicentur. Contrarium de directo cenſuit Idem *Bald. cap. 1. Pr. num. 19. de Probib. feud. alienat. per Lothar. & in C. In præſentia. Col. 3. num. 20. de Prob.* qvibus in locis diſertè vult per ea verba intelligi vocata tria genera hæredum: & ſic omnes omninò nedum fœminas, ſed & extraneos & legatarios, ſicqve apertiſſimè ſibi contradicere animadvertitur: nec is tantum, ſed & alij qvos refert idem 15
Garzon d. num. 8. nempè *Alexand. in Cons. 30. num. 11. vol. 1. & in l. Ex facto. §. Si qvis ita. ad SC. Trebell.* Idem facit *Decius in Cons. 292. Col. 2. & in d. C. In præſentia. num. 48.* ut meritò *Garz.* in hæc verba prorumpat: *In has varias tra-* 16
hit opiniones materia ſubjecta, qvæ probabiliter in utramqve partem argumenta recipit ingenij acumen, æmulatio, auri emungendi cupido, adulandi ſtudium, diſputandi ratio, & mala conſcientia. Itaqve ei, qui in has contentiones inciderit, orandus 17
eſt Deus, ut, qvemadmodum cor Judicis in manu habet, ſic rectum Judicium illi tribuat & ad viam veritatis inclinet.

Tandem verò ſententiam ſuam aperit Idem *Garzon.* 18
num. 85. diſtingvens inter tenorem inveſtituræ ita: Aut enim fit inveſtitura ſcienter non habenti filios vel non ſperanti, ubi eſt Clericus vel decrepitus vel valetudinarius: Et tunc ſi dicat inveſtitura pro hæredibus absqve alio ſigno univerſali, venire illos qui venire poſſunt agnati ſcilicet proximi, ſed maſculi tantum: Vel ſi Dominus ſciret Vaſallum non habere agnatos maſculos: eo caſu demum venire fœminas ſed Agnatas tantum: Et ſi compertum haberet eos non extare, extraneos maſculos ſuccedere. Aut

 in-

inveſtitura ſit habenti vel ſperanti filios: Hoc caſu putat
ſatis operari dicta verba univerſalia, ut ſi inveſtitus in pri-
mâ ſucceſſione non habeat maſculos, admittãtur fœminæ
& non ultra, niſi fiat renovatio cum eadem formulâ: quia
tùm idem eſſet de caſu in caſum excluſis Collateralibus &
19 multò magis extraneis. Verùm in hac maximâ opinio-
num diverſitate, & graviſſimâ prudentiſſimorum Juris con-
20 ſultorum contentione nihil ego determinare fermè auſim:
deprehendo enim id, qvod *Molin. in Addit. ad Alexand.
Cons. 30. num. 11. Vol. 1.* Verè dicit: ſe ſe in hoc Juris ar-
ticulo quanto plus legerit, tanto minus decernere potuiſ-
ſe. Sententiam fœminas admittentem vix tueri præſu-
mo; ſed cum *Hermann. Vult. lib. 1. cap. 9. num. 29. in f.*
21 malim Regulæ Juris Feudalis, quæ certa eſt & indubi-
tata, inniti, & deciſionem priorem in hac controverſiâ
amplecti.

22 Eadem ſententia fœminas excludens Secundò ex-
tenditur ad eorum filios maſculos, qui non minus exclu-
duntur ac ipſæ fœminæ. Rationem affert *Curt. Jun. P. 3.*
23 *Quæſt. 1. num. 1.* Quia infectâ radice infectum eſt omne,
quod ab ea deſcendit *l. Si viva matre. Cod. de Bon. mater.* i-
mò etiam cœteri ex ijs deſcendentes, & illi qvoqve qui eâ
mediante defunctum attingunt. *l. 1. ff. Si qvis aliq. teſt. pro-
bib. Roſenth. de Feud. cap. 7. Concl. 109. Tiraqv. de Jur. Pri-*
24 *mog. Qvæſt. 13.* cum exutâ radice arborem ſicceſcere
non minus neceſſe ſit, quàm naturali ratione cogni-
tum.

25 Quod autem fœminæ non poſſint transmittere ſuc-
ceſſionem Feudalem ad deſcendentes ſuos, duæ afferuntur
26 pulchræ rationes, *Una*: qvoniam maſculi ex fœminis de-
ſcendentes carent principio producente: fœmina enim
non eſt agens aptum ad operandam transmiſſionem, li-
cet maſculus ſit patiens aptum ad confirmandum ſi fie-
ret transmiſſio: ſicuti quando de uno ad aliud fit tranſi-

tus

tus per medium, ſi illud medium ſit inhabile, tranſitus impeditur. *Altera ratio*: quod mutato Sexu, non mutetur ratio excluſiva: Et eſt conſequentia firma: Mater excluſa eſt ab hæreditate. Ergo & filius: Mater enim, â qvâ formam ſuccedendi ſumit, eſt inhabilis; ergo qvid qvid ex eâ ſeqvitur, inhabile minusq; idoneum cenſebitur.

Quamvis regulariter fœminæ à feudis excludantur; quemadmodum ex generali allatâ regulâ Juris demonſtravimus: fit tamen nonnunquam, ut generalitas illa per ſpecialitatem mutetur & limitetur. *Primò*, Ex qvalitate feudi: 27
ſi ſcilicet Feudum fuerit fœmininum, qvod originem & principium habuit in fœminis. *tit. 50. lib. 2.* Ubi filia non ſuccedit, niſi ex pacto; vel niſi Feudum ſit Fœmininum. Quam doctrinam aliter non admittit *Garzon. de Fœm. ad Feud. admitt. vel non. num. 24.* quàm in liberis primi matrimonij non autem in alijs, niſi fortè primus maritus non juraſſet: Quod licet durum profiteatur; nihilominus tamen ita ſervandum monet: quia Lex ſcripta eſt, in *tit. 16. §. Mulier. lib. 2.* Cum hac ulteriori reſtrictione, ut fœminæ 28
nonniſi maſculis nō extantib⁹ ad hoc Feudum Fœmininum admittantur. *tit. 30. lib. 2.* Dixi: ſtatim Feudum Fœmininum ex qualitate tale eſſe: ſcio enim non nullos in eâ eſſe ſenten- 29
tia, illud tribui ex ſpeciali pacto, quod Juris Feudalis textibus conſentaneum non eſt. *Herman. Vultej. d. C. 9. num. 40. per tot.*

Secundò. Limitatur in Feudo Franco, vigore cujus 30
nullum omninò ſervitium ſeu onus perſonale præſtandum eſt; in quo fœminæ admittuntur. *tit. 104. lib. 2. Jul. Clar. §. Feudum. Quæſt. 73. num. 7. Forſter. de Succeſſ. lib. 4. Cap. 23. num. 52.* Quamvis contrarium ſentiat *Curt. Jun. P. 3. num. 5.* in verbis. *Ego etiam multum dubito.* Ex ratione: Quod in Feudo Franco & libero, etiam cum Vaſallus ad nulla ſervitia teneatur, ſemper intelligantur ea excepta, quæ veniunt de naturâ fidelitatis Juramenti. Et ſeqvitur *Laudenſem*

31 *ſem.* Quo recidunt & plures alij, qui ejusdem ſunt ſententiæ ſi juramentum hoc fidelitatis præſtetur: Eo quod dicatur ſervitium & onus *Curt. ſen. Cons. 48. num. 12.* Secus ſi Feudum Francum non requireret hoc juramentum: tunc enim admittunt mulierem, non obſtante qvod alias mulier obligaretur ad contenta
32 in formâ fidelitatis tacitè vel expreſſe. Niſi exprimeretur onus vel ſervitium per fœminas regulariter non explicabile. Hæc negativa Curtij, & diſtinguens opinio *Borcholt. cap. 7. P. 2. num. 71.* Juri Feudali conformes non ſunt, ſed
33 potius affirmativa, *Valent. Forſter. d. l.* propter expreſſum textum *in cap. Extraordin. in tit. 104. lib. 2.* Quem tanquam Apocryphum nec authenticum damnant prioris
34 ſententiæ patroni, moti Authoritate Baldi, qvi capitula extraordinaria Authentica non eſſe docere videtur, in *l. Qvotiens. in 11. Col. de Suis & legit.* vel ideò qvod non ſint practicata. Sed male: ut deprehendit *Herman. Vult. d.*
35 *cap. 9. num. 41. Vers. plus tamen.* dicens: plus apud eum ponderis habere unicum textum qvamvis extraordinarium, quam omnes infinitorum etiam Doctorum Authori-
36 tates; *Non video enim*, pergit ille, *cur textui magis credi non debeat etiam ſine ratione qvid ſtatuenti, quàm Doctoribus: Et verò multo magis tùm, cum textus illius ſive deciſionis in illo poſitæ rationes ſint ſatis evidentes, qvarum una in deciſione hujus quæſtionis ſumitur ex C. 1. An mutus &c. id eſt tit. 36. lib. 2. In qvo ratione ſucceſſionis idem ſtatuitur de fœminâ, qvod de*
37 *ſurdo & mutuo, Cæco, Claudo, vel aliter imperfecto. At de muto ſurdo ijsqve ſimilibus dicitur, quod feudum retinere non poſſint, additâ hac ratione, qvod ipſum ſervire non valeat: Cui conſequens eſt, ſi ejusmodi perſona ſervitia præſtare poſſit, & multo magis ſi ſervitia non debeantur, feudum retinere poſſit. Quemadmodum igitur eo caſu imperfectus etiam ſine ſpeciali pacto ſuccedit; ita etiam dicendum eſt, fœminam ex naturâ Feudi Franci in eo ſine ſpeciali pacto ſuccedere.* hucusque *Vultejus.* Ex quibus

bus contraria ſententia facilè refutatur; Et inde *Tertia* 38
Limitatio elicitur; Fœminam in Feudo ad certum ſervitium conceſſo, qvod decenter, id eſt æqve commodè & honeſtè per fœminam explicari poteſt, absq; dubio ſuccedere. *tit. 2. §. fin. & d. tit. 104. Pr.*

Quartò. Limitatur in Feudo acquiſito Jure & titulo 39
emptionis: de quo tamen mirè diſputant Doctores. Sed illud ad fœminam tranſire certum reperio *ex Gail. lib. 2. obſ. 159.* Non tamen ex eâ ratione, quam affert ibidem, 40
quod ſcilicet ideò ad fœminas devolvatur, qvod impropriam Feudi naturam conſtituat, uti jam ſupra vidimus: cum per ſe clarum ſit Feudum improprium, in reliqvis non alteratis propriam Feudi naturam retinere: ſed potius qvod 41
emptitia illa qualitas qvodammodo importet Jus allodij, cujus capaces ſunt æq; fœminæ ac maſculi. Secundum hanc concluſionem in Camerâ Judicatum fuiſſe teſtatur idem *Gail. num. 5. ibi allegans Nattam. Conſ. 159. num. 16.* ubi dicit: Stultum videri in Feudo empto attendere re- 42
gulas Feudales. Gailium ſeqvuntur plures tàm in docendo quàm conſulendo; ſub hac tamen reſtrictione ſi integro pretio emptum ſit, & tale erogatum, qvod æqvivaleat Feudo ſine alio ſervitio: quia nullum beneficium recipit, qvi tantundem ſolvit. Aliud foret, ubi pars pretij data eſſet; 43
& pro parte ſervitium præſtaretur: Aut ſi Feudum ſuſceptum diceretur pro ſe, filijs & deſcendentibus maſculis: qvoniam tunc per maſculos fœminæ excluderentur. *Curt. Jun. P. 3. num. 8.*

Contraria opinio multos etiam habet aſſeclas, qui 44
pro negante ſuâ parte allegant *Mynſing. Cent. 5. obſ. 73. num. 4.* Quem opponunt Authoritati Gaillij. *Herman. Vult. d. cap. 9. num. 44.* qvanqvam magis in negativam pro- 45
pendere videatur, eos ita conciliare conatur, quaſi ambo præjudicia Cameralia rectè allegaverint: pro parte quidem negativâ regulariter: cauſâ nimirum, in quâ ſententiâ

tiâ lata fuit, nullis circumſtantijs ejusmodi limitatâ, quæ ſvaderent fœminam ad ſucceſſionem admittendam fuiſſe: Pro parte autem affirmativâ ita limitatam fortè, qvod Feudum controverſum emptum fuiſſet juſto pretio, vel à ſervitio perſonali immune. De cætero an de Feudo empto filiæ poſſint detrahere legitimam ſupra *P. 1. cap. 1. ſect. 10. n. 32.* vidimus.

46 *Quintò*, Quæritur, an limitetur Regula ſuperius allata in Feudo Ligio? *Curt. Jun. P. 3. membr. 1. num. 13.* expreſſè ſtatuit, fœminas in eo ſuccedere ſicut maſculos; allegans *Alex. Cons. 30. in Col. 2.* quem ſeqvitur *Forſter. de Succeſſ. lib. 4. cap. 23. num. 58.* Contrarium tenet *Roſentb. c. 7. Concl. 101.* & rectius. Altera enim opinio textu aut ratione non nititur. Eam ſequitur *Schrad. cap. 4. num. 9.* & plures alij, qui Speculatorem *lib. 4. P. 3. tit. de Feud. §. 2. Q. 21. num. 41.* inconſideratè citarunt, qui aliter opinionem primam non tenent, quàm ſi de conſvetudine in Feudis hiſce Ligijs fœminæ ſuccedant.

47 *Sextò*, Limitatur per *Curtium Jun. P. 3. memb. 1. num. 9.* in fœminâ, quæ eſſet aſſveta armis: Ubi affert ex *Valerio Maximo tit. de Amor. Conjug.* Exemplum uxoris Mithridatis Regis, quæ ita ſe aſſvefecit in armis amore mariti, ut ſemper præſens eſſet in ejus periculis. Simile producit de Pantaſilea Reginâ Amazonum, & de Zenobiâ Reginâ Orientis, & de Reginâ Auſtriæ: Quam limitationem commendat qvoqve *Andreas de Iſerneria in ſæpius allegato. §. Et qvia vidimus.* Sed qvomodo à Laudenſi impugnetur? in eodem §. videri poteſt.

48 *Septimò*, ſi non extantibus maſculis Dominus faciat gratiam filiæ aut etiam illa redimat Feudum, vel qvod merita Patris id exigant, *tit. 24. lib. 1.* Intellige Feudum ad Dominum reverſum propter defectum Agnatorum. Sed ego exiſtimarem fœminam illud non obtinere Jure ſucceſſionis; ſed Jure contractus, occaſione ſaltem patris, Vel ſe-

ſecundum *Hotomannum* non eſſe tàm ſucceſſionem veteris, qvàm inveſtituram novi.

Octavò, Limitatur in *Feudo Hæreditario abſoluto & conceſſo pro ſe & qvibus dederit* Vaſallus; adeoq; tranſitorio ad ſingulares ſucceſſores. Ita tenet *Valent. Forſt. d. lib. 4. cap. 23. n. 53.* 49

Nonò, in Feudis exiguis. Ita tamen ſi nullum præſtetur ſervitium: Nam ſi illud præſtare oporteat, etiamſi remiſſum eſſet Juramentum fidelitatis, ad fœminas non tranſibit: Non enim ſeqvitur, Juramentum fidelitatis remiſſum eſt, ergo & ſervitia remiſſa cenſentur. *arg. l. 26. ff. de Cond. & demonſt. Hierony. Garzon. de Fœm. ad feud. recip. vel non. num. 123.* illud dicit Feudum exiguum, qvod non affert ultra viginti Uncias Argenti de introitu: Quam determinationem ab Iſernia deſumptam, quamvis ad Regni Feuda particularia pertinere videatur: nihilominus tamen ad uſus Feudorum trahendam exiſtimat, potiſſimum cum Sicilia & Regnum Neapolitanum, de qvibus *Iſern.* loqvitur, regantur Legibus Longobardicis, unde Feuda prodiêre. 50 51 52

Decimò, Limitatur per *Valent. Forſt. d. cap. 23. num. 57.* in caſu Feudi novi, qvando duobus fratribus feudum ſimul eſt conceſſum pro ipſis & eorum hæredibus maſculis & fœminis: Altero enim fratre mortuo iſta filia Patruum & patrui filium excludit *tit. 18. lib. 2.* 53

Undecimò, quidam limitant regulam generalem in omni Feudo improprio, & qvod propriam feudi naturam egreditur. *Vult. d. cap. 9. num. 45.* cum ibidem allegatis. Hanc nimis generalem reſtrictionem probare non poſſum, niſi Feudum improprietur in eo, qvod fœmina admittatur: Improprietas enim feudi illam qvalitatem non ſtatim tribuit: Quia illud, qvod dicitur improprium, reſpectu Feudi recti; non minus proprium erit ratione conventionis, ac illud, qvod propriam habet naturam feuda- 54 55

 lem,

lem, conſeqventer proprium conventionale dicetur. Etſi ad omnia conventionalia Feuda fœminæ admittendæ forent; Regula illa excluſiva aboleri deberet, & ſubſtitui incluſiva: qvod abſurdum nemo admittet; neqve admittere qvisqvam poteſt propter Leges & conſvetudines contrarias, qvibus Feudum alteratum, reſpectu aliorum non alteratorum ſubſiſtit, & propriam naturam Feudi retinet.

Plures limitationes, qvas hic afferre nimis longum foret, videri poſſunt apud *Valent. Forſt. lib. 4. C. 23. per tot.* & præ reliqvis apud *Garz. tract. de Fœm. ad feud. recip. vel non.* In qvo quadraginta duas recenſet, quæ ad ple-
56 nam hanc fœminarum ſucceſſionem feudalem neceſſariò videri debent.

Qvod fœminæ regulariter in Feudis non ſuccedant, non tantum ex qvalitate feudi, de qvâ hactenus diximus,
57 interpretationem reſtrictivam patitur; Sed etiam vi pacti adjecti infringitur, qvando nempè in contractu inveſtituræ primæ fœminis ſucceſſio conceditur, & eæ ſpecialiter vocantur. Tunc enim admittuntur vel ordine ſucceſſivo, ſi nihil dicatur: vel prout Lex dicitur conventioni: dixi *ſpecialiter:* qvod etiam textus in *tit. 1. §. Hoc autem notan-*
58 *dum. lib. 1.* notanter dicit in verbis: fœminas à ſucceſſione Feudi removeri, & filias earum, *niſi ſpecialiter dictum ſit ut ad eas pertineat. Specialiter*, ut concedens in ſpecie id exprimat. De qvo verbo *ſpecialiter* plurima in Jure noſtro obvia reperiuntur. Idem cavetur *tit. 14. lib. 1. tit. 11. tit. 23. &*
59 *tit. 50. lib. 2.* Eandem qvoqve doctrinam tradit *Curt. Jun. P. 3. n. 2.* qui dicit pactum hoc generaliter eſſe concipiendum; non qvod id invertat noſtram mentem, quam explicavimus in verbo *ſpecialiter:* ſed qvod generalitas iſta ſexum fœmininum in genere complectens in ſpecie exprimenda ſit, ſi fœminæ deſcendentes admittendæ ſint; non verò in individuo: ac ſi pactum diceret ut *Margaretha* ſuccedat Patri: Quia illud utpote perſonale extingueretur

cum

cum perſonâ, & non extenderetur ad alias fœminas. *Curt. d. l.* Ulterius & rigoroſius in hac limitatione procedit, ut dicat non ſufficere ad hanc generalitatem mentionem tantum fieri filiarum: Cum ſub nomine filiæ non compre- 60
hendantur neptes *Schrad. de Feud. c. 4. num. 42.* quod durum nimis videtur: videmus enim aliàs nomine filiorum comprehendi nepotes, cur idem in filiabus admittendum non eſſet? Hîc loci pulchra emergit qvæſtio, quam proponit *Curt. Jun. d. P. 3. num. 20.* ſi feudum ſit conceſſum pro 61
ſe & maſculis & unâ fœminâ, pluresque inveniantur filiæ, quænam ex illis pluribus cenſeatur vocata? Primogeni- 62
tam admittit *Curtius* ex ratione: quia communis eſt concluſio: qvod ubicunqve fit mentio ſimpliciter de aliqvo actu, ſemper intelligatur de primo: ſic qvoque de primogeniturâ. *Roſenth. c. 7. Concl. 6. num. 87. in marg.* relinqvit arbitrio Domini, ut ille, cui velit, gratificetur, ne fortè cogeretur habere Vaſallum ingratum. *Zaſius P. 8. num. 65.* optionem patri concedit: *Arg. l. 8. §. Si inter duos. ff. de Leg. 2.* Alii determinationem Judici relinquunt. Alij actum hunc planè deſtruendum judicant *arg. l. 32. ff. de Manum. teſtam. Valent. Forſter.* denique *lib. 4. C. 23. num. 50. in f.* omnes pariter admittendas cenſet *arg. l. 1. Cod. Si plur. una ſentent. condem. ſint.* In hac diverſitate veriorem cenſeo ſententiam Curtij admittentis primogenitam ex rationibus, qvas ille adducit.

Quæ quamprimum de pactis dicta ſunt, multo magis 63
obtinent in conſvetudine, quæ pacto non eſt imbecillior: vigore illius enim fœminæ in qvocunque feudo ſuccedere poſſunt, quæ propterea ſecundum *Valent. Forſt. d. C. 23. num 56.* irrationabilis minimè reputatur, ſed Juribus maximè conſentanea: Cum per eam ad Jus commune & naturale redeatur. *Sonsbeck. P. 9. num. 126. Duaren. de Feud. C. 10. num. 8.* Hujusmodi conſvetudines obtinere videmus in pleriſque orbis Chriſtiani Regnis in *Angliâ* nempè, *Sici-* 64

65 *liâ, Bohemiâ, Hungariâ, in Regno Neapolitano, Cypri & Luſitaniæ.* in *Hiſpaniâ* concludens Exemplum habemus in ampliſſimâ ſucceſſione *Joannæ Ferdinandi Regis Catholici filiæ*, quæ per matrimonium cum *Philippo Archiduce* contra-
66 ctum ad Sereniſſimam Archiducalem Familiam Auſtriacam devoluta eſt. Eodem modo ſuccedunt fœminæ in ditionibus *Brabantiæ, Luxemburgi, Flandriæ, Hannoniæ, Zelandiæ,*
67 *Namurci*: Cujus monumentum adhuc verſatur ob oculos in Perſonâ Sereniſſimæ *Mariæ Unicæ Caroli Audacis Filiæ*, quæ per nuptias cum *Maximiliano Imperatore* habitas omnes has ditiones ex domo Burgundicâ in Auſtriacam ſimiliter detulit.

68 Quid de hæreditariorum Regnorum & Principatuum ſucceſſione in fœminis ratione matrimonij obſervandum ſit? pulchrè deducit *Betſ. de Pact. famil. Illuſt. pag. mihi 152. 153. 154. 155. & 156.* Ubi ſvadet ad ſimilia matrimonia propter hæreditariam hanc ſucceſſionem cautè procedendum, idque ex eventu plurium exemplorum demonſtrat.

69 In Regno Franciæ contraria conſvetudo obtinet vi Legis Salicæ, quæ non permittit, ut corona in colum cadat, ſicut nec etiam appanagia, de quibus ſupra *Part. 1. cap. 3. ſect. ult.* diximus *Chopp. de Domin. Franc. lib. 3. tit. 1.* Cujus poſtremi præclarum ex eo nobis reſtat exemplum: cum e-
70 nim inter *Carolum Quintum Imperatorem & Franciscum. I. Reg. Galliarum* de Burgundiæ Ducatu, in cujus poſſeſſione Rex Galliæ eſt, ſumma oriretur contentio: *Carolo Quinto* illum utpote hæreditarium ex hæreditate aviæ *Mariæ* illum vindicante: Econtra *Franciſco* eundem tanquam Appanagium Regni ob defectum lineæ maſculinæ ad ſe reverſum aſſerente: Tandem per pacem Cameracenſem certis conditionibus Anno cIɔ Iɔ xxix. ſopita eſt. Vid. *Chopp. de Doman. Franc. lib. 2. tit. 17. num. 8.* Ubi tenorem inveſtituræ recitat, qui nullam diſtinctionem ſexus continet.
71 quinimo eundem Ducatum à fœminis poſſeſſum atque pro-

protectum oſtendit idem *Chopp. lib. 3. tit. 3. num. 8. & lib. 2. tit. 3. num. 10.* Huc non ineptè attuleris controverſiam, 72
quæ de ſucceſſione fœminarum & ex iis deſcendentium in Regno Franciæ inter Regias Angliæ & Franciæ Familias ab *Eduardo tertio Philippi cognomento pulchri ex Iſabellâ* filiâ 73
nepote mota eſt, Galli nullo alio fūdamēto ſe ſe tutati ſunt, quàm quod legibus Salicis fœminæ ſceptri incapaces ſint. Hinc verſus quidam inter ambos Reges confecti; quos refert *Francis. Sanſovinus Venet. Reipub. Secretarius in deſcriptione ſuâ Italicâ totius mundi Regnorum & Rerumpubl.* Ex illo 74
tempore Angli titulum & arma Regum Galliæ uſurparunt. Quod autem hac Lege Salicâ & inveteratâ, nec non in tri- 75
bus Regum Familiis ſine ullâ interruptione obſervatâ conſvetudine fœminæ ad ſucceſſionem Regni minimè admiſſæ fuerint, teſtatur *Tilius in Comm. de Reb. Gall. lib. 2. pag. 121. ſeqq.*

Et hæc in Regijs & alijs ſplendidioribus familijs, quæ ejusmodi conſvetudines rectè inducunt, verum eſt. Sed an etiam in privatis id fieri poſſit? videri poteſt apud *Curt.* 76
Jun. P. 3. num. 10. & Garz. de Fœm. ad feud. admit. vel non num. 111. Ex quo *Vultejus* ſeqventia deſcribit: quod quando in ſolâ familiâ ſtylus ille fuerit approbatus vel toleratus, & à Domino ſcienter obſervatus, non ex gratiâ, ſed ex animo ita obſervandi ut fœminæ admittantur: Stylus ille ſive conſvetudo in illa Familia ſit retinēda. *Vid. Schrad. c. 4. n. 54.*

De Cœtero illud adhuc de novo repetere neceſſarium 77
judico: Fœminas quidem in hiſce recenſitis caſibus admitti, ſed ita demum: quando linea maſculina deficit: Maſculorum enim ratio etiam in Feudis fœmininis potior eſt *tit. 6. §. Quin etiam. tit. 8. §. Filium. lib. 1. Zaſ. P. 8. num. 44. Borcb. c. 7. p. 2.* & ita omnes Feudiſtas tenere dicit *Duaren. de Feud. C. 10. num. 9.* Quod meritò quoque exten- 78
ditur ad maſculos deſcendentes ex fœminâ: donec enim maſculus ſupereſt ex primo ſtipite, non admittuntur fœminæ ex conditione Feudi & præſumptâ primi acquirentis

mente: Hinc nepos ex filiâ excludit neptes ex filio *Curt.*
79 *Jun. P. 3. num. 18.* ubi duas affert limitationes: niſi *primo* feudum ſit conceſſum ſimul maſculis & fœminis: tunc e-
80 nim maſculis fœminæ non cedunt. *Secundò* ſi feudum datum ſit pro certo ſervitio, qvod ita explicari poſſet per fœminam ſicut per maſculum. De qvâ tamen ipſe dubitat, & ego etiam ſummoperè: quia præſumitur quod concedens potius voluerit maſculum ſuccedere quàm fœminam, & eo magis non tantum in præſtatione ſervitij, ſed etiam in omnibus alijs, quæ continentur in Juramento fidelitatis, *Zaſ. P. 1. num. 53. & Clar. in §, Feudum. Quæſt. 80. n.*
81 *1.* proponunt Quæſtionem, an, ſi duæ ſorores de feudo fœminino inveſtiantur, & altera maſculum pariat: an hic ſororem aliam excludat? *Gloſſ. Iſern. Laudens. in tit. 17. lib. 2. Feud,* putant alteram ſororem pro parte deſinere eſſe hæredem; eò qvod conditionaliter hæc pars ei delata cenſeatur. Sed contrariam opinionem meliori fundamento defendunt *Zas. & Clar. d. l.* Cum nemo privandus ſit Jure ſuo ſine facto ſuo; & legitimè factum non debeat
82 eventu reſolvi; potiſſimum, quod ex Regula Juris Feudalis præferens maſculum non habeat locum in feudo acquiſito; Niſi tempore inveſtituræ maſculus conceptus fuerit, qui pro jam nato habetur.

SECTIO IX.

An fœmina ſemel excluſa perpetuo cenſeatur excluſa?

SUMMARIA.

1 *Quæſtio vix major datur in feudalibus, qvàm qvâ qværitur: an fœmina â maſculo ſemel excluſa in perpetuum cenſeatur excluſa?*

2 *Caſus illius qvæſtionis.*

3 *Quilibet circa eam, communiorem ſuam obtrudit opinionem.*

4 *Sententia excludentis fœminas ſun-*

ſundamentum in tit. §. 6. Quin etiam lib. 1. *Authoritates variæ.*

5 *Garzonius aſſerit pro hac ſe in Aulâ quadam Archiducali reſpondiſſe: Alteram inauditam deprædicando, & æqvitatem prætenſam rejiciendo.*

6 *Qui ſecure vult incedere, debet incedere per viã ſilicatam legibus.*

7 *Opinio admittens fœminas verior & textibus Feudalibus conformior eſt, & Authoritate plurium Doctorum nititur.*

8 *Roſenthalij dubia mens & explicatio propter variantia præjudicia.*

9 *Hanc poſtremam aſſertionem defendit ſtrenue Herman. Vultejus, & alterius præſuppoſitum falſitatis arguit in eo, qvod nunqvam fœmina excluſa ſit.*

10 *Quod fœmina in Feudalibus excludi dicatur, Impropria locutio eſt.*

11 *Quis ſit ſenſus qvando dicitur fœmina non admitti?*

12 *Non ſunt termini convertibiles excludi & non admitti.*

13 *Differentia qvæ intercedit inter excluſionem & non admiſſionẽ.*

14 *Jus ſuccedendi non adimitur fœminis qvamvis ſucceſſio in ſuſpenſo habeatur.*

15 *Uſitata interpretatio* tit. 6. §. Quin etiam lib. 1. *refutatur, & verus ejus ſenſus adducitur.*

16 *Vocabulum, ulterius, non tempore, ſed ordine æſtimandum eſt.*

17 *Quid ſi qvis locationem propriam ex text. d. tit. 6. §. Quin etiam elicere velit?*

18 *Differentia inter Jus ſuccedendi & ſucceſſionem ipſam.*

19 *Fœmina à Jure ſuccedendi non excluditur.*

20 *Succeſſio feudalis non æſtimatur ex ſucceſſione aliâ, qvàm fuit vel non fuit, ſed ex Jure ſuccedendi, qvod eſt vel non eſt.*

21 *Fœmina Jus illud, quod per pactum in inveſtitura habet, retinet, effectu ejus in ſuſpenſo relicto.*

22 *Probatur noſtra opinio per tit 17. lib. 2. fœminæ ſcilicet non eſſe locum, donec maſculus ſupereſt.*

23 *Dictionis donec qualis ſit proprietas & vis?*

24 *Fœmina æquè eſt hæres primi acquirentis; qui ei ſimiliter providit ac aliis.*

25 *Caſus nonnulli in quibus contrariæ ſententiæ fautores fateri coguntur fœminas non excludi.*

26 *Novem limitationes adducit Vultejus.*

27 *Solutio objectionis ex tit. 6. §. Quin. lib. 1. deromptæ.*

28 *An non poſſint venire deſcendentes ex fœminâ ex propriâ perſonâ ſuâ, etiamſi fœminæ excluſæ fuiſſent.*

29 *Conſilium Oſaſci, qui pro Rege Catholico & Sereniſſimo Duce Sabaudiæ cenſuit illos ſucceſſivè admittendos eſſe ad ſucceſſionem Regni Luſitani, et ſi nati ſint ex fœminis jam excluſis.*

30 *Menochii mens fœminas & deſcen-*

ſcendentes ex iis de novo inveſtiendas, ſi ad fiſcum feudum devolutum eſſet.

31 *Quid in materiâ Primogenituræ in his terminis dicendum.*

1 IN ſucceſſionibus feudalibus vix major ſe ſe offert rixandi occaſio; quàm dum quæritur, an fœmina in feudis â maſculo ſemel excluſa in perpetuum cenſeatur excluſa? Propoſitam qvæſtionem difficilem & perplenam nominat
2 *Gail. lib. 2. obs. 148. pr.* ponitur caſus: *Titius obtinuit in feudum caſtellum pro ſe & hæredibus ſuis maſculis & fœminis: Titius habuit filios Cajum & Sejum: Item filias Bertam & Semproniam. Inveſtitur de Caſtro Cajus cum ſolitâ clauſulâ pro ſe & ſuis hæredibus maſculis & fœminis, excluſis Bertâ & Semproniâ. Cajo ſine liberis defuncto ſuccedit Sejus, qvi itidem nullis relictis liberis decedit.* Hinc jam oritur qvæſtio An filiæ nominatæ ſemel per inveſtitos fratres excluſæ ſemper cenſeantur excluſæ? & caſtrum nullis exiſtentibus hæredibus feudalibus ad Dominum revertatur?

3 In propoſitâ facti ſpecie mirum in modum inſudarunt Juris Feudalis interpretes, & quisq; pro ſe communiorem opinionem deprædicavit; potiſſimum verò illi, qui fœminas ſemel excluſas perpetuò cenſent excluſas, & Dominum Feudi præferunt per textum, ut illi loqvuntur, ca-
4 pitalem in *tit. 6. §. Qvin etiam. lib. 1.* in hiſce verbis: *Quin etiam ſiqvis eo tenore feudum accepit, ut ejus deſcendentes maſculi & fœminæ illud habere poſſint, relicto maſculo fœminæ ulterius non admittuntur.* Ex quo perpetuam excluſionem ſtabilire conantur. Quam ſequitur ipſe Practicorum Coriphæus *Gail. d. obs. 148. num. 2.* item *Roſenthal. c. 6. Concl. 93. Duar. de Feud. c. 10. num. 12. Zaſ. P. 8. num. 58.* Eamque communem Interpretum ſententiam dicit *Mynſing. Cent.*
5 *5. obſ. 74. num. 4.* atque magno fervore defendit *Garzon. de Fœmi. ad feud. admitt. vel non. num. 37. & multis ſeqq.* ſeq; pro hac ſuper facto in Sereniſſimâ Aula quâdam Archidu-

cà-

cali propoſito reſpondiſſe intrepidè pronunciat, & alteram inauditam profitetur, allegans *Ulpiani* in Saturninum invectionem, qui ſententiam dixerat nusquam auditam & nusquam receptam *l. 1. ff. de Senat.* Rejicit quoque æquitatem, quam contrariæ ſententiæ patroni tuentur. Dicens: Neminem ex proprio cerebro ſibi confingere debere æquitates deviantes à rectâ ratione & comuni omnium ſenſu: Cum æquitas ſit rectitudo Judicii naturalem ſequens rationem, quæ pluribus arridet. Ut proinde debeamus ſequi æquitatem communi rationi conjunctam, & Legis, non noſtram & capitis noſtri neqve imaginariam. Et qui ſecurè velit incedere, debeat incedere per viam ſilicatam Legibus & Prudentum Reſponſis. *Curt. Jun. P. 3. num. 32.* illam ipſam ſententiam multis Jurisprudentum Authoritatibus cumulat, & rationes quasdam producit Sonsbeckiumque mirè perſtringit. Horum agmen ſequitur etiam *Mich. Graff. in §. Succeſſio ab inteſtato. Qvæſt. 4. num. 2.* & Alij, qvos refert *Gail. d. l.* qui conſulti ſecundum eam reſponderunt. 6

7 Quid quid modo allegati Authores pro tuendo eorum errore dicant; ijs certè non moveor: Contrariam enim ſententiam: Fœminas ſcilicet per intermedios maſculos non admiſſas minimè excludi: veriorem, æquiorem, & Juris Feudalis textibus magis conformem cenſeo. Quam etiam amplectitur *Mynſing. dict. obs. 74. num. 8.* ut ut etiam affirmativa crebrius recepta dicatur, adeò ut piaculum videatur ab eâ recedere. Hanc probant plurimi & magni nominis Jurisconſulti, *Jul. Clar. §. Feudum. Quæſt. 80. num. 2. Johan. Bapt. à Villalobos in Comm. Opin. cap. 6. Weſemb. c. 6. num. 23. de Feud. Sonsbeck. P. 9. num. 131. & ſeqq.* Ubi eam cùm æquitatati tùm rationi & maximè voluntati contrahentium, ipſisque Juribus Feudalibus prorſus convenire oſtendit. *Roſenth. qvoqve C. 7. num 96.* eandem æquitati congruam eſſe fatetur: quamvis ipſe nuſquam ſe ſa- 8

tis explicet, ſed potius deciſionem totius negotij propoſitis utriusque partis argumentis in dubio relinquat; communem opinionem non ita apertè, ut reliqui, erroris notando: eam, ſi Provinciæ conſvetudine fulciatur, obſervandam aſſerens. Imò ex præjudiciis Cameræ unum, quod pro communi adduci ſolet, refellit, & pro eâ nihil facere docet, *c. 7. concl. 44. num. 15.* licet à Viris fide dignis & veteranis Cameræ Imperialis Aſſeſſoribus in alijs cauſis pro perpetuâ fæminarum excluſione Cameram judicaſſe ſibi compertum dicat, atque ideò præjudicium in cauſa Reiſchach contra Schwendi de Feudo, quod per fœminam in familiam de Reiſchach primò translatum fuit, pro ſecundâ opinione ab alijs adductum rejiciat ibidem *& Concl. 54. num. 9. c. 7.* non tamen ullum præjudicium in contrarium adducat.

9 Sententiæ fœminas non excludenti adſtipulatur quoque *Herman. Vult. de Feud. cap. 9. à n. 52. usqve 56.* qui egregiè & ſolidiſſimis argumentis eam contra reliqvos propugnavit. Et primò quidem præſuppoſitum contrarium falſitatis arguit, concludens nunquam fœminam excluſam dici poſſe, adeò ut inde ſuperflua videatur quæſtio utrum perpetuò perfictam illam priorem excluſionem excludenda ſit? non obſtante textu quem afferunt, ubi dicitur, fœ-
10 minam excludi: Nam illam locutionem impropriam appellat, quæ ex *tit. 6. §. Quin etiam. lib. 1.* elicitur, ubi: *fœmina non ulterius admittitur*, quem, licet pro fundamento ſuæ intentionis afferant, pro nobis tamen facere probabimus.

11 Quod enim in illo textu dicatur fœminã non admitti, id eum non habet ſenſũ quaſi omninò excludatur; cum non ſint termini convertibiles excludi & non admitti; qui exclu-
12 ditur, is quidem nõ admittitur, ſed qvi nõ admittitur, excluſus dici non poterit: Rationem aſſignat *Vult. d. l.* quia excluſio eſt aliquid amplius, omnemque ſpem ab eo, qui excludi-

tur

tur, removet: Aſt non admiſſio ſpem, quæ eſt, ad tem- 13
pus potius ſuſpendit, quamdiu nimirum illud impedimentum, quod facit ut quis non admittatur, ſupereſt. Fœmina itaque, quando non admitti dicitur; Idcircò omninò
excluſa dici non poteſt, propter Jus ſuccedendi, quod in 14
ſubjectâ materiâ feudali tàm filio, quàm filiæ per pactum relinquitur integrum, quamvis ſucceſſio ipſa in ſuſpenſo habeatur, quæ Jure Feudali expreſſè tandem determinatur, quando deficientibus maſculis via ad eandem ſternitur, quemadmodum ex textu decidendum eſt, quem in varios quidem ſenſus Interpretes trahere, imò illi inferre ſcio, quorum dicta tamen eò collimant, illum de omnimodâ excluſione fœminarum intelligendum. Hanc in- 15
terpretationem *Hartm. Piſt. Quæſt. Jur. Quæſt. 36. num. 5.* quinque argumentis impugnat, & tandem eum, quem diximus ſenſum interpretatur. qvod nimirum, licet feudum ab aliquo acceptum ſit, ut ejus deſcendentes maſculi & fœminæ illud haberent, propterea tamen maſculi & fœminæ illud ſimul habere non poſſint; ſed ſi acquirens mortuus ſit relicto maſculo, is ſolus feudum habeat, & ultra eum maſculum fœminæ non admittantur, id eſt præter maſculum in Feudo novo, ac ne fœminæ quidem, ut maximè conjuctionis Copulativæ natura id requirere videatur, ſuccedant; atque ita vocabulum *ulterius* non 16
tempore ſed numero ſivè ordine æſtimandum ſit.

Quod ſi fortè locutionem propriam ex textu, qui di- 17
cit fœminam excludi, quis defendere velit, id cum *Herm. Vult. d. l.* non abnuo: modo intelligatur excluſio de ſucceſſione, non verò de Jure ſuccedendi: maxima enim in- 18
ter hæc duo intercedit differentia ex mente illius Authoris, eo quod ſucceſſio ſit facti, & Juris ſuccedendi effectus. Jus ſuccedendi autem, Juris & ſucceſſionis cauſa: & ſic facilè largitur, caſu quo maſculus in Feudo ſuccedit, fœminam ab illâ ſucceſſione, utpotè quæ facti ſit, excluſam

19 eſſe, non autem à Jure ſuccedendi: Nam ex eo, quod cum maſculo nonadmittatur, Jus ſuccedendi, aut etiam illam ſucceſſionem, quæ fit ſine maſculo, perdidit, cujus ſucceſſionis conditio extare poteſt non ſolum tùm cum abinitio nulli ſunt maſculi: ſed etiam tùm quando maſculi fuerunt, ſed poſtea defecerunt: quod ex Logicis Principiis ulterius confirmat *Vult.* ibidem, dum ineptam argumentationem particularis ad univerſale infert. *Quid enim*, inquit, *ineptius quam ab iſtâ ſucceſſione fœmina excluditur, ergo ab omni ſucceſſione excludenda*
20 *erit, præſertim cum ſucceſſio una non ſit exiſtimanda ex ſucceſſione aliâ, quæ fuit, vel non fuit, ſed ex Jure ſuccedendi, quod eſt, vel non eſt: Non enim ſucceſſione una negata propterea etiam altera neganda fuit, neque poſita una altera ponenda, ſed Jure ſuccedendi affirmato vel negato, affirmabitur vel negabitur ſucceſſio, & hæc affirmabitur vel negabitur ex Juris ſuccedendi qualitate, quam ex Lege accipit. Hæc Vultejus.*

Quando itaque maſculus primas in hac ſucceſſione feudali adeptus eſt, exindè tamen fœmina ad id Feudum
21 ſimul vocata Jure ſuo ſuccedendi non fruſtrabitur, ſed potius Jus illud, quod vigore inveſtituræ & pacti habet, retinet, effectu ejus in ſuſpenſo relicto, idqve propter qualitatem Juris illius ſuccedendi, quam accepit ex Jure Feudali. Videatur *Clariſſimus Dominus Vultejus d. t. num. 53. in verb. Hæc ſententia. & in ſeqq.* qui modo concludendi optimo hanc qvæſtionem, & mirâ dexteritate diſcuſſit, quem benevolus Lector adeat, ne fortè dum illius doctrinam illuſtrare velimus, illam potius deformari contingat.

Illud ſaltem ad probandam hanc poſtremam æquitati naturali ſecundum *Hanneton. lib. 2. de Feud. c. 9.* maximè convenientem opinionem: & alterius duram explicationem ex mente *Julij Clari in §. Feudum. Quæſt. 8. vers. Sed è converſo.* omninò removendam afferre lubet, quod
22 in *tit. 17. lib. 2.* deciſum invenitur: fœminæ ſcilicet non

eſſe

eſſe locum, donec maſculus ſupereſt. Ex quo apertè intentionem noſtram probatam habemus, & Legem expreſſam, qualem alterius ſententiæ Patroni nullam habent, & conſequenter ſine Lege loqui erubeſcere deberent, quæ ſanè in hoc caſu difficillimo, qui & facilè contingere potuit, per Interpretes exprimenda fuiſſet: niſi Jus de admittendis ſuo ordine fœminis Statutum voluiſſent, quibus maximè favere videtur textus in *d. tit. 17.* ibi: do- 23
nec maſculi ſuperſunt &c. Dictionis autem *donec* non ea eſt proprietas ac vis, ut actum penitus removeat, ſed ſuſpendat tantiſper, donec & quousque res ita ſe habet, id 24
eſt impedimentum intermedium durat. Accedit quod fœmina æque ſit hæres primi acquirentis, qui fruſtrà ſibi ſuisque tum maſculis tùm fœminis providiſſet, ſi ſemel excluſa per maſculum, eo deficiente excluſa maneret, & feudum ad Dominum rediret contra regulam in *tit. 18. lib. 2.* quæ habet: quod quisque ſibi ſuisque hæredibus cenſeatur conſuluiſſe.

In hac diverſitate opinionum Adverſarij noſtri in plu- 25
rimis fateri coguntur caſibus perpetuam excluſionem non obtinere, prout ipſe *Gailius d. obs. 148.* apertè fatetur in caſu, qvo Feudum impropium eſt, aut ſi pactum inveſtituræ adjectum eſſet, ut fœminæ non ſuccederent, donec maſculi ſupereſſent. Cui conſentit *& Borch. cap. 7. P. 2. num. 39. Roſenth. cap. 7. Concl. 95.* vel etiam ſi Statuto & Conſvetudine illis permittatur talis ſucceſſio. *Curt. Jun. P. 2. num. 32.* Excluſionem fœminarum rejicit, ſi natus quamprimum moriatur poſt obitum patris: Hujus etiam mentionem facit *Mynſing. Cent. 5. obs. 74. num. 5.* Similes limitationes, 26
quorum novem adducit *Vult. d. Cap. 9. num. 54.* abundè demonſtrant errorem contrariæ opinionis, quæ inſuper ſat deſtruitur per textus feudales *tit. 8. §. Filia. lib. 1. & tit. 30. lib. 2.* qvi maſculis deficientibus filias admittunt, nullâ factâ diſtinctione, an filij poſt mortem patris non

extiterint, an extiterint quidem, & poſt feudum quæſitum diſceſſerint: ſed generaliter loquuntur admitti fœminas non extantibus maſculis.

Ad objectiones Adverſariorum cum ex fundamento reſpondeat *Vult. d. cap. 9. num. 55.* ad eum ſimiliter curioſum Lectorem remittimus, qui exſpectationi ſatisfaciet.
27 Illud ſaltem *ad tit. 6. §. Qvin etiam. lib. 1.* dicemus, eum non eſſe accipiendum de omnimoda fœminarum excluſione, ſed tantum pro tempore exiſtentium maſculorum. In quorum defectu nihil eſt quod fœminam removeat. De Feudis hiſce fœmininis, & quæ jam fratris effecta fuerint idem reſpondet *Menoch. Conſ. 331. lib. 1. num. 49. & ſeq. & Conſ. 700.* cum hac benè notandâ declaratione, ut, quamvis fœmina â feudo excluſa fuiſſet, non tamen excluſum iri
28 ri filios ejus maſculos, ſed illos venire poſſe ex propriâ perſonâ, cum ſint maſculi & deſcendentes â primo Vaſallo. In ſimilibus terminis reſpondit Oſaſcus inter *Conſ. ult. Vol.*
29 *Conſ. 138. num. 22.* Qui pro Sacrâ Regiâ Catholicâ Majeſtate & Sereniſſimo Duce Sabaudiæ cenſuit illos ſucceſſive admittendos eſſe ad ſucceſſionem Regni Luſitani, etſi nati ſint ex fœminis jam excluſis: Cum non ex repræſentatione matrum ſuarũ, ſed ex propriâ ſuâ perſonâ & jure ſuo ſuccedant. Idem *Menoch. Conſ. 700. n. 2.* in ſpecie facti apertius mentem ſuam declarat: Cum enim duæ inveſtituræ factæ eſſent, & prior quidem *Anno 1483.* Comiti Galcotto Trivultio pro ipſo, filiabus & deſcendentibus: Altera verò circa annnum 1486. à Joanne Galeacio Mediolani Duce pro filiabus tantum & earum deſcendentibus maſculis. Menochius reſpondit, per hanc poſteriorem inveſtituram non eſſe à priore receſſum; ſed per ſecundam taxativè tantum cenſeri incluſos maſculos, hoc eſt: ut ipſis exiſtentibus non ſuccedant fœminæ. Vide *Menoch. d. Conſ. 700.* & præclaras ibidem allegatas rationes. Poſito, non tamen conceſſo, fœminas & aſcendentes maſculos eſſe excluſos, atq; feu-

feudum ad fiſcum devolutum eſſe: Hic idem Menochius remedium ultimum affert, fiſcum ſcilicet de novo teneri inveſtire fœminas, aut eorum deſcendentes, nec dicere poſſit, ſe velle retinere feudum pro ſe ipſo, quod rectè negat *Gail. d. obs. 148. n. 2. & 3.* 30

In Materiâ Primogenituræ eadem tradit *Lud. Mol. lib. 1. cap. 6. de Hiſpan. Primog.* ut, quantumvis in primogenituris jure conſtitutum ſit, ut admiſſo primogenito alij cenſeantur excluſi in perpetuum, & decedente primogenito ſecundogenitus admitti non poſſit: nihilominus, quando primogenitura ita eſt conſtituta, ut ſit perpetua, mortuo primogenito admittetur ſecundogenitus, & deinceps ejus deſcendentes, qui extant. vid. ea quæ ſupra *part. 1. de Succeſſione ex Jure Primogenituræ* dicta ſunt. 31

SECTIO X.

De Renovatione Inveſtituræ & Laudemijs.

SUMMARIA.

1 Succeſſionum feudalium pertinens quoddam eſt Inveſtitura Renovativa.

2 Definitio illius.

3 An ſufficiat qvod primus acqvirens juraverit fidelitatem Domino & ejus ſucceſſoribus?

4 Ratio hujus renovativæ inveſtituræ.

5 Fit ut Vaſallus intelligat ſe fructibus feudalibus gaudere beneficio Domini potius & primi acqvirentis, quàm ſucceſſione.

6 Et ne longinqvitate temporis aut ignorantiâ, illâ omiſsâ Domino Jus ſuum invertatur.

7 Quoties renovatio inveſtituræ petenda ſit?

8 Aliquando ſpecialiter tenetur Vaſallus recognoſcere feudum, quandocunq; ad omnem requiſitionem à Domino factam.

9 Intra qvod tempus peti debeat?

10 Quidam fide Codicis manuſcripti annum & diem reqvirunt, non menſem.

11 Codices manuſcripti ex optimis exemplaribus authoritate Frideri-

derici Imperatoris ab Antonio Mericutio de Prato Veteri JCto Bononienſi confecti, ac Collegio Bononienſi primum & Imperatori deinceps ab eo oblati.
12 Editio omnium antiqviſſima, & Editio Baſilienſis, nec non Venetamenſis faciunt mentionem.
13 Egvinarius Baro, qvod derogationem conſtitutionum admittat, & Cujacius cum Hotomanno, correctionem textuum ſtatuant, reprehenduntur.
14 Melior diſtinctio Domini Erici Mauritii, qui in Vaſallo actu militante annum & menſem, in aliis annum & diem requirit.
15 De conſvetudine locorum terminus anni & diei obſervatur.
16 Cur Anno dies adjiciatur?
17 Quatenus hic terminus coarctari & prorogari poſſit?
18 Per lapſum temporis Vaſallus conſtituitur in morâ etiamſi nullâ Domini monitio præceſſerit.
19 An & quæ admittantur excuſationis cauſæ?
20 Qui nullas habet legitimas excuſationis cauſas, jure feudi cadit.
21 An Dominus, qui intra annum Vaſallo ſine legitimâ cauſâ inveſtituram denegat, Jure proprietatis cadat?
22 An impubes & minor 25 annis ad illum terminum ſtricte teneantur?
23 Laudemia ſeu relevia qvomodo vernaculâ noſtrâ dicantur?
24 Laudemia, qvid ſint?
25 Unde origo ipſorum deſumatur?
26 Ab Emphyteuſi ad feuda translata ſunt.
27 Quanta ſit eorum portio præſtanda?
28 Diſtinctio Laudemiorum in majora & minora.
29 Quando propriè illa ſolvi dicantur, & cui ſolutio incumbat? variæ conſvetudines.
30 An in ſucceſſione directâ ſolvantur?
31 An agnati ad eorum ſolutionem compellantur?
32 Quid moribus hodiernis obtineat?
33 Omnes ad ſolutionem Laudemij tenentur, qui indigent inveſtiturâ, præſuppoſitâ tamen Lege vel conſvetudine: quales ſunt qui cum veteri Vaſallo una eademq; perſona eſſe non poſſunt.
34 Diſcrepantes in hiſce conſvetudines & Statuta.

1 Succeſſionum Feudalium pertinens quoddam eſt Renovativa Inveſtitura: vel, ut aliis placet, Renovatio In-
2 veſtituræ. Quæ eſt Confirmatio & quaſi redintegratio inveſtituræ primitus de Feudo factæ: Et non tantum ad
3 conſtitutionem Feudorum Antiquorum ſpectat, ſed & in Novis neceſſariò intervenire debet; non obſtante qvod primus

mus acquirens fortè juraſſet ſervare fidelitatem Domino & ſucceſſoribus ejus: cum nihilominus renovationem petere, & novum Juramentum, ſi ita feudi conditio requirat, præſtare teneatur. *Bald. in cap. 1. pr. Quæ fuerit prima* 4
cauſ. benef. amitt. Ratio hujus Renovativæ Inveſtituræ multiplex aſſignatur. Primò, quod Juramentum occaſione Feudi præſtitum perſonale ſit, & ita in perſonâ Vaſalli defuncti extinguatur, minimeq; ſtringat hæredem. *cap. Veritatis. X. de Jure Jur.* Secundò, quod petitio inveſtituræ ſit 5
quaſi cenſus devotionis, recognitionis & reverentiæ, quæ Domino præſtari debet, ne Feudum in commiſſum cadat. *tit. 24. §. 1. lib. 2.* Tertiò, ut Vaſallus intelligat, ſe fructibus feudalibus gaudere beneficio Domini potius & primi acquirentis, quàm ſucceſſione. Hiſce Qvartò pulchram rationem annectit *Roſenth. de Feud. cap. 6. Concl. 47.* 6
Ne longinqvitate temporis aut ignorantiâ, omiſſâ hac renovatâ inveſtiturâ Domino Jus ſuum invertatur. Quintò denique quod in Feudis onera ſint perſonalia & cum Vaſallo pereant; ut ea de novo à promiſſore præſtanda ſint.

Petitur verò iſthæc renovatio toties, quoties caſus e- 7
venit: Idqve vel ex conſvetudine, vel ex conventione: ſi hoc: illi ſemper ſtandum erit. Si illud: Et iterum vel 8
conſvetudine generali, qvando nimirum Dominus Feudi & Vaſallus mutantur, *tit. 40. lib. 2.* Aut ſpeciali: dum Vaſallus tenetur recognoſcere Feudum quandocunque ad omnem requiſitionem â Domino factam: Intra tempus tamen certum; qvod apud Authores mirè variare deprehenditur: Qvidam enim ſimpliciter annum & diem 9
ſtatuunt, qvos citat *Dominus Ericus Mauritius* in Opuſculo ſuo præclaro *Poſit. Feudal. Decad. XI. pr.* qui ideò fide 10
Codicis manuſcripti, ad qvem Cujacius provocat, delent, quod de menſe in textu additur. Alij ſtricto Jure annum ſolum & diem, ex æqvitate verò annum & menſem Vaſallis

 in-

indiſtinctè omnibus largiuntur. Hiſce opinionibus contrarijs non obſtantibus rectè *Dominus Ericus Mauritius* ad
11 Codices manuſcriptos provocat: Quos, inquit, ex optimis exemplaribus Authoritate Friderici Imperatoris confecit *Antonius Mericutius de Prato Veteri JCtus Bononienſis*, ac
12 Collegio Bononienſi primùm & Imperatori deinceps obtulit. Item provocat ad editionem Feudorum omnium antiquiſſimam; quæ nec librorum diſtinctionem adhuc habet: Et editionem Baſilienſem *Michaelis Wenzleri, Anni MCCCC LXXVIII.* Ac Venetam *Baptiſtæ de Tortis, Anni MCCCC LXXXVII.* in quibus mentionem menſis fieri teſtatur, & ita Cujacij conjecturam improbat, qui textum *in tit. 22. lib. I.* ideò vitioſum exiſtimat, quod è libris veteribus melior hunc textum ita ſcriptum haberet: *Sancimus ut nemo miles ultra annum & menſem & diem &c.*

13 *Eguinarius Baro in d. tit. 22.* arbitratur eidem derogatum videri poſterioribus Conſtitutionibus, Diei tantum mentionem facientibus; ut proinde non ſit opus confugere ad vulgarem diſtinctionem inter militem & alterius conditionis Vaſallum: quem rectè reprehendit *Herm. Vult. cap. 7. n. 61.* quemadmodum & *Cujacium & Hotomannum*: Hos quidem: quod, quantum fieri poteſt, à correctione textuum abſtinere debeamus. *Egvinarium* verò: quod ejus ſententia careat authoritate, nec probare poſſit *d. tit. 22.* tempore priorem eſſe textu Conſtitutionum Imperialium: Cum non doceat quis *Imperator* prius illud Jus ſanxerit. Idcircò
14 cum ſupra allegato *Doctiſſimo Domino Erico Mauritio* diſtingvendum cenſerem, ut in Vaſallo actu militante annus & menſis: In alijs verò annus & dies obſervetur. *Roſenthal. c. 6. Concl. 54. Mynſing. cent. 5. obs. 9. num. 1.* & alij, qvos ille citat ibidem addens: Jure Saxonico Anni & ſex hebdomadarum tempus indiſtinctè Vaſallo concedi. De con-
15 ſvetudine locorum ferè plerorumque videmus terminum anni & diei obſervari. Rationem hujus limitati temporis af-

affert *Curt. Jun. P. 4. num. 5.* Quod quemadmodum eſt duplex bonorum poſſeſſio ſcilicet Edictalis & Decretalis: ita etiã ſit duplex ſucceſſio feudi; nempè Edictalis; qvâ quis ſuccedit in Feudo. Decretalis; quâ debet intra certum tempus Dominum agnoſcere & fidelitatem præſtare. Et ſicut porro bonorum poſſeſſio nihil operatur ſine Edictali, & Edictalis anno finitur; Ita à ſimili fuit ſtatutum tempus anni & diei. *Jul. Clar. in §. Feudum. Quæſt. 49. num. 1.* melio- 16
rem hujus termini rationem aſſignari non poſſe putat, quam qvod ita moribus receptum ſit. Cur autem dies anno adjectus fuerit qværere non ineptè qvis poſſet? Et tenendam puto opinionem *Borcholti. de Feud. cap. 7. P. 1. num. 31.* ut demonſtrari poſſit annum finiri eodem die menſis quo cœpit.

Ad prædicta notandum hunc terminum legibus ali- 17
as præfinitum poſſe coarctari non conſentiente Vaſallo; quàmvis ſint plurimi, qui hoc negent: ſicut etiam invito Vaſallo prorogari. Imò in Feudo novo currere ſucceſſori à die mortui Vaſalli ante anni exitum: In antiquo ſecus. Expreſſe enim ſtatuo cum *Curtio* dari hujusmodi ſucceſſori ex ſuâ perſonâ præter reſiduum anni defuncti, alium inſuper integrum annum & diem. Per cujus demum lap- 18
ſum Vaſallus conſtituitur in morâ, etiam ſi nulla præceſſerit Domini monitio. Niſi quis ignoraverit hujusmodi Jus Feudale ſibi competiiſſe: Qvia ignorantia Juris ſibi conceſſi probabilis, & non craſſa, ut excuſat à culpâ ita & excuſat à pœnâ. Aut niſi aliæ legitimæ excuſationis cauſæ acceſſerint, qvæ vel judicantur ex perſonâ Domini: puta quia excommunicatus, proſcriptus, hæreticus, abſens, inimicus capitalis Vaſalli contra ejus culpam. Vel ex perſonâ Vaſalli: puta quia incarceratus, morbo detentus, aut 19
impeditus per juſtum metum, peſtem, incurſiones hoſtiles, inimicitias, inundationes, qvia incertus de Jure Domini, propter contentionem ſuper hæreditate defuncti Do-

 mi-

mini &c. Vel ex re per tertium poſſeſſa, niſi per Vaſallum ſteterit quo minus rem avocaret à poſſeſſore.

20 Qvodſi verò nullæ legitimæ reperiantur excuſationis cauſæ, & Vaſallus terminum legalem labi ſinat, Jure Feudi cadit. An idem in Domino ſtatuendum ſit, ut eo in-
21 tra annum ſine juſtâ cauſâ inveſtituram denegante propterea ſimiliter Jure proprietatis cadere debeat? qværit *Dominus Ericus Mauritius d. Decad. XI. th. 6.* Et cum *Ludwello* pro affirmativâ concludit, ſi de Jure Feudali communi qvæſtio vertatur; qvod verum eſt. De more Principum & Dominorum hodierno conſtat illos hunc rigorem Juris Feudalis non præferre, & ob neglectam inveſtituræ renovationem, ſi alia culpa non accedat, non facilè Vaſallum Feudo privare; ſed condonare ſolent culpam, pœnâ ſaltem aliqvâ dictatâ. *Dominus Maurit. d. l.*

22 De Cœtero qvatenus impubes & minor viginti quinqve annis non ita ſtrictè prædicto tempore teneantur, aut ſaltem in integrum reſtituantur, egregiè deducit *Herm. Vult. d. C. 7. n. 64. 65. 66. 67.*

23 Jam ad ſecundam tituli partem accedamus, in qvâ Laudemiorum mentionem fecimus. Dicuntur laudemia quandoq; relevia, ſive Jura relevij, linguâ noſtrâ vernaculâ Lehnwahr/Lehngeld/Ergetzung/Handleſen/Wegleſen ſive Handlohn. *Paul. Matth. Webn. Pract. obſerv. vocab.* Handlohn. *ex Schradero in Rub. Cod. d. Jur. Emphyt. num. 4. fol. 504. Toming. cons. 25. lib. 2. Gylm. Tom. 4. Symphon. P. 1. fol. 283. num. 283.* Vocantur etiam laudimia aut laudativa; ex eo quod Dominus laudet ſive approbet contractum ſu-
24 per Feudo: Et ſunt Jura qvædam Domino directo pendi ſolita pro inveſtiturâ; non quod ex Jure Feudali originem trahant, ut voluit *Cujacius ad tit. 25. lib. 1. Feud.* propter verba qvæ *tit. 24. lib. 1.* habentur: *redimi Feudum* à Domino ſcilicet per filiam, ſivè eam perſonam ſucceſſionis Jus alioqvin non habentem. Unde in pluribus locis Jura redem-

demptionis appellantur: Non inquam ex uſibus Feudo- 25
rum origo horum Jurium deſumenda, ſed potius ex Jure
Emphyteutico, in quo pro admiſſione novi Emphyteutæ
certum debetur honorarium reſtrictum ad qvinquageſi-
mam pretij partem, ſi vendita fuerit res Emphyteutica:
vel æſtimationis; ſi aliâ viâ transferatur, *l. 3. in. f. C. de Ju-
re Emphyteut.* quod deinde conſvetudine ad feuda tracta- 26
tum eſt, & illud utique introduci potuiſſe declarat *Webn. d.
l.* ubi refert laudemia eſſe qvinqvageſimam partem, ut pro 27
centum ſolidis pretij venditionis duo ſolvantur: Id ne-
gat Vultejus, qvi putat eſſe qvintam partem pretij & quin-
tam qvintæ: puta ſi fundus venit 200. florenis, Domino
ſolvuntur 24; nimirum 20. pro parte qvintâ, & qvatuor
pro quintâ quintæ. Pergit *Webner.* & dicit conſvetudine
maximè Saxoniæ, Thuringiæ & Franconiæ eſſe vigeſi-
mam partem: ſcilicet qvinqve pro centum Principibus
tamen, non item Nobilibus, qvibus decem debentur, eti-
tiam plures de conſvetudine. Hinc eſt qvod *Webner* diſtin- 28
guat Laudemium in majus hohen Lehnwahr / qvod vel eſt
ſimplex puta 5. pro centum: vel geminatum puta 10. pro
centum. Et in minus kleine Lehenwahr 26 Pfenning Schreib-
ſchilling.

Ex qvibus colligitur propriè Laudemium ſolvi in ca- 29
ſibus, qvando Feudum mutat manum non ex perſonâ Do-
mini, cujus Jus ad alium tranſit: ſed ex perſonâ Vaſalli
transferentis illud per contractum. Cuinam autem in-
cumbat ſolutio? expeditum non videtur. De Jure Com-
muni quin emptor ſolvere teneatur, dubium non eſt *Gloſſ.
in d. l. fin. Cod. de Jur. Emphyteut.* De conſvetudine varios
deprehendo ſolvendi modos: Pluribus enim in locis par-
tes contrahentes de ſolutione Laudemiorum tranſigunt.
Alibi dimidia præſtatur ab emptore, & altera dimidia à
venditore. Qvandoq; major pars ſolvitur ab emptore, &
dimidia ab emptore ſoluti pretij erogatur à venditore,

 qva-

qvale Statutum allegat *Wehn.* in Principatu Fuldenſi ubi emptor pro 100 decem, venditor qvinq; ſolvit.

Dixi locum habere Laudemia ex perſonâ Vaſalli Jus ſuum transferentis per contractum; ad excluſionem ſci-
30 licet ſucceſſionis directæ, ratione cujus nihil ſolvitur: Liberi enim ſeu deſcendentes ab hoc onere immunes cenſentur, quia & naturali ratione & voto parentum ijs ſucceſſio
31 debetur, & illi potius retinere quàm Feuda acqvirere creduntur. *tit. 1. §. Et qvia. lib. 1. tit. 36. lib. 2.* In Agnatis major poteſt eſſe dubitatio. Et ſiqvidem Jura Feudalia reſpiciamus, idem de his dicendum videtur, qvod de liberis: Cum illis Juribus propriè non detur linea transverſalis, ſed à primo acqvirente æqve ac alij deſcendunt, & proximiori prædefuncto minimè ſuccedunt.

32 Aſt moribus hodiernis aliud eſt: quia non eodem modo agnatis Feudum acqviritur ac liberis: Ab his oneribus excipitur Vir, Feudo ab uxore in matrimonium allato; item tutor Feudi pupilli: Eo qvod Jus Feudi nuptijs vel tutelâ propriè manum non mutat; ſed ſola adminiſtratio cum comodo fructuum ad maritum tutoremq; illum transfertur. Ut autem certum quid in hiſce ſtatuamus, meritò ponendam puto Regulam, quam *Dominus Ericus*
33 *Mauritius in Poſit. Feud. Decad. XI.* ponit: *omnes* nempè *ad ſolutionem Laudemij teneri, qui indigent inveſtiturâ* (præſuppoſita tamen Lege vel Conſvetudine exigente vel approbante Laudemium) Qvales ſunt, qvi cum Veteri Vaſallo vel Emphyteuta una eademq; perſona eſſe non poſſunt, vel qvod idem eſt, qvi Emphyteuſin, Feudum vel eorum bonorum, qvæ Laudemia ex Conſvetudine præſtant, aliud aliqvod titulo ſingulari acqvirunt.

34 Cum Statuta & Conſvetudines circa ſolutionem Laudemiorum diſcrepent, ideò illæ ubiq; attendendæ erunt: aliqvando enim Laudemia qvâcunque mutatione Vaſalli, & qvacunqve renovatione inveſtituræ ſolvuntur. Econ-

tra

tra etiam quandoq; fratres ab hac redemptione imunes reperiuntur, fortè ex ratione: Qvia fratribus olim prius tributum fuit Jus ſuccedendi in Feudo qvàm agnatis *tit. 1. §. Et quia. lib. 1.* Videantur præclari Tractatus de Laudemijs *Amadæi à Ponte & Franzkii.*

SECTIO XI.

De Subinfeudatione & Refutatione.

SUMMARIA.

1 *Feuda ſine conſenſu Domini & eorum, quorum intereſt, alienari non poſſunt.*
2 *Alienationis hæc probibitio ſuas patitur limitationes.*
3 *Subſiſtit alienatio inter plures eâdem inveſtiturâ comprehenſos.*
4 *An & id obtineat inter remotiores agnatos reſpectu proximiorum?*
5 *Permittitur alienatio feudi merè & abſolute hæreditarij & Franci.*
6 *Quod alienatio Feudi Franci non ſit licita fortè verius eſt.*
7 *De conſvetudine procedere etiam poteſt alienatio ſine conſenſu Domini.*
8 *Subinfeudatio vulgò Affterlehen quid ſit?*
9 *Illa de Jure Feudali ſine conſenſu Domini rectè fit. Ratio.*
10 *Eam ſententiam mirabilem dicit Curt. Jun. eo quod transferatur utile dominium.*
11 *Reſolutio dubii à ſe ipſo moti.*
12 *Ad legitimam ſubinfeudationem tria Doctores vulgò requirunt.*
13 *Ut fiat ſincerè: illi, qui ſit ſimilis conditionis; Et ſub eâdem Lege quâ ſubinfeudans habet.*
14 *Præſumitur in dubio ſubinfeudatio ſub iisdem conditionibus facta.*
15 *Quando feudum ſub iisdem conditionibus cenſeatur conceſſum?*
16 *An primi Vaſalli Jure per mortem extincto, ſubvaſalli Jus eodem modo evanuiſſe dici poſſit?*
17 *Affirmativam tenet Felinus, ſi & deſcendentes ejus deceſſerint.*
18 *Negativam quidam admittunt, ſi Vaſallus ſecundus paratus ſit ſervire priori Domino, & ab eo feudum recognoſcere.*
19 *Diſtinctio facienda inter præjudicium Domini & agnatorum.*
20 *Feudum antiqvum ab agnatis revocari poteſt poſt mortem ſubinfeudantis decedentis ſine liberis.*

21 Di-

21 *Diſtinctio Mynſingeri inter feudum novum & antiquum hoc in caſu.*
22 *An ſubinfeudatio in infinitum fieri poſſit?*
23 *Rectius dicitur ſaltem ad tertiam perſonam usq; fieri poſſe ſubinfeudationem.*
24 *An Domini vel Vaſalli primi conſenſus ad eam requiratur?*
25 *Feuda quæ poſſidenda conceduntur, & deinde infeudantur, conſenſum utriusque requirunt: ea verò quæ feudo conceſſo ſubjecta poſſidentur, & ſubinfeudari ſolent, immediati Domini conſenſum deſiderant.*
26 *Refutatio Feudi quid ſit? vocatur vulgò* abtretten des Lehens.
27 *Et eſt vel propria vel impropria.*
28 *An invito Domino refutari poſſit?*
29 *Diſtinguitur inter Feudum rectum & purum, nec non conditionatum, & ad certum ſervitium datum.*
30 *Affirmativa pluribus placet, cum concedatur in favorem Vaſalli, cui renunciare poteſt.*
31 *Modo renunciatio non fiat intempeſtivè.*
32 *An refutatio procedat in Feudo Franco & Ligio tàm ex parte Domini qvàm Vaſalli?*
33 *An per refutationem Domino factam agnatis præjudicium creari poſſit?*
34 *Refutatio feudi tàm novi quàm antiqui in favorem deſcendentium & agnati proximioris deſcendentis à primo acqvirente rectè fit.*
35 *An refutatio remotiori facta teneat?*
36 *Negativam paſſim ſeqvuntur Doctores.*
37 *Perſonæ extraneæ refutationis capaces non ſunt.*

QUam ſeverè Feudorum alienationes prohibitæ ſint,
1 ex Conſtitutione *Friderici in tit.* 55. *lib.* 2. abundè patet: Non enim permiſſum eſt, absque conſenſu Domini & eorum, qvorum intereſt, in alium qvocunqve modo feudum transferre. De quâ conſentiendi neceſſitate in ſuperioribus, Part. I. titulis *nempè de Fideicommiſſis Familiæ, de Succeſſione ex Primogeniturâ & Pactis Familiarum Illuſtrium*
2 pluribus actum eſt, ut hic repetere opus non ſit & aliàs ejusmodi ſucceſſiones aliquam ratione effectus cognationem habeant. Illud tamen hic omittendum non arbitror, hanc alienationis prohibitionem non ita generalem eſſe, ac ſi nullam pateretur limitationem: Nam qvodammo-

modo relaxari videtur. Et *Primo* qvidem in caſu plurium 3
& eâdem inveſtiturâ comprehenſorum omninò dicendum
eſt alienationem ſubſiſtere etiam absqve conſenſu Domini.
Exemplum eſſe poteſt in fratribus inter qvos ſimul vocatos
poteſt intercedere alienatio. *Decian. Cons. 39. num. 101. Vol. 2.* imò etiam inter Agnatos. *Wurms. de Feud. Obs. 4.* De qvo dubium non eſt reſpectu Domini: ſed reſpectu 4
Agnatorum & qvidem remotiorum major exoritur difficultas: ſine proximiorum enim conſenſu vix eſt ut ad remotiores ejusmodi translatio fieri poſſit; qvod communiter Doctoribus placet. *Secundò* alienatio permiſſa eſt in 5
caſu quando feudum ita conceſſum eſt, ut ad omnes &
qvoscunq; hæredes ſit tranſitorium, *Curt. Jun. P. 4. num. 141.* rejectâ opinione Speculatoris denegantis alienationem; nec non exploſâ diſtinguente *Jo. Ray.* ſententiâ: Cum verba illa *quibus dederis* operentur licentiam alienandi. *Tertiò* limitatur in Feudo Franco. *Idem Curt. P. 4. num. 187.* Ex ratione: qvod de naturâ illius ſit, ut Vaſallus non teneatur niſi ad ea, qvæ expreſſa ſunt in promiſſione, vel continentur in forma fidelitatis. Sed ſic eſt, quod in formâ fidelitatis non contineatur, non poſſe alienari ſine conſenſu Domini: Ergo alienatio permiſſa. Allegatur ad hoc *Bald. in cap. Inter dilectos. num 8. de Fid. Inſtrum.* Cui Feu- 6
dum dicitur Francum à Lege id eſt à pœnâ Caducitatis, qvæ alterat naturalem libertatem conſenſus. Sed vereor ne contraria ſententia, qvam tenet *Mozzius de Amiſſ. Feud. 135.* qvamq; ſeqvuntur graves Jurisconſulti verior ſit. *Quartò* permittitur alienatio ex conſvetudine. *Joan. Ray.* 7
Curt. Jun. P. 4. num. 10. Qvâ ratione autem talis conſvetudo intelligenda ſit, præclarè pro more ſuo deducit *Herman. Vult. de Feud. cap. 10. n. 92. & 93.*

Quintò alienationi contraria non eſt ſubinfeudatio quæ 8
ſecundum *Wehn. Pract. obs. vocab.* Afftterlehen *Eſt actus, qvo Vaſallus Feudum qvod habet, vel totum vel aliqvam ejus partem*

9 *tem alij in feudum legitimè concedit.* quod omnino licere etiam ſine conſenſu Domini teſtatur *Mynſing. Cent. 1. obs. 62. num. 1.* per textum *in tit. 9. & tit. 26. lib. 2.* Idem tenent Canoniſtæ *in C. Quæ in Eccleſiarum. X. de Conſtit.* Rationem addit *Gudelin. de Jure Feud. P. 4. C. 2. num. 21.* quia Vaſallus fidem ab eo, cui rem dat, ſtipulando, feudum utileque ejus dominium qvodammodo retinere videtur, & inferior Vaſallus fidelitatem qvoq; ſuperiori Domino de-
10 bet. Hanc opinionem *Curt. Jun. P. 4. num. 83.* approbatam dicit, ſed tamen mirabilem: Cum ex tali ſubinfeudatione transferatur utile dominium, & hinc prohibitâ generaliter alienatione, videbatur etiam prohibita ſubinfeudatio. Et conſeqventer non improbabiliter dici poſſe, qvod textus *tit. 55. 2. Feud.* in qvo generaliter prohibetur omnis alienatio, videatur correxiſſe Jura antiqua atqve
11 omnia ea quæ permittebant ſubinfeudationem. Ad hanc objectionem ipſe quamprimum reſpondet; quod textus *in d. tit. 55. §. Illud.* poſt generalem prohibitionem de non alienando referens diſpoſitionem Juris antiqui (quo diſponebatur quod unus Vaſallus poterat de eodem Feudo alium Vaſallum infeudare) illam non reprobet, ſed potius approbet & permittat, videaturq; declarare prædictam generalem prohibitionem de non alienando non trahi ad infeudationem. Quam conclusionem vetuſtis & noſtris moribus receptam non tantum in Feudo Eccleſiaſtico, ſed etiam in Seculari procedere dicit *Zas. P. 9. num. 15. & 17.*

12 Ad hoc autem ut ſubinfeudatio ſubſiſtat tria communiter obſervari Doctores præcipiunt *Curt. Jun. d. num. 83. Borcholt. c. 8. num. 80. Wehn. d. vocab.* Afftерlehen. *Clar. in §. Feudum. Quæſt. 32. num. 5. Gudelin. d. c. 2. num. 13. &*
13 *alij.* Primò ut fiat ſincerè, *tit. 3. §. Sed etiam. lib. 2. Vultej. lib. 1. c. 10. n. 82.* & ſine fraude, quam alias ſubeſſe faciet pretium interveniens. Secundò, ut fiat ei, qvi ſit ſimilis

con-

conditionis ad præſtanda ſervitia & obſequia. *tit. 34. §. Similiter. lib. 1.* Tertiò ut fiat ſub iiſdem conditionibus, 14
ſub quibus ſubinfeudans illud à Domino accepit, *d. §. Similiter.* quam ſubinfeudationem tamen eodem Jure eâdemque Lege ſive conditione factam eſſe in dubio præſumi apertè declarat *Vult. d. C. 10. num. 82.* Ideoq; contrarium affirmans, id probare debeat; allegando *Menoch. Conſ. 148. num. 19.* qui *à num. 4. usque ad 47.* demonſtrat qvando 15
Feudum eodem modo dici poſſit conceſſum, quo conceſſum fuit ipſum principale. Hæc tria requiſita cumulat qvoqve *Mynſing. d. obſ. 62. num. 1. 2. 3. & 4. atque num. 5.* tangit illud dubium, qvod in diverſas traxit ſententias totum Feudiſtarum agmen: An ſcilicet Vaſalli primi Jure 16
per mortem extincto, ſubvaſalli Jus eodem modo evanuiſſe dici poſſit? ſcio *Felinum in d. C. Quæ in Eccleſiarum. in 26. Col. in verb. Tertia declaratio eſt.* docere, Subvaſallum tamdiu gaudere feudo, quamdiu primus Vaſallus vel ejus 17
filij vixerint; quibus demum non extantibus illud ad Dominum reverti reſoluto Jure ſubinfeudantis quoad ſe: Cum nemo poſſit in alterum plus Juris conferre quam ipſe habeat, nec Domino invito obtrudi poſſit Vaſallus. *tit. 18. in f. lib. 2.* Eam ſententiam noviſſimè ſequitur *Henr. Zoeſ. de Feud. cap. 14. num. 26.* Contrariam verò tuetur *Andr. de Iſern. in C. 1. Per qvos fiat inveſt. per tit. 9. lib. 2.* Ubi clarè demonſtratur, quod quando primus Vaſallus in- 18
feudavit alium, qvomodocunque extinguatur Jus illius; ſi ſecundus ſit paratus ſervire priori Domino, & ab eo feudum recognoſcere, non poſſit illo privari. Intellige tamen ſicut intellexit *Alvarottus in d. C. 1. §. 1.* faciens diffe- 19
rentiam inter præjudicium Domini & præjudicium agnatorum: ut quantum ad præjudicium Domini, non extinguatur; Secus propter præjudicium agnatorum. Si enim ſecundus Vaſallus à primo infeudetur, non durabit illa infeudatio, niſi ad vitam ſubinfeudantis. Mortuo au- 20
tem

tem eo ſine liberis; ſi Feudum ſit antiqvum, revocandi poteſtas agnatis ſupererit; quia reſoluto jure datoris, reſolvitur Jus accipientis. In idem recidit opinio *Mynſing. d. obs. 62. num. 5.* qui ſimiliter diſtinguit inter Feudum novum & antiqvum. Illud quidem morte primi Vaſalli non reſolvi dicit, modo inveſtituram à primo Domino agnoſcere & operas præſtare non detractet, allegans ad hoc
21 *Johan. Ferrar. de Feud. lib. 2. c. 4.* Si antiquum: hanc ſubinfeudationem mortuo ſubinfeudante agnatis minimè nocere tenet; utpotè quæ vitam concedentis non egreditur. Vid. omninò *Alvarott. d. l.* maximè verò in *tit. 9. lib. 2.* ubi infringit qvodammodo Regulas allatas quod reſoluto Jure datoris reſolvatur Jus accipientis per hanc allegatam differentiam. Item quod detur caſus, in quo Dominus compellitur habere alium Vaſallum quàm velit: Rationem addit: Quia Vaſallus infeudat alterum ſibi ſimilem & ijsdem conditionibus prout ipſe habet, ut non interſit
22 Domini potius habere unum quàm alium. Itaque hanc poſtremam diſtingventem opinionem Juri Feudali magis conformem recipiendam eſſe omninò arbitror. An autem iſthæc ſubinfeudatio in infinitum fieri poſſit, maximè controverſum adhuc eſt? Plurimi *à Domino Erico Mauritio Poſit. Feud. Decad. 13. th. 6.* allegati id affirmant. Sed rectius ſentiunt *Andr. de Iſern. & Matth. de Afflict. in tit. 34. §. Similiter. lib. 2. Schrad. Tract. Feud. P. 8. c. 2. num. 13. Ro-*
23 *ſenthal. in Synopſ. Feud. cap. 9. Concl. 56.* ſubinfeudationem ſaltem ad tertiam usq; perſonam fieri poſſe, atq; verba *in infinitum. in d. tit. 34.* exaudienda eſſe de primâ, ſecundâ, tertiâ & quartâ tantum perſonâ, ad hoc ut feudum Jure proprij feudi cenſeatur.

Porrò amplectimur quoq; ſententiam *Domini Erici Mauritii d. Decad. th. 8.* de conſenſu Domini aut Vaſalli de-
24 claratam: ubi diſtingvit Cum *Hartm. Piſt.* & aliis inter Feuda quæ ipſi Vaſallo poſſidenda conceduntur, & deinde ab

ab eodem alij infeudantur: Et inter ea, quæ Feudo conceſſo ſubjecta â Subvaſallis poſſidentur, & alijs ſubinfeudari ſolent: In horum alienatione ſolius immediati Domini 25
conſenſum ſufficere dicit: In illorum verò translatione, ſi ultra vitam ſubinveſtientis durare debeat feudum, utriusque Domini mediati & immediati requiri conſenſum.

Sextò alienationem non importat refutatio: quæ 26
eſt *feudi quod habet Vaſallus, ab ipſo facta renunciatio.* Ejus mentio fit in *tit. 14. tit. 38. 39. 44. 49. lib. 2. Feud.* communiter ceſſio, abtretten deß Lehens vocatur. Et eſt vel propria quæ fit in manus Domini: vel impropria, quæ agnatis 27
vel etiam extraneis. Quin volenti Domino rectè refutetur dubium nullum remanet. An verò etiam invito fieri 28
posſit? Anceps ſanè quæſtio eſt. Negat *Jul. Clar. in lib. Recept. Sent. §. Feudum. Quæſt. 34.* Diſtinguit *Andr. de Iſern. cum Gloſſ. in tit. 51. lib. 2.* An Feudum fuerit conditionatum & ad certum ſervitium datum: Vel rectum, ſimplex, 29
ac purum absque determinatione certorum ſervitiorum. Primo caſu Feudo renunciari non poſſe dicit, altero poſſe. Ex ratione: Quod obligatio certorum ſervitiorum magis ſtringat Vaſallum, quàm incertorum generalis promiſſio. Eam diſtinctionem paſſim approbari dicit *Roſenthal. Cap. 9. Concl. 69.* atq; communiter illam Doctores ſequi refert *Mynſing. Cent. 5. obs. 65. num. 4.* Qui tamen in ſequenti- 30
bus affirmativæ ſe ſe adjungit, ex eo qvod Feudum principaliter in favorem Vaſalli cencedatur; & conſtet unumqvemq; favori pro ſe introducto renunciare poſſe, qvod Vaſallo denegari non debet, prout denegatur aliàs in contractibus, qvi ex poſtfacto ſunt neceſſitatis. Ita omnes Feudiſtas in *tit. 38. lib. 2.* tenere profitetur *Curt. Jun. P. 4. num. 135.* modo tamen hujusmodi renunciatio non fiat in- 31
tempeſtivè; ut ſi in ipſo procinctu belli fieret, in quo Dominus jam operâ Vaſalli indigeret: tùnc enim nullius eſ-

ſet valoris, ex *Sonsbeck. P. 12. num. 117. Mynſing. d. Cent. 5. obs. 65. num. 12.* Plures limitationes videre poteris apud *Felin. in d. cap. Quæ in Eccleſiarum. X. de Conſtit.* Illis ſequentem adhuc adjungere placet, quod ſcilicet refutatio
32 non procedat in Feudo Franco & Ligio, tàm ex parte Domini, quàm etiam ex parte Vaſalli: Quia grave eſt Principi fidem fallere, beneficiumque ejus durare oportet, Econ-
33 tra Vaſallus Principi illudere non debeat. Quodſi itaque hoc modo fiat refutatio Domino, an idcirco præjudicabitur deſcendentibus & agnatis? Hic diſtingvo cum *Mynſing. Cent. 6. obs. 3. num. 2.* An Feudum ſit novum; & tunc filiis præjudicari poteſt. Vel ſit antiqvum: hoc caſu refutatio facta ijs ſicut & agnatis minimè nocet: intellige ſi deceſſerit refutans; ſecus ſi adhuc viveret: cum tamdiu firma permaneret. Idem tenet *Curt. Jun. d. P. 4. num. 147.* cum ibidem allegatis. Similiter *Roſenth. C. 9. Concl. 70. Zaſ. P. 9. n. 14.*

34 Quando verò fit refutatio Feudi in favorem deſcendentium & filiorum; illa utiq; tenet, ſive Feudum fuerit novum ſive antiqvum, *tit. 14. lib. 2.* quemadmodum etiam illa, quæ facta eſt in favorem agnati proximioris deſcendentis ab eo, qui primus Feudum acquiſivit. Intellige in Feudo antiquo: *Sonsbeck. P. 12. 118.* non etiam novo, niſi
35 agnati in inveſtiturâ comprehenſi reperiantur, *Borch. C. 8. num. 57.* quos Dominus inveſtire tenetur. Dixi *in Agnati proximioris favorem:* Quia refutatio remotiori facta, quanquam reſpectu Domini teneat, reſpectu tamen agnati proximioris nulla erit, ſed revocandi habebit poteſtatem. Quam deciſionem egregiè deducit *Curt. Jun. d. P. 4. num. 146.* allegando ſpeciem facti, de quâ conſuluerunt *Colleg. Mediolan.* pro valore hujusmodi refutationis factæ in agnatum remotiorem, *& Colleg. Bonon.* pro negativâ,
36 adductis rationibus pro utrâq; ſententiâ. Et tandem circa finem ſubjicit, ſibi placere præmiſſam concluſionem, id

eſt

eſt negativam, quæ communis eſt, & ſuo Judicio non habet multum dubitationis: Quia cum in Feudo antiquo vel paterno ſint omnes deſcendentes à primo ſtipite, & per conſequens vocati ordine ſucceſſivo, non video, dicit, quis dubitationis locus relinquatur, quare remotiores debeant poſſe excludere proximiores? Quia tunc non eſſet admittere ordine ſucceſſivo.

Multo magis prædicta concluſio locum habebit in extraneis, qui reſpectu Feudi novi ſunt ij, qui inveſtiturâ comprehenſi non ſunt: Reſpectu antiqui, qui à primo acquirente non deſcendunt, aut quibus in primâ inveſtiturâ pacto proviſum non eſt. Hujusmodi enim perſonæ refutationis capaces non ſunt, niſi acceſſerit conſenſus Domini & eorum quorum intereſt, cum alias importaret alienationem, quæ prohibetur in *d. tit. 55. lib. 2.* 37

Ad hæc denique notandum, eos, quibus refutatio facta eſt, legitimo tempore, id eſt intra ſpatium unius anni & menſis inveſtituram petere debere, etiamſi refutans in vivis adhuc eſſet, *tit. 22. lib. 1.* ne feudo priventur. *Mynſing. Cent. 5. obſ. 65. num. 14.* Vide peculiarem diſputationem Domini Taboris de Refutatione Feudi *Anno. 1641.* Argentorati habitam.

SECTIO XII.

De Cauſis Feudum amittendi.

SUMMARIA.

1 *Connexio cum præcedentibus.*

2 *Finitur feudum vel ex re, vel ex perſona alterutrius, Domini aut Vaſalli.*

3 *Extinguitur contrariâ conventione, refutatione, & libertatis præſcriptione.*

4 *Amittitur per ingratitudinem in Dominum non præſtando præſtanda.*

5 *Privatur feudo, qvi illud inficiatur, & ob delictum. Feloniam committendo.*

6 *Quatenus peccet in Dominum, & feu-*

ſeudum amittat, qui illum in prælio pugnantem relinquit?

7 An teneatur Vaſallus defendere Dominum injuſtè rixantem, aut etiam eum comitari extra territorium pro acquirendis novis ditionibus?

8 In perſonam domini peccat, qui in eum inſultat, & violentas manus infert.

9 An Vaſallus elevans manum, ſed non percutiens dominum feudum amittat?

10 Graves & inhoneſtæ injuriæ important privationem.

11 Multo magis cum vitæ domini actualiter inſidiatus quis fuerit.

12 Si accuſaverit dominum & inde grave damnum dederit.

13 Quid ſi Vaſallus deſtitiſſet ab accuſatione ante ſententiam?

14 Baldi diſtinctio an Vaſallus habuerit juſtam cauſam deferendi vel non?

15 Excuſatur Vaſallus ab accuſatione, ſi cogatur à ſuperiore, modo pro poſſe reſiſtat.

16 Quid ſi Vaſallus tanqvam Judex judicaverit contra dominum, an idcirco feudo privandus ſit?

17 Amittitur feudum per amicitiam cum inimico domini factam, quando nempè cum eô ſe in perniciem domini conjungit.

18 Cui incumbat onus probandi, ſi dubium ſit quo animo amicitia contracta ſit?

19 Multo fortius feudo privatur, ſi præſumi poſſit, Vaſallum ipſum eſſe inimicum Domini.

20 Feudo cadit Vaſallus revelans dicta & facta domini, ex qvâ revelatione in damnum incidat. Tria adhoc reqviruntur.

21 Per conſeqventiam in dominum peccat qvi eum cucurbitaverit.

22 An tentatio pudicitiæ Uxoris Domini eundem effectum habeat?

23 In delictis atrocioribus punitur affectus licet non ſequatur effectus.

24 Qvid per turpem luſum cum Uxore Domini intelligatur, an ex oſculo quoq; argui poſſit?

25 An per turpem & inhoneſtam locutionem cum illâ feudo qvis privetur?

26 Sicut etiam per litteras amatorias illecebras munuſculorum ad expugnandam pudicitiam illius?

27 An prædicta etiam ad ſponſam Domini extendantur?

28 Quemadmodum etiam ad viduam ejus?

29 Hæc pœna privationis non obtinet in concubinâ Domini, cum in eâ qvæ eſt inhoneſta, non committatur inhoneſtas. Contrarium tenet Curtius.

30 An Regula, qvæ dicit quod ex iisdem cauſis ex quibus ſit exhæredatio, matrimonii diſſolutio, & donationis revocatio, ex iisdem fiat feudi privatio? an inquam hæc Regula nullas patiatur limitationes, & generalitas illius

lius per ſpecialitatem non debilitetur?
31 Exempla generalitatem limitantia.
32 Concluſio firma generalem eam non eſſe Regulam.
33 Prædicta de vitiatâ uxore Domini an extendantur ad nurum ejus aut etiam ſi cum filia, vel cum nepte ex filio, item cum ſorore concubuerit?
34 An quis plus peccet per concubitum cum ſorore Domini, quàm per occiſionem fratris.
35 An concumbens cum matre Domini feudo privetur?
36 Cauſa amittendi feudum eſt parricidium qvodcunq;.
37 Item proditio ſive in Dominum, ſive in alium facta.
38 Rei Læſæ Majeſtatis ipſo Jure perdunt feudum.
39 Et omnes illud retinere non poſſunt qui honeſtè in Curia Domini ſtare non poſſunt.
40 Quatenus nimia ſævitia in ſubditos importet privationem?
41 Ex culpâ in re commiſsâ feudum amittitur, dum caſtrum Domini aut alium ipſius locum Vaſallus inſultat.
42 Aut re feudali abutitur, aut eam ſine conſenſu Domini alienaverit.
43 An prædictæ cauſæ privationem ipſo Jure importent, an verò ſententia definitiva reqviratur?
44 Sententia diſtinguens an quis propter feloniam vel propter alienationem feudo privetur.
45 Vaſallus non privatur ipſo Jure ob culpam commiſſam, niſi per ſententiam convictus fuerit.
46 Limitatur in alienatione factâ ſine conſenſu Domini, in Crimine Læſæ Majeſtatis, item ſi feudum datum ſit ut per culpam ipſo jure amittatur, nec non finito tempore, in omiſſo debito tempore petendæ inveſtituræ atq; in Crimine inceſtus.
47 Reqviritur tamen ſententia declaratoria facti.
48 Ante eam Dominus non poteſt apprehendere Feudum propriâ authoritate.
49 Remiſſio tacita & expreſſa feudum amiſſum reducunt.
50 An remiſſio tacita cenſeatur facta ſi Dominus offenſus mortuus ſit?
51 An in hæredem delinqventis Vaſalli competat revocatio?
52 An proteſtatio ſe nolle ſibi per inveſtituram præjudicare, Dominum juvet?
53 Feudum amiſſum an ad Dominum vel agnatos pertineat?
54 Feudum novum per culpam in Dominum commiſſam ad eum redit. Ratio.
55 An feudum paternum propter feloniam ad Dominum vel agnatos pertineat?
56 Crimen in extraneum commiſſum non nocet agnatis.
57 Dubia deciſio Curtij Jun. qui tandem Dominum in feudo antiqvo præfert. Ratio.

58 *Fundamentum ejus ſententiæ eſt in tit. 24. §. fin. & tit. 37. lib. 2. Feud.*

59 *Idque ex naturâ contractus feudalis, vi cujus tacitè ab initio actum videtur, ut ſi contingeret Dominum à Vaſallis offenſum iri, feudum ad eum redeat.*

60 *Alteram, agnatos præferentem utpote benigniorem recipiunt multi Interpretes Graviſſimi.*

61 *Reſponſio ad objectionem Adverſariorum.*

62 *Argumentatio à rebus fideicommiſſo ſubjectis ad feuda.*

63 *Conciliatio Vulteji, quæ tamen rejicitur & pro agnatis pronunciatur.*

64 *Ad filios tamen ne extendas.*

65 *An in biſce caſibus diſtinctio graduum facienda?*

66 *An propter commiſſum Crimen Læſæ Majeſtatis agnatis præjudicetur?*

67 *Negatur, & ita concluditur in omni caſu, qvo ingratitudo & felonia commiſſa.*

68 *Ad qvem pertineant acceſſiones poſt amiſſum feudum, an ad Dominum vel agnatos?*

60 *Item meliorationes in rem feudalem factæ?*

70 *Maxima differentia inter Feudum & Emphyteuſin.*

71 *Fructus pendentes cui cedant maximè verò naturales?*

72 *Ratio deciſionis in tit. 28. §. His conſequenter. lib. 2. Feud. allegatæ.*

73 *Fortè benè qvis dixerit fructus pendentes ad Dominum pertinere.*

1 HActenus de modis acqvirendi feudum, & acqviſitum conſervandi diximus. Reſtat nunc, ut videamus, qvâ ratione acquiſitum & conſervatum finiatur vel amittatur.

2 Finitur autem vel ex re, ex interitu ſcilicet rei qvocunque modo facto: vel ex perſonâ alterutrius Vaſalli aut Domini: Vaſalli qvidem cui nullus eſt hæres. Domini:
3 qui nullum qvoq; hæredem conjunctum relinqvit. Idem dicendum de morte Civili. Extinguitur etiam feudalitia qualitas contrariâ conventione inter eos initâ quorum intereſt; & refutatione, de quibus ſectione præcedente locuti ſumus; nec non libertatis præſcriptione.

4 Amittitur feudum plurimis ex cauſis: Præcipua tamen & generalis eſt ingratitudo Vaſalli erga Dominum ſuum, qvæ meritò aliquem reddit indignum, quando nempe

pè Vaſallus non præſtat, quæ illi præſtanda incumbunt; dum feudum à Domino non recognoſcere præſumit, neq; etiam intra tempus à Lege definitum ad petendam inveſtituram eum adit. *tit. 24. tit. 40. & 55. §. Præterea. lib. 2.* Item ſi ſervitia, ad qvæ obligatur, præſtare detrectet, ut feudum ejusve aliqvam qvalitatem inficietur, talis enim Vaſallus privationis pœnam incurrit juſtiſſimam. *d. tit. 24. §. Sed non eſt alia. tit. 26. §. Vaſallus ſi feudum. & §. Vaſallus feudum. lib. 2.* Quemadmodum etiam ſi reverentiam debitam omiſerit, neqve abſtinuerit ab ijs, qvæ veræ amicitiæ & reverentiæ repugnant, & culpam ſivè delictum, aut, ut in libris Feudorum dicitur, Feloniam important. Quæ vel conſiſtit in omittendo, vel in committendo. *Roſenthal. c. 10. Concl. 1.* Commiſſionis culpa, quæ & gravior eſt, vel fit in Dominum; vel in aliam perſonam: In Dominum iterum directò vel per conſequentiam. 5

Directo. Primò, ſi Vaſallus reliqverit Dominum in prælio pugnantem non mortuum, nec ad mortem vulneratum, *tit. 5. tit. 21. lib. 1. tit. 24. lib. 2.* qvanqvam ſciviſſet fuiſſe bellum injuſtum; Quoniam nihilominus Dominum ſub pœnâ privationis defendere tenetur, *tit. 2. lib. 2.* etiam injuſtè rixantem & inter privatos inſultus; dum magnum eidem imminere periculum videt. *tit. 26. §. Licet. lib. 2. tit. 7. lib. 1.* Et multomagis ſi extra territorium pro tutando Regno & vindicandâ injuriâ bellum movere intenderet: Secus verò ſi progrederetur extra illud pro acqvirendis novis ditionibus. *And. de Iſern. pr. ad tit. Quibus mod. Feud. amittatur.* 6 7

Secundò, in perſonam Domini vel maximè peccat ille, qui in eum inſultaverit. *tit. 5. §. Similiter. lib. 1.* quos inſultus deſcribit *Bart. in l. 1. §. Cum arietes. ff. Si qvadrup. paup. feciſſ. dic.* 8

Tertiò, cum Vaſallus Domino impias manus infert. *tit. 24. §. Porrò. lib. 2.* vel eum interficiendo, vel vulnerando,

do, vel etiam alapam infligendo. *Afflict. d. tit. 24. §. Item ſi qvis. num. 22.* etiamſi per alium fecerit *Andr. de Iſern.*
9 *in d. §. Porrò.* quod meritò eousq; extenditur ut eâdem privatione ſe dignum reddat, qui ſaltem erga Dominum elevavit manum, non etiam percuſſit: ſi enim Vaſallus ideò feudo privetur, quod graves & inhoneſtas injurias in
10 Dominum edixerit *d. tit. 24. §. Porrò.* multò magis ex hac elevatione debebit privari; qvia talis injuria atrox dici poteſt ex qualitate perſonæ Domini, *§. Atrox Inſt. de Injur.* Ubi gravis injuria ex tribus exiſtimatur. Alvarottum *in d. §. Et Roſenth. c. 10. Concl. 12.* hoc in paſſu à nobis diſſentire ſcio ex ratione: quod talia non videantur habere
11 vim, niſi perducantur ad effectum. A fortiori idem dicendum, ſi vitæ Domini veneno vel gladio vel aliter inſidiatus fuerit. *d. §. Porrò.* Intellige tamen de inſidijs actualiter poſitis.

12 *Quartò*, ſi Vaſallus accuſaverit Dominum, & ex eâ delatione grave damnum dederit. *d. tit. 24. §. Item ſi delator. lib. 2.* idq; vel per ſe, vel per alium, *Alvarott. d. §. Item ſi delator.* niſi ſuam ſuorumq; injuriam proſequatur, uti poteſt. *Zas. P. 10. num. 47.* aut cogatur à ſuperiore, *tit. 55. §.*
13 *Aliud quoque. lib. 2.* aut etiam deſtitiſſet ab accuſatione ante ſententiam. *Gloſſ. in d. §. Item ſi delator.* Ubi tamen ſublimitat; quando Vaſallus feciſſet quidquid potuiſſet, ut probaret accuſationem, ſed quia probare non potuit, deſtitit: Tunc enim dicit tali non parci. Sed Baldi di-
14 ſtinctio fortè aptior erit. Utrum nempè Vaſallus habuerit juſtam cauſam deferendi, & tunc pœnitere poſſe dicit, aut non habuit juſtam cauſam, & tùm ſecus. Aliqui etiam hoc in caſu parcent ætati minori, prout fecit *Alvarott.*
15 *in d. §. Item ſi delator.* Dixi Vaſallum excuſari ab accuſatione (idem etiam dic de perhibendo teſtimonio contra Dominum) ſi cogatur à ſuperiore: quod & verum eſt, cum hac adhibitâ cautelâ, ut quantum in Vaſallo ſit, reſiſtat; ne

ne perhibeat teſtimonium aut accuſet; aliàs volens cenſebitur id feciſſe. Quodſi verò Judex in coactione perſiſte- 16
ret non obſtante hujusmodi repugnatione; nullum privationis periculum adiret: quia per ſeveritatem Judicis excuſaretur, prout etiam is qui Advocati officio contra Dominum fungeretur. *Gloſſ. in d. §. Item ſi delator.* Huic ſimile eſt, ſi tanquam Judex judicaverit contra Dominum, & ea ſententia demum reſciſſa ſit, *Andr. de Iſern. in d. §. Item ſi delator.* quam deciſionem intellige cum *Alvarotto* de cauſa Criminali, non item de Civili; aut ſi etiam ad Civilem extendere qvis velit, proprium delictum judicantis interveniſſe prius probet.

Quintò, Privationem feudi importat, ſi Vaſallus cum 17
inimico Domini amicitiam contrahat, *tit. 57. lib. 2. Borcholt. c. 8. num. 121.* amicus enim mei inimici, meus inimicus dicitur ſecundum *Bart. in l. Sciendum. §. Si accuſatio. ff. de Legat.* quando ſcilicet in pernitiem & noxam Domini cum inimicis ſe conjunxerit: ſimplex enim amicitia bonâ fide ſine animo offendendi Dominum contracta, nihil culpæ, nec ergo & pœnæ habere debet: *Eric. Mauritius in Poſit. Feud. Decad. 14. th. 14.* Ubi appoſitè inſuper quærit, cui incum- 18
bat onus probandi, ſi dubium ſit, quo animo amicitia contracta ſit? & doctè diſtinguit an Vaſallus ſimplicem & generalem amicitiam cum inimico Domini contraxerit, nec ſe ad illum conferat: Et hoc caſu ad Dominum probationem defert. An verò talem, ut fœdus etiam cum eo inierit, cumque eo ſæpius familiariter in locis ſuſpectis converſetur. Et tunc Vaſallum ad onus probandi compellit. Multo fortius eadem privationis pœna locum habebit, ſi præſumi poſſit Vaſallum ipſum eſſe inimicum Domi- 19
ni propter ſummam ingratitudinem. Non tamen qvælibet cauſa, ex quâ gravatur opinio Vaſalli apud Dominum ſufficiens eſt.

Sextò, qui ſecreta Domini dicta vel facta revelaverit, 20

tit. 5, lib. 1. Modò iſthæc revelatio in damnum Domini tendat, aut animo ipſum damnificandi fiat. Ideoque tria *Alvarott. in d. text.* obſervanda notat. Primò, manifeſtationẽ. Secundò, quod fiat animo damnificandi. Tertiò, quod ex ipſâ manifeſtatione ſecutum ſit damnum. *Andr. de Iſern. in d. t. & Zas. P. 10. num. 34. Bocholt. C. 8. num. 126.* putant; non eſſe diſtingvendum, utrum Dominus ſenſerit damnum nec ne, ſed ſufficere ſi eo animo revelaverit, ut noceret.

Et hæ ſunt privationis cauſæ, quæ immediatè & directò perſonam Domini tangunt. Nunc ad alias quæ mediatè & per conſequentiam Dominum lædunt, deveniendum eſt.

21 Peſſimè indirectè & per conſequentiam in Dominum peccat Vaſallus, qui eundem cucurbitaverit, ut loquitur textus in *tit. 5. lib. 1,* id eſt cum Uxore Domini concubuerit, eam ſive volentem ſive invitam cognoſcendo, *Andr. de Iſern. in d. tit. 5.* vel ſaltem tentando *d. tit. 5.* Habetur enim initium facti pro facto, & attentatio pudicitiæ eſt pro
22 perfecto crimine, Imò injuriarũ tenetur, *§. 1. & 2. Inſt. de Injur.* quia in delictis atrocioribus punitur affectus, licet non ſequatur effectus. *l. 5. cod. de Epiſc. & Cleric. l. Divus. 14.*
23 *ad Leg. Corn. de Sicar.* Nec liberatur, ſi deſtitiſſet propter impoſſibilitatem: Secus ſi per pœnitentiam. Privatur
24 inſuper, ſi turpiter luſerit cum Uxore Domini, *d. tit. 5.* quem quidam interpretantur, manuum in ſinum immiſſionem, aut ad pectus ejus, vel alium locum, unde turpe eſſe poſſit. *Sonsbeck. P. 12. n. 241.* Turpem luſum ex oſculo arguit,
25 *Roſenthal. C. 10. Concl. 54.* quinimò ex turpi & inhoneſtâ locutione hunc effectum privativum inducit *Curt. Jun. P. 4. num. 26.* Ex ratione: quod ſicut Vaſallus exercendo ſe ut concumbat cum Uxore Domini privatur Feudo, uti paulo ante *ex d. tit. 5.* diximus, Ita etiam qui turpiter loquitur cum eâdem videatur ſe exercere, ut cum eâ concumbat,

bat, & conſequenter Feudo privandus veniat. Contrarium tenet *Andr. de Iſern. in d. tit. 5.* cum non tàm turpe 26
ſit colloquium quàm tactus, & inſuper ſimus in pœnalibus. Huc rectè attuleris & privationem, quæ ex literis amatorijs & illecebris munuſculorum ad expugnandam pudicitam uxoris, corruptione familiæ & cuſtodum interveniente, evenit. *Herman. Vult. lib. 1. cap. 11. num. 31.*
Idem de ſponſâ cum *Roſenthal. c. 10. Concl. 55.* indiſtinctè, 27
& non de ſponſâ de præſenti tantum dicendum erit; non obſtante quod nondum uxor dicatur: Cum talis nihilominus cenſeatur in ijs, quæ ad ipſius honeſtatem pertinent, & non nuptiæ duntaxat, ſed & ſpecies nuptiarum temerari non debet. *Sonsbeck. P. 12. num. 18.* Secus tamen 28
ſtatuendum cenſeo in viduâ Domini per *text. in tit. 21. lib. 2.* Ubi ad hoc ut Feudum amittatur, requiritur, ut Vaſallus concubuerit cum Uxore Domini, ipſo vivente. *Vultej. d. cap. 11. num. 31. in verb. Quod de viduâ.* qui quanquam contrariam ſententiam communiorem fateatur; nihilominus tamen priori inhæret, ne verba conſtitutionis ſint otioſa, explicans quid verba *vivente Domino* importent: textus enim tantum loquitur de Uxore Domini, qui per adulterium demum gravem accipit Injuriam, quæ non infertur poſt mortem, cum thorus violari dici nequeat, qui non eſt. Multominus hæc pœna obtinebit in concubinâ, 29
tùm quod Jure Feudali id non caveatur, & conſequenter non extendenda veniat; quia in pœnalibus verſamur. Tùm etiam quod non videatur committi talis inhoneſtas in injuriam Domini in eâ, quæ eſt inhoneſta, & quæ extra culpam non habetur. Quamvis non ignorem *Curt. Jun. P. 4. num. 2. in f.* alteram ſententiam ſequi, per *tit. 24. §. Prædictis. lib. 2.* Ubi ex quibus cauſis filius exhæredatur, ex ijsdem & privatur feudo. Sed filius coitum habens cum concubinâ patris poteſt exhæredari; ergo etiam Feudo privari. Sed ſibi videtur eſſe contrarius ipſe *Curt. P. 4.*

30 *num.* 77. ubi generalitatem illius Regulæ, quæ habet: *quod ex iisdem cauſis ex quibus fit exhæredatio, matrimonii diſſolutio, & donationis revocatio, fiat etiam feudi privatio*: maximè improbat & dicit, ſe advertendum putare; quod licet ſcribentes ita ſimpliciter ponant has Regulas, tamen ſi bene conſiderentur cauſæ ſpeciales exhæredationis, repudij, & revocationis donationis, multæ aliæ cauſæ ſpecialiores poſſint colligi, ex quibus Vaſallus privaretur feudo. Exemplum ponitur ex *Gloſſ. in l. f. Cod. de Revoc. Donat.*
31 quæ vult, ut ſi donans non alatur à Donatario, poſſit revocari donatio. Nam ex eo inferre liceret, quod etiam Vaſallus privaretur feudo, ſi non aleret Dominum egenum. Cujus tamen contrarium tenent Feudiſtæ communiter. Eandem argumentationem deducit ex adulterio & homi-
32 cidio, & tandem concludit, quod non omnes cauſæ generaliter, ex quibus poſſit fieri exhæredatio, donationis revocatio & repudium, ſint ſufficientes ad privationem feudi; maximè illæ circa quas contrarium eſt deciſum, vel quæ non reſpiciunt injuriam Domini, vel quia non conveniunt materiæ feudali. *Ericus Mauritius in Poſit. Feud. Decad. 14. th. 3.*

33 Quod dictum eſt de vitiatâ Uxore Domini, etiam extenditur ad nurum ejusdem, *d. tit.* 5. etiamſi talis filius non eſſet ſucceſſibilis. *Alvarot. ibid.* quia utique Feudo privaretur: ſimiliter etiam ſi Vaſallus concubuerit cum filiâ Domini, vel cum nepte ex filio, *d. tit. 5.* Item cum ſorore *d. tit. 5. tit. 24. lib. 2.* Cui ſeſe opponunt plures argumento deducto à majori ad minus: ſi enim Vaſallus non amittat Feudum occidendo fratrem Domini, *tit. 37. lib. 2.* quod plus eſt; multo minus hanc jacturam faciet ſtupran-
34 do ſororem Domini. Sed ego putarem, talem plus peccare per concubitum cum ſorore Domini, & majori cum ignominiâ, quàm qui fratrem ejus occidit. Modò tamen innupta fuerit, *per d. tit. 24.* in verbis: *quæ in capillo dicitur.* de quo tamen fortè dubitandum foret. *Vid. Alvarott. in d. tit.*

d. tit. 24. §. Rurſus. ubi aliquas affert extenſiones. An quoque is, qui cum matre Domini concubuiſſet, Feudo privandus ſit? affirmativè decidit *Alvarott. d. tit. 5.*

36 Quandoq; non immediatè peccando in Dominum, ſed in alium Feudum amittitur; ſicuti videmus obſervari Primò, in Parricidio, *d. tit. 24. §. fin. lib. 2.* In quem illud committatur deducit *l. 1. ff. ad Leg. Pomp. de Parricid.* De Jure Feudali ſpecialiter ad fratres & nepotem ex filio reſtringitur. *d. tit. 5. §. Item ſi fratrem. & d. §. fin. tit. 24. lib. 2.* Sed rectius tamen intellige de quocunque parricidio. In quâcunqve cauſâ facto. *Borch. c. 8. num. 102.* Secus erit in homicidio & in caſu, qvo Vaſallus occidit fratrem Domini *tit. 37. lib. 2.* quia parricidium longè gravius eſt homicidio, & inde iniqvum talem infamem, qui parricidio ſe polluit, in Curiâ amplius verſari: Niſi in odium Domini id Crimen 37 patratum fuiſſe comprobetur. Secundò, ſi Vaſallus committat proditionem, *d. tit. 37. lib. 2.* ſive hæc immediatè contra Dominum, ſive contra alium facta fuerit. *Gloſſ. in d. tit. 5. §. Item ſi fratrem. & ibi Laudens.* qui hanc ſubjicit rationem: quia Feudum dicitur à fide, ſed proditor non habet fidem, ergo. Quis autem dicatur proditor & rebellis? ſupra *P. 2. cap. 6. Sect. 2.* diximus. Sub quibus Læſæ 38 Majeſtatis Rei imprimis continentur, qui ipſo Jure Feudis privantur etiam ijs ab Eccleſiâ obtentis, ſi contra Eccleſiaſtica fecerint Statuta *cap. Gravi. in f. X. de Sentent. Excomm.* Tertiò, deniq; ob quamvis aliam cauſam, ob quam 39 Vaſallus honeſtè in Curiâ Domini ſtare nequit. *d. tit. 37. lib. 2.* puta ſi occidat Convaſallum ſuum; *Roſenthal. C. 10. Concl. 65.* Item ſi committat inceſtum, *Concl. 68.* aut etiam ſi nimia intervenerit Vaſalli ſævitia erga ſubditos, & talis à Domino commonefactus ab injuſtâ & inſolitâ oppreſſione vel exactione non deſiſtat: hunc enim Feudo privandum cenſet *Mynſing. Cent. 5. obs. 8. n. 6. & 7.* in verbis: *Qvamvis Domini Juriſdictionem habeant & poteſtatem in ſuos ſubdi-* 40

 tos,

tos, eâ tamen poteſtate non abuti, ſed moderate uti debent, cum non ſolum Dominorum, ſed Reipubl. quoque interſit, ne quis re ſuâ ac potiſſimum ſubditis malè utatur. Idem dicit *Gail. 1. obs. 17. n. 4. & lib. 1. de Pac. Publ. C. 2. n. 22.*

41 Tandem ex culpâ in re commiſſâ Feudum amittitur, quando nempe Vaſallus caſtrum Domini inſultaverit, *d. tit. 5. §. Similiter. lib. 1.* aut alium locum ipſius: *tit. 24. §. Porrò. lib. 2.* ſive ſciens ſive ignorans Dominum ibidem eſſe, imò etiam in loco alieno, Domino ibidem conſiſtente fa-
42 ctum perpetraverit. *Sonsbeck. P. 12. num. 54.* Deinde ſi Vaſallus abutatur re Feudali. textus eſt in *C. ad Apoſtolicæ. de Re Jud. in 6°. Bald. ad d. C. §. Sed licet.* quod obſervatur quoque in Emphyteutâ qui ob deteriorationem rei commodum Emphyteuticum perdit. Porrò alienans feudum abſque conſenſu Domini, illud quoque amittit *tit. 53. & tit. 55. lib. 2.* ita tamen ut ſi pars alienata fuerit, hæc, non reliqva amittatur. *Roſenthal. C. 9. Concl. 2.* Ad hoc ut alienans jure ſuo cecidiſſe dicatur tria enumerat *Vult. C. 11. n. 42. & ſeqq.* qui videatur.

43 An autem prædictæ cauſæ privationem ipſo Jure importent, an verò ſententia definitiva requiratur? Ambiguæ quæſtionis eſt, quæ tangitur ab *Andr. de Iſern. in tit. 21. lib. 1.* & ibi *Alvarott.* qui de eâ quoq; diſſerit in *tit. 55.*
44 *§. Callidis. lib. 2.* diſtinguens utrum Vaſallus privetur propter feloniam, an propter alienationem factam irrequiſito Domino. Illo caſu requirit ſententiam: hoc non item. Ratio diverſitatis eſt: quia ille, qui alienat traditione ſecutâ, facit ſe penitus alienum a Feudo, & cenſetur habere pro derelicto; undè mirum non eſt quod poſſesſionem perdat. Dum verò per delictum Feudo quis exuitur, non ita quamprimum alienus à Feudo redditur, ſed ſententia ad eum finem præcedere debet. *d. tit. 21. lib. 1. & tit. 24. lib.*
45 *2.* Itaque Regula generalis aſtruitur, Vaſallum non privari

feu-

feudo ipſo Jure ob culpam commiſſam, niſi per ſententiam convictus & declaratus fuerit.

Quam limita *primò* in caſu uti ſtatim dictum, quo facta eſt alienatio irrequiſito Domino & ſecuta traditio. *d. tit. 55. §. Callidis. lib. 2.* Idem eſſet, ſi Vaſallus alium inveſtiri pateretur aut uſu capi, aut ſimpliciter refutaret, aut etiam privaretur ex inhabilitate perſonæ. *Secundò*, in commiſſo Crimine Læſæ Majeſtatis *Roſenth. cap. 10. Concl. 109. Borcholt. cap. 8. num. 156.* nec non in Crimine Hæreſis, quod illi æquiparatur imò excedit *c. Urgentur. c. Excommunicatus. de Hæret. Tertiò*, ſi datum ſit hac Lege: ut commiſſo delicto ipſo Jure privaretur. *Quartò*, finito tempore ad quod datum, & extinctâ generatione. *Quintò*, ſi tempore debito inveſtitura non fuerit petita. *Sextò*, denique propter commiſſum inceſtum. Quibus adjungit *Curt. Jun. P. 4. num. 55.* duos caſus in *c. Felicis. de Pœnis. in 6to. in C. Pro humani. in f. de Homicid. in 6.* 46

Illas limitationes tamen ita quis neceſſariò intelligere debet, ut in caſibus, quibus imponitur pœna ipſo Jure, requiratur ſententia declaratoria. Si igitur alienaverit feudum ſine conſenſu Domini, non poterit conferri inveſtitura in alium ante hâc ſententiam declaratoriam privationis primi Vaſalli. Nec obſtat, qvod in *d. tit. 55. §. Callidis. lib. 2.* contineantur verba: *Liberè revertitur.* quæ aliqui interpretantur ipſo Jure absq; ſententiâ. Nam non ſequitur, Feudum liberè revertitur, ergo ſententia non eſt neceſſaria. Probatur *ex c. Dixit Dominus. 32. Quæſt. 1.* ubi habetur liberè dimittitur uxor propter notoriam fornicationem: Et tamen *Gloſſ. in c. Ex parte. de Spons.* expreſſè ſtatuit, requiri ſententiam Judicis, licet fornicatio ſit notoria. Ex quibus ſequitur non poſſe Dominum ita propriâ authoritate Feudum apprehendere ante ſententiam, non quidem privativam; cum nil ſit, pro privetur jam priva- 47 48

tus: ſed declaratoriam facti & delicti commiſſi *C. Cum ſecundum. de Hæret. in 6.*

49 Et hæc de cauſis amiſſionis Feudorum, quæ feudalem qualitatem ad nihilum deducunt, niſi remiſſio ſequatur expreſſè vel tacitè ſuper delicto præterito, non item futuro: ne quis ad peccandum invitetur. Tacitè quidem inveſtiendo Vaſallum poſt feloniam commiſſam, aut ſervitia ab eo exigendo, recipiendo, & in poſſeſſione relinquendo; quatenus tamen Dominus ignoraverit delictum, cui per ignorantiam non præjudicatur. *Curt. Jun. P. 4.*
50 *num. 52.* quæ remiſſio etiam præſumitur facta, quando Dominus offenſus mortuus eſt, & ſibi talem injuriam factam ſciverit: Cum non revocans quod revocare ſe poſſe novit, donare videatur. Secus ſi ignoraſſet: qvia non cenſetur remiſiſſe Jus ſuum, qvod ſibi competere neſciebat, potiſſimum quod hæc actio cenſeatur perſecutoria Feudi.
51 Contrarium obtinet in caſu, qvo Vaſallus mortuus eſt: In hæredem enim non competit revocatio, niſi Dominus exciperet Feudum ipſo Jure commiſſum fuiſſe; nam tunc contra hæredem locum haberet hæc privatio accedente
52 ſententiâ declaratoriâ, *Harlm. Piſtor. Q. 35. num. 5.* quamvis non deſint qui contradicant. Nec multum juvabit Dominum interpoſita proteſtatio, ſe per actum inveſtituræ nolle ſibi præjudicare & renunciare Juri ſuo. Cum illa utpotè facto contraria nihil operetur, nec Jus ſuum conſervet proteſtans. *Borcholt. cap. 8. n. 27.*

Circa prædicta notandum Vaſallum æq; in Dominum propter commiſſam feloniam actiones inſtituere & proprietate Feudi privare poſſe. *Roſenth. C. 10. Concl. 101.*

53 Ad effectum amiſſionis Feudi ut tranſeamus methodi ratio poſtulat. Ad quem ſcilicet Feudum poſtquam amiſſum eſt, an ad Dominum vel agnatos pertineat? Ad deciſionem illius diſtinguendum eſt, an ob cauſam ingratitudinis aut feloniæ in commiſſum cadat; an alio modo amitta-

tatur. Quod ad primum attinet: conſtituemus differentiam inter Feudum novum & antiqvum: quin illud 54
propter crimen in Dominum commiſſum amittatur, & ad Dominum excluſis deſcendentibus & agnatis revertatur, dubium non eſt, *tit. 24. §. fin. & tit. 26. §. Si Vaſallus. lib. 2.* quia Feudum novum nihil adhuc Juris liberis multominus agnatis tribuit: cum in perſonâ acquirentis ſubſiſtat, cujus reſoluto Jure per delictum reſolvitur & Jus aliorum.
Tota autem difficultas in Feudo paterno reſidet, an & illud 55
Domino acquiratur propter feloniam commiſſam aut agnatis? Si adverſus extraneum peccatum ſit, & ob id feudo 56
quis privetur, puta propter Crimen parricidij aut proditionis, agnati potiores erunt. *tit. 5. lib. 1. tit. 24. §. Denique. & tit. 27. pr. lib. 2.* Et de hoc itidem non multum ſolliciti ſumus. Sed in altero dubio ſummos etiam Feudiſtas anxiè laborare video. Nam adverti *Curt. Jun. P. 5. num. 1.* poſtquam plurimum agnatis favere viſus fuit, nihilominus in alteram pro Domino militantem opinionem ruere, ex
ratione: quod Feudum procedens abinitio ex liberalitate 57
concedentis, cenſeatur datum cum iſtâ qualitate & conditione? ut ſi ingratitudo committatur contra Dominum, ad eum devolvatur, neque de eo agnati conqveri poſſint, cum traditione rei ſuæ unusquisq; Legem apponere valeat, cui tacita inſit conditio, ſi primus, cui ſit conceſſio, & omnes ejus deſcendentes erunt grati erga Dominum. Eam deciſionem quoq; amplectuntur *Jul. clar. in §. Feudum. Quæſt. 66. num. 3. & 5. Zaſius part. 10. num. 101. Roland. à Valle. Conſ. 1. num. 9. Vol. 1.* & alii apud Zaſium allegati, 58
qui fundamentum aſſertionis ſuæ ponunt *in tit. 24. §. fin. & tit. 37. lib. 2.* Quid, etſi qvodammodo fateantur duram hanc eſſe deciſionem; attamen quia Lex ita ſcripta eſt, eam obſervari debere contendunt. *arg. l. Proſpexit. ff. Qui & à quib. manum.* Non quaſi directè illis noceat, ſed per conſequentiam, nec puniendorum reliquorum, qui non

 de-

59 deliquerunt, cauſâ ita conſtitutum ſit, ſed quia ex naturâ contractus feudalis tacitè illud abinitio actum videatur, ut ſi contingeret Dominum in futurum â Vaſallis graviter offenſum iri, tales Feudo privarentur, illudque Domino aperiretur in injuriæ ſuæ ultionem. *d. tit. 24. §. fin. lib. 2.* Ex hiſce rationibus plurimi quos citat *Hartman. Piſtor. Quæſt. Jur. Quæſt. 15. num. 20.* Domino contra agnatos favent.

60 Contrariam ſententiam pro agnatis facientem utpote benigniorem tenet eximius ille Feudorum Interpres, & ut vulgo nominatur, Feudiſtarum Evangeliſta, *Andr. de Iſern. tit. 24. §. fin. num. 49. & tit. 55. §. Firmiter. num. 30. lib. 2. Item Roſenth. c. 11. Concl. 5. 7. 8. & alii apud Piſtor. d. l. num. 20.* per textum in *tit. 26. §. Si Vaſallus. & tit. 31. lib. 2.* Ubi filij excluſi & agnati, ad quos Feudum ſpectat, admiſſi reperiuntur. Jam verò nullâ indiget probatione, feuda antiqua ex pacto & providentiâ agnatis quæſita eſſe, quæ ipſis per factum iniqvum medij poſſeſſoris auferri non poſſunt.

61 Quodſi fortè objicere velint Adverſarii textus, quibus proximi per delictum excludi dicuntur, uti *ſit tit. 24. §. fin. lib. 2.* Illi ſanè de deſcendentibus non verò de transveſarlibus agnatis intelligendi erunt, aut etiam de Feudo Hæ-

62 reditario, non de Feudo ex Pacto & Providentiâ: In illo enim agnatis nihil eſt Juris, & conſequenter ne minimum conqueri valent. Accedit, qvod de Jure Canonico res fideicommiſſo ſubjectæ & certæ familiæ reſervatæ non cadant in commiſſum; quidni etiam in feudis obtineret, quæ illis aſſimilantur?

Herman. Vult. lib. 1. cap. 9. num. 75. in Verbis: priorem illam, poſtquam priorem opinionem defendiſſet, tandem conciliationi ſtudet; ut dicat illam primam ſententiam, ſcilicet Feudum ad Dominum reverti ob delictum veram

63 eſſe, & tamdiu apud eum manere, quamdiu Vaſallus delinquens

quens vivit. Alteram quoq; quæ præfert agnatos itidem veram eſſe, Vaſallo delinquente mortuo. Quam diſtinctionem vel ideo amplectitur, quod Jure Civili ſimile quid proditum ſit in re obnoxiâ reſtitutioni in *l. Status. §. fin. ff. de Jur. Fiſc. l. Peto. §. Pridem. ff. de Leg. 2. l. 1. in f. Cod. Comm. de Manum. Auth. Ingreſſi. Cod. de SS. Eccleſ.* Idem tenet *Cujac. lib. 3. tit. 2. de Feud.* Sed hanc conciliationem probare non poſſum, cum nullo Juris Feudalis textu firmetur, aut alij ante Interpretes eâ uſi fuerint, & potius divinatoria cenſeri debeat. Ideoq; benigniori illi & æquiori, quæ agnatos admittit, inſiſtere malim, qvam laudabiliter propugnat *Roſenthal. c. 11. Concl. 5. 7. 8.* quamdiu nempè in terminis propoſiti caſus loquitur, non autem dum in extenſione, qvâ nequidem filijs tale Feudum auferri poſſe tenet; vagatur: Vera enim non eſt, eo quod non 64
tantum in Feudo novo, ſed etiam antiquo liberos paterni Criminis pœna afficiat, & à Feudo reddat alienos. *tit. 24. §. fin. tit. 26. §. Si Vaſallus. lib. 2.*

Quod qvamprimum dixi agnatos delinquentis ſuccedere; non ita intelligi velim, qvemadmodum nonnulli intellexerunt per textum in *d. tit. 26. §. Si Vaſallus. & tit. 31. lib. 2.* agnatos nempè, qui ultra quartum gradum cum delinqvente ſunt, ad ſucceſſionem hanc Feudalem admitti debere: non item qui intra iſtum ſunt conſtituti: Alle- 65
gati enim textus non ſunt accipiendi, quaſi ante quartum gradum agnati ſuccedere non debeant; Sed hoc potius: Agnatos etiam in quarto gradu & in infinitum ſuccedere, qui quartus gradus non à delinquente, ſed à primo acquirente numeratur.

Circa prædictam concluſionem noſtram non magis 66
delictum Læſæ Majeſtatis, quàm illud in perſonâ Domini patratum conſiderandum venit: Et quamvis regulariter per illud omnia bona præſentia adimantur; liberiqve & deſcendentes iisdem carere teneantur: Feuda tamen

mi-

minimè ſubintelligi verius eſt, quæ nec Fiſco, nec Domino,
67 ſed agnatis potius deferri debere Juſtitia ſvadet. Et ſic concludendum erit in omni caſu, qvo ingratitudo & felonia erga Dominum facta, & Feudum in commiſſum cecidiſſe dicatur: Cui quantum ſe opponat *Curt. Jun. P. 5. num. 8.* videre licet.

Ratione effectus amiſſionis Feudi meritò adhuc conſiderantur ea, quæ poſt extinctionem illius in controver-
68 ſiam deducuntur. Et *primò* quidem ſunt acceſſiones. Quæ ſi à Vaſallo comparatæ ſint, fundo non cedunt, neq; per conſequentiam Domino aut agnatis, *tit. 8. §. Econtra. lib. 2.* ſi verò per incremẽtum latens quid accreverit, certè Feudali qualitate gaudebit. *d. tit. 8. §. Econtrario. Secundò*, ſunt meliorationes, quarum impenſæ repeti poſſunt; ne quis jacturâ ali-
69 enâ locupletetur. Intellige non tantum quando citra delicti comiſſionem Feudum ad Dominum redit, ſed etiam quando ob delictum illo quis privatur, ne in amplius puniatur, quam peccavit: Cui contradicit *Matth. de Afflict. ad tit. 28. §. Si Vaſallus. lib. 2.* deducens argumentum ab ingrato & negligente Emphyteuta, qui & meliorationes perdit *per l. 2. cod. de Jur. Emphyt.* ſed ſolidè *Petr. Gudelin. de Jur. Feud. P.*
70 *5. cap. 5. num. 2.* hanc aſſertionem refutat & diverſitatem Feudi cum Emphyteuſi proponit: quod nimirum in hac præcipue agatur, ut accipiens agrum in Emphyteuſin datum, meliorem efficiat, & hinc iniquè repoſceret id à Domino, ad quod ex Lege contractus teneretur. At in Conſtitutione Feudi aliud eſt, in eâ enim non cogitur Vaſallus meliorare illud; modò non reddat fundum Feudalem de-
71 teriorem. *Tertiò*, poſt conſolidationem Feudi, fructus & maximè pendentes in controverſiam veniunt, cui illi relinquantur? De Civilibus non diu dubitare licet, quia hi pro ratâ temporis Vaſallo cedunt, eoqvod perceptis aſſimilentur. De naturalibus magis variatur: plures enim ſibi perſvadent quocunq; anni tempore moriatur Vaſallus,

cos

eos ad Dominum pertinere *tit. 28. §. His conſeqventer. lib. 2.* Ibi quoq; in principio diſtinguit Feudiſta ſi Vaſallus ante Martium decedat, omnes fructus illius anni ex Feudo provenientes ad Dominum: ſi verò poſt Calendas Martij usq; ad Auguſtum, omnes fructus qui interim percipiuntur ad hæredes Vaſalli pertinere: ſi poſt Auguſtum, 72
omnes fructus anni, percipere Dominum: In ratione hujus diſtinctionis inquirendâ plurimum ſe torquet *Gudelin. d. l. num. 5.* Sed ego crediderim hujus deciſionis alias communiter receptæ nullam dari rationem perſvaſivam, cum ipſi Juris Feudalis Compilatores eam ſimpliciter non approbent, ſed aliam ſubjiciant mentem, quam primo loco 73
attulimus: Quocunq; ſcilicet anni tempore decedat Vaſallus, omnes fructus pendentes ad Dominum pertinere ſine ullâ diſtinctione. Quod non ineptè probatur per *tit. 86. lib. 2.* in quo fructus extantes non ad Dominum, ſed ad filium vel uxorem Vaſalli pertinent, ut merito aliud in pendentibus ſtatuendum ſit.

SECTIO XIII.

De Judiciis Feudalibus & eo nomine competentibus Actionibus.

SUMMARIA.

1 Connexio ſeqventis materiæ cum præcedenti.
2 In terminandis controverſiis feudalibus qvinam caſus occurrere poſſint?
3 In feudo controverſo inter Dominum & Vaſallum Judices ſunt Pares Curiæ.
4 Et omnes: niſi contrarium placuerit litigantibus.
5 Pares ante Electionem habent Juriſdictionem habitu, poſt eam, actu.
6 An de novo jurare teneantur?
7 Principes Imperii in propriâ cauſâ feudali per ſe vel per officiales Jus dicunt.
8 Controverſia quædam feudalis inter Jacobum de Sabaudia & Comitem Amadæum.

9 *Quodſi nulli eſſent Pares, aut ſaltem Domino fortè nimis favorabiles vel non poſſint vel nolint judicare? quis erit Judex?*

10 *Quis ſit Judex duorum Vaſallorum litigantium inter ſe?*

11 *Inter duos Comites vel Barones Imperator Judex eſt ſi de Regalibus diſceptetur, & non Camera Imperialis.*

12 *Inter duos minores Vaſallos Dominus feudi Judicem agit.*

13 *Non attenditur an feudi dominus ſit Laicis vel Clericus.*

14 *Quid ſi diſceptetur ſuper re non feudali? quis ſit Judex?*

15 *Dominus feudi alio Jure Jurisdictionem in Vaſallum non habet, quam Jure Feudorum.*

16 *Idem proceſſus ſervatur in feudalibus ac in aliis cauſis Civilibus.*

17 *Niſi in quibus conſvetudines & autboritas librorum feudalium obſtent.*

18 *Vaſallo datur actio perſonalis contra Dominum.*

19 *In ſimplici promiſſione condictio ex moribus competit.*

20 *Hæc actio perſonalis etiam datur adverſus Dominum abuſivè inveſtientem, ſed traditionem rei non facientem.*

21 *Competit eidem & actio realis, item interdictum retinendæ, adipiſcendæ & recuperandæ.*

22 *Econtrà datur etiam domino actio perſonalis & realis adverſus Vaſallum.*

23 *Conceditur qvoqve extraneis Petitio hæreditatis & Hypothecaria ad conſeqvendum feudum.*

24 *Quomodo citetur reus Vaſallus?*

25 *In citatione Domini reverentia ſervanda.*

26 *Quomodò probationes ineundæ?*

1 CUm in præcedentibus de naturâ, definitione, diviſione Feudorum, nec non de perſonis Feuda dantibus vel recipientibus, Juribus, conſtitutione, acqviſitione, conſervatione, & amiſſione eorundem parvâ & ſuccinctâ methodo, qvantum propoſitus ſcopus poſtulavit, egerimus: Ideò nunc inſtituti ratio & illud deſiderare videtur, ut modum finiendarum controverſiarum diſcutiamus, inquirentes in Judicium, & perſonas Judicium conſtituentes, quæ lites ſuper Feudo ortas terminare ſolent.

Ad hoc autem ut controverſiæ tantò facilius & ordine convenienti expediantur, nec Jurisdictio confundatur, diſtincti caſus proponendi ſunt. *Primò*, vel agitur de
2 feu-

feudo inter Dominum & Vaſallum controverſo, ſive ſermo ſit de inveſtiturâ & de commiſſo; ſive de quocunque Jure Domini in Feudo, ſive de injuriâ Domini in re Feudali facta. Vel *Secundò*, determinandâ lite inter duos Vaſallos ortâ. Vel *Tertiò*, eſt contentio ſuper Feudo inter duos Comites & Barones. Vel deniq; non litigatur de Feudo, ſi cauſa non tangit naturam illius. Circa varios hoſce caſus, variæ qvoq; conſtituendæ erunt deciſiones, & Jurisdicto reſpectu omnium fundanda.

Quando itaque diſceptatur inter Dominum & Vaſallum, non attento ſuper qvo Jure id fiat, ſive ſuper inveſtiturâ, uti dictum, ſive ſuper amiſſione, vel ſuper violentiâ in re feudali factâ, ſive etiam Vaſallus ſe aſſerat Vaſallum, Dominus verò neget: Alij Judices non erunt quàm Pares Curiæ, Convaſalli ſcilicet, & ab eodem Domino, eodemqve Feudo dominante feuda tenentes, qui Ordinarij Judices dicuntur in *Cap. Cœterum. de Judic.* quamvis etiam minores ſint litigatoribus, *Felin. d. cap. Cœterum. Mozz. de Natur. Feud. num. 113.* vel Dominus ſuperiorem non recognoſcat. Dixi *Pares Curiæ* eſſe Judices: Intellige omnes, 4
niſi contrarium placuerit Domino & Vaſallis litigantibus. *Roſenth. de Feud. cap. 12. Concl. 19.* quo caſu Dominus tot, quot velit, eligere poteſt, & inde totidem eligendi poteſtas Vaſallo relinquitur, *tit. 10. lib. 2. Borch. cap. 10. num. 9.* Ita 5
ut ante Electionem habeant Jurisdictionem habitu, poſt electionem actu, qui tamen de novo jurare non tenentur, ſicuti putavit *Weſemb. de Feud. cap. 7. num. 5.* Sed ſufficit Ju- 6
ramentum ab initio præſtitum. *Mynſing. Cent. 4. obs. 89.* Niſi *primò* Conſvetudo obtineat, ut per alios Judices quàm per Pares Curiæ controverſiæ dirimerentur, qvod hodie plerumque videmus in Principibus Imperij Regalia Jura 7
habentibus, qui in propriâ cauſâ Feudali per ſe vel per Officiales Jus dicunt. Et hinc eſt, quod *Amadæus à Ponte Qv. Feud. Quis ſit. Jud. in caus. Feud. num. 15.* dicit Signorolum

Conſ. 180. pr. in cauſâ Jacobi de Sabaudiâ Principis Pede-
8 montium: & Comitis Amadæi, à qvo Principatus recognoſcebatur in Feudum, ratione controverſi pedagij impoſiti conſuluiſſe, Principem fuiſſe conveniendum coram Ordinario Judice. Unde ſubſumit *Amad. à Ponte.* quod Ordinarius Judex erat Comes Amadæus, qui ab Imperatore erat inveſtitus de Principatu, & licet ejus cauſa ageretur, poterat tamen ipſe per ſe vel per Officiales ſuos Jus dicere. *Secundò*, ſi Pares Curiæ non eſſent, aut ſi eſſent, Domino tamen nimis favorabiles viderentur, *Hart. Hartm. de*
9 *Feud. obs. 21.* Vel etiam non poſſent aut nollent judicare, *Zaſ. P. 11. num. 11.* aut uti teſtes producerentur, *Roſenthal. d. C. 12. Concl. 25.* Quibus caſibus Ordinarius Judex competens erit. *Curt. Jun. P. 7. num. 38.* Ubi illam adhuc annectit limitationem planè ſingularem *num. 39.* niſi Vaſallus coram Paribus negaret ſe fuiſſe inveſtitum, & provocaret ad Ordinarium: hoc enim caſu coram ijsdem conveniri non poſſet, quin ſaltem prius, ſi id poſtulet, inveſtiatur de Feudo controverſo, dicis ſeu coloris tantum cauſâ delato fidelitatis Juramento, & abſque præjudicio *tit. 20. lib. 2.*

10 Quod ſi verò inter duos pluresve Vaſallos & tales ſe affirmantes controverſia oriatur, ordine quæritur, quis ſit eorum Judex? Antequam quæſtio reſolvatur, diſtinguendum cenſeo cum *Curt. Jun. P. 7. num. 2. & 3.* An ſuper Feudo inter duos Comites & Barones, qui propriè Capita-
11 nei dicuntur, diſceptetur. Vel inter alios, qui non ſunt Comites & Barones. *Si primum:* Imperator Judex competens erit, ad quem horum Regalium cognitio ſpectat, non etiam ad Cameram Imperialem, ratione cujus limitatur concurrentia Jurisdictionis; ſicuti infra videbimus *cap. 2. ſect. 8.* Si tamen non de Feudis Regalibus, ſed de aliis inter eas perſonas controverſiæ moveantur, peculiaribus hodiè inſtantijs vulgò die Außträg terminantur. *Ord. Cam. P. 2. in pr.* *Si ſecundum*, id eſt ſi inter duos inferiores Vaſal-

ſallos, puta inter eos qui, majores Valvaſores vel minores 12
appellantur, de Feudo non conveniat: Judex competens
erit Dominus Feudi. *tit. 18. §. 1. lib. 1.* Niſi cauſa Domini agatur, uti quando inter Vaſallos quæſtio eſt utrum Feudum ſit antiqvum vel novum? Cum hoc modo ordinarius judicandi haberet poteſtatem. *tit. 15. lib. 2.* Aut etiam ſi in adminiſtrando Juſtitiam negligens eſſet. *Roſenthal. de Feud. C. 12. Concl. 40.* ſicuti qvoque ſi Dominus in aliud forum conſenſiſſet. *Borch. C. 10. num. 29.* Plures Limitationes videantur apud *Curt. Jun. P. 7. num. 3. 4. 5. & ſeqq.* Item *Roſenthal. d. l. & Amad. à Ponte d. Tract. Quis ſit Jud. Feud. n. 33. & ſeqq.* An Feudi Dominus ſit Clericus aut Laicus hiſce 13
caſib⁹ non refert; Aut econverſo Vaſallus Laicus vel Clericus; Eo quod Clericus coram Curiâ Laici comparere debeat. *C. Verum. X. de Foro compet. Borch. C. 10. n. 21.* Quæ ſententia communis eſt, â quâ non tutum eſſe recedere dicit *Jacob. de St. Gregor. de Inveſt. Feud.* quemadmodum jam ſupra paucis hæc attigimus. De cœtero qvatenus Laicus inter Clericos Jus dicere poſſit in poſſeſſorio beneficiali vel rei Spiritualis? egregiè tradit *Amad. à Ponte d. Tract. num. 62. & 63. & multis ſequentibus.* qvi omninò videndus. Vel deniq; diſputatur ſuper re non feudali, quæ 14
non tangit naturam illius. Et tunc quia non agitur condictione ex Lege Feudali: aut etiam cauſa Feudalis criminaliter tractatur; aut dum controvertitur de aliâ re, quam de Feudo ad alium effectum, quam ſimplicis Feudi: v. g. Cum Dominus conveniatur ab extraneo, & viciſſim hic à Domino, etiam ratione rei, quam alius in Feudum habet: Item ſi inſtituatur actio perſonalis ex ſtipulatu de Feudo promiſſo, ſed non tradito. Hiſce & ſimilibus Caſibus, qvos videre poteris apud *Vult. lib. 2. cap. 2. de Feud. num. 30. & ſeqq.* Judex competens erit Ordinarius, *Roſenthal. de Feud. cap. 12. Concl. 29. & 30.* qvantumvis etiam inter Dominum & Vaſallum, ſive etiam inter ipſos Vaſallos actio inten-

15 tetur. Ratio eſt: qvia Dominus Feudi alio Jure Juriſdi-
ctionem in Vaſallum non habet, quam Jure Feudorum, ni-
ſi etiam de Juriſdictione ſupra Vaſallos ſit inveſtitus: Nam
tunc ipſe eſt Ordinarius, & ideò cognoſcit.

16 Nunc ad alteram Tituli Partem accedamus, ſcilicet
ad Actiones Feudorum nomine competentes. Ante omnia
notandum, Proceſſum Feudalem eundem eſſe, ac in alijs
cauſis non Feudalibus, & æqve libellum offerendum, li-
tem conteſtandam, & cœtera omnia agenda; ſicut in
proceſſu ordinario rerum non feudalium. Niſi in qvibus
conſvetudines & Authoritas Librorum Feudalium obſtat:
17 Intuitu eorum enim proceſſus de Jure Communi præſcrip-
tus non obſervatur. *tit. I. lib. 2.*

18 Ex oblatione libelli Actio manifeſtatur: Qvæ vel eſt
Perſonalis reſpectu Vaſalli, tendens directè ad promiſſio-
nem vel conſtitutionem Feudi contra Dominum poſſeſſio-
nis traditionem non facientem, qui convenitur actione ex
ſtipulatu, ſi Feudum per ſtipulationem promiſſum ſit. *Duar.*
19 *de Feud. C. 18. num. 2.* Aut ſi nulla interpoſita fuerit ſtipu-
latio, ſed ſimplex ſaltem promiſſio: Condictio ex moribus
datur. *Roſenthal. C. 12. Concl. 2.* Idem etiam eſſet ſi inveſti-
tura abuſiva absqve traditione rei præceſſiſſet: tunc enim
20 ſimiliter daretur actio perſonalis ex Feudo, qvâ Vaſallus
præciſè agit ad traditionem rei de quâ abuſivè inveſtitus
21 eſt, nec dando intereſſe Dominus liberatur. Actione rea-
li qvoqve ſe tuetur Vaſallus, Rei nempè Vindicatione utili,
tàm contra extraneum, qvàm contra Dominum. Item In-
terdicto retinendæ, adipiſcendæ & recuperandæ. Etiam
Officio Judicis. *Duar. d. cap. 18.*

22 Econtra Domino ſimiliter competit Actio Perſonalis
contra Vaſallum, ad præſtanda ea, ad qvæ ex ſpeciali deſu-
per habitâ conventione, vel etiam ex ſigulari Curiæ con-
ſvetudine, atqve ex Juribus Feudorum tenetur. Datur
ei ſimiliter Actio Realis & directa Rei Vindicatio, utpote a-
pud

pud qvem directum Dominium remanet; adverſus quemcunq; qvi bona Feudalia detinet, atque illa avocat ab eo, qvi Vaſallus non eſt. *tit. 2. §. Si verò Vaſallus. lib. 2.* Vel etiam ab ipſo Vaſallo, caſu qvo propter Feloniam commiſſam Feudum amittit. *Borch. C. 9. n. 21.*

Agunt qvandoq; extranei ad Feudum conſeqvendum, præſertim ſi fuerit Hæreditarium, & ejus qualitatis, ut de eo diſponi poſſit. Petitione nempè hæreditatis, aut 23
Hypothecariâ, aut aliâ qvâcunqve actione; non qvidem ex moribus Feudalibus: Quia illis nullæ definitæ ſunt; ſed ex Jure Communi. Idq; multo magis obtinet in ijs, qvi alias in Feudis ſunt ſucceſſuri.

Citatur autem Vaſallus reus tribus Edictis per ſpa- 24
tium ſeptem & decem dierum. *tit. 22. lib. 2.* Quid ſi non compareat, Dominus in poſſeſſionem Feudi mittitur, & niſi intra annum veniat, & Judicio ſe ſiſtat, Feudo privatur. *d. tit. 22.* Vaſallo econtra Dominum actione petere volen- 25
te, id ſervatâ reverentiâ fieri, & à Paribus Curiæ moneri oportere. Et ſi ter monitus id facere diſtulerit, Vaſallo eo caſu ad ſuperiorem confugere licere, tradit *Gud. de Jur. Feud. P. 6. cap. 2. num. 3.* ubi *num. 5.* ratione Reconventionis admittendæ benè diſtingvit, qvando nimirum ea ad negotium Feudale ſpectat: Secus ſi negotium extraneum dicatur.

Qvomodo probationes inſtituendæ, & præſumptio- 26
nes eliciendæ, atq; quando Juramentum deferendum ſit? Eleganter & breviter tractat *Gudelin. d. P. 6. cap. 2. 3. & 4.*

De Cætero qvi copioſiores Feudorum tractatus deſiderat, adeat ſupra in principio hujus partis tertiæ *cap. 1. num. 1.* allegatos quamplures Conſvetudinum Feudalium Interpretes, qvi pro inſtituti eorum ratione amplius ſe ſe diffundere voluerunt, qvod nobis ob propoſitum ſucceſſionum ſcopum integrum non erat, eo ſaltem contentis, ut omnia, quæ ad cognitionem feudalem ejusq; ſucceſſionem

qvodammodo neceſſaria videbantur ſuccinctè proponeremus.

Nunc itaq; ad Nobiliſſimum Caput Secundum de Suceſſione Regalium tranſeamus.

CAPUT II.

De SUCCESSIONE REGALIUM.

SECTIO I.

De Hiſtoriâ, Etymo & Definitione Regalium.

SUMMARIA.

1 *Auguſtiſſima Regalium materia in praxi freqvens ſummoperè commendatur.*

2 *Regalium potiſſima ſedes in tit. 56. lib. 2. Feudorum.*

3 *Lectio verbi: Regalia, convenientior eſt qvam Regaliæ. Ratio dicti.*

4 *Solutio objectionis ex textu petita, ubi inſcribitur titulus, quæ ſint Regaliæ?*

5 *Imperator Fridericus Regalia appellavit.*

6 *Author hujus tit. 56. lib. 2. eſt Fridericus I. cognomento Barbaroſſa, non Tertius.*

7 *Fridericus Tertius Imperator potiebatur Imperio Anno 1440.*

8 *Regalia tempore Ottonis Magni jam in uſu fuiſſe tradit Sigon. Contradicit Lehman. ante tempora Henrici V. minus innotuiſſe.*

9 *Scriptores Rationem promulgationis exponentes.*

10 *Quæſtiones ab Imp. Friderico Juriſconſultis Bononienſibus factæ & horum reſponſio.*

11 *Aurelianenſis hanc Conſtitutionem per contemptum oppugnat.*

12 Re-

12 *Regalium vocabulum non ſatis Latinum dicitur.*

13 *Deſcendit à voce Regis, per quam ſubindè intelligitur Imperator & promiſcue ſumitur in Libris Feud.*

14 *Jura Imperatoribus & Regibus competentia ſolo uſu confunduntur.*

15 *In Jure Civili quoq; Imperatorum & Regum nomen in uno ſignificatu ſæpius accipitur.*

16 *Ratio cur à voce: Regis, Regalia dicantur?*

17 *In Receſſibus Imperij Imperatores ſe quandoq; Reges vocant.*

18 *In antiquioribus etiam Impp Conſtitutionibus Reges nominantur.*

19 *Regalia à Jure Civili minimè deſcendunt, ſed Juris Feudalis terminus eſt.*

20 *Reſolvitur objectio quare ea Jura Regalia & non Imperialia dicantur?*

21 *An non poſſunt dici Principalia?*

22 *Varijs nominibus Regalia paſſim indigitantur.*

23 *Dicuntur Jura Majeſtatis, Sacra Regni, Jura Imperij,* Herrlichkeiten.

24 *In Receſſibus Imperij* Kayſerl. Hoheit und *Reſervaten.*

25 *An per Regalia* die Landfürſtliche Obrigkeit *intelligatur?*

26 *Differentia utriusq;.*

27 *An Feuda Regalia, quæ annexam Dignitatem habent, eadem ſint cum Regalibus?*

28 *Differentia horum duorum.*

29 *Feudorum Regalium cognitio ſoli Imperatori competit adempta etiam cognitione Vicariis Imperii.*

30 *Aliqvot Regalium definitiones.*

31 *Amplectimur eam quam tenet Regnerus Sixtinus.*

32 *Superiorem non recognoſcentes uti Reges & Populi liberi, aliique apud qvos ſumma poteſtas eſt, gaudent Regalibus.*

33 *Principes, Comites, Barones ex conceſſione Summi Principis, vel præſcriptione, vel conſvetudine Regalia habent.*

34 *Quid denotent verba (ad ſalutem & decus Reip) in definitione poſita.*

35 *Eorum vim deducit Conrad. Carpzovius.*

36 *Principes & alii Regalia habentes ijs abuti non debent.*

Poſt Feuda Regalem dignitatem annexam non habentia conformiter diviſioni ſuprà hac *P. 3. C. 1. ſect.* 2. allatæ, propter annexionem ab Imp. *Friderico I.* notatam, & affinitatem inſeparabilemq; quaſi tractandi modum ſucceſſionem & materiam Rega- 1
lium aggredior Auguſtiſſimam non minus ac intricatam,

ſecundum uſum tamen ipſius in toto Chriſtianorum Orbe
2 celebrem, atq; in foro & praxi quotidianam. Prout teſtatur *Henricus à Roſentb. in Synopſ. Feud. cap. 5. pr. in* explicatione *tit. 56. lib. 2. Feud. Quæ ſint Regaliæ?* in quo potiſſima præcellentis hujus materiæ ſedes eſt, eumque Commentatores & Scriptores Regalium paſſim ſeqvuntur, Quemadmodum apertè innuit *Regner. Sixtin. de Regal. lib.*
3 *1. in Proëm. num. 5.* de cujus Rubri lectione controvertunt Interpretes; alijs contendentibus vocem *Regaliæ* ſer-
4 vandam, alijs dictionem *Regalia* præferentibus. Poſterius tamen verius eſt, quia Imperator *Fridericus* cum Filio Henrico (*de Pac. Conſtant.*) Regalia non Regalias vocant: Hanc lectionem admittit *Cujacius* & plerique omnes *d. tit. 56.* Regalia non Regalias nominantes, prout etiam conſve-
5 tudo Communiter recepta hactenus ſervavit. Nec obſtat quod ille ipſe locus titulum præ ſe ferat, *Quæ ſint Regaliæ?* Cum per deſcriptorem ſive potius per excerpentem id factum videamus, cujus Authoritas in tantum valere non poteſt, ut teſtimonio Imperatorio proprio officere valeat; potiſſimum cum ſciamus Imperatorem Fridericum in Conſtitutione de Pace Conſtantiæ propriâ ſcripturâ hoc loquendi modo uſum fuiſſe, quæ meritò privatæ
6 derogabit. Sed & illum ipſum Fridericum hujus *tit. 56. lib. 2. Feud.* Authorem agnoſcere debemus, non *Tertium,* ſicut nonnulli ſuſpicati ſunt: ſed *Primum* cognomento *Ahenobarbum* ſive *Barbaroſſam,* Conradi Imperatoris Fratre Friderico monoculo procreatum; quod ex inſcriptione tituli & tempore Conſtitutionis editæ deprehendere poſſumus: promulgata enim eſt anno quinquageſimo quinto
7 ſupra milleſimum centeſimum. *Fridericus* autem *Tertius* rerum potiebatur anno quadrageſimo ſupra milleſimum quadringenteſimum, quo tempore intermedio plurimi Imperatores poſt *Fridericum I.* in Regimine ſucceſſerunt. Imò ultra ſeſquicentum annos ante conditam hanc Frideri-

rici Barbaroſſæ Conſtitutionem, tempore ſcilicet *Ottonis* 8
Magni Imperatoris ante Fridericum *Decimi* Regalia in uſu fuiſſe ex Sigonio tradit *Frideric. Pruckman. de Regal. cap. 1. num. 2.* de quo tamen nonnulli dubitare videntur, eo qvod locus, qvem affert *Pruckm. ex lib. 7. Sigon. de Rebgn. Ital.* res vetuſtiores Junioribus ipſius Hiſtorici Verbis exprimat: Nec non etiam Regalium vocem ante tempora *Henrici V.* minus innnotuiſſe tradat *Lehman. Chron. Spirenſ. lib. 2. C. 35. n. 2.*

Hiſce addi poſſunt Scriptores, *Radevic. de Geſt. Frid. lib. 2. Gunther. in Ligur. lib. 8. vers. 567. Sigon. lib. 12. de Reg.* 9
Ital. Otto Friſingenſ. Mutius Chron. lib. 18. exponentes rationem promulgationis allatæ Conſtitutionis in eo; quod cum Itali plurima Imperatorum Jura ad ſe pertraherent, in celebri conventu apud Roncalias *Fridericus I. Imperator* à magnis illis Juriſconſultis Bononienſibus *Bulgaro, Martino, Jacobo, Hugone* alijsqve, qvos in Conſilium adhibuerat, inter cætera requiſivit: *De Regalium Jure, quæ ſeu teme-* 10
ritate perſvadentium, ſeu neglectu Regum Imperio deperierant, qvid eſſet? Tum illi adjudicaverunt Ducatus, Marchias, Comitatus, Conſulatus, Monetas, Telonia, Fodinas, Vectigalia, Pontes, Pedatica, Molendina, Piſcarias, Portus, omnemq; utilitatem ex decurſu fluminum pervenientem: nec de terrâ tantum, verum etiam de ſuis propriis capitibus cenſus annui redditionem. Vid. *Radevic. de Geſt. Frid. d. lib. 2. C. 5.* Item *Joann. Ant. Bumal. Biblioth. Bononiens.*

Hanc noſtram Conſtitutionem *Petr. Jacob. Aurelian.* 11
in ſuâ Pract. Rubr. 12. num. 83. per contemptum quaſi ad Jus Civile pertinere, & in eâ multa contineri profert, de quibus truffatorium ſit dicere, quod de Jure pertineant ad aliquem Regem. Sed egregiè eum reprehendit *Regn. Sixt. de Regalib. in Proëm. num. 33. & ſeqq.* & Authoritatem nobiliſſimæ hujus Conſtitutionis in totâ Germaniâ receptam præclarè defendit.

12 Regalia, quantumvis vocabulo non ſatis Latino di-
cantur, nec etiam Claſſicos lingvæ Latinæ Authores eâ di-
ctione uſos fuiſſe *Pruckman. de Reg. dict. cap. 1. num. 1.* pro-
fiteatur: nihilo tamen minus ſumma illa Jura, de qvibus
ſeparatim inferius, moribus noſtris hac appellatione indi-
gitari videmus, quæ ortum ſumunt ſecundum *Roſenthal.*
13 *d. cap. 5. Concl. 1.* à voce Regis, per quem ſubinde in Libris
Feudorum Imperator intelligitur, & promiſcuè ſumitur
tit. 1. lib. 1. tit. 33. tit. 34. lib. 2. & paſſim. Imò quandoq;
Princeps appellatur *tit. 7. lib. 1. tit. 10. lib. 2. Feud. Matth.*
14 *Stephan. de Juriſdict. lib. 2. P. 1. cap. 2. num. 2.* Unde non
mirum alicui videri debet, Jura illa, quæ Regibus compe-
tunt, Imperatoribus quoqve concedi, aut potius ſolo voca-
bulorum uſu confundi. Deprehendimus enim in *tit. 56.*
lib. 2. velut alij loqui malunt *in Cap. un. Quæ ſint Regaliæ?*
Fridericum I. Imperiale Numen vocare Regale, atq; Jura
illa, quæ, utpote ſibi in Italia debita, reſtituit, Regalia ap-
15 pellare. Cui conſentit reliqvum Jus, in quo Imperatorum
& Regum nomen pro uno ſumitur. Exempla proſtant
in *l. fin. Cod. de Leg.* Ubi ſenſus Regalis denotat Imperia-
lem. Item Culmen Regale, Imperiale *in l. fin. §. 2. Cod. de*
Aſſeſſorib. Eodem modo à Summo Pontifice Innocentio
III. ſceptrum Cæſaris, per ſceptrum Regale deſignatur,
C. Inter dilectos. Vers. tertio. de Fid. Inſtrum. Similiter po-
teſtas Regalis ſumitur pro Imperiali, *C. Solitæ. §. Præterea.*
de Majorit. & Obed. uti etiam Lex, quæ de Imperatoris
poteſtate & Imperio lata fuit, Lex Regia dicitur, *Conrad.*
von Einſidel *de Regal. c. 1. num. 13.* ubi inſuper ex *Regn. Sixt.*
de Regal. c. 1. num. 5. & Henric. Bocer de Regal. c. 1. num. 22.
16 Regalium appellationem ideò a voce Regis deſcendere &
conſequenter Imperatoribus tribui dicit; quod hi ple-
rumq; ante coronationem Papalem poſterioribus tempo-
ribus Reges vocati fuerint. Uti jam ante *à Roſenthal. d.*
cap. 5. num. 3. & Frider. Pruckman. d. c. 1. num. 10. tradi-
tum erat.

In

In Receſſibus quoq; Imperij Noviſſimis *Fridericum & Maximilianum I. Imperatores*, ſe ſe aliqvoties Reges Romanos, & Cæſaream ſuam Majeſtatem, Regiam Majſtatem appellare ex *Henric. Bocer. de Regal. cap. 1. n. 20.* deducit *Conrad. Carpz. in Tract. ſuo de Regal. c. 1. Aphoriſ. 1. in f.* afferens in ſequenti *Aphoriſ.* qvædam de poteſtate Imperatoriâ & Regiâ. Ad hanc ſententiam magis illuſtrandam opportunè producit *Conrad.* von Einſidel *Conſtit. Caroli Magni de Reg. Imp. Transalp. & Conſtit. de Pac. Publ. & Divis. Regn. fac. int. fil.* quæ reperiuntur apud *Melchiorem Goldaſt. in Statut. & Reſcript. Imper. tom. 2. fol. 2. & fol. 29.* ubi Imperatores Reges nominantur, & Imperium Romanum Regnum à Deo commiſſum. 17 18

Diximus in Jure Civili Regalem dignitatem quandoque pro Imperatoriâ ſumi, non qvod ideò Regalia ab eodem Jure deſcendant (nullibi enim in toto Jure Civili ſubſtantivi nomen induere videmus; imò potius adjectivi vices ſuſtinere. *Regn. Sixtin. de Regalib. cap. 1. num. 5.*) ſed Juris Feudalis terminum eſſe. Unde objectio, quâ dicitur ea jura non Regalia, ſed Imperialia potius dicenda, & conſequenter à digniori denominationem faciendam, reſolvitur: Nam fit denominatio à digniori, à vetuſtiori ſcilicet Regalium vocabulo ex communi loquendi uſu. Poſitâ etiam illâ ſententiâ argumento ſimili eludi poſſet, ſi dicatur Principalia nominanda fuiſſe; cum non tantum Regi, verùm etiam Ducibus, Marchionibus, Comitibus nonnunquam etiam nobilibus competant. *Pruckman. de Regalib. C. 1. n. 11.* 19 20 21

Quam varijs nominibus Regalia contra Leges Feudorum denotari cœperint, & quantam aliquando confuſionem incurrere contigerit, non opus eſt longiori probatione. Dicuntur enim ſæpius Jura Majeſtatis; *Henning. Arniſæ. de Jurib. Majeſt. lib. 2. c. 1. num. 2.* Sacra Regni *Tacito*, Jura Imperij *Livio, Gunthero lib. 8.* Jura Regia, Græcis βασιλικά, Germanis Herrlichkeiten. *Paul. Matth. Webner. Pract.* 22 23

obſer. vocab. Herrlichkeit. Ex ratione: quod eo caſu, quando de ſignificatione verbi vulgaris dubitatur, illud verbum in Latinam Linguam transferri, eaqve ſignificatio capi debeat, quam illud verbum in Latinâ Linguâ habet. *Meichsn. Tom. 3. Deciſ. 13. num. 32. fol. 331.* In *Receſſ. Imperij. de anno 1576. §* Darburch dann, vocantur Kayſerliche
24 Hoheit und Reſervaten. Cum ad Excellentiam Imperatoris ſpectent, & jura ei propria ſint, *tit. 14. lib. 1. Feud. Conſt. Frid. Imp. de Pace Conſtant. §. Volumus ut Regalia.* Item Supremæ alicujus Eminentiæ ſigna; adeoq; ſolis Principibus reſervata, *DD. in d. tit. 56. lib. 2. Feud. Regn. Sixt. 1. Cons. 9. n. 16.* intellige Regalia majora.

25 Qvandoqve per Regalia die Landsfürſtliche Obrigkeit intelligitur, ſed minus rectè: cum ſummoperè differant. Quantũvis enim qvidam non habeant Jus Superioritatis die Landsfürſtliche Obrigkeit Principibus Imperij competens. *Receß. Imp. de Anno 1548. §.* Wielwohl auch. Jura Regalia tamen habere poſſunt ex conſvetudine vel præſcriptione, aut etiã cõceſſione, *Wehn. pract. obs. vocab.* Obrigkeit.
26 *inf.* Et econtra non ſtatim qui Regalia habet, Jure qvoq; ſuperioritatis gaudet. *Regn. Sixtin. lib. 1. C. 1. n. 18. de Regal.*

Quidam ſicut *Franciſcus Hotomannus in ſuo Comment. de Feudo. cap. 6.* arbitrantur Regalia eadem eſſe ac Feuda
27 Regalia, quæ annexam Dignitatem Regalem habent; *qvod tantum abeſt ut id verum ſit,* dicit *Regn. Sixtin. d. cap. 1. num. 9. ut in locis ex Feudalibus Libris ab Hottomanno allegatis nulla omnino Regalium ſimpliciter fiat mentio, nec ullus alius locus, qvi præcisè Regalium meminit, in toto Jure Feudorum reperiatur, excepto tit 56. Qvæ ſint Regaliæ. Ubi ſimul & ipſe contextus, & in eo facta enumeratio Regalium abundè oſtendit, Regalia non dici*
28 *pro Feudis Regalibus.* Accedit qvod ſumma intercedat differentia inter ea: In feudis enim Regalibus annexam dignitatem habentibus nullus niſi Imperator excluſâ Camerâ Imperiali, ut ut alias concurrentem Jurisdictionem ha-

be-

beat, Judex competens eſt *Ord. Cam. P. 2. tit. 7.* In verbis: Ob auch Sachen fürfielen Fürſtenthumb / Hertzogthumb / 29
Graffſchafften ꝛc belangend/ſo von Reich zu Lehen rühren/ſo einem Theil gäntzlich und endlich abgeſprochen werden ſolten/ derſelben Erkantnuß wollen Wir Uns hierin auch fürbehalten haben. Cum hac ulteriori extenſione, ut vacante Imperio Vicarijs horum feudorum cognitio non competat, ſed futuro Imperatori reſervetur. *Carol. IV. Aur. Bull. tit. 5.* In Regalibus verò cognitio & Cameræ Imperiali relinquitur. De differentijs horum Regalium totum caput conſcripſit *Regn. Sixt. de Regalib. lib. 1. c. 3.*

In exactâ Regalium definitione exponendâ quamplures Authores multum ſolliciti fuêre. Unam ſed longiorem tradit *Henr. à Roſenthal. Synops. Feud. cap. 5. Concl. 1. num. 2.* Breviorem, ſed ſimilem ferè & fortè latiorem ſuo definito allegat *Johann. Borcholt. ad tit. Quæ ſint Regal. num. 2.* Aliam legimus apud *Herman. Vultej. de Feud. lib. 1. cap. 5. num. 7. Pruckmanni* definitionem meritò perſtringit *Conrad. ab* Einſidel. *de Regal. c. 1. num. 18.* Sicut & illam, quam adducit *Tob. Paurmeiſt. de Jurisd. Imp. Rom. lib. 1. C. 4. num. 3.* ſed nos rejectis longioribus verborum ambagibus definitionem *Regneri Sixtini C. 1. num. 14.* amplectendam cenſemus, ut dicamus Regalia: *eſſe Jura, ei qui ſuperiorem non recognoſcit, vel cui conceſſione aut præſcriptione conſvetudineque quæſita ſunt, competentia: ad ſalutem & decus Reipublicæ tuendum.* 30 31

Dicuntur *Jura*, utpote genus; ad excluſionem rerum, quæ in immenſum aliàs patent; cum & res incorporales omnes, ut ſunt Regalia, in Jure conſiſtant, *Pruckm. cap. 2. num. 2. de Regal.* Adduntur verba: *qui ſuperiorem non recognoſcit.* Reſpectu aliorum Regum & Principum, qui & hodiè Jura ſupremæ poteſtatis, dignitatis & præeminentiæ Regalia habent. Uti Rex Hiſpaniarum, Galliæ, Poloniæ & Reges Neapolitani & Siciliæ. Item Populi Liberi, 32

ali-

alijq; apud quos ſumma eſt poteſtas: quorum tamen non meminit *Conrad. ab* Einſiedel *cap. num. 21.* Sed tantum Imperatoris Romani, ideò, qvod ſolius Imperij Romani intuitu Regalia definierit, quod etiam *Conrad. Carpzov. de Regal.* feciſſe invenio; Dicitur porrò: *Cui conceſſione aut præ-*
33 *ſcriptione conſvetudineqve acquiſita ſunt.* Qvia videmus Principes, Comites, Barones, Civitates & alios etiam Imperatorem in Superiorem recognoſcentes, ex conceſſione Summi Principis per privilegium aut inveſtituram factâ, vel præſcriptione conſvetudineq; Regalia habere, *Vult. de Feud. C. 5. num. 7.* quod non negat *Einſidelius d. C. 1. num. 25.* dicens: tales ſuperiorem recognoſcentes non proprio Jure, uti Imperator, ſed ex ejus ſaltem conceſſione expreſſâ vel tacitâ poſſidere.

34 Dicitur deniqve *ad ſalutem & decus Reipublicæ tuendum.* Quibus cauſa finalis oſtenditur, *Frider. Pruckman. de Regalib. d. C. 2. num. 10. Quia quemadmodum* (ut inquit *Regn. Sixtin. d. C. 1. num. 23.*) *omne Regnum eſt poſſeſſio Reipublicæ, & non Reipublicæ Regni poſſeſſio: ſic & ad Reipublicæ Gubernacula ſedentes, ac Imperantes Regalia iſta habent, ut eorum poſſeſſio ſit apud Rempublicam, & illi his Juribus ad Reipublicæ tùm dignitatem & poteſtatem, tùm etiam ſalutem uti debeant.*
35 Qvæ duo, decus ſcilicet & ſalutem Reipublicæ ſine dubio ex *Regn. Sixt. d. l.* notavit *Conrad. Carpzov. de Regal. C. 1. aph. 5.* dum dicit: *Ad decus & ſalutem Reipublicæ competere; teſtis eſt Fridericus I. in ſuâ oratione, qvam de Regalibus ſuis, qvæ ſibi in Italiâ reddi voluit, apud Epiſcopos & Proceres Imperij habuit, ubi ait: Qvoniam Deo placitum eſt nos Imperij Gubernacula adminiſtrare, ob eam rem, qvia ad dignitatem & ſalutem ejus pertinere videntur, curare ac moliri omnia ſingulari ſtudio ac vigilantiâ congruit.* quæ videantur apud *Sigon. lib. 12. de Regn. Ital.* Idem probatur ex *Conſtit. Imper. de Jure Monetarum. Anno 1570. promulgatâ. §.* Alsdann auch. ibi. Sondern wie Wir ſelbſt/dem Heyl. Römiſchen Reich zu Ehren

ren und Wohlfarth brauchen ſollen. Quatenus autem Principes & alij Regalia habentes in honorem & ſalutem Reipublicæ tanquam boni paſtores populi in adminiſtratione ijsdem uti & non abuti debeant, exponit *Regn. Sixt. d. cap. 1. n. 23. 24. 25. & ſeqq.* 36

De Cœtero examinandam relinqvimus definitionem Regalium à *Bocero de Regal. C. 1. num. 8.* allatam, in qvâ Regalia omnium Gentium Supremis Principibus competentia includuntur.

SECTIO II.

De Diviſione Regalium.

SUMMARIA.

1 *Communiter dividuntur Regalia in majora & minora.*
2 *Majora ad Principis ſupremam authoritatem pertinent.*
3 *Minora ad Fiſcale Jus & reditus referuntur.*
4 *Hæc diviſio, qvamvis fortè parum commoda, ab omnibus tamen recipitur.*
5 *Bocerus Regalia alia dicit Majeſtatis alia fiſci.*
6 *Una eſt Principis Majeſtas & eodem modo ab eâdem cauſâ proximâ profluit Vectigalium exactio, à qvâ venit legislatio.*
7 *Regalia qvoad eſſentiam Majeſtatis & exiſtentiam illius rectè conjunguntur.*
8 *Regalia alia ſunt ad inferiores tranſitoria, alia ita oſſibus Principis adhærentia, ut neutiquam ab eo ſeparari poſſint.*
9 *Principes creare ſolius Imperatoris eſt, quia Majeſtatem Principis purè concernit.*
10 *Per inferiores Sacra Sacrorum profanari & uſurpari non poſſunt.*
11 *Nullus certus numerus Regalium definitus eſt.*
12 *Nonnulli putant omnia, quæ Princeps poteſt, inter Regalia Jura recenſeri.*
13 *Petra ea in 413 diſtrahit.*
14 *An plura dentur* Regalia *quàm tit. 56. lib. 2. Feudorum definita ſint?*
15 Regalia *majora maximè notabilia ordine congruo numerantur.*
16 *Sequuntur brevi methodo* Regalia *minora ſeu fiſci.*
17 *Interpretum diſcrepantes opiniones, dum quædam, quæ majoribus annu-*

annumerantur, minoribus aſcribunt, & econtra.

28 *Verior eſt ſententia in d. tit. 56. Enumerata* Regalia *non omnia minora eſſe, Jus enim monetandi majus* Regale *eſt.*

29 *Fodinæ, Jus confiſcandi bona, item Theſauri ad minora rectius referuntur.*

1 COmmunis Regalium diviſio per Doctores ita fit, ut dicant, alia eſſe Majora, alia Minora. Illa ad Supremam
2 Principis authoritatem pertinent, atqve paſſim in Legibus & conſvetudinibus exercenda ſpecialiter reſervata ſunt.
3 Minora ad Fiſcale Jus & reditus potius, quàm ad ſupremam authoritatem & dignitatem ſpectant. Hæc diviſio, quanquam non ſine cauſâ parum commoda dicatur à *Bocer. de Regal. c. 2. num. 5.*
4 Communiter tamen à Scriptoribus recipitur. *Roſenthal. de Feud. cap. 5. Concl. 2. num. 1. & Concl. 3. num. 1. Vult. de Feud. lib. 1. cap. 5. num. 5. Anton. Pereg. de Jur. Fiſc. lib. 1. tit. 1. num. 9. Borch. ad d. cap. in n. 3. Regn. Sixtin. de Regal. lib. 1. cap. 2. num. 1. Pruckman. de Reg. cap. 3. num. 2. Conrad. Carpz. de Regal. C. 1. aph. 9. Conrad. ab Einſiedel. C. 1. num. 59. de Regal. Bocer. de Regal. c. 2. num.*
5 *3. & 4.* & plures volunt: Alia eſſe Majeſtatis, alia Fiſci. Illa ad eſſentiam Majeſtatis, hæc ad exiſtentiam illius ſpectare; quæ demum dividerentur in majora & minora ſive Fiſci. Ex ratione: qvod per hanc diviſionem integra cognitio eorum Regalium, quæ ad inferiores tranſire non poſ-
6 ſunt, naſcatur. Sed minus appoſitè, cum una ſit Supremi Principis Majeſtas, & eodem modo ab eâdem cauſâ proximâ profluat vectigalium & tributorum exactio, à quâ venit legislatio. Idem rectè obſervavit *Conrad. Einſiedel d. l.* &, poſtquam poſtremam hanc diviſionem quodammodo amplecti viſus fuerat, fundamentaliter loqui-
7 tur: Regalia illa quoad eſſentiam Majeſtatis & exiſtentiam illius à Doctoribus conjungi, & nomine majorum ſat abundè denotari, Ideoq; uſum loqvendi negligere videri poſſet, qui ea hoc modo disjungere vellet.

Ad-

Addit *Pruckman. de Reg. cap. 3. num. 3.* & illam diviſionem, ut Regalia alia ad inferiores à Principe tranſitoria: Alia tantoperè Principis oſſibus inhærentiá; ut neutiquam avelli, nec in alium tranſire poſſint. Exempla ponuntur in eo, quod Imperator nemini alij Imperij totius Regalia indulgere, nec Princeps inferior quem alium Principem creare & conſtituere poſſit: Cum hæc poteſtas ſolius Imperatoris ſit, & de Reſervatis illius, ſicut & cætera Regalia majora, quæ à *Bocer. de Regal. cap. 2. num. 6.* Regalia Majeſtatis καϑ' ἐξοχὴν vocantur, & Majeſtatem Principis principaliter & purè concernunt ſine pecuniario commodo: nec à Principe inſtar radiorum ſolarium ſeparantur, multoq; minus inferioribus poteſtatibus competunt, quia ipſius coronæ annexa, *Molin. ad Conſult. Paris. tit. 1. §. 1. in verbo: Le fief. num. 54* & perſonaliſſima ſunt, *Regn. Sixtin. de Regal. cap. 2. num. 3.* nec per inferiores hæc Sacra Sacrorum, ut vocat *Everh. in Top. loc. 129. num. 9.* profanari aut uſurpari poſſunt. Dicuntur etiam merè Regalia *ex Parid. de Puteo. Regn. Sixt. d. l.* 8 9 10

Quot verò Regalia numerentur difficile judicatu mihi videtur, cum nullus hactenus numerus certus definitus reperiatur, & memini me legiſſe apud *Regn. Sixt. de Regal. in Proëm num. 20.* nonnullos adeò effuſos in cumulandis ijs reſervatis & Regalibus eſſe, ut omnia, quæ Princeps poteſt, inter ea recenſere præſumant, & ita numerum ingentem eorum recenſeant; quemadmodum *Petram de Jur. quæs. non tollend. cap. 21.* feciſſe, & in 413. diſtraxiſſe deprehendo. In ſimilem errorem inciderunt *Caſtald. in tract. de Imperat. Quæſt. 110. num. 1. Chaſſan. de Glor. mund. P. 5. Conſid. 24. Lucas Parmenſis in Tract. de Fiſco.* Quare Jure meritiſſimo *Bodin. de Repub. cap. 10.* hunc poſtremum reprehendit, quaſi hæc inveſtigatio & enumeratio nimis Curioſa ſubtilitate fiat, & unum Regale in decem diſtrahatur: Quantumvis enim præter ea, quæ in *tit. 56. 2. Feud.* 11 12 13 14

Feud. Quæ ſint Regal. recenſentur, plura hodie reperiantur, *Roſenthal. de Feud. cap. 5. Concl. 49. num. 1.* in concinnum tamen foret omnia illa, quæ in poteſtate Principis erunt, conglomerare, & inter Regalia referre. *Andr. Knichen. de Sublim. & Reg. Jur. Territ.*

25 Inter Majora itaque recenſetur Primò, Abſoluta Poteſtas, ſeu ut quandoque vocatur Clauſula Plenitudinis Poteſtatis. *Arnold. Clapm. de Arcan. Rerumpub. lib. 1. c. 11.* Secundò, Poteſtas Legum Generalium condendarum, *Bodin. de Republ. c. 10. Anton. Muret. de Juriſd. & Imp. tit. de Conſtitut. Princip. pag. 127.* Tertiò, Jus Belligerandi, *Bocer. de Regal. cap. 2. num 141.* cui adjungitur jus Reducendi Pacem & Fœdera. *Franc. Roſell. in Diſcep. de Jur. Publ. Poſit. 62.* Armandiæ, *Clapm. lib. 1. de Arcan. Rerumpubl. cap. 20.* Item Jus muniendi Civitates & erigendi Fortalitia eaque cuſtodiendi, *Clapm. d. l. num. 21.* Delectum militum habendi & arma ijs imponendi. *Choppin. de Doman. Franc. lib. 3. tit. 26. num 19.* Quartò, Jus concedendi Repreſſalias. *Heig. P. 1. Q. 12. n. 26.* Quintò, Jus creandi Reges, Electores, Archiduces, Duces, Principes, Marchiones, Landgravios, Burggravios, Comites, Barones. *Lancelott. in temp. omn. Jud. lib. 1. c. 2. §. 1. per tot. Buxdorff. in Diſſert. ad Aur. Bull. Carol. IV. Concl. 49. Joachim. Cluten. in Syllog. Rerum Quotid. tb. 20.* Sextò, poteſtas Inveſtituram faciendi de Feudis Regalibus, *Aur. Bull. tit. 5. de Jur. Comit. Palat. Rhen. & Duc. Saxon. Matth. Stephan. de Juriſd. lib. 2. P. 1. c. 1. num. 159.* Septimò, Jus ArchiEpiſcopos & Epiſcopos creandi atque illis Regalia conferendi. *Buxtorff. in Diſſert. ad Aur. Bull. c. 5. Concl. 69.* Octavò, Jus Nobilitandi & dandi Inſignia Nobilitatis *Tiraq. de Nobil. c. 6.* Nonò, Jus creandi Comites Palatinos, *Matth. Stephan. de Juriſd. lib. 2. P. 1. c. 6. n. 103.* Doctores, Licentiatos, Magiſtros & Baccalaureos. *Bocer. de Regal. lib. 1. c. 2. num. 27.* Item creandi Tabelliones & Notarios, *Bruckm. de Regal. cap. 3. num. 2. Beſold. Colleg. Pol. Claſſ. 1.*

Diſp.

Diſp. 3. th. 52. Becht. de Securit. cap. 5. claſſ. 2. th. 210. Decimò Jus creandorum Magiſtratuum ad Juſtitiam expediendam. *Choppin. de Doman. Franc. lib. 3. tit. 9. num. 5. & tit. 20. num. 1. Clapm. de Arcan. Rerump. lib. 1. c. 15. & lib. 6. cap. 7.* Undecimò, Jus erigendi Academias. *Zas. in Epitom. Feud. P. 5. num. 14. Pruckm. d. cap. 3. num. 2.* Duodecimò, Jus Comitiorum. *Tob. Paurmeiſt. de Jurisdict. Imp. lib. 2. c. 2. num. 19. Arniſæus lib. 2. de Jurib. Majeſt. cap. 4. num. 16.* Decimo tertiò, Jus Legatos mittendi & recipiendi. *Clapm. de Arcan. Rerumpubl. lib. 1. cap. 18.* Decimo quartò, Jus Commerciorum. Idem *c. 21. Bodin. de Repub. lib. 1. cap 2. num. 37.* Decimo qvintò, Jus concedendi Jurisdictionem. *Bocer. de Regal. c. 1. num. 24. Peregr. de Jur. Fiſc. lib. 1. tit. 1. num. 10.* Decimo ſextò, Jus Famæ reſtituendi. *Borcb. ad cap. un. Quæ ſint Regaliæ num. 4. Vultej. de Feud. lib. 1. c. 5. num. 7. Arniſ. de Jurib. Majeſt. lib. 2. cap. 3. num. 15.* Decimo ſeptimò, Jus legitimandi liberos naturales. *Joach. Cluten. in Syllog. Rer. qvotid. th. 20. lit. A. Gail. lib. 2. obs. 142. Roſenth. de Feud. c. 5. Concl. 2. num. 4.* Decimo octavò, Jus veniam ætatis tribuendi, *Nicol. Betſ. de Pact. famil. Illuſtr. fol. 237. Cluten d. Theſ. 20. lit. P.* Decimo nonò, Jus abſolvendi à Juramento ad effectum agendi. *Bocer. de Regal. c. 2. num. 135. Roſenthal. de Feud. c. 5. Concl. 3.* Vigeſimò, Jus cognoſcendi de Crimine Læſæ Majeſtatis, vel bona ob hoc crimen damnatorum ſibi arrogandi. *Regn. Sixtin. de Regal. c. 2. num. 18.* Vigeſimo primò, poteſtas dandi Veniam Criminis & damnatos Vitæ reſtituendi. *Scip. Gentil. de Jurisdict. lib. 3. cap. 34. & ult.* Vigeſimo ſecundò, Jus cudendi Monetam. *Sonsbeck. de Feud. P. 5. num. 19. Carol. Molin. Tract. de Uſur. num. 695. Dan. Ott. in Diſſert. de Jur. Publ. cap. 11. pag. 435.* Vigeſimo tertiò, Jus nova Vectigalia erigendi & augendi vetera. *Georg. Schönborn. Polit. lib. 4. c. 25. Joachim. Cluten. Th. 22. lit. A. Ruland. de Commiſſ. P. 4. lib. 2. cap. 5. num. 1.* Vigeſimo quartò, Jus Extremæ Provocationis

Arnij. de Jurib. Majeſt. lib. 2. cap. 4. num. 3. Arum. ad Aur. Bull. Diſcurs. 5. th. 13. Vigeſimo quintò, Flumina Navigabilia. *Regn. Sixtin. lib. 2. de Regal. c. 3. Peregrin. de Jur. Fiſc. lib. 1. tit. 1. num. 16. & 22.* Vigeſimo ſextò, Jus Primariarum Precum. *Gail. lib. 2. obſ. 155. num. 7. Buxtorff. in Diſſertat. ad Aur. Bull. cap. 5. Concl. 65.* Vigeſimo ſeptimò, Jus recipiendi Judæos. *Regn. Sixtin. de Regalib. lib. 1. cap. 5. num. 19. Webner. Pract. obſerv. vocab. Juden. Aur. Bull. Carol. IV. tit.* Von Gold/ Silber und andern Ertz wegen. Vigeſimo octavò, Palatia. *Sixtin. lib. 2. c. 17.* Vigeſimo nonò, Viæ Publicæ. *Dan. Otto in Diſſert. de Jur. Publ.* Trigeſimò, Jus concedendi Inducias Moratorias. *Webn. Pract. obſerv. vocab.* Anſtandsbrieff. Trigeſimo primò, Jus in Adoptione, quæ fit per Arrogationem authoritatem interponendi. *Sixtin. de Reg. lib. 1. cap. 2. num. 19.* Trigeſimo ſecundò, Jus Curſores Publicos inſtituendi. *Clapm. de Arcan. Rerumpubl. lib. 1. cap. 21. Regn. Sixtin. lib. 2. cap. 13. n. 42.* Et hæc præcipua Regalium majorum Jura paulò accurratius in ſequentibus examinabimus.

16 Regalia minora quæ & Fiſci vocantur, *Pruckman. lib. 1. de Regal. cap. 3. num. 2.* maximâ ex parte *in d. cap. un. Quæ ſint Regaliæ.* recenſentur, intermixtis tamen aliqvot Majeſtatis Regalibus. Inter quæ Primò ponitur Vectigal ſive Telonium. *Regn. Sixtin. lib. 2. de Reg. cap. 6. Roſenth. de Feud. c. 5. Concl. 23.* Scundò, Mulctarum Pœnarumqve compendia. *Henric. Bocer. de Regal. c. 3. num. 8. Beſold. Diſput. Pol. 3. claſſ. th. 38.* Tertiò, Ripatica. *Peregrin. de Jur. Fiſc lib. 1. tit. 1. num. 2. 4. Roſenth. d. cap. Concl. 32.* Quartò, Portus, *Borch. ad d. cap. un. num. 4. Roſenth. num. 31.* Quintò, Salinæ, *Bodin. de Repub. lib. 1. cap. 10. num 170. Henric. Bruning. de Var. Univerſ. ſpecieb. th. 26. lit. B.* Sextò, Piſcationum reditus. *Bocer. de Regal. P. 3. num. 140.* Septimò, Jus Foreſti & Banni Ferini. *Beſold. Diſput. Pol. 3. claſſ. th. 4.* Octavò, Jus occupandi Bona Vacantia. *Beſold. d. Diſp. 3. th. 39. Pe-*

re-

regrin. de Jur. Fiſc. lib. 4. tit. 3. Nonò, Bona Condemnatorum & Proſcriptorum. d. cap. un. *Quæ ſint Regaliæ.* Decimò, Bona contrahentium nuptias inceſtas *Bocer. de Regal. c. 3. num. 53.* item Undecimò, Bona quæ ut Indignis auferuntur. *Peregr. de Jur. Fiſc. lib. 2. tit. 2. Anton. Faber. de Errorib. Pragm. part. 2. Decad. 38. Err. 3. num. 6.* Duodecimò, Jus occupandi Bona eorum qui ſibi mortem conſciverunt. *Peregr. de Jur. Fiſc. lib. 4. tit. 4.* Decimo tertiò, Argentariæ. *Sixtin. lib. 2. c. 16.* Decimo quartò, Theſaurus, *Borch. ad d. cap. un. num. 91.* Decimo quintò, Collatio ad felicisſimam Regalis Numinis expeditionem, *Althuſ. Pol. cap. 8. Sixtin. de Reg. cap. 14.* Angariæ & Parangariæ. *Bocer. de Regal. cap. 3. num. 235. Chriſtoph. Beſold. Diſput. Pol. claſſ. 1. th. 47.*

In hac diſtinctione Regalium Majorum & Minorum 17
non conveniunt pleriqve Interpretes. Dum quædam, qvæ nos majoribus annumeravimus, ab iisdem ad minora referantur & econtra. Imò conqueritur *Regn. Sixtin. d. cap. 2. num. 47.* non deeſſe etiam Viros Doctisſimos, qui e- 18
xiſtiment omnia in *d. cap. un. Quæ ſint Regaliæ.* enumerata Regalia minora eſſe, nec ulla ex iis ad majora referri poſſe. Quam ſententiam meritò rejicit, cum Jus Monetandi, Magiſtratum conſtituendi, Vectigalia nova inſtituendi & alia, nomine majorum veniant, uti in ſeqventibus clarius videbimus. Reprehendit etiam *Zaſium*, quod Fodinas, *Pari-* 19
dem de Puteo quod Confiſcationes Bonorum & Theſauros ad majora pertrahere conentur. Similiter perſtringit *Weſembec.* quod Jus Monetandi minoribus annumerare non vereatur. Pergamus ad ſpecialem ſingularum Regalium Enumerationem & Explicationem.

SECTIO

SECTIO III.

De Præcipuo Regali abſolutæ Poteſtatis, ſive Plenitudinis Poteſtatis.

SUMMARIA.

1 Inter alia Jura Majeſtatis abſoluta poteſtas maximè relucet.
2 Methodus tractationis Majeſtatica Jura Imperatoris & reliqvorum Statuum concernit.
3 Præcipuum Regale eſt abſoluta poteſtas, ſivè plenitudo poteſtatis.
4 Perperam multi nullam illius faciunt mentionem; ex ratione: qvod omnia Regalia in abſolutâ poteſtate comprehendantur.
5 Reſolutio hujus objectionis.
6 Dantur Regalia qvæ ſolutæ poteſtatis non ſunt.
7 Adhærens Summæ Poteſtatis eſt Legibus eſſe ſolutum.
8 Populi Romani ſoluta Poteſtas deſcribitur ex Dione & Tacito.
9 Auguſti conjux Lege Voconia; & Liberi Legibus Annariis ſoluti erant.
10 An hiſce temporibus detur Legibus ſoluta poteſtas? diſtingvitur inter Legem Divinam & Humanam.
11 Quid per Legem Divinam, Ceremonialem, Judicialem & Moralem intelligatur?
12 Ad Legis Divinæ Moralis obſervantiam Princeps indiſtinctè tenetur.
13 Et ad Naturalem ſimiliter.
14 Ratione Legum Humanarum diſtingvitur, inter eas reſpectu Regni latas, & intuitu ſubditorum rogatas; Et inter Leges ſimpliciter tales.
15 Legibus fundamentalibus Regni Princeps obſtringitur.
16 Ad obſervantiam Legum reſpectu ſubditorum latarum non tenetur.
17 Aurea verba: Imperio majus eſſe ſubmittere Legibus Principatum.
18 Digna vox Majeſtate Regnantis Legibus alligatum Principem ſe profiteri.
19 An pactis & conventionibus Princeps ſtare cogatur?
20 Quid ſi vi plenitudinis poteſtatis has & ſimiles Leges excedat?
21 Nimia Licentia eorum, qui dicunt Principi licere alicui ſine causâ rem ſuam auferre ſine refuſo aliqvo pretio.
22 Meritò tempeſtatem plenitudinis dixeris, & non tàm ad Jus Dominationis qvàm ad Dominationis flagitium retuleris.

23 *Ob neceſſitatem publicam quandoq; contra Leges qvid ſtatuere licet, & ſubditos à Jure ſuo diſcedere oportet vi dominij eminentis.*

24 *Qvædam Regalium ſpecies contra Juris rationem exercentur.*

25 *Generaliter publica utilitas poſthabito qvocunqve Jure cauſam privatam ſuperat. Et hæc poteſtas eſt de Regalibus.*

26 *Contraria non ſunt juſta cauſa & abſoluta poteſtas.*

27 *Ratione ſolutæ poteſtatis qvidam diſtinguunt inter vim Legis directivam & coactivam.*

28 *Ratione naturali & politicâ nullus Princeps Legibus eſt ſolutus, ſed & Conſtitutionibus Anteceſſorum alligatus eſt.*

29 *Merè Civilibus tamen Legibus ſolutus dici poteſt.*

30 *Plenitudo poteſtatis omnibus ſuperiorem non recognoſcentibus competit.*

31 *Imperator Romanus Majeſtatem ſolus fovet per ſupremam Jurisdictionem.*

32 *Poteſtas illa abſoluta, eſt ſubſtantialis eſſentia Majeſtatis.*

33 *In R. I. vocantur* Kayſerl. Macht und Vollkommenheit/ Kayſerl. Hoheit und *Reſervaten.*

34 *Nulli Principi tanta debetur Majeſtas quàm Imperatori.*

35 *Tituli qvi exteris Regibus in Conventibus Imperii dantur.*

36 *Exteri Reges qvomodo Cæſarem alloqvantur, & econtra hic illos.*

37 *Inſignum præeminentiæ Dominus mundi vocatur.*

38 *Chaſſan. locutio contemptus plena contra hanc ultimam aſſertionem.*

39 *Argumentatio contra ſententiam conſtituentem Imperatorem Dominum mundi.*

40 *Refutatur argumentum.*

41 *Licet actu ipſo & poſſeſſione mundus ab eo non poſſideatur, tamen Jure ejus æſtimatur.*

42 *Qvibus conditionibus univerſus orbis Imperatoris cenſeatur.*

43 *Legibus merè Civilibus Imperator ſolutus eſt, non item Divinis, Naturalib9 & Imperii fundamentalibus.*

44 *Principem Legibus fundamentalibus ſolvere nil aliud eſt quàm Jura Regni convellere.*

45 *Poteſtatis Imperatoriæ annexum eſt dare & confirmare Privilegia Regibus, Principibus &c.*

MAjora Regalia ſeorſim nunc explicaturi initium faciemus ab abſoluta poteſtate, qvæ inter alia Jura Majeſtatis & Imperij maximè relucet, eâ methodo procedentes, ut non tantum Supremi Romani Imperij Capitis Impera- 1

2 toris Auguſtiſſimi Jura Majeſtatica & reſervata perpendamus, ſed & reliqvorum Statuum Regalia quocunq; modo ijs competentia examinemus.

3 Præcipuum verò Majeſtatis Jus & Regale tanquam Radix afficiens reliqua & ſuccum tribuens cum *Regn. Sixtin. de Regal. cap. 2. num. 8.* in abſolutâ poteſtate, ſive ut ipſe loquitur in uſu clauſulæ plenitudinis poteſtatis, ponimus: quatenus vigore illius Principi Summo eâ uti, atque ſecundum illam etiam contra Privilegia & Jura Communia
4 quandoq; quid ſtatuere liceat. Scio tamen eſſe qvosdam qui nullam non tantum hujus Regalis mentionem faciunt, ſed etiam peculiari nomine inter ea malè referri dicunt, ex ratione: qvod omnia Regalia in abſolutâ poteſtate contineantur, & exindè reliqvis ſe ſe communicent. Aſt quàm
5 debilis hæc ſit objectio, cuiqve obviam eſt: ſi enim in eâ comprehendantur, inſint, & ſpiritum ab illâ ducant, multò magis notanda & publicanda erat. Deindè apud omnes
6 exploratum eſt, non omnia Regalia ſolutæ eſſe poteſtatis, (quod tamen nimiâ fiduciâ ſui aſſerit *Arniſæus de Jurib. Majeſtatis lib. 2. c. 1. num. 9.*) potiſſimum cum videamus nonnulla, puta Jurisdictionem, curam commerciorum & ſimilia vi ordinariæ poteſtatis exerceri, quæ niſi ordinariâ & extraordinariâ poteſtate confuſâ ad abſolutam poteſtatem referri non poſſunt.

7 Adhærens ſummæ Poteſtatis eſt Legibus eſſe ſolutum, ſicuti olim Principatus Romanus in perpetuum ſolutus erat, teſte *Dione. 53. Id verò*, inqvit, *ſibi uſurpaverunt, qvod antea Civium Romanorum datum eſt nemini, ut ſoluti Legibus eſſe dicantur, hoc eſt omni Legis neceſſitate liberati,*
8 *nec ijs quæ ſcripta ſunt ſubjecti:* Et poſtea: *Senatus* inquit, *Cæſarem, â quo magno bonore afficiebatur, ut Imperatorem, liberavit omnibus Legum vinculis, ut ea, quæ vellet, faceret, & ijs qvæ nollet, abſtineret.* Simile ex Taciti Annalibus 2. *Ann.* decerpimus: *Lætabatur*, inquit, *Tiberius, cum inter filios ejus &*

Le-

Leges Senatus diſceptaret, victa eſt ſine dubio Lex, ſed neque ſtatim, & paucis ſuffragiis: qvomodo etiam cum valerent Leges vincebantur: Et hoc non tantum in perſonis Impera- 9
torum, ſed & in aliis qvoq; obtinuiſſe diſcimus ex eodem *Dione 58.* Dum Auguſtus conjugem Lege Voconiâ, & liberos Legibus Annarijs ſolvit, *Tacit. 1. Annal. Auguſtum Cajum & Lucium nondum poſitâ puerili prætextâ Conſules deſignavit.* Quæ illis temporibus ita ſimpliciter proceſſerunt. 10
An & hodiè eodem modo argumentari liceat? meritò qværitur. Verùm remotis plurimis verborum ambagibus diſtinguimus inter Legem Divinam & Humanam; Illa vel eſt Ceremonialis vel Judicialis, vel Moralis. Cere- 11
monialis per adventum Chriſti ſublata eſt, manente Decalogo & Cultu in eo præſcripto. Judicialis itidem qvoad Ceremonias Judaicas abrogata eſt. Moralis in vigore conſi- 12
ſtit, ad cujus obſervantiam Principes indiſtinctè tenentur: quia eſt immutabilis Dei voluntas, & æternæ Juſtitiæ Regula omnibus præſcripta maximè conſiſtens in Dei Cultu, Parentum reverentiâ & proximi dilectione. *Deut. 17. 18. 19.* Quo refertur etiam Jus Naturæ, qvod Principem conſtringit, neq; Princeps amplius eſt, ſi naturæ repagula recludit, ejusq; terminos perrumpit, ſed Tyrannus. Itaqve 13
ad Legem Divinam & Naturalem Princeps obligatur. *Mynſing. Cent. 5. obs. 67.* Nec tanta unquam poteſtate Monarcha inventus fuit, inquit *Conrad.* Einſiedel *de Regal. cap. 2. num. 3.* qui potuerit ab horum, Dei videlicet & Naturæ ſe eximere Imperio. De Legibus Humanis major eſt diffi- 14
cultas. Diſtingvimus autem inter Leges reſpectu Regni latas, & ſubditorum intuitu rogatas. Deinde inter Leges ſimpliciter tales, & deniq; inter Conventiones. Quod ad Leges Regias & reſpectu Regni latas attinet; ad eas Principem teneri firmiter concludo: qvia per illas Regni ſalus certis limitibus eſt circumdata, & pactis ſolenniter confirmata, quibus neglectis, illud qvoqve interire neceſſe eſt, 15

atque ideò Leges fundamentales appellantur. Sicuti in
Imperio noſtro Romano-Germanico *Aurea Bulla Caroli IV*,
Receſſus Imperij, *Capitulatio Cæſarea* pro normâ tenentur,
& à nemine violari fas eſt. Ad obſervationem Legum
verò reſpectu ſubditorum rogatarum Princeps non tene-
16 tur, ut ſunt onera Regni, Legum ſolennitates, pœnæ & ſi-
milia, *Vult. 1. Jurisprud. c. 12.* quandoquidem ab ijsdem ſo-
lutus dici poteſt. Si tamen ſe ſe aſtringere, & auream il-
17 lam Imperatoris ſententiam ſibi imprimere Princeps ma-
lit: *Revera Imperio majus eſſe ſubmittere Legibus Principatum.*
Atq; Veſpaſianum ſequi ex *Taciti* verbis 3. *Annal. Præci-
puus adſtricti moris Veſpaſianus fuit, antiqvo ipſe cultu victuq;.
Obſequium indè in Principem & æmulandi amor validior, quàm
pœna ex Legibus & metus:* nihil erit, quod Majeſtatis ejus
18 adverſabitur. Digna etenim vox eſt Majeſtate Regnan-
tis Legibus alligatum ſe Principem profiteri. *l. 4. Cod. de
Legib.* Et nihil magis decorum: ut canit *Gunther. lib. 8. de
Reb. Geſt. Frid.*

Nam nihil, ut verum fatear, magis eſſe decorum.
Aut Regale puto, qvàm Legis Jure ſolutum,
Sponte tamen Legi ſe ſe ſupponere Regem.
Gratia ſit magno qvi temperat omnia Regi.

19 Pactis & Conventionibus tamen ſtare cogitur: Cum
alia ſit ratio Legum alia Conventionum: Illæ enim à Prin-
cipis poteſtate ſolâ dependent. At conventiones mutuum
habent vinculum, qvod Princeps honeſtè diſſolvere non
20 poteſt. Quodſi verò vi plenitudinis Poteſtatis has & ſimi-
les Leges aſtringentes excedat, de facto id quidem faciet,
ſed absqve ullò metu pœnæ. *Alber. Gentil. Diſput. 1. de Ab-
21 ſol. Reg. Poteſt.* Unde jure meritiſſimo deteſtandi illi qui
dicunt Principi licere ſine ullâ cauſâ alicui rem ſuam au-
ferre ſine refuſo aliqvo pretio, aſſentationis & emerendæ
gratiæ cauſa; qvo nihil turpius de Juſtitiæ Sacerdote dici
22 poteſt. Quam plenitudinem poteſtatis rectè tempeſta-

tem

tem plenitudinis dixeris cum Einſidel. *d. cap. 2. num. 4.* & non tàm ad JusDominationis, qvàm adDominationis flagitium retuleris, cum Princeps bona ſubditorum non Dominio ſedImperio poſſideat. *Et Poëta Ligur. lib. 3.*

Quidquid habet locuples, quidquid cuſtodit avarus,
Jure quidem noſtrum, populo concedimus uſum.

Quaſi verò, inqvit Saluſtius, *Injuriam facere id demum eſſet imperio uti.* Niſi ob utilitatem publicam contra Leges quid ſtatuere neceſſarium videatur: Quia utilitas publica, ut ait *Imperator in l. 3. Cod. de Princip.* præferenda eſt privatorum contractibus: Qvoties enim Reipublicæ intereſt privatas res in publicum uſum deſtinari, toties Cives ac ſubditos à Jure ſuo diſcedere oportet, imò & cogi poſſunt, idqve Jure Dominationis, vel ut *Hugo Grotius* loquitur, vi Dominij Eminentis. v. g. Si tempore incendij invitis Dominis propter utilitatem publicam ædificia diruantur, *l. 14. Cod. de Operib. public.* Eodem modo dicit Einſiedel *de Regalib. cap. 2. num. 15.* Quædam Regalium ſpecies contra Juris ſtricti rationem in æqvitatis & publicæ utilitatis favorem exercentur; putà Jus damnatos vitæ reſtituendi, concedendi inducias moratorias, repreſſalias & ſimilia. 23 34

Generaliter itaque ubi publica utilitas quid ſvadet, etiam poſtpoſito jure Communi, Naturali & Gentium, ibi pro eâ militans fortior æquitas privatam cauſam & æqvitatem ſuperat. *Hortled. in Diſp. ad l. Non omnium. ff. de Legib. th. 22. & 41.* Et hæc eſt illa poteſtas abſoluta, qvæ inter Regalia numeratur reſpectu officij Principis, qvod ſcilicet Rempublicam regendo, ejus commodum quærendo, Juſtitiam adminiſtrando & in ſimilibus Legum diſpoſitionem quandoq; negligere poſſit. *Arnold. Engelbrecht. Disquiſ. de Juriſd. Imp. th. 65. lit. C.* ubi utilitatem publicam juſtam cauſam appellat; cum contraria non ſint abſoluta poteſtas & juſta cauſa: quinimò in juſtâ cauſâ ſæpe ab- 25 26

ſoluta poteſtate uti neceſſum ſit: *Bonum enim,* inquit, *antiſtat aliqvando æquo*; ut in Decimatione Exercitus, *Liv. lib. 2.* ut in Oſtraciſmo Athenienſium & Epheſorum, etiam Venetorum. *Jov. lib. 1. de Repub. Venet.* Uti qvoqve in alijs, qvibusdam quæ in Tyranno ordinaria dicuntur, extraordinaria & caſualia in bono Principe.

27 Circa ſolutam Legibus poteſtatem diſtingvunt alij inter vim Legis coactivam & directivam; *Fach. lib. 1. Controverſ. c. 2.* à coactivâ quâ transgreſſores puniuntur, eximunt Principem: quia liberi ſunt à vinculis & delictorum pœnis in hoc mundo: à directivâ, quæ actiones hominum dirigit, non item liberantur. *S. Thom. Aqvin. Quæst. 69. Art. 5.*

28 *Conrad. Einſidelius de Regalib. cap. 2. num. 7.* dicit Regulariter nullum Principem Legibus ſolutum, & Conſtitutionibus Anteceſſorũ alligatum eſſe, non ratione Civili; ſed Naturali & Politicâ teneri: Illa ex generali præcepto, quod tibi non vis fieri alteri ne feceris, & quod quis in alium ſtatuerit, idem ut etiam in ſe admittat. Ratione Politicâ teneri Principem ait: quia politica Ratio & Bonum Publicum exigit, ut ſuas ſuorumqve Prædeceſſorum Conſtitutiones ſervet: Quæ enim inquit *Imperator in Nov. 161. pr.* Legum erit utilitas, ſi in literis duntaxat conſiſtant, non etiam per ipſa facta atqve opera ſubditis utilitatem de ſe præbeant. Quæ ſententia omninò vera eſt, & contra primam non pugnat, quia loquitur de Conſtitutionibus & Legibus non tantum reſpectu privatorum, ſed etiam intuitu publicæ utilitatis latæ.

Manet ergo Concluſio firma, Principem vi abſolutæ Poteſtatis quandoqve à Legibus ſolutum eſſe, & contra eas
29 pro Bono Publico diſpenſare poſſe. Intellige Leges merè Civiles, non item Divinas & Naturales, aut etiam Fundamentales Regnorum & Principatuum: quia ad has Summas Poteſtates alligari verius eſt. De effectu clauſulæ pleni-

nitudinis poteſtatis jam ſupra pluribus egimus, *Part. 2. cap. 2. ſect. 5. num. 34. & multis ſeqq.* quo Benevolus Lector remittitur.

Et hæc in genere de plenitudine Poteſtatis, quæ Summis Regibus, Populis & Civitatibus neminem niſi Deum, ſive de Jure, ſive de facto ſuperiorem recognoſcentibus 30
non impropriè competere poteſt, *Card. Tuſch. Pract. Concl. 337.* Verbis: *Rex poteſt in ſuo Regno multa*, quo refertur *illud Gunth. in Ligur. lib. 6.*

--- --- -- *Nullum caput iſta ſuper ſe*
Aſpicit excepto Cœlorum Rege poteſtas.

Quid autem de Summâ Imperatoris Poteſtate ſentiendum ſit, nunc ſubjicimus, qui Majeſtatem ſolus fovet 31
per ſupremam Jurisdictionem & Poteſtatem illam abſolutam, quæ forma eſt, & ſubſtantialis eſſentia Majeſtatis *Carol.* 32
Molin. in Conſult. Paris. tit. 1. §. 2. Quæqve ipſa eſt plenitudo Poteſtatis, cujus in noviſſimis Imperij Conſtitutionibus toties mentionem fieri videmus. die Röm. Kayſerliche Macht und Vollkommenheit. *Aur. Bull. Caroli IV. tit. 3.* R. A. zu Speyer *de Anno 1529. §. ſub tit.* Kayſerl. Conſtitution, wir Brüder oder Schweſter Kinder. R. A. zu Augſpurg. *de Anno 1530. §.* Nachdem auch an etlichen Orten. quandoque Reſervata Cæſarea nominantur die Kayſerl. Hoheit und Reſervaten. R. A. zu Regenſpurg. *de Anno 1576. §.* Dardurch dann. quæ ipſam, ut dixi, Majeſtatem arguunt, & propriè ſtricteq; loquendo ipſi ſoli tribuitur: Quia nulli Principi 33
tantam deberi Majeſtatem, quantam Imperatori dicit, *Purpur. in l. Quicunque. num. 116. ff. de Offic. ejus cui mand. eſt Juriſd.* qvod abundè ex titulis in Conventibus Imperij exteris Regibus dare ſolitis patet, dum illis non Majeſtas, ſed Regia Dignitas tribuitur. Die Königl. Würde zu Böheimb. 34
R. A. zu Eßlingen. *de Anno 1526. §.* Und ſennd diß die Churfürſten. Die Königl. Würde zu Hungarn. R. A. zu Regenſpurg. *de Anno 1527. §.* Und als die Wohlgebohrne. Item 35

Die

Die Königl. Würde zu Engelland. *d. Receſſ.* §. Und als auff gehal-
tenen Tag. Die Königliche Würde in Hiſpanien. R. A. zu Erffurt.
de Anno 1567. Ferner zum andern. Econtra Reges in literis
36 ad Imperatorem datis eum plerumque hoc modo allo-
qvuntur: Ew. Kayſerl. Majeſt. und Lbd. Imperator verò tan-
tum prædicato. Ew. Lbd. utitur. In ſignum præeminen-
tiæ etiam Dominus mundi appellatur *l. Deprecatio. 9. ff.*
37 *de Leg. Rhod. de Jact. Bartol. in l. Hoſtes. ff. de Captiv. &*
Poſtlim. reverſis. qui dicit, contrarium affirmantem pro
Hæretico haberi. *Surd. Cons. 449. num. 10. Vol. 4.* totum
38 mundum ejus Provinciam aſſerens. Quidquid etiam di-
cat *Chaſſan. Catal. Glor. Mund. P. 2. Conſid. 32.* Salſè ri-
dens & dicens dictionem *mundus* intelligendam eſſe de
mundo muliebri, & *P. 5. Conſid. 28.* ridiculum eſſe, ſtatuere
plurimas Orbis Terrarum Partes, & Regiones, quas nun-
quam habuit. Contra illud ipſum aſſertum argumenta-
tur, *Ether. Mobr. Mogunt. Diſput. de Jurisd. C. 1. Concl. 12.*
39 Si Imperator ſit Dominus Mundi: vel erit Jure Naturali &
Gentium: quod nunquam probari poſſe dicit, fortè ex ra-
tione: qvod nunquam totum mundum occupaverit. Vel
Jure Civili: Id etiam negat: non enim per Electionem aut
Succeſſionem totius Orbis terrarum Dominatum adeptus
eſt, qui conſenſum alias præbuiſſet, ut unus eſſet commu-
nis omnium Imperator; quod absque ullâ probabilitate
ac fundamento affirmaretur. Vel Jure Belli: quod itidem
à verò alienum judicat; Cum noſtris temporibus pluri-
mæ repertæ ſint rationes, quæ antea fuerunt omninò in-
cognitæ. Vel Jure Humano poſitivo. Idque vel Summi
Pontificis: Et hoc non: quippe cum neq; ipſe ſit Dominus
mundi, & hinc plus Juris in alterum transferre non poſſit
quam ipſe habeat. Aut ipſorummet Imperatorum. quod
itidem rejicit. Vel deniq; Jure Divino: Et hoc fruſtra; In-
crepans Bartolum quod ex *Luc. 2.* probare nitatur domi-
natum univerſi orbis: *Exijt Edictum à Cæſare Auguſto ut de-*
ſcriberetur univerſus orbis. Quem

Quemadmodum ipſe *Ether. Mohr.* miratur, quidnam 40
magnum *Bartolum* moverit, ut Dominum univerſi orbis Imperatorem pronunciaverit: Ita & ego à fortiori miror, quidnam illum ipſum *Mohr.* moverit, ut Auguſtiſſimo illi Capiti Jus in univerſum orbem competens diſputare præſumat? qui licet actu ipſo & poſſesſione ab eo non poſſideatur, Jure tamen illius æſtimatur; ut non ſolum Princi- 41
patus & Ditiones Imperio actu ſubjectæ, ſed & illæ, quæ cauſam poſſesſionis ſibi mutantes ab Imperio defecerunt, reſpectu Univerſi, publicâ tutelâ, Imperio & Jurisdictione 42
pro utilitate Imperij procurandâ ſecundum Legum ordinem & præſcriptum comprehendantur.

Ad plenitudinem illam Poteſtatis Imperatoriæ per- 43
tinet & illud, quod ſit ſolutus Legibus, ſcilicet illis, qvæ merè Civiles ſunt & poſitivæ, uti ſunt Leges teſtamentorum & aliæ, adeò ut nefas eſſe dicat *Theod. Reinkinck. de Reg. Sec. & Eccleſ. lib. I. claſſ. 3. cap. 12. n. 3.* aſſerere Imperatorem Romanum Legibus ſolutum non eſſe. Excipe Leges Divinas Morales, Naturales & Gentium, abinitio Regiminis Juratas (quales ſunt *Aur. Bulla. Carol. IV. & Capitulationes*, quia hiſce tãquam arctâ catenâ, & ſpiritu quaſi vitali Reipubl. nervi continentur) reliquasque Leges fundamentales; quibus Principem ſolvere nihil aliud eſ- 44
ſet quàm Jura Regni convellere, caput à membris ſeparare & Imperium totum peſſundare. *Andr. Knich. de Saxon. provoc. Jure c. I. num. 5.* Deinde Summæ Poteſtatis Imperato- 45
riæ annexæ ſunt dare & confirmare Privilegia Regibus, Principibus & alijs, *Aur. Bull. tit. 8. & tit. 11.* concedere Regalem Dignitatem, diſpenſare contra Jus Commune, & confirmare actum de Jure invalidum, confirmare Pacta Familiæ, de quibus ſupra, omnia jura & Statuta contra pacem & utilitatem publicam tendentia tollere, veniam ætatis concedere, & ſimilia, de quibus in ſequentibus.

SECTIO IV.

De Regali Jure Poteſtatis Legum Univerſalium ferendarum.

SUMMARIA.

1 Attributum Majeſtatis valdè ſpectabile redditur in poteſtate Legum Univerſalium condendarum.

2 Ad eam pertinet interpretatio Legis obſcuræ.

3 Alia eſt Juſtitia Principis, alia Juriſtarum.

4 Quæ interpretatio intelligatur?

5 Ille abrogatur & mutat Legem, qui eam jubet, & veteres quoq; confirmat.

6 Leges Fundamentales (qualis eſt Aur. Bulla & ſimiles) Imperator abrogare non poteſt propter conſenſum Procerum neceſſarium.

7 De hoc jurant Electi Romanorum Reges & Imperatores.

8 Audiendi non ſunt, qui pactionibus Principem coarctari non poſſe affirmant.

9 Princeps illuc intendere debet, ut Leges non tantum authoritate & opinione hominum, ſed & ratione ſuſtineantur.

10 Abſoluta poteſtas Legis Univerſalis ferendæ ad Imperatorem hodie abſolutè in Imperio non ſpectat.

11 Procerum conſenſus accedat neceſſe eſt.

12 Leges in Comitijs conditæ Receſſus Imperij vocantur.

13 Craſſus error Bodini, qui Proceribus Imperii Poteſtatem Leges Univerſales ferendi, bella indicendi, & erigendi tributa concedit.

14 In Galliâ Regia Edicta vim nullam habent, niſi per Curiam confirmentur.

15 Per hunc ſimultaneum actum Legislatorium Majeſtas Imperatoria non minuitur, ut Grotius fatetur.

16 Juramentum in Inaugurationibus Imperatoriæ Majeſtati nil detrahit, & refellitur Bodinus, qui ideo Auguſt. Imp. Carol. V. corripit.

17 Nullus eſt Princeps in Chriſtiano Orbe, cujus Poteſtas certis Capitulationibus non ſit circumciſa. Exemplum in Rege Hiſpaniæ proponitur.

18 Status Imperii ſpecialem & localem ferunt Legem in ſuis territoriis, idq; vigore Superioritatis, & Conſtitutiones Provinciales pro-

promulgant, ſecundum qvas Camera judicare tenetur.
19 *An poteſtas condendi Leges locales ſit de majoribus Regalibus?*
20 *Ad qvasnam Jurisdictionis ſpecies hæc poteſtas Legum Univerſalium condendarum pertineat?*
21 *Variant Authores.*
22 *Rectius neq; ad Imperium neqve ad Jurisdictionem, ſed ad Regalia refertur in ſignum præeminentiæ.*

PRæcipuum attributum Majeſtatis Civilis in Poteſtate 1
Legum Univerſalium condendarum conſiſtere dicit *Chriſtoph. Beſold. in Synops. ſuâ Polit. Doctrin. cap. 2. num. 32.* Supremâ enim poteſtate præditus eas dat & accipit à nemine, ut ait Propheta, *tibi ſoli peccavi. Clapm. de Arcan. Rerumpubl. lib. 1. cap. 13. pr. Bodin. de Republ. lib. 1. c. 10.* ubi hoc Regale primum & præcipuum Majeſtatis caput aſſerit. *Roſenthal. de Feud. cap. 5. Concl. 2. n. 4. Henric. Brüning. de Variis Univerſit. ſpecieb. th. 5. lit. B.* addatur *§. Sed & qvod Principi placuerit. Inſt. de Jur N. G. & C. l. 3. l. 8. & l. fin. Cod de Legib.* Ad eandem poteſtatem pertinet Legem 2
obſcuram interpretari *Regn. Sixtin. de Regal. n. 22. & ſeqq.* ubi nervoſè deducit, an Princeps ſolus Leges interpretetur, aut etiam qvandoq; Legis periti alij? id qvod voluit *Beſold. in Synops. Polit. Doctr. cap. 2. num. 32.* aliam nempè 3
eſſe Juſtitiam Principis aliam Juriſtarum, *Don. 1. Comment. 13.* ubi illam interpretationem intelligit, quâ totum ali- 4
qvod Jus iniqvum dicitur, idq; agitur ut in totum tollatur, vel quando Legis ſententia adeò eſt obſcura, ut nullo modo elici poſſit. Alias interpretari Leges ad officium JCti pertinet. De interpretatione Juris obſcuri egregiam diſputationem conſcripſit *Joannes Daniel Stalburger Patricius Mœno-Francofurtenſis amicus & commenſalis quondã meus plurimum honorandus,* quem adire poterit Lector, & lectionis nunquam pœnitebit.

Ejus qvoqve eſt abrogare & mutare Legem, cujus 5
eſt jubere: Illud enim non ſolum eſt juxta Leges, ſed etiam ipſis Legibus imperare. Intellige tàm propriam qvàm an-

Anteceſſoris, cujus Imperium morte exſpiravit. Accedit poteſtas Leges Veteres confirmandi, *l. 2. Cod. de Decur.* atqve Privilegia concedendi, *l. 16. ff. de Legib.* cum plerumque contra rationis tenorem dentur, ideoq; ſummâ indigeant poteſtate.

6 Dixi quamprimum illius eſſe mutare Legem, cujus & concedere. Qvod verum eſt, ſi ſermo ſit de merè Civili, non autem fundamentali; quâ exploſâ utilitas publica periclitaretur. Hinc eſt quod Imperator Auream Bullam (per quam Imperium Romanum à diſſolutione conſervatur, atq; deteſtandæ diviſioni variisqve ex eâ ſequentibus periculis aditus præcluditur, in *Proëm. ad Aur. Bull. §.* Demnach. Ibi: Zu künfftiger Gefahr ſolcher Zertrennung.) abrogare non poſſit; vel ideò quia in promulgatione hujus ſaluberrimæ Conſtitutionis non tantum Imperator ipſe, ſed etiam Principes Electores tàm Seculares quàm Eccleſiaſtici, nec non cœteri Principes, Comites, Barones, Proceres, Nobiles atq; Civitates conſenſum ſuum præbuerint, & eorum Authoritate confirmaverint, quam igitur abro-
7 gare nulli fas eſt. De qvo Electi Romanorum Reges & Imperatores Principibus Electoribus jurant, ſe *Auream Bullam* minimè mutaturos: Wir ſollen und wollen auch ſonderliche vorgemachte Güldene Bulle den Frieden in Religion- und profan-Sachen ꝛc. ſtet feſthalten/ handhaben. Sicut & ea, qvæ Cæſareâ Capitulatione præſcribuntur, intacta ſervaturos.

8 Quare audiendi non ſunt, qui eousque Principis Legibus ſolutam poteſtatem extollunt, ut etiam Electorum pactionibus eam nullo modo coarctari poſſe affirment. Advertant tales, qvid *Gunther. lib. 8. de Reb. geſt. Friderici I. canat.*

Ipſe qvidem qvamvis divino munere Princeps
Summus in orbe ferar, Legumq; immunis & expers,
Non ſervire qvidem cogar, ſed condere Jura
Fas habeam, veſtris cupio diſponere cuncta

Con-

Conſiliis, noſtro non ægrè ſpondeo juſſu
Vel ſancire novas, vel priſcis Legibus uti.
Nam nihil ut verum fatear, magis eſſe decorum
Aut Regale puto quàm Legis Jure ſolutum,
Spontè tamen Legi ſe ſe ſupponere Regem.

Hic monendum judico quod etiam *Conrad. Carpz. de Regal. cap. 2. Aphor. 4.* diligenter notat, Principem Legis ferendæ poteſtatem habentem illuc inſuper collimare oportere, ut Leges non tantum authoritate & opinione hominum, ſed & ratione ſuſtineantur, quatenus ſubditi ijsdem validius contineri, & violatores eò ſeverius coerceri poſſent. quemadmodum ait Imperator apud *Gunther d. lib. 8.* 9

Nec me regnante licebit
Has cuiquam noſtras impunè laceſſere Leges.
Ac ſi qvis tumidus præſumpſerit obvius ire
Supplicium præſens, manifeſtaq; pœna docebit
Non magis invictum bello quàm Legibus eſſe.

Iſtorum enim alterum, inquit Juſtinianus, *alterius auxilio ſemper eguit, & tàm res militares Legibus, quàm ipſæ armorum præſidio ſervatæ ſunt:*

Qvòdſi verò ad modernam Imperij Romano-Germanici faciem reſpiciamus, & prædicta de condendis Lebus Univerſalibus ita ſimpliciter ad Imperatoriam Poteſtatem, (ſicut olim in Conſtitutione præfixâ *Inſt. 2. Cod. de Vet. Jur. Enuel. L. fin. Cod. de Legib.* factum eſt) referre velimus, nimium fortè nos impingere contingeret. Cum Poteſtas illa Legiſlatoria hodiè aliqvomodo, centro, *ut Conrad. Carpz. d. cap. 2. Aphor. 2.* loquitur, & ſpatio circumſcripta, atq; conſenſum Procerum Imperii accedere neceſſe ſit, ad hoc ut vigor Legum & obſervantia ſtricta locum habere poſſit. *Receſſ. Imp. de Anno 1495. 1500. 1512. Joan. Limn. de Jur. Publ. lib. 1. cap. 10. num. 32.* quæ in Comitijs Imperialibus conditæ, Receſſus Imperij appellantur 10 11 12

tur ſive Comitiorum deß Reichs Abſchied / atqve communi ſuffragio hoc modo conceptæ Imperialis culminis authoritate promulgantur, ſub his formulis uſitatis: Nachdem Wir Uns mit den Ständen / und Sie wiederumb mit Uns ſich verglichen / ſo ſetzen demnach / ordnen und wollen Wir aus Römiſcher Kayſerl. Macht und Vollkommenheit ꝛc. Occaſione hujus valdè errat Bodinus pro more ſuo in Rebus Germanorum, & fortè ex propoſito impingit, dum Proce-
13 ribus Imperii poteſtatem Leges Univerſales ferendi, bella indicendi & erigendi tributa concedit: Nam licet, uti quamprimum dictum, Statuum Imperij auxilio & conſilio hæc fiant, non tamen ideò eornm authoritate negotia
14 peraguntur. Quod vel ipſe *lib. 1. cap. 8. de Republ.* de Galliâ teſtatur, ubi Edicta Regia executionem nullam habent niſi curiarum confeſſione comprobata ſint. Eodem modo in Angliâ, Hiſpaniâ & aliis Regnis Leges extra Comitia & Ordinum conſenſum promulgatæ, quæ ad Rempubl.
15 pertinent, non valent. Neqve propterea Majeſtas & Authoritas Imperatoria minuitur, ſed robur, & validitatem apud populum conciliat; *multum*, enim, dicit *Hug. Grot. de Jur. Bell. & Pac. lib. 1. cap. 3. §. 18. Falluntur, qvi exiſtimant, cum Reges acta qvædam ſua nolunt rata eſſe niſi à Senatu aut alio cœtu aliqvo probentur, partitionem fieri poteſtatis: Nam qvæ acta eum in modum reſcinduntur, intelligi debent reſcindi Regis ipſius Imperio, qui eo modo ſibi cavere voluit, neqvid fallaciter impetratum pro verâ ipſius voluntate habere-*
16 *tur.* Similiter etiam non oberit Imperatoriæ Majeſtati Juramentum in inaugurationibus præſtari ſolitum, quod tamen falſò ſibi perſvadet *Bod. lib. 1. d. cap. 8. de Republ.* qui Romanis Imperatoribus Status controverſiam movet, & Glorioſiſſimum *Imperatorem Carolum Qvintum* ratione hujus Juramenti perſtringit, parum ſibi præſens. Cum reliqua Juramenta, quæ ibidem profert, vix ab illo differant; ut rectè dicat *Johann. Nordermann. de Jur. Princip. tb.*

V. lit.

lit. D. ubiqve hunc catulum Generoſiſſimum allatrare Leonem, ejus barbam malitioſè vellicando, cujus vivi aſpectum ſuſtinere vix potuiſſet. Huic doctrinæ conformiter obſervat *Waremund. ab Erenberg. C. 11. de Reg. ſubſid.* nullum reperiri 17
Principem in orbe Chriſtiano, cujus poteſtas certis Capitulationibus non ſit circumciſa, Qvod vel unicum Juramentum Regis Hiſpaniæ Summi ſine controverſia Monarchæ, ut fatetur Bodinus, verum facere poteſt. Dum ſub his formulis jurat: *Nos qvi tantum valemus, quantum vos, & poſſumus plus qvam vos, Regem vos eligimus cum bis conditionibus: inter vos & nos imperat unus, qvi poteſt plus quam vos, Summum ſcilicet Arragonicæ Juſtitiæ Imperium.*

Manet itaque indubitata Regula, Imperatorem accedente Statuum Imperii conſenſu, condere Legem Univerſalem. *Bocer. de Regal. cap. 4. num. 2.* Non verò Proceres Imperii ſeparatim, prout malè intellexit *Bodinus.* Speci- 18
alem tamen & localem Legem ferre poſſunt in ſuis territoriis & Provinciis cum conſenſu Primariorum. Und wird der gemeine Außſchuß von der Landſchafft/ das ſeynd die von der Ritterſchafft/ und die von vornehmen Städten beſchrieben. *Qvemadmodum enim* inquit *Joach. Cluten. in Syllog. Rer. qvotid. th. 21. lit. B. Imperator ratione Univerſalis Jurisdictionis Imperii Univerſalem Legem condit: ſic alii inferiores Principali Dignitate Illuſtres, cum tantum certa ſpecialia territoria poſſideant, adeoque etiam Jurisdictio ſpecialior ſit; non univerſalem ſed ſpecialem vigore ſuperioritatis,* Krafft Landsfürſtilcher hoher Obrigkeit/ *qvæ ipſis ratione territoriorum competit, condunt, Jura Provincialia & Conſtitutiones Provinciales* Hoff- und Land-Gerichts-Ordnung *promulgant, contrarias abrogant, novas ſubinde conſtituunt, quibus ſubditi etiam ſine aſſenſu Imperatoris ſubjiciuntur, ſecundùm qvas Camera Imperialis obſtricta eſt pronunciare. Ord. Cam. P. I. tit. 57.* Von deß Kayſerl. Cammer Richters und Beyſitzer Eyd. ubi Nach redlichen Erbaren und Landiſchen Ordnungen Statuten und Gewonheiten der Fürſtenthumben/ Herrſchaff-

ſchafften und Gericht. Eadem ferè verba profert *Conrad. Carpz. cap. 2. Aph. 2. de Regalib.* ubi Civitatibus Imperialibus & Municipalibus hoc Jus tribuit. Quamvis *ex Petr. Heig. P. 1. Qvæſt. 23. num. 33.* tutius putet adhibere Prin-
19 cipis & Dominantis confirmationem. Anne propterea hæc poteſtas condendi Leges locales de majoribus Regalibus erit? Negativè reſpondet *Bocer. de Regal. c. 2. num. 64.* qui videri poteſt.

Sunt nonnulli, qvi non attentis ijs, quæ in principio hujus ſectionis dicta ſunt, inſuper quærunt, ad qvasnam Jurisdictionis ſpecies hæc poteſtas condendarum Legum
20 Univerſalium pertineat? *Bart. in l. 3. ff. de Jurisd.* ad Merum Imperium eam refert, illud in ſex gradus diſtinguens, ita ut dicat Imperium vel eſſe maximum, majus, magnum, vel parum, minus, minimum; Et Legislatoriam hanc Authoritatem in gradu maximo conſtituat. Idem facit *Jaſon.*
21 *ibid. num. 24.* ſed malè: quia Merum Imperium in ſolâ pœnarum irrogatione conſiſtit *d. l. 3.* ad quam ineptè refertur hæc poteſtas. Alii eam ad Jurisdictionem referunt, ſicut facit *Ether. Mobr. de Jurisd. cap. 2. th. 12.* qui tamen impropriè & generaliſſimè ſaltem iſthanc Legislationem
22 ad actum Jurisdictionis revocat. Rectius verò dixeris, neq; Imperii neqve Jurisdictionis eſſe, ſed ad Regalia pertinere, potiſſimum ad ea, qvæ Principi in ſignum præeminentiæ relinqvuntur. *Vacon. à Vacun. 6. Declar. 2. num. 2. Coras. 2. de Art. Jur. 15.* Cum illa ipſa Poteſtas Legislatoria eſſentialis ſit Juri Majeſtatis atque inde dependeat.

SECTIO

SECTIO V.

De Juribus Belli indicendi, Pacem reducendi & fœdera, muniendi Civitates, erigendi Fortalitia, DelectumMilitum habendi & Arma iis imponendi.

SUMMARIA.

1 *Inter Majorum Regalium ſpecies Jus belli indicendi recenſetur, quod Romanis temporibus Imperatori tribuebatur.*
2 *Et adhuc tempore Carolingorum, Ottonum, Henricorum nec non Caroli IV.*
3 *Generaliter Jus belli conſiſtit apud eum, qui Summam Poteſtatem ſeu Majeſtatem Politicè acceptam habet.*
4 *Specialiter in Imperio Rom. partim penes Imperat. partim penes Status conſiſtit.*
5 *Exempla Communionis hujus Juris cum Electoribus in Capitulat. Impp.*
6 *Imperator in Capitulatione aſtringitur ut adhibeat ſaltem conſenſum Electorum, niſi periculum imminens tantum temporis non permittat. & Generaliter excipiuntur cauſæ defenſivæ.*
7 *In Jure Belli indicendi Statibus Imperii ſuffragium vigore Inſtrumenti Pacis Monaſterienſis competit.*
8 *Imperator in expeditione bellicâ peragendâ collectam Generalem indicit.*
9 *An Status Imperii hodiè Jure Belli utantur?*
10 *Qui contra Imperatorem Bellum movet injuſtam cauſam fovet.*
11 *An Principi Jus ſuum armis expedire volenti id permittatur? quæſtio difficilis æq; ac odioſa, ideo aliis decidenda relinqvitur.*
12 *Afferuntur tamen rationes opinionis negantis ex Legibus antiqvis & Noviſſimis Imperii Conſtitutionibus.*
13 *Maudata Avocatoria S. C. contra tales emanant.*
14 *Einſidelius duos caſus excipit, ſcilicet neceſſitatis defenſionis, & quia Summi Principis copia haberi non poteſt. Videri poteſt & tertius caſus.*
15 *Cautela Principi bellum ſuſcepturo obſervanda. Belli Juſtitia examinanda, & dubius eventus conſiderandus.*
16 *Quando bellum licitũ præſumatur.*
17 *Annexum Juris Regalis Armorum, & Poteſtas delectũ militũ ha-*

habendi & arma iis imponendi. atq; ſequela.

18 *Item muniendi Civitates, erigendi fortalitia eaq; cuſtodiendi.*

19 *Quatenus permittatur munimenta & delectum militum habere.*

20 *Olim apud veteres Germanos diffidationes freqventes erant & qvandoqve in Comitiis per Conſtitutiones Imperiales certo modo confirmatæ.*

21 *Quarum etiam mentio fit in Aurea Bulla Caroli IV.*

22 *Diffidatio & diffidare qvomodo Germanis dicantur?*

23 *Nomen diffidationis unde deſcendat?*

24 *Definitio diffidationis.*

25 *Diffidationes Statum Publicum turbarunt, conſpirationibus, diſſidiis periculoſiſſimis & bellis variis occaſionem dederunt.*

26 *Hinc per Receſſ. Imp. & Conſt. Pac. Publ. ſublatæ ſunt.*

27 *Diffidatores & literarum diffidatoriarum ſcriptores capitali ſupplicio afficiuntur.*

28 *Contra diffidatores pro citatione* auff den Landfrieden *ſupplicari poteſt.*

29 *An à pœnâ ordinariâ eximantur illi, qui minas ſaltem literis denunciant.*

30 *Per Conſt. Pac. Publ. derogatur prioribus Conſtitutionibus pro diffidationibus latis.*

31 *An Jus Advocatiæ Armatæ, & Jus conducendi referatur ad Jus Armorum? An Jus collectæ ſucceſſerit in Jus armorum?*

32 *Bellum geritur ut pax quæratur.*

33 *Regalia armorum & Pacis magnam inter ſe affinitatem habent.*

34 *Jus Pacis ineundæ olim populo Romano competiit, & ab eo ad Imperatores pervenit.*

35 *Ex ſpeciali indultu, Ordines Imperii per deputatos Monaſterii ad comunem Imperii pacem promovendam comparuerunt.*

36 *Contentiones hodiernæ in loco Noviomagenſi ratione hujus prærogativæ.*

37 *Pacis Conſtitutiones variæ. Famoſiſſima illa Oſnabrugo-Monaſterienſis.*

38 *Poteſtas fœdera ineundi inter Regalia Majora numeratur.*

39 *Inter qvos communiter fœdera fiant?*

40 *Civitates Anſeaticæ partim mediatè partim immediatè ſuperiori ſubjectæ ſunt.*

41 *Germanis* Hanſeeſtädt *dicuntur, forte qvod mari adjaceant.*

42 *Cœperunt Anno Chriſti 1200. & habent Archiva Lubecæ & Coloniæ.*

43 *Imperatori Jus fœderum æq; pactionibus circumſcriptum eſt, ac Jus belli indicendi, propter neceſſarium conſenſum Electorum & Statuum Imperii.*

44 *Status Imperii hodie cum exteris fœdera pangendi poteſtatem ba-*

habent ſalvo Juramento Cæſari & Imperio præſtito.

45 *Exempla fœderum recentiora.*

INter Majorum Regalium ſpecies Eminens belli indicen-
di Jus recenſemus cum *Bocero de Regal. c. 2. num. 10. Bo-* 1
*din. de Republ. lib. 1. c. 10. Peregrin. de Jur. Fiſc. lib. 1. tit. 1.
num. 15. Gail. de Pac. publ. lib. 1. cap. 4. num. 6. Roſenthal. de
Feud. cap. 5. Concl. 19. Alb. Gent. de Jur. Bell. lib. c. 3. num. 6.*
prout non tantum Romanis temporibus, decreto bello in
Comitijs centuriatis, habebatur; verùm etiam qvod Le-
ges tàm veteres *l. 13. ff. ad Leg. Jul. Majeſt. l. un. Cod. Ut arm.
uſus. lib. 11.* quàm recentiores, *Ord. Cam. P. 2. tit. 5. in ver-
bis:* aus der Kayſerl. Majeſt. oder Unſerm Zugeben und Er-
laubnuß agnoſcebant, atq; ſoli Imperatori illius ſuſcipiendi
poteſtatem tribuebant. *Regn. Sixt. de Regal. lib. 1. cap. 2. n.
10.* Et hoc de Jure antiquiori dubium nullum habet, atq; 2
tempore Carolingorum, Ottonum, Henricorum nec non
tempore Caroli IV. aliter ſe non habuiſſe ex *Aureâ Bullâ
tit. 17.* cerni poteſt. Sed penes qvem moribus hodiernis
Jus belli indicendi ſit? examinatione digniſſima qvæſtio
eſt. Generaliter loqvendo dicimus, hoc Jus apud eum con- 3
ſiſtere, qui Summam Poteſtatem ſeu Majeſtatem politicè
acceptam habet. Specialiter verò in Imperio Romano 4
eſt partim penes Imperatorem ſolum, partim penes Im-
peratorem & ordines ſimul; Videmus enim hoc belli Re-
gale per Capitulationes Cæſareas cœteris quoq; Statibus
Imperij & maximè Electoribus commune fieri. Exempla 5
proſtant in Capitulationibus *Caroli V. art. 11. Ferdinandi
I. art. 10. Maximiliani II. art. 7. Rudolphi II. art. 10. Mat-
thiæ. art. 11. Ferdinandi II. art. 9. Ferdinandi III. art. 11. Im-
peratorum.* in qvibus expresſiſſimis verbis ſtatuitur, ne Im-
perator bellum ſuſcipiat ohne Rath und Bewilligung der Reichs-
ſtände/ oder zum wenigſten der ſechs Churfürſten. Fit etiam men-
tio conſenſus Ordinum in Handhabung deß Landfriedens zu
Wormbs *Anno 1495.* ibi: Auch ſollen Wir ohne Wiſſen und Wil-

len jährlicher Verſamlung keinen Krieg oder Vöhd anfahen. Similiter
6 hæc Capitulationi *Ferdinandi IV. Rom. Reg. art. II.* inſerta leguntur; ſed cum additione novâ: Ohne Vorwiſſen/ Rath und Bewilligung deß Reichs Ständen / oder zum wenigſten der ſieben Churfürſten/in Sachen/da im Verzug Gefahr ſtünde/biß man zu einer Reichsverſamblung / ſo Wir ſolchen Fall zum förderlichſten außzuſchreiben / gelangen kan. In cauſis defenſivis ſoli Imperatori Jus belli reſervatum eſt. Oder da das heilige Reich angegriſſen oder bekriegt würde / alsdann mögen Wir Uns aller Hülff gebrauchen.
7 Tandem reliqvis Statibus Imperij, hoc Jus ſuffragij Electoribus antea conceſſum, etiam tributum eſt in *Inſtrument. Pac. Monaſt. art. 8. §. Gaudeant: gaudeant ſine contradictione Jure ſuffragii in omnibus deliberationibus ſuper negotijs Imperij, præſertim ubi Leges ferendæ vel interpretandæ, bellum decernendum, tributa indicenda, delectus aut hoſpitationes militum inſtituendæ. &c.*

8 Quando igitur expeditio bellica peragenda Imperator deliberatione cum Proceribus habitâ collectam generalem indicit, Reichanlage oder Reichsſteur/ quæ inde Imperialis dicitur; quod authoritate Supremæ Jurisdictionis ab ipſo Imperatore imponatur nudo ſaltem exactionis & collectionis Miniſterio Statibus permiſſo. *Thom. Mich. de Jurisd. Concl. II. lit. B.*

9 Quod verò ad Status Imperij attinet, quin Jure belli utantur hodie dubium non eſt, quod in militiâ circulari apparet, in quibus illud exercent. *Author.* der Grundfeſt. *P. 3. cap. 6. pag. 276.* hoc adhibito temperamento ne contra Imperatorem & Imperium bella gerant, atqve in præjudicium Pacis Publicæ Legumque Imperialium committant. Daß niemand hinführo was Würden/ Stands oder Weſens er ſeye / umb keinerley Urſachen Willen / wie die Nahmen haben mögte/ den andern befehden/ bekriegen/ berauben/ fahen / überziehen / belegen 2c. quod paſſim deſiderant Receſſus Imperij *de Anno 1559. 1570. ord. Cam. P. 2. tit. II.* R. A. *de Anno 1442. 1448.*

1495.

1495.1522. item Confirmatio de Anno 1555. lata, Receſſ. deput.
de Anno 1564. addatur Legibus militaribus R.I. de Anno 1570.
Ut inde *Gail. de Pac. Publ. d. cap. 4. num. 4.* rectè concludat; 10
illum qui contra Imperatorem bellum movet, fovere inju-
ſtam cauſam.

Quidſi quis Status contra alium Statum Jus ſuum 11
armis exequi velit, an illi propriâ authoritate id liceat?
Gravis qvæſtio eſt: Cum Publicæ Leges diſceptationis Ju-
ridicæ viam præſcribant inhibitis armis. Sed manum de
tabulâ. Et alijs potius talia meditanda relinquerem, præ-
ſertim cum tot, & tanta caſuum varietas, & tot tricæ oc-
currant. *Conrad.* Einſid. tamen *de Regal. cap. 2. th. 3. num.*
39. Regulariter id negandum dicit *per l. 3. Cod. ad Leg. Jul.*
Majeſt. Ubi Majeſtatis Reus conſtituitur, qui injuſſu Prin- 12
cipis bellum geſſerit; Id enim Imperatoriam Authorita-
tem enervandi, ac bellis Civilibus Imperium implicandi
commune argumentum foret. addatur *l. un. Cod. ut armor.*
uſus nulli inqvit, Imperator *prorſus nobis inſciis atqve incon-*
ſultis quorumlibet armorum movendorum copia tribuatur. Ac-
cedit qvod Conſtitutione Pacis Publicæ von Mandaten deß
Camergerichts wider die Friedbrecher. & *ord. Cam. P. 2. tit. 9.* §. Und
obſich. contra eos, qui propriâ authoritate & ſine juſſu ac
licentiâ Imperatoris ad offenſionem alterius delectum mi- 13
litum agunt, Mandata Avocatoria S. C. decernantur ſub
pœnâ & amiſſione omnium beneficiorum & Privilegiorum
Regn. Sixt. de Regal. cap. 2. num. 21. & 22. Ubi exempla quæ- 14
dam hujus proceſſus affert. Duos tamen caſus excipit
Einſied. *num. 40.* neceſſitatem ſcilicet defenſionis ob vim
majorem intentatam, quæ Jure naturali competit & rectè
retunditur. *§. Sed naturalia Inſt. de Jur. N. G. & C.* Deinde
ſi ſummi Principis copia haberi nequeat, & periculum
immineat *Sixt. de Regal. lib. 2. cap. 1. num 19.* Adderem &
illam tertiam exceptionem *cum* Einſied. *num. 41.* ſiquidem
Imperatoris copia ſit, Princeps autem Imperij ita lædatur

 à quo-

à quodam extraneo ſuperiorem non recognoſcente, aut cujus ſuperior Juſtitiam deneget. Hoc caſu non video cur bellum movere non poſſit ceſſante præſertim ratione interdicti.

15 Cautela inſuper ſit cuilibet Principi belli negotium ſuſcepturo; ut omnia conſilio maturo experiatur, ac de belli cauſâ cum viris pijs & Politicis deliberet, nec propoſitum ſuum injuſtitiam foveat, aut ſaltem Juſtitiam ſimulatam præ ſe ferat. *Bocer. Tract. de Bell. & Duell. lib. 1. cap. 6. num. 22.* propter dubium eventum aut certè quandoq; contrarium: Quâ enim Juſtitiâ inceptum bellum fuit, eâdem plerumq; felicitate perficitur, & ut *Propert. Canit. 4. Eleg. 6.*

Frangit & extollit vires in milite cauſa;
Quæ niſi Juſta ſubeſt, excutit arma pudor.

Et Deus, uti non favet iniquitati & latrocinijs, ita iniqvo bello exitium ut plurimum largitur funeſtum & calamitoſum. *Conrad. ab Einſied, de Reg. 3. num. 35. ex Althuſ. Pol. C. 29. circ. princip.*

16 Ad hoc autem, ut Bellum licitum præſumatur, præter Authoritatem Principis ſuperiorem non recognoſcentis cauſam juſtam ſubeſſe oportet. *Dambud. prax. crim. 82. num. 12.* & omnia alia remedia deficere debent. Hinc dicunt, bellum debere eſſe meræ neceſſitatis *Petr. Gregor. 1. de Republ. c. 11. num. 11.* Juſtitia belli, cum apud *Bocer. d. tr. de Bell. & Duell. cap. 6.* abundè explicetur, hic ſtudiò omittitur, ne nimium nos vagari contingat. Addatur *Heig. P. 1. Quæſt. 12. n. 44.*

17 Prædicti Regalis armorum Juris annexum eſt & illud, quod tribuit poteſtatem delectum militum habendi & arma iis imponendi, *Knichen de Territ. Jur. cap. 3. num. 352.* ſimiliter ſeqvela, vulgo die Volge. quâ ſubditi Principem, ſi bellum moveat, aut alius contra eum moliatur, ſequi te-

18 nentur. *Knichen. d. num. 352.* Huc referunt Jus muniendi

Ci-

Civitates, erigendi fortalitia, eaqve cuſtodiendi *Regn. Sixt. lib. 1. c. 2. num. 9. Anton. Coler. de Jur. Imp. Ger. ſect. 26.* ubi adducit qualiter Genuenſes *à Friderico I. Imp.* à muniendâ urbe deſiſtere juſſi ſunt. *Guntherus ita canit:*

Nec claudere pergeret urbem
Juſſus ab incepto populus deſiſtere muro.

Affert ille ipſum reſcriptum Cæſareum de prohibitione extruendarum arcium & munimentorum Imperio & Imperii Civitatibus confinium; quæ tamen quandoque 19
citra ullius præjudicium permittuntur, præcipuè ſi ad ſui defenſionem fiant *Gail. lib. 2. obs. 69. num. 32.* Regulariter enim quilibet in ſuo territorio utiliter & bonâ fide caſtrum ſuſcitare poteſt. Niſi ex ſpeciali ratione ob metuendam Pacis Publicæ, aut Civitatis cujusdam Imperii turbationem, aut aliam gravem cauſam authoritate Imperiali inhibeatur, prout modo allegatum reſcriptum in terminis loquitur. Dahero beſorgliche Unruhe und Unſicherheit entſtehen kan.

Olim temporibus Veterum Germanorum, apud 20
quos armis potius qvàm Legibus lites terminandi mos fuit, in denunciandis bellis diffidationes fiebant, per quas illis, contra quos juſtiſſimam belli movendi cauſam habere putabant, inimicitiæ declarabantur, idqve permiſſu Imperatorum: Nam lego apud *Cruſium Annal. Svevic. lib. 1. P. 2. cap. 15.* Item apud *Abb. Urſperg. in Frid. I.* Conſtitutionem in Comitijs de Anno 1187. de diffidationibus promulgatam. Et ſimilem ſub *Philippo Anno 1201.* latam, proponit *Goldaſt. tom. 3. Conſtit. Imp. fol. 367.* quam revocavit *Frider. II.* Anno 1236. & ſecutus eſt *Carolus IV. Imp.* 21
Anno 1356. in Aur. Bull. tit. 17. Atqve tandem *Fridericus III. Receſſ. Imp. de Anno 1442. Francofurti.* De iisdem Conſtitutionem edidit, eamq; ad caſum denegatæ Juſtitiæ, ut bene notat *Conrad. Carpz. de Regal. cap. 2. tit. de Jur. Bellig.* reſtrinxit §. Daß niemand den andern beſchädige.

Dif-

22 Diffidatio Germanis die Vehde/Abſagung/Abklag/Ver-ſwarung/ und Feindsbrieff. & Diffidare ſecundum *Webner. Pract. obſer. vocab.* beſehden. Dicitur beſehden / abſagen/ abklagen und verwahren/Feindsbrieff gefährlich zu ſchreiben / brandſchatzen : Latinis bellum & extremas inimicitias denunciare. Vocabulum, *diffidatio ſive* Vehde *Daniel. Moller. in*
23 *Comment. ad Conſt. Sax. Elect. 15. P. 4. num. 3.* ab antiqvo verbo Gallico diffier vel deffier deducit, *Jacob. Blum. Proc. Camer. tit. 29. num. 10.* à verbo Italico ſfidare, id eſt provocare ausfordern / aut clarigare , qvod antiqvo vocabulo denunciationem belli ſignificat *Gail. de Pignorat. obs. 2. num.*
24 *ult.* Ut inde rectè definiatur, qvod ſit denunciatio belli & extremæ perſecutionis ad bona , vitam , corpus & ſangvinem. *Frid. Mindan. de Proceſſ. extrah. lib. 1. cap. 25. n. 1.*
25 Cum verò hujusmodi diffidationes certis tantum modis & certis ex cauſis permiſſæ Statum Publicum nihilominus turbare atque continuis conſpirationibus & diſſidijs periculoſisſimis, varijsq; bellis & rapinis Imperij tranquillitati obſtare deprehenderentur, & atrociſſimorum criminum, ut loquitur *Mind. d. l. num. 13.* peſſimiq; exempli incendiariæ eſſent tædæ, quæ flammas nocentiſſimas
26 concepto igne evomunt. Hinc per Conſtitutionem Pacis Publicæ per *Maximilianum I. Imp. in Comitiis Wormat. de Anno 1495.* ſub art. Auffhebung aller Vehden. & in declaratione deß Landfriedens zu Augſpurg *de Anno. 1500.* tit. Vom auffgerichten Landfrieden. Similiter etiam per Auguſtiſſimum Imperatorem Carolum *V. in Comitiis Wormatienſibus de anno 1521.* & Auguſtanis *de Anno 1548. Nec*
27 *non in Conſtit. Criminal. art. 128. & 129.* omninò ſublatæ ſunt , adeò ut non tantum diffidatores , etſi ad nullum actum pervenerint, capitali ſupplicio afficiantur *R. A. de anno 1555.* §. Wir ſetzen/ordnen. Sed & complices & receptatores *Conſt. de Pac. Publ. de An. 1548. Rubr.* Friedbrecher nicht zu hauſen. & *d. R. I. de Anno 1555.* §. Solches

Al-

alles abzuſtellen. imò etiam ipſi literarum diffidatoriarum
ſcriptores ijsdem pœnis ſubjiciantur, R. A. *de Anno 1594.*
§. Dergleichen und dieweil. *Gerlac. Buxdorff. in Diſſert. ad*
Aur. Bull. cap. 17. lit. i. Blum. Proceſſ. Cameral. tit. 29. num. 13.
Mind. d. lib. 1. tit. 25. num. 12. ubi in ſequentibus numeris
15. & 16. argumentatur à diffidationibus iſtis ad cauſam
fractæ pacis, & reſpectu earum non ſecus ac in alijs fractæ
pacis ſpeciebus pro Citatione auff den Landfrieden ſupplicari 28
poſſe dicit: quæ tamen ad nuda narrata non decernitur,
ſed eam documentis probari debere docet *Tennag. de De-*
cern. proceſſ. claſſ. 1. cap. 6. n. 1.

Ab hac pœnâ ordinariâ eximuntur illi, qvi minas li- 29
teris denunciant; puta Ich will mich an dir rechnen / Ich will
mit dir zu thun haben / Ich will dirs gedencken. Quia non impor-
tant diffidationem, ſed pro minis tantum habentur, *Arum.*
ad Aur. Bull. Diſc. 6. th. 17. & non ſonant in publicum, nec
toti communitati hoſtilia inde exſpectanda, ſed privatum
ſaltem concernunt *Mart. Rumel. ad Aur. Bull. d. cap. 17. theſ.*
8. Et licet offenſiones intentent; attamen ſunt leviores,
ac privato fere intentantur conditionaliter, *Paul. Matth.*
Wehn. Pract. obſ. voc. befehden. Als will ich mit dir eine Kugel
wechſeln / ſofern du dich nicht mit mir vertragen würdeſt. Ex quibus
ſequitur per has ſalutares Conſtitutiones ad tranqvillita-
tem Imperij tendentes, cœteris omnibus *à Friderico I. Phi-*
lippo, Friderico II. & III. Imperatoribus ante hac latis, imò e- 30
tiam Aureæ Bullæ quoad has diffidationes per expreſſum
derogatum eſſe, prout notanter dicit *Gail. de Pac. publ. c.*
4. Marqvard. Freher. in Not. ad Pet. de Andl. lib. 2. cap. 16.

De Cœtero qvomodo de Jure Superioritatis ſit den 31
Unterthanen Wehr und Waffen auffzulegen / ſie in Waffen zu exerci-
ren / Muſterung anzuſtellen. Similiter an Jus advocatiæ ar-
matæ & Jus conducendi referantur ad Jus armorum?
Item an collectæ ſucceſſerint quaſi in Jus armorum?
quemadmodum etiam Leges militares, luſtratio & dimiſſio,
diſtributio militum & ordinatio ſub ſignis, acceptio præ-

diæ, delicta & pœnæ militares, Judicia deniqve militaria, videantur apud *Johann. Daniel Stalburg. in d. Diſput. ſua de Jure Milit. Addat Myler. de Princip. & Stat. Imp. P. 2. cap. 74. 75. 76. 77. 78. & ſeqq.* ubi de Jure Belli & Armandiæ Statibus competente agit.

32 Cum bellum geratur ut pax quæratur, non verò pax qværatur ut bellum geratur: Aut ſecundum *Ariſtotelem 10. Ethic. 7.* ob eam cauſam bellum geritur, ut in pace vi-
33 vamus. Idcirco eo majorem inter ſe affinitatem & firmiorem horum Regalium connexionem conjicimus: ſicut enim ſecundum *Beſold. in Synopſ. Polit. Doctr. cap. 2. num.*
34 *52.* Majeſtas per bellum pronunciat inimicos; ita etiam illa ipſa per pacem amicos facit, bellum finit, damna & injurias ſubditis illatas remittit, & ſecuritatem concedit. Quæ olim non niſi à Majeſtate, quam habebat populus Romanus obtineri potuit *Clapmar. de Ar-*
35 *can. Rerump. lib. 1. cap. 20.* Poſthumius *ſponſione*, inqvit, *quæ injuſſu populi Romani facta eſt, non teneri populum Romanum, donec referantur literæ Neronis an paci annuerit.* Quæ poteſtas demum ad Imperatores devenit, præter quos citra Crimen Læſæ Majeſtatis nemo eandem ſibi arrogat, *Wilhelm. Beckers. in Synopſ. Jur. Imp. Rom. Ger. cap. 4. num. 13. ex Matth. Steph. de Juriſd. lib. 2. P. 1. C. 1. memb. 2. num. 60.* ubi refert ex ſpeciali indulto factum eſſe, qvod Imperij Ordines per Delegatos ſuos Monaſterij ad communem Imperij pacem promovendam comparuerint. *Vid. R. I. ult. Co-*
36 *mit. Ratisb.* Wir haben Uns. Quantæ etiamnum in hodiernâ belli flammâ in loco congreſſus Noviomagenſis ratione ſeſſionis & titulorum inter Reges & Principes Imperij oriantur contentiones, dum hi non tantum concluſioni Pacis intereſſe, ſed & prærogativis Legatorum gaudere volunt: videri poſſunt in Scriptis Lotharingicis, & aliis paſſim editis, quæ producit Author *ſub nomine Furſtenerii Cæſarini de Suppremat u Principum Germaniæ*, in quo Authoritati Cæſareæ nihil detrahere laborat, & Statibus Imperii ſimul favorabilis

bilis eſſe nititur. De Pace & ejus violatoribus variæ Con- 37
ſtitutiones tàm in Jure Feudali *lib. 2. tit. 27. & tit. 53.* quàm
etiam in Noviſſimis Imperii Receſſibus de *Annis 1498. 1510. 1521. 1522. 1559. 1566. 1570. Conſt. Pac. publ. de Anno 1548. Ord. Cam. Imp. P. 2. tit. 9. 10. 16. 17. 19.* Item *Conſtit. Pac. Relig. de Anno 1555.* reperiuntur. Additur hiſce famoſiſſima Pax Oſnabrugo-Monaſterienſis de *Anno 1648.* quæ infenſiſſimum illud tricenale bellum tandem finivit, & diu deſideratam quietem feliciter reſtituit. Faxit Deus, Deus exercituum, ut Sacro Romano Imperio amiſſa pax ſub auſpicio Auguſtiſſimi Imperatoris Leopoldi poſtliminiò reducatur, & arma illius in communem Chriſtiani nominis hoſtem vertantur.

Poteſtatem fœdera ineundi inter Regalia quoqve 38
rectè recenſet *Waremund. ab Ehrenberg. lib. 1. de Fœderib. c. 2. num. 28.* quæ diſtinguuntur in ea, quæ inter hoſtes fiunt, & quæ inter nec hoſtes nec amicos; & inter ſolos amicos conſiſtunt. Sunt etiam quæ vel fiunt inter ſolos ſupe- 39
riorem non recognoſcentes, vel inter ſolos ſuperiorem immediatè non recognoſcentes, vel deniq; inter eos, qui partim immediatè, partim mediatè ſuperiori ſubjecti, *Regn. Sixtin. de Regal. lib. 2. C. 1. num. 29.* ubi adhoc poſtremum 40
diviſionis membrum reducit Civitates Anſeaticas: Quia partim Imperio & aliis Regnis immediatè; partim alijs Principibus ſuperiorem recognoſcentibus ſubjecta ſunt, & dicuntur Germanis Hanſeeſtädte / fortè qvod maxima pars 41
mari adjaceat. Earum fit mentio in *R. I. de Annis 1542. 1546. 1566. 1576.* Et paulo ante tempora Friderici II. Im- 42
peratoris circa annum Chriſti 1200. coire cœpiſſe dicit *Wehn. Pract. obſerv. voc. Hanſeeſtädte.* ubi omnes recitat ad longum, & qvot annis Lubecæ, ubi Archivum unum habent, *Ruland. de Commiſſ. P. 2. lib. 5. cap. 4. num. 56.* convenire inſuper refert, alterum Archivum Coloniæ poſſidentes. Quid de fœdere Schmalcaldico ſcribat Bodinus, &

quomodoScriptores Auguſtanæ Confeſſionis contra illum hoc fœdus defendant, apud eos videri poteſt.

43 Quemadmodum Imperatori Regale Jus Belli indicendi certis pactionibus circumſcriptum vidimus; ita & Jus fœderum certis modis ipſi conceſſum reperitur, adeò ut primo conſenſus Electorum tantum adhibendus fuerat, *Capitulat. Caroli V. Ferdinandi I. art. 6. Maximiliani II. art. 4. Rudolphi II. art. 6. Matthiæ art. 6. Ferdinandi II. art. 6. Ferdinandi III. art. 7.* ubi aliquid adjectum. Ex poſtfacto autem cum vigore *Pacis Monaſterienſis art. 8.* Statuum conſenſus requireretur, in Capitulationibus Cæſareis Electoribus additi ſunt Principes & Status Imperij. *Capitulat. Ferdinandi IV. art. 7.* Auguſtiſſimi Imperatoris *Leopoldi art. 10.* Subitis tamen caſibus exceptis.

44 Ut hodie ratione fœderum nomine Imperij initorum aut ineundorum Status omnes Jure ſuffragij gaudeant, & inſuper poteſtatem habeant cum exteris fœdera pro ſuâ cujusque ſecuritate pangendi ſalvâ Imperatoris, Imperij Legumque publicarum authoritate & Juramento, quo Imperatori obligantur. *d. art. 8. §. Gaudeant.* in verbis: *Cumprimis verò Jus faciendi inter ſe & cum exteris fœdera pro ſuâ cujusq; conſervatione ac ſecuritate ſingulis Statibus perpetuo liberum eſto, ita tamen ne ejusmodi fœdera ſint contra Imperatorem & Imperium pacemq; ejus publicam, vel hanc imprimis transactionem; fiantque ſalvo per omnia Juramento, qvo qvisq; Imperatori & Imperio obſtrictus eſt.*

45 Exempla recentiora fœderum qvorundam Statuum cum Gallis & Svecis videri poſſunt in Diario Europæo, & nonnulla apud *Beſold. Diſſert. de Fœder. c. 3. vid. Webn. voc.* Schwäbiſch Bund. *Speidel. voc.* Bündnuß. An hoc Jus fœderum etiam ad nobiles extendatur, doctiſſimè exponit *Nicol. Myler. ab* Ehrenbach *de Princip. & Stat. P. 1. c. 17. §. 17.*

SECTIO

SECTIO VI.

De Poteſtate concedendi Repreſſalias.

SUMMARIA.

1 *Repreſſaliarum nomen barbarum qvodammodo eſt & deſcendit à Gallicâ voce: Reprende vel Repriſe.*

2 *Repreſſaliæ denotant poteſtatem homines alicujus loci aut res detinendi in compenſationem damni vel injuriæ.*

3 *Conceduntur à Magiſtratu ad alterius Magiſtratus ejusve ſubditi injuſtitiam reprimendam.*

4 *Speciem belli præ ſe ferunt.*

5 *Authoritate Imperiali conceſſæ ſuſtinentur & licitæ fiunt.*

6 *Sæpius eas in Aulâ Cæſareâ petitas, ſed nunqvam permiſſas fuiſſe dicit Gail.*

7 *Quia latrociniis & publicis ſcandalis viam aperiunt.*

8 *De Jure Communi neqvidem Electoribus competunt.*

9 *Fundatur in naturali ratione in Juſtitiæ nempè adminiſtratione ſi ab Imperatore concedantur.*

10 *Contra hoc modo Jus propriâ authoritate dicentes decernuntur Mandata excecutiva S.C.*

11 *An Civitas Cives ſuos eorumve bona ita obligare poſſit, ut in defectum ſolutionis ubiqve arreſtari valeant?*

REpreſſaliarum nomen Barbarum qvodammodo eſt, de- 1
ſcendens ſecundum *Ludov. à Peqver. Quæſt. Crim. 11. num. 4. à verbo Gallico: Reprende & Repriſe.* Secundum *Ruding. Singul. obs. cent. 4. obs. 32. num. 1. ab Italico vocabulo Preſa* ideſt *captura.* Secundum *Dambud. Prax. Crim. cap. 98. num. 1. à repredando,* quæ denotant poteſtatem in compen- 2
ſationem injuriæ aut damni accepti à quodam extraneo, ejusdem loci homines aut res detinendi, *Conrad.* Einſidel. *de Regal. cap. 2. num. 43.* & inter Regalia recenſentur. *Regn. Sixtin. lib. 2 de Regal. cap. 1. num. 31.* Inde fit ut ad inſtan- 3
tiam ſupplicantis à Magiſtratu ad alterius Magiſtratus e-

4 ejusve ſubditi injuſtitiam reprimendam concedantur. Sed cum ſpeciem belli præ ſe ferant, eas regulariter non valere rectè dicit *Gail. lib. de Pignorat. obs. 11. num. 1.* atque inhoneſtas & odibiles Imperator *in Auth. Ut non fiant pigno. lib. 12.* nec non pro illicitis, cum crimen unius alterius inſontis perſonam aut bona hoc modo tange-
5 ret, habentur. Intellige reſpectu privatorum: nam quin authoritate Imperiali conceſſæ ſuſtineri, & inde licitæ fieri poſſint, non dubito, præſertim ex cauſis, quæ ad bellum indicendum ſufficientes ſunt. Ægrè tamen ab Impera-
6 toribus permittuntur, *Gail. de Pign. num. 5.* ubi eas ob denegatam Juſtitiam, dum in Aulâ Cæſareâ Referendarij officio fungeretur, ſæpius petitas, ſed nunquam conceſſas fuiſſe ſe meminiſſe dicit, ex ratione: quod in concedendis Repreſſalijs pugna qvodammodo offeratur, quæ infinita ſecum trahit incommoda, Latrociniis atqve publicis
7 ſcandalis viam aperit, quibus Summus Princeps anſam præbere non debet maximè, ſi ob utilitatem privatam pe-
8 terentur, quæ publicæ quieti poſtponi debet, *Gail. d. l.* adeò, ut nequidem Electoribus Jure Communi permittantur. *Regn. Sixtin. de Regal. lib. 2. cap. 1. num. 31. & cap. 2. num. 12.*

9 Quibus ſi annuerit Imperator, id ob juſtam cauſam feciſſe credendum eſt. Adeoqve non tantum validæ erunt, ſed & licitæ in naturali ratione fundatæ; in Juſtitiæ ſcilicet adminiſtratione, quæ ſuum unicuique tribui & neminem lædi deſiderat. Imò nec iniqvæ: quia rei alicujus ablatæ aut cujusvis detrimenti compenſationem important, prout diligenter Juſtitiam harum Repreſſaliarum notat Einſiedel *d. l.. num. 47. contra Ventur. de Valent. Parth. Litig. 2. c. 2. num. 30. & ſeqq.* eas impugnantem.

10 Quodſi verò citra hanc conceſſionem propriâ authoritate per repreſſalias in Imperio ſibi quis Jus dicere nitatur; contra eum Mandata executiva ſine clauſulâ ex quatuor

tuor cauſis, de quibus *Ord. Cam. P. 2. tit. 23.*, obtineri poſſunt, eodem modo quo contra arreſta. *Wilhelm. Beckers. in Synops. Jur. publ. cap. 4. num. 14.* Quia Conſtitutio Imperij de *Anno 1570. §.* Wan auch die arreſta. Ubi de mandatis decernendis agit, repreſſaliarum mentionem facit. An 11
Civitas Cives ſuos eorumve bona ita obligare poſſit, ut in defectum ſolutionis ubiq; prehendi & arreſtari poſſint. Vid. *Pet. Frid. Mindan. de Proceſſ. extrah. lib. 1. tit. 48. num. 9.* Singulares de Repreſſalijs Tractatus conſcripſere *Bartolus, Martinus Laudenſis. & Jacob. de Canibus*, qui in hiſce adhiberi poſſint.

SECTIO VII.

De Regali Jure creandi Reges, Electores, Archiduces, Duces, Principes, Marchiones, Landgravios, Burggravios, Comites, & Barones.

SUMMARIA.

1. *Imperatoria Majeſtas Dignitates in cœteras tanqvam ſol ſuos radios ſpargit.*
2. *Et eſt fons, in qvo omnes Dignitatum theſauri reconditi ſunt.*
3. *Per conceſſionem Dignitatum Imperatori nil decedit.*
4. *Princeps Regiis titulis, multis retrò ſæculis ab Impp. honorati ſunt.*
5. *Exemplum eſt in inauguratione Regis Bohemiæ.*
6. *Fridericus I. Imp. Uladislaum Bohemiæ Ducem titulo Regis inſignivit.*
7. *Reges Bohemiæ ſub Ottone III. Electores & Pincernæ Imperij declarati ſunt.*
8. *Ottocari Regis debitum obſeqvium Rudolpho I. Imp. præſtitum.*
9. *Bohemiæ Regnum Imperii Feudum eſt.*
10. *Servire Romano Imperio eſt libertate potiri.*
11. *Electores in Aureâ Bulla Palmites Imperiales, ſeptem candelabra, Columnæ Imperii & Membra Capiti proximiora vocantur.*
12. *Item Nobiliora Imperii fulcra &*

Pro-

Proceres ſacrum ædificium circumſpectæ prudentiæ pietate ſuſtentantes.

13 Communis opinio eſt, Electores cœpiſſe ſub Ottone III. Imperatore. Citantur Authores hujus aſſerti.

14 Henricus II. primus fuit, qui juxta hanc inſtitutionem ab Electoribus creatus eſt.

15 Alii ad Caroli Magni tempora, alij ad Ottonem IV. Brunſwigum, alij denique ad conſvetudinem referunt.

16 Fundamenta eorum, qui conſvetudini hanc inſtitutionem tribuunt.

17 Alij ad Gregorium X. alij ad Gregorium V. Pontifices.

18 Ab Electione Imperiali Electores dicuntur.

19 Qvos titulos Electores Regibus conferant?

20 Honos à Maximiliano I. Imp. Ludovico Comiti Palatino præſtitus, dum ei ad Comitia Auguſtana obviam ivit.

21 Idem fecit Carolus V. in primis Comitiis Wormatienſibus.

22 Electores à numero ſeptenario ſeptem viri dicuntur.

23 Tres ſunt Eccleſiaſtici, qui perſonam Principis & ArchiEpiſcopi ſimul ſuſtinent, & quatuor ſeculares.

24 Hi gaudent ſucceſſione & Jure Primogenituræ vigore Aureæ Bullæ.

25 Eccleſiaſtici ideò aſſumpti, ut Imperatori ſuis conſiliis aſſiſterent.

26 Officia Electorum Carminibus comprehenſa.

27 Inter eos primum locum obtinet Præſul Moguntinus & digniorem: exceptâ Colonienſi Provinciâ, & Italicâ.

28 Dicitur Collegii Electoralis Decanus.

29 Collegium Electorale convocandi habet poteſtatem & perquirendi vota.

30 Electioni Leopoldinæ interfuit Eminentiſſimus Elector Joannes Philippus ex Familiâ L. B. à Schönborn. cujus laus deſcribitur.

31 Huic ſucceſſit Lotharius Fridericus Epiſcopus Spirenſis ex Familiâ L. B. de Metternich. Ejus Encomium.

32 In ejus locum ſuffectus eſt Damianus Hartardus L. Baro de Leyen. qui fratrem Collectorem Trevirenſem eodem tempore habuit.

33 Poſt mortem Electoris Damiani Hartardi unanimibus votis Electoralem mitram adeptus eſt Carolus Henricus ex antiqviſſima Familiâ L. B. de Metternich Winneburg & Beilſtein. Princeps eà digniſſimus. Laudes illius.

34 Prærogativas & Jura Electoris Moguntini tradit Limnæus.

35 Secundum locum obtinet Elector Trevirenſis.

36 Primum votum olim competiit Moguntio.

37 Aurea Bulla Tevirenſi primum ſuf-

ſuffragium in Electione Cæſareâ defert.

38 *Modernus Eminentiſſimus Elector eſt Joannes Hugo lib. B. ab Orsbeck Epiſc. Spirenſis & Cameræ Imperialis Judex.*

39 *Tertius in ordine eundi, & ſecundus in votando eſt ArchiEpiſcopus Colonienſis.*

40 *Eidem competit Dignitas Diadema Regium Aureum Regi Romanorum imponendi.*

41 *Error plurium de uſu ferreæ Coronæ.*

42 *Contradictio facta à Moguntino ſibi aſſerente hanc prærogativam.*

43 *Proſtant hoc noſtro ſeculo exempla, qvibus demonſtratur non ſolum Electorem Colonienſem Imperatori Diadema impoſuiſſe, ſed & Moguntinum atq; Trevirenſem cum eo, & aliqvando Moguntinum ſolum cum Colonienſi concurriſſe.*

44 *Controverſiã inter Moguntinũ & Coloniẽſem ratione coronationis Ferdinandi IV. Rom. Regis proponit Limnæus quæ An. 1657. pactione terminata eſt.*

45 *Præter nomen de ArchiCancellariatu Italiæ nil ſupereſt.*

46 *Electoribus Eccleſiaſticis adjuncti ſeculares: Unus ex Regibus, unus ex Ducibus, unus ex Marchionibus, & unus ex Comitibus.*

47 *Primus eſt Bohemiæ Rex Imperii Archipincerna. qvam Dignitatem ipſi cum Electoratu confirmavit Rudolphus I. Imp. Habet ſubofficiarium de Limpurg.*

48 *Qvi tertio in Electione ſuffragio potitur.*

49 *Rectè infertur eum verè Electorẽ eſſe, & ordine à Moguntino interrogandum & non in caſu diſcordium votorum tantum.*

50 *Rex Bohemiæ qvanqvam ad Comitia univerſalia non vocetur, ad peculiares tamen Electorum Conventus rectè citatur.*

51 *Juramentum Udalrici Regis Friderico III. præſtitum qvod arguit eum ſubditum Imperii.*

51 *Qvarto ſuffragio in Electione gaudet Comes Palatinus Rheni Archidapifer Imperii. Vicem gerunt Walpurgij.*

52 *Vacarius Imperii qvoq; eſt in partibus Rheni & Sveviæ nec non in Franconiâ.*

54 *Judex inſuper controverſiarum Imperatorem vel Regem Romanorum concernentium, non in Palatinatu, ſed in Curiâ Imperatoris.*

55 *Qvintum ſuffragium habet Elector Saxoniæ Imperii Archimarſchallus & Vicarius.*

56 *Sextum Elector Brandenburgicus Imperii ArchiCamerarius.*

57 *Ratio inſtitui Octavi Electoratus qui Sereniſſimo Carolo Ludovico Comiti Palatino Pace Monaſterienſi obvenit.*

58 *Targitur difficultas hujus inſtitutionis ab exemplis recentioribus & antiquioribus adducta.*

59 Succeſſit Bavarus in locum Palatini. Sereniſſ. Carolus Ludovicus verò qvinto voto gaudet inter Electores ſeculares.

60 Controverſia ingens inter Electorem Bavariæ & Sereniſſimum Carolum Ludovicum de Vicariatu Imperij. Scriptores allegãtur.

61 Subofficiarius eſt Comes à Sinzendorff.

62 Encomium Sereniſſimi Caroli Ludovici.

63 Authores qvi de Electoribus eorumq; Juribus & prærogativis ſcripſerunt.

64 Inter Regalia Majora Imperatori competentia recenſetur Jus creandi ArchiDuces, qvi Ducibus præferuntur.

65 Nulli titulo ArchiDucum præter Principes Auſtriæ gaudent.

66 Henricus VII. ultimus Auſtriæ Marchio à Friderico I. Imp. Dux creatus.

67 ArchiDuces verò ſub Rudolpho I. Imp: in Perſonâ Alberti filij.

68 Hactenus nulli Principes Germaniæ titulũ Archiducalẽ obtinuerunt.

69 Refutatur Mozzius putans Primogenitos Ducum Archiduces dici.

70 Diſtinctio inter Archiducalem titulum oratorium & ſolennem.

71 Duplex linea Archiducum Auſtriæ, una à Ferdinando I., altera à Carolo V. Impp.

72 Archiducalia Privilegia & prærogativæ maximam præeminentiam demonſtrant.

73 Vectigalia Nova propriâ authoritate conſtituunt.

74 Scriptores Genealogiæ & Hiſtoriæ ArchiDucum Auſtriæ.

75 Votum directum ad hanc Sereniſſimam Familiam.

76 Dantur etiam Magni Duces Großhertzogen.

77 Coſmus Medices Magni Ducis titulum à Pio V. Pontifice adeptus, contradicente Maximiliano Imperatore.

78 Hunc qvoq; gerunt hodie Magnus Dux Moſcoviæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Magnus Dux Finlandiæ & Magnus Cham.

79 Ducum nomen die Hertzogen / ab Exercitu Romano deſcendit.

80 Poteſtas Ducum temporibus Caroli Magni Imp. valdè crevit.

81 Hodiè Dux eſt, qui de Ducatu à Summo Principe inveſtitus eſt.

82 Angliæ, Hiſpaniæ, Venetorum & Genuenſium Duces Ducibus Imperij haud comparandi.

83 Rarior ante hac hæc Dignitas extitit, & tantum ſeptem in Germaniâ fuiſſe Duces ſcribit Miræus.

84 Ducales Familiæ S. R. Imperij recenſentur.

85 Inter Duces qvà Duces & Status Imperij nulla datur differentia, ſed tantum ordo in ſeſſionibus.

86 Creare Principes eſt qvoq; de Reſervatis Summi Principis.

87 Princeps hic ſumitur, quatenus contra diſtingvitur Electori, Duci, Marchioni, Landgravio.

88 Principes Anhaltini. neo ſunt Comi-

mites Palatini, nec Duces, nec Marchiones.
89 Marchiones Brandeburgenſes, Duces Megapolitani & Pomeraniæ inter Ducales titulos, Principales quoq; ferunt.
90 Diſtinctio der Reichsfürſten und ſchlechten Fürſten. & qvi tales dicantur?
91 Refutatur Paurmeiſterus, qvi refert Principes Sileſiæ ad ſchlechte Fürſten.
92 Error manifeſtus Beſoldi putantis ſchlechte Fürſten dici Lands-Fürſten.
93 Subjectio der Landſaſſen.
94 Marchiones unde dicti? & eorum origo.
95 Marchiones hodie qvi de Marchiâ à Summo Principe inveſtiti ſunt.
96 Marchiones S. R. Imp. enumerantur.
97 Landgravij, dicti qvaſi Comites Provinciarum, Principum titulo inſigniuntur.
98 Eorum officium ex temporaneo perpetuum, & ex hoc Principale effectum.
99 Hodierni Landgraviatus quinam ſint?
100 Comites nonnulli Landgraviorum titulum uſurpant.
101 Landgravij hodie ſunt, qui de Principatu aliqvo Imperij, qvi Landgraviatus dicitur, inveſtiti ſunt.
102 Burggravij quales olim fuerint? qvinam tales & quot hodie ſint?
103 Comitum dignitas antiqviſſima: dicti à comitando.
104 Hæc dignitas officij nomine ex poſt facto competere cœpit.
105 Juriſdictio, territorium & diſtrictus, cui præficiebantur, comitatus dictus, in qvo in Civilibus & Criminalibus Jus dicebant.
106 Hodie Comites, propriè dicuntur qui de comitatu ab Imperatore inveſtiti ſunt, ac inter Status Imperii cooptati.
107 An reqviratur ut comitatus Jure Feudi ad qvem perveniat, an verò ſufficiat ut tanqvam allodium poſſideatur?
108 Vocabulum Graffen/ unde dicatur.
109 Hi Comites ad Comitia vocantur.
110 Gefürſtete oder Fürſtmäſſige Graffen qvi ſint?
111 Quales hodie ita nominentur?
112 Die Gefürſtete Graffen/ qvando in Receſſ. Imp. non exprimuntur, voce Fürſten comprehenduntur.
113 Sunt Comites, qui Imperio immediatè qvidem ſubſunt, Comitatum tamen ab alio Principe in feudum tenent.
114 An hi ſint Status Imperii?
115 Sunt & Comites, qvi Principibus ſubſunt, & dicuntur Lands-fürſtl. Graffen.
116 Alij ſimplici titulo Comitis gaudent, nihilque terræ poſſident.
117 Differentia inter hæc duo eſſe

 Co-

Comitem & habere Comitatum.
118 *Scriptores de Origine Baronum.*
119 *Barones ante annos 800 in Cataloniâ fuêre.*
120 *Hi ſunt propriè, qui de Baroniâ & Regali dignitate inveſtiti ſunt.*
121 *Qvomodo Vernaculâ noſtrâ & in Receſſibus Imperij paſſim nominentur?*
122 *Status Imperii ſunt habentes Seſſionem & Votum in Comitiis.*
123 *An Comites & Barones in genere Dignitatis differant?*
124 *Hoc Illuſtri titulo etiam utuntur Principes.*
125 *Barones nonnulli Comites præcedunt.*

1 DIgnitas Romanorum Imperatorum jam ab antiqviſſimis temporibus apud omnes ſpectabilis fuit, & tanta, ut etiam in cœteros, tanqvam ſol ſuos radios longè lateqve
2 ſpargere & emittere ſemper viſa ſit; Et hinc meritò Regalis Dignitatis fons reputetur, in qvo omnes Dignitatum theſauri reconditi ſunt, omnesque honores & prærogativæ ſecundum *Card. Tuſch. Pract. Concluſ. 36. num. 6. & 7.*
3 ſcabellum pedum ipſius eſſe cenſeantur; Non qvod indè Imperatoriæ Majeſtati qvicquam decedat, ſed dignius ſit & excellentius Proceres Imperii, tanqvam tanti corporis artus, ſui ſplendoris participes facere, qvod ſat abundè expreſſit Invictiſſimus Imperator *Fridericus I.* in inveſtiturâ *Wenceslai Primi Bohemiæ Regis de anno 1231.* in verbis: *Tunc Imperiale faſtigium ſuâ rutilat dignitate, ac potentiæ ſuæ ſceptra clarificat, cum ad Reges & Principes ſuo ſubjectos Imperio ſuæ claritatis radios effundit & ipſis paterna Regna munificâ largitione confirmat.*

4 Jam verò Regiam Dignitatem ab Auguſtiſſimis Imperatoribus multis retrò ſæculis Principibus collatam fuiſſe, *cum M. Frehero in Not. ad Pet. de Andlo lib. 2. cap. 28.*
5 *de Imp. Rom.* ad longum hic deducere opus non eſt: Cum in dubium non vocetur id factitatum, qvod vel uno inaugurationis Regiæ Bohemiæ Ducis exemplo demonſtrari poteſt, *Spangeb. in Chron. Mansfeb. c. 205. Cruſ. Annal. Svevic.*

vic. P. 2. lib. 8. c. 7. Philipp. Cranz. lib. 7. Saxon. cap. 15. Ra-
devic. lib. 1. de Geſt. Frid. I. quanqvam in tempore quo-
dammodo diſſentire videantur: Quod Uladiſlaus Hen-
ricum IV. pro Coronâ Romam comitatus fuerit, tradit
Joach. Cluten. in Syllog. Rer. qvotid. Concl. 24. lit. O. Ula-
dislaum ex fratre nepotem, dum non Regis ſed Ducis titu-
lo longo tempore uſi fuerint, denuò Regiâ Dignitate inſig-
nivit *Fridericus I. Imperator. Æneas Sylvius c. 24. de Bohem.* 6
poſtquam diu ante ſub Ottone III. Imperatore Duces Bohe-
miæ Electores Imperii & Pincernæ deſignati fuerint. Ut 7
indè etiam dubitare non liceat eos Imperio ſubjectos eſſe,
quod debitum obſeqvium ab Ottocaro Rege *Rudolpho I.* 8
Imperatori præſtitum, inveſtituraq; ſub vexillo illi facta a-
bundè arguit, *Æneas Sylv. cap. 27. in Bohem.* Illumqve
ipſum tribus vicibus à Rudolpho citatum, & emanentem
contumacem declaratum fuiſſe teſtatur *Cuſpin. in Rudolph.* 9
I. Porrò Bohemiæ Regnum feudum Imperii eſſe ex *Aur.*
Bull. Caroli IV. tit. 24. §. Dann ſwaim andere Fürſtenthumb con-
ſtat, & conſeqventer Regem tanquam Vaſallum & Parem
Curiæ Imperialis, Juramento fidelitatis obſtrictum eſſe
rectè cum *Theod. Reinking. de Regim. Sæcul. & Eccleſ. lib. I.*
Claſſ. 4. cap. 3. num. 46. concluditur. Ubi *num. 47.* benè 10
infert, non ideò deprimi Regis Bohemiæ Dignitatem, qvod
Imperatori & Imperio Romano fidem & obſequium præ-
ſtet: *quia ſervire Romano Imperio eſt libertate potiri.*

Prærogativa & dignitas Electorum in Aureâ Bullâ
pluribus in locis ſat ſuperqve & ita commendatur; ut *Caro-* 11
lus IV. Imp. in proëmio eos palmites Imperiales, ſeptem
candelabra, Columnas Imperij & Membra Capiti proximi-
ora vocet, *tit. 2. §.* Und dieweil von alter *ibi:* allen und ieden/
Geiſtlichen und Weltlichen Churfürſten/ ſo die allernechſten Glieder
deß Reichs. Item Nobilia Imperij fulcra & Proceres Sacrum 12
ædificium circumſpectæ prudentiæ pietate ſuſtentantes,
tit. 3. in pr. eosque plurimorum neceſſitatibus ſublevan-

dis Cæſareæ ſublimitati ſic aſſiſtere, ut in partem ſollicitudinis conſtituti reperiantur, die in vielen und mancherley Beſchwerungen zu überheben Kayſerl. Würdigkeit beyſtehen / und als ein Theil der Sorgfältigkeit geſetzt ſeynd. *tit. ult.* de eorum Conſti-
13 tutione variant eruditi: Communis tamen opinio eſt, *Ottonem III. Imp.* prima hujus Collegij fundamenta jeciſſe, ex rationibus, quas ad longum refert *Joach. Cluten. in Syllog. Rer. quotid. Concl. 24. lit. B.* Eam opinionem ſeqvuntur, *Albert. Cranz. lib. 4. Saxon. cap. 25. lib. 9. Mut. in Germ. Chron. lib. 14. Munſter. lib. 3. Coſmogr. c. 19. in Ottone. Nicol. Serar. Rer. Mogunt. lib. 1. c. 26. Bellarm. lib. 3. de Transl. Imp. cap. 1. & 2. Thuan. lib. 2. in pr. Hiſt. ſui temp.* & plures alij. Nullum tamen de hac origine omninò certâ accuratius, quàm *Heigium in Illuſt. Quæſt. Q. 3. & ſeq.* ſcripſiſſe teſtatur *Ruland. de Commiſſ. & Commiſſar. P. 2. lib. 5. c. 4. num. 18.* qui ejusdem eſt ſententiæ, Electores nempè ſub *Ottone III. Imp.* cœpiſſe, & *Henricum II.* primum fuiſſe, qui juxta hanc inſtitutionem ab Electoribus Cæſar creatus eſ-
14 ſet, *Dreſſer. in Millen. 6.* cui libenter aſſentior non obſtante ſententiâ *Jordani & Spangenberg* qui ad Caroli Magni
15 tempora initium Electorum referunt, aut etiam quicquam importante conjecturâ *Theod. de Niem.* qui eam Conſtititutionem à tempore *Conradi II.* & aliorum, qvi vel à *Friderico I.* vel poſt tempora *Friderici II.* imò à *Carolo IV.* petunt.

Sunt etiam nonnulli qui inſtitutionem Collegij Electoralis referunt ad *Ottonem IV. Brunſwigum Imp.* Sicut *Reinh. König. in Polit. P. 1. cap. 30. num. 30.* Quidam conſvetudini hoc Jus tribuunt, *ex C. Venerabilem. de Elect. & Elect. poteſt. in verbis: Innocentii III. undè illis Principibus Jus & poteſtatem eligendi Regem in Imperatorem poſtmodum promovendum recognoſcimus, ad qvos de Jure & antiquâ conſvetudine cognoſcitur pertinere.* Vixit autem Innocentius III. *Anno Chriſti 1189.*
16 & Otto III. *Anno Chriſti 984.* Idem probare volunt ex Caro-

roli IV. *Aur. Bull. tit.* 2. §. Und dieweil von alter Gewonheit. & *tit.* 4. *in f.* ibi: Als von alter Gewonheit herkommen iſt. & *tit.* 5. §. Und wiewohl ein Kayſer oder Römiſcher König von Sachen wegen darüber angemuht wird/von alter Gewonheit von einem Pfaltz-Graffen bey Rhein &c. antworten ſolle. Item *tit.* 9. Aus löblicher bewehrter langer und täglicher Gewonheit oder præſcription, cui adſtipulatur *Bened. Carpz. in Tr. de Leg. Reg. Germ. cap.* 10. *ſect.* 1. *num.* 19. & 21. *Onuphrius* in Interregno Septemviratum inſtitutum fuiſſe à *Pontifice Gregorio Decimo* in Concilio Lugdunenſi receptum & confirmatum putat. *Theod. Browerus in Annal. Trevir. lib.* 10. *P.* 606. & 670. & *lib.* 16. *P.* 903. ad Sanctionem Gregorij Quinti refert. Sed qvàm parum priorem ſententiam de *Ottone III.* hæ diverſæ opiniones invertant, ex *Heig. d. l.* patet, ad quem brevitatis cauſa benevolus Lector remittitur. 17

18 Cum igitur ſummam eligendi prærogativam his Principibus conceſſam videamus; exindè Electores dici cœperunt, atque Regibus comparati ſunt. *Arum. in Aur. Bull. Diſc.* 3. *Concl.* 11. Cujus Regiæ Dignitatis argumentum ex eo deſumitur, quod exteris Regibus & quidem olim Ew. Lbd. und nicht Ew. Gnad. In ſeqventibus verò temporibus Regiæ Dignitatis titulum Ew. Königl. Würde. dederint. Imò etiam ipſi Imperatores ad ſe venientibus Electoribus obviam procedere ſoliti fuerint. Cujus rei oculatum ſe teſtem dicit *Thom. Hubert. Leod. in vit. Friderici II. Palat. lib.* 4. *cir. fin.* ubi. *Maximilianum* I. dum Comitiorum cauſâ Auguſtam veniſſet Ludovico Electori Palatino, cùm non multum à Civitate abeſſet obviam proceſſiſſe refert, Magnâ Electorum aliorumqve Principum, Comitum & Nobilium ſtipatum catervâ. Et hunc morem duraſſe usqve ad *Caroli V. Imp.* tempora; eumq; huic conſvetudini Wormatiæ primis ſuæ Majeſtatis Comitijs ſatisfeciſſe conſtat. De Prærogativâ Electorum præ alijs Regibus & Principi- 19 20 21

bus videatur *Bened. Carpz. ad Leg. Reg. Ger. cap. X. ſect. 7. num. 9. 10. 11. 12.*

22 Horum Principum Electorum numerus in Aureâ Bullâ Septenarius conſtituitur, & inde ſeptemviri paſſim nominantur; quo magnas res abſolvi *ex Gen. 2. v. 1. 2. 3. Joſ. 5. v. 18. 1. Reg. 7. vers. ult.* plures credunt. Inter eos
23 tres ſunt Eccleſiaſtici & quatuorSeculares; atqve hoc habent ſingulare; quod illi eligantur, inſuperqve ArchiEpiſcopi & Principis perſonam ſuſtineant, nec abſonum videatur ut quandoque Regnum cum Sacerdotio conjunctum ſit, *Heig. Quæſt. 4. num. 57.* & conſeqventer Regalia ipſis ut Epiſcopis competere poſſint. Exemplum allegat *Pruckm. de Regal. cap. 4. num. 32. ex Carolo Sigon. lib. 11. de Regno Ital.* Arnoldum quendam Brixianum anno Domini 1239., quod Epiſcopis Regalia congruere abnegaret, hæreſis propterea in Lateranenſi Concilio præſentibus mille
24 Antiſtibus fuiſſe condemnatum. Seculares vero, ſeu, ut alii dicunt, Politici Electores ſucceſſione, & Jure Primogenituræ, ſicut antiquiſſimo ita & æquiſſimo gaudent. Quod confirmatur apertè in Aur. Bullâ. Wir gebieten vom Kayſerl. Gewalt mit dieſen gegenwärtigen Rechten/ das ewiglich zu halten/ erkennen und wollen/ wann die weltliche Churfürſten/ und Ihr ieglicher nicht mehr iſt/ ſo ſoll dann deſſelben rechte Stimm und derſelben Wahl fallen auf ſeinen Erſtgebohrnen Sohn. *tit. 7.* Und Ihme ſollen alle Herrſchafften und Recht folgen. *tit. 24. §.* Dann wann Churfürſtenthumb.

25 Tres Eccleſiaſtici fortè ideò aſſumpti, ut Imperatori ſuis Conſilijs ſcilicet Moguntinus per Germaniam, Trevirenſis per Galliam & Regnum Arelatenſe, Colonienſis per Italiam aſſiſterent, undè ArchiCancellarij dicuntur. Vid. *Limn. I. P. lib. 3. c. 3. Mallinkrot. de ArchiCancell. Browerus Annal. Trevir. lib. 6. P. 944.* Seculares qvoqve ſuis ſimul officiis Aulicis eidem inſervirent, *Limn. lib. 3. cap. 7.* ut patet ex ſeqventibus verſiculis:

Mo-

Moguntinus, Trevirenſis, Colonienſis, 26
Quilibet Imperij ſit Cancellarius horum.
Atq; Palatinus Dapifer, Dux portitor enſis,
Marchio Præpoſitus Cameræ, Pincerna Bohemus,
Hi ſtatuunt Dominum cunctis per ſecula ſummum.

Inter Eccleſiaſticos Electores præcipuum locum ob- 27
tinet Moguntinus, atqve in ſuâ Diœceſi totâqve Germa-
niâ digniorem; exceptâ Colonienſi Provinciâ, in qvâ, uti
& in Italiâ, Elector Colonienſis hunc ſibi vendicat. Col- 28
legij Electoralis Decanus qvoqve dicitur Moguntinus, *M.*
Freherus in Not. ad Petr. de Andlo lib. 2. cap. 2. pr. Æneas
Sylv. in Ger. cap. 30. And. Knichen de Sax. Jur. non provoc.
C. 1. num. 57. quemadmodum enim Decanus ut caput, Ca-
pitulum convocat; ita & ille Collegium Electorale convo- 29
candi poteſtatem habet, *Aur. Bull. tit. 1. §.* Wann es darzu
kommen. & perqvirendi vota ex aliis. *tit. 4.* Exemplum
recens habemus in Electione Auguſtiſſimi Imperatoris
noſtri Leopoldi, cui interfuit Eminentiſſimus Elector *Do-* 30
minus Joannes Philippus ex Antiqviſſimâ Familiâ Baronum de
Schönborn Princeps Summâ ſuâ prudentiâ & mirâ nego-
tiorum publicorum experientiâ Clarus, cujus Clementiam
innatam ego minimus cum totâ Familiâ in multis exper-
tus. Cui in Regimine Electorali ſucceſſit *Lotharius Fride-* 31
ricus L. B. à Metternich Epiſcopus Spirenſis. Princeps E-
lectorali mitrâ Digniſſimus, atqve ob planè ſingularem in-
tellectus perſpicacitatem, profundam Rerum Imperii
cognitionem & Humanitatem toti Romano Imperio no-
tus, qvem Familiæ meæ Summum Promotorem, dum
ſpiritus artus trahet, agnoſco, qui inſuper Conſiliarij ſui
Aulici officium in me ut ut immeritum Clementiſſimè con-
tulit; ſed & ipſum in Summâ Rerum Publicarum pertur-
batione (in quâ pro tuendis Ditionibus ſeſe conſtantiſſi-
mum ſemper præbuit) invida mors maturius abſtulit, ſuf-
fecto in ejus locum Domino *Damiano Hartardo L. B. de*

Leyen Præpoſito Trevirenſi, qui eodem tempore fratrem
32 Coelectoralem Trevirenſem Dominum *Carolum Caſparum* ſa-
pienti & diuturno Regimine atqve binâ Electione Cæſareâ
Clarum habuit: Ambo itidem fatis conceſſerunt, ille non
ita pridem. Hanc jacturam reſtituit nova, unanimis &
33 planè Divina Electio Eminentiſſimi Domini *Caroli Henrici*
eâ antiqviſſimâ Familiâ *Lib. Baronum*, & nunc ob præclara
merita ab Auguſtiſſimo Leopoldo recens creatorum Comi-
tum *à Metternich Winneburg & Beilſtein, Metropolitanarum*
Moguntinæ & Trevirenſis reſpectivè Summi Cuſtodis & Archi-
Diaconi. Hic Princeps Deo & Cæſari gratus, Rerum Im-
perii jam dudum gnarus, omnigenæ ſcientiæ Cuſtos, Juſti-
tiæ amantiſſimus, pietatis ſtudioſus ab omnibus verè au-
dit, & præſentia ejus cuiqve Venerabilis eſt. Deus Ter
Opt. Max. exorandus, ut quemadmodum Meritiſſimum
Sedi ArchiEpiſcopali, diſponente ita ſuâ Divinâ Voluntate
apertè præeſſe voluit, ita etiam eundem Imperatori, toti
Imperio, & terris ditionis ſuæ in ſeros annos ſoſpitet con-
ſervet, mihiq; minimo & ſubjectiſſimo ſuo ſubdito, uti an-
tehac, ita & impoſterum Dominum & Electorem Clemen-
tiſſimum concedat.

34 De Prærogativis & Juribus Electoris Moguntini plura
cumulat *Joann. Henric. Boeclerus, Patronus, Præceptor & Ho-*
ſpes olim meus, perpetuâ recordatione venerandus, in Notit.
Imp. lib. 6. cap. 5. item Limn. lib. 3. cap. 4. Rerum Mogun-
tiacarum Scriptor præcipuus, & *Nicolaus Serarius.* Ca-
talogum Electorum exhibet *Limnæus tom. 4. ad lib. 3.*
cap. 4.

35 Alterum poſt Moguntinum locum Electori Treviren-
ſi S. R. I. per Galliam & Regnum Arelatenſe Archicancella-
rio tribuit *Aur. Bull. tit. 4.* §. Zum erſten ſoller fragen. *Caſald.*
de Imp. Quæſt. 8. num. 21. vers. 24. Buxtorff. in Diſſert. ad
Aur. Bull. cap. 4. tit. 45. ubi *litera A.* ordinem ferendorum
36 ſuffragiorum hic immutatum exiſtimat; cum olim pri-
mum

mum votum Moguntino competierit. *ex text. in Specul. Sa-
xon. lib. 3. art. 57.* Der Biſchoff von Maynz hat die erſte Stim̃
an der Wahl. Idem dicit *Gunther. lib. 6. de Reb. Geſt. Frid. I.*

--- --- Ad Proceres Electio pertinet, in quâ
Præcipuam Vocem Præſul de Jure vetuſto
Moguntinus habet

De hoc primo ſuffragio diſputat qvoq; *Martin. Rumel.
in Diſſert. ad Aur. Bull. Diſſert. 4. th. 7. per tot.* Sed cum *Aurea* 37
Bulla apertè definiat Primum ſuffragium Electori Trevi-
renſi tribuendum, *d.* §. Zum Erſten ſoll er fragen. Ideò meri-
tò deciſioni ejus ſtatur. *Limn. de Jur. Pub. d. l. & ad Aur.
Bull. cap. I. §. II. obs. 2. & ad c. 4. §. 3. obſer. 2.* & Colonienſi
præfertur, qvanquam in contrarium dubium moveat *Her-
mes in Faſcic. Jur. Pub. cap. 16. §. I.* ſed levi ratione. Sedi
Trevirenſi præſidet hodie Eminentisſimus Elector Domi-
nus *Joannes Hugo L. B. ab. Orsbeck, Epiſcopus Spirenſis, & Ju-* 38
dicii Imperialis Cameræ Spirenſis Judex : Princeps ſummâ
ſuâ doctrinâ negotiorum publicorum experientiâ & inna-
tâ ſuâ humanitate ubiqve celebris. Quem Deus pro in-
cremento Imperii Romani diutisſimè & Glorioſisſime reg-
nare ſinat, ut, ſicut Celſitudinis ſuæ Electoralis Clementi-
am ego immeritus expertus, ita & impoſterum Gratiâ Ele-
ctorali inſuper frui merear.

In originem Archicancellariatus per Galliam inqui-
rit *Mallinkrot. de Archican. P. I. memb. 3. P. 43. Brower. An-
nal. Trevir. lib. 16. P. 945. & 946. vid. Limn. lib. 3. c. 5. &
Tom. 4. ad lib. 3. c. 5.*

Tertius in ordine eſt ArchiEpiſcopus Colonienſis, 39
cui ſecundum in Electione Imperatoriâ votum tribuitur,
*Limn. ad Aur. Bull. c. 3. §. 2. obs. 7. & 8. item c. 4. §. 3. obs. 2.
& 3.* atque Dignitas Officiumque, primum Diadema Regi-
um Regi Romano imponendi competit, *tit. 4. §.* Zum an-
dern. & quidem aureum Caroli Magni, non ut qvidam 40
falſò putant ferreum, *Buxdorff. in Diſſert. ad Aur. Bull. Concl.*

46. lit. f. ubi conqveritur, paſſim, & qvod magis puden-
dum, in Juris Profeſſorum Commentariis hunc errorem
41 ferreæ Coronæ reperiri. Contradictiones factæ à Mo-
guntino, qui antiquitus prærogativam habuit primam
42 imponendi Coronam. Vid. *Buxtorff. d. Concl. 47. lit. C.*
D. & E. ubi Exempla Coronationis à Colonienſi pera-
ctæ affert.

43 In alios qvoque Electores Eccleſiaſticos Jus Coronan-
di Regem Romanorum uſu & obſervantiâ derivatum fuiſſe
vidimus hoc noſtro ſeculo: ArchiEpiſcopus enim Mogun-
tinus in Coronatione *Rudolphi II. Matthiæ & Ferdinandi III.*
non tantum Conſecratoris officium ſuſtinuit, ſed etiam
Rudolpho II. tres Electores Eccleſiaſtici, & *Ferdinando III.*
Moguntinus & Colonienſis ArchiEpiſcopi ſimul Coronam
impoſuêre. *Bened. Carpz. de Leg. Reg. Germ. cap. 3. ſect. 3. n.*
44 *14. & 15.* Quæ fuerit controverſia inter Moguntinum &
Colonienſem circa Coronationem *Ferdinandi IV.* Vid. apud
Limn. Tom. 5. ad lib. 3. c. 6. p. 154. item *Hermes in Faſciculo*
Jur. Pub. cap. 6. §. 10. contentiones tamen iſtæ pactione
terminatæ ſunt anno *1657. 25. Jun.* quæ extat *in Diario Eu-*
ropæo Anno 1658. pag. 948.

45 Colonienſis Archicancellarius per Italiam qvoque
eſt, ſed nomen ſolum ſupereſſe dicit *Mallinkrot. de Archi-*
Cancell. P. 1. membr. 3. Catalogum Electorum Colonienſi-
um habes apud *Limn. tom. 4. ad lib. 3. cap. 6.*

Ne ullus, qui olim Electioni Cæſareæ intereſſe con-
ſveverunt, conqveri poſſet ſe præteritum: Ideò cum Ec-
46 cleſiaſticis admiſſos eſſe Seculares, unum ex Regibus, u-
num ex Ducibus, unum ex Marchionibus, & unum ex Co-
mitibus dicit *Conrad. Carpz. de Regalib. cap. 2. Aphor. 4.* In-
47 ter eos primo loco potitur Rex Bohemiæ, *Carpz. ad Leg. Reg.*
Germ. cap. 5. ſect. 10. num. 31. & 39. Imperii Archipincer-
na, *Gerard. de Roo. Hiſt. Auſtr. lib. 1. pag. 40.* Ubi inqvit: *Ru-*
dolphus; ſcilicet primus, *tum*, id eſt Anno 1286. *genero Eg-*

ram

ram oppidum & arces aliqvot vicinas in dotem filiæ conceſſit, eiq;
& Regibus Bohemiæ Electoratus Dignitatem cum Pocillandi of-
ficio confirmavit. In qvo Munere habet Subofficiarium Vi-
cepincernam *de Limpurg. A. B. c. 27. §. 6.* Et cœteros 48
Electores, ex Regiæ Dignitatis faſtigio antecedit, tertiumq;
in Electione ſuffragium obtinet, *Aur. B. tit. 4.* §. Zum dritten.
Thuan. lib. 2. Hiſtor. fol. 102. quanquam olim cum Ducis
nomine uteretur, ultimum locum poſſideret. *Cranz. lib. 4.*
Saxon. cap. 28.

Hinc rectè inferimus contra *Petr. de Andlo de Imp.*
lib. 2. c. 2. eum revera eſſe Electorem & Statum Imperij
ordineq; præſcripto à Moguntino interrogandum & non
in caſu diſcordium votorum. *Limn. Jur. Publ. 3. 8. 2. Tom.* 49
V. ad h. l. pag. 205. & ad A. B. obs. 5. Gewold. de Septemvi-
ratu cap. 9. Argumentum, quo contrarium ſtatuentes u-
tuntur, Regem Bohemiæ pro Statu Imperij minimè habe-
ri, cum ad Comitia Imperialia non vocetur, valde infirmum
eſt: Omnibus enim notum, eum non tantum ad peculia- 50
res Electorum Conventus vocari, ſed etiam pro ſubdito Im-
perij vi inveſtituræ & Juramenti fidelitatis Imperatori
præſtandi agnoſci. Uti videre licet in Juramento *Frideri-*
co III. Imp. ab *Uladislao Rege Anno 1477.* præſtito: Dem 51
Kayſer und dem Reich getrew/ gehorſamb und gewärtig zu ſeyn/ den
Kayſer vor ſeinen rechten natürlichen Herrn zu halten/ zu dienen/ als
einem Erbſchencken und Churfürſten deß Reichs gebühret. Ex qvo
craſſum illum errorem reliqvorum ſatis deprehendimus,
qui Electoralem Dignitatem ipſi denegant, aut ſaltem diſ-
ſentientibus aliis concedunt, uti faciunt *Caſtald. de Imper.*
Quæſt. 8. num. 6. & 12. Arnold. Clapm. de Arcan. Rerump. lib. 6.
cap. 16. Plura de Prærogativis & Juribus Regi Bohemiæ
competentibus annotavit *Joach. Clut. in Syllog. Rer. qvotid.*
Concl. 24. lit. O. addantur *dicta hac ſectione num. 7. 8. 9. & 10.*

Poſt Regem Bohemiæ primum in ordine, & quartum 52
in votando locum tenet Comes Palatinus Rheni, *Aur. Bull.*

tit. 4. cum olim primus inter Principes Electores Politicos ei competiiſſet. *Goldaſt. tom. 3. Conſt. Imper. ſub. tit. de Offic. Comit. Palat.* An Electoratus tanquam ad Comitem Palatinum, an verò tanquam Bavariæ Ducem pertineat? diſputat *Limn. lib. 3. c. 9.* Hic Palatinus annexam habet Dignitatem Dapiferi, *A. B. tit. 17. §. 4.* Cujus vicem gerunt
53 Walpurgii. *Limn. ad A. B. cap. 27. §. 6. obs. 9.* Fungiturq; officio Vicarij vacante Imperio in partibus Rheni & Sveviæ nec non in Jure Franconico. *A. B. tit. 1. & tit. 5. §. 3. Buxtorff. ad A. B. Concl. 53. & ſeq. Martin. Rumel. ad A. B. Diſſert. 4. th. 11.* Imò etiam vetuſtis moribus & confirmati-
54 one Aureæ Bullæ Judex agnoſcitur ſuper controverſiis, qvibus Imperator vel Rex Romanorum impetitus fuerit, *Thom. Huber. Leod. in Hiſt. Frid. 2. Palat. circa f. lib. 1.* non tamen in Palatinatu, ſed in Curiâ Imperatoris. *A. B. tit. 5. §. fin. Heig. P. 1. Q. 4. n. 8.*

55 Quinto in ferendo ſuffragio ordine gaudet Elector Saxoniæ Imperij Archimareſchallus, *A. B. cap. 4. §. 3. & cap. 27. §. 1.* habens Subofficiarium Comitem de Papenheim, & eo abſente Mareſchallum Curiæ *A. B. c. 27. §. 3.* Qui & Vicarius Imperij eſt. *A. B. c. 5. §. 2. vid. Limn. I. P. lib. 3. c. 10. §. 19. usq; ad 27.*

56 Sextum votum tribuitur Electori Brandeburgico Imperij ArchiCamerario. *A. B. c. 27. & cap. 4. §. 3. & 4.*

57 Cum verò Dignitas Electoralis Palatina *à Ferdinando II.* Gloriosiſſimæ memoriæ in Dominum Maximilianum Bavarum & totam Familiam Guilhelmianam An. 1623. translata eſſet, & Bellorum incendia vix ſopiri crederentur, niſi Electoris Palatini Hæredibus aliqvo modo ſatisfieret. Ideo Primogenito illius Sereniſſimo Carolo Ludovico ejusqve Succeſſoribus Octavus Electoratus per Inſtrumentum Pacis Oſnabrugenſis ceſſit. Quàm ægrè admodum id acciderit, ex *Theat. Europ. Tom. 5. pag. 1113.*
58 colligitur: Dann die proteſtirende Stände wolten keinen achten

Chur-

Churfürſten admittiru / ſondern begehrten daß die Chur Abwech-ſelungs-Weiß Bayern und Pfaltz zugleich / die Land aber dem Pfaltz-Graffen reſtituirt werden ſolten. Eoq; magis mirandum Imperium illuc induci potuiſſe.

Bavarus itaque Dux Maximilianus in locum Palatini ſucceſſit, & ſecundo ſuffragio; Sereniſſimus Carolus Ludovicus autem qvinto inter Principes Electores ſeculares potiti ſunt, conceſſa inſuper reſtitutione Jurium Palatinatui inferiori adhærentium. *Inſt. Pac. Monaſt. art. 4. Limn. Tom. 5. ad lib. 3. c. 9. pag. 207.* Occaſione hujus mutationis de Vicariatu Imperij inter modò nominatum Sereniſſimum Electorem Dominum Carolum Ludovicum & Electorem Bavariæ Anno 1657. magnæ ortæ ſunt controverſiæ. Illo Vicariatum tanqvam annexum Palatinatus vindicante, altero ex mutatione fundamentum qværente. Jam olim hæc qvæſtio mota erat inter *Gewoldum nec non Windeckium*, qui pro Bavariæ Ducatu militarunt; & *Freberum in Originibus Palatinis*, Palatinorum Jura propugnantem. Ejus diſputationis ſummam videre poteris apud *Limn. lib. 3. cap. 9.* Illam ipſam controverſiam author ſub mutato nomine *And. Burgoldens. in Notit. Rer. Imper. Germ. Diſcurs. 26. memb. 2. per tot.* tetigit: ubi fundamenta utriusque, nec non Vicariorum originem depromit. *Sed manum de tabulâ.* 59 60

Præter Electoralem Dignitatem Sereniſſimus Carolus Ludovicus Imperiali officio inſignitur, & eſt S. R. I. Architheſaurarius, ejuſque Subofficiarius Comes *Georgius Ludovicus à Sinzendorff. Limn. ad Aur. Bull. cap. 27. §. 6. obs. 19.* 61

Et ita ex Septemviris, qui numerus olim ſacer videbatur Octoviri effecti.

Sereniſſimus hic Elector Dominus Carolus Ludovicus inſigni ſuâ prudentiâ, & incomparabili ingenij per- 62

ſpi-

ſpicacitate ubiq; clarus, inter ſplendidiora ſeculi noſtri ornamenta meritò numeratur.

63 De Cœtero Benevolus Lector fortè deſiderans uberiorem negotiorum & Jurium Electoralium cognitionem, adire poterit *Arum. Rumel. Buxdorff. D. Dieterich. Limn. in Comment. ad Aur. Bull. & Limn. de Jur. Publ. Bened. Carpz. in tr. de Leg. Reg. Germ. Reinkinck. de Regim. Secul. & Eccleſ. Joach. Cluten. in Syll. Rer. quotid. Pet. de Andlo de Imp. Chytræum, Lehman. Muc. Gewold. de Septemvir. Annales Trevir. Broweri lib. 16. p. 945. Mallinkrot. de ArchiCancell. Windeck. de Electorib. Petr. Heig. Freinshem. in lib. de Præced. Elect. Michael. Schiferer. in Nucl. I. P.* & alios paſſim. Pergamus nunc ad reliqua Regalia.

64 Jus Creandi ArchiDuces Imperatori qvoqve competit; qui Ducibus præferuntur, *Vult. de Feud. lib. 1. cap. 4. num. 14.* uti ArchiEpiſcopus præfertur Epiſcopo. *Conrad. Carpz. de Regal. c. 2. Aphor. 2.* qvod nomen in Germaniâ tantum uſitatum eſſe dicit *Chaſſan. de Glor. mund. P. 5. Conſ.*
65 *44.* & nulli alij quam Auſtriæ Principibus deberi cuique obviam eſt. *Wehn. Pract. obs. voc.* Stand deß Reichs. Quos o-
66 lim Marchiones fuiſſe & à Friderico I. Imp. in *Henricum Septimum* ultimum Auſtriæ Marchionem Dignitatem Ducalem *17. Septembris Anno 1156.* collatam eſſe tradit *Gual-*
67 *ther. in Chronolog. Eccleſ. Polit. ſub. An. 1156.* quæ tandem ſub *Rudolpho I. Habſpurgenſi.* in perſonâ Alberti Filii, cum Auſtria legitimo hærede deſtitueretur, in ArchiDucalem mutata fuit. *Carol. Sigon. de Regn. Ital. lib. 12. Pont. Heut. in lib. ſing. de Orig. Auſtr.* Præter hodiernos Auſtriæ ArchiDuces nullos Germania vidit, quanquam non defuerint, qui Ducatum ſuum in ArchiDucatum evehi, & ArchiDu-
68 ces nominari voluerint; attamen ab Imperatoribus impetrare non potuerunt, *Joach. Cluten. in Syllog. Rer. qvotid. Concl. 25.* ubi manifeſtè refutat Mozzium, qui ſcribit in Germaniâ conſvetudine introductum eſſe, ut, cum Ducum

Fi-

Filij nominentur Duces, eorum primogenitus frater ap-
pelletur Archidux, *Limn. de J. P. 4. 3. 27.* ſoli enim Auſtriæ
Duces eorumqve filij non ſolum primogeniti, ſed & omnes
alij ſunt, & vocantur Archiduces.

Nec obſtat qvod Bruno Colonienſis ArchiEpiſcopus
ſub *Otton. Imp. in Chron. Belg. mag. pag. 80.* vocetur Archi-
Dux Lotharingiæ, & qvandoqve apud *Gewold. de Septemvi-
ratu. c. 7.* Electores *Palatini Archiduces*: Nam diſtinctionem 70
facimus inter Archiducum appellationem oratoriam vel
arbitrariam, ſub quâ prædicti tituli intelliguntur; & in-
ter ſolennem & curialem; quam ſolam gerunt Archi-
Duces Auſtriaci. *Beſold. theſ. pract. voc.* Ertz-Hertzog.
Qui diſtinguuntur in duas Lineas: Prima à *Ferdinando*, quæ 71
propriè Auſtriaca dicitur: Altera à *Carolo V. Imperatore*
deducta, quæ Burgundiaca appellatur. *Paul. Matth.
Wehn. voc.* Stand deß Reichs. In *tit. Quarto: Principes Politi-
ci §. 1.*

Privilegia Archiducalia & prærogativæ (quæ apud 72
*Munſter. Coſmogr. lib. 3. c. 399. Gylm. Rer. in Cam. Jud. lib. 2.
Deciſ. 54. num. 59. Ruland. de Commiſſ. p. 4. lib. 5. c. 4. n. 25.
Cranz. in Saxon. lib. 8. c. 6. Regn. Sixtin. lib. 2. de Regal. c. 20.
num. 20. Wehn. d. l. Limn. 5. 2. 27. & ſeqq. cum Addit. Tom.
4. p. 68. Beſold. d. l. Speidel. voc.* Ertzhertzog. extant) maxi-
mam præeminentiam demonſtrant, quibus partim Electo-
ribus pares ſunt, partim ſuperant, in eo quod nova vecti- 73
galia propriâ authoritate inſtituere valeant.

Archiducum Auſtriæ Genealogiam videre poteris a- 74
pud *Wolffgang. Lazium, Joannem Stabium, Scioppium & Chifle-
tium in Stemmate Auſtriaco.* Hiſtoriam verò apud *Cuſpinia-
num, Pontum Heuterum, Gerardum de Roo in Hiſt. Auſt. à Ru-
dolph. I. ad Carol. 5. Hieron. Gebweilerum de ortu Caroli V. om-
niumque Archiducum Auſtriæ & Habſpurg. Comit.* Quibus
addatur der Ehrenſpiegel deß löblichen Hauß Oeſter-
reichs.

75 Hanc Sereniſſimam Archiducalem Familiam tot Imperatorum continuâ & longiſſimâ ſerie claram, quæ unâ manu orientem, alterâ occidentem complectitur, colluſtratque novo quaſi ſole invia avia, *Theod. Reinking. de Reg. ſecul. & Eccleſ. lib. 1. claſſ. 4. cap. 10. n. 5.*

Totq́ve per innumeros ſceptra tuetur avos,

Deus Ter Optimus Max. qui Sceptra ei contulit, conſervare & in Auguſtiſſimo Imperatore *Leopoldo* ejusque Sereniſſimo Archiduce filio *Joſepho* cœlitus conceſſo numeroſis ſucceſſoribus perennem reddere dignetur.

76 Sunt etiam Magni Duces, Großhertzogen / quales in Germaniâ nullos habemus; qvod tamen qvidam putarunt, rationem dicti ducentes ex loco *Alberti Stadenſis An. 920. p. 100.* ubi Witekindus Magnus Dux appellatur: male etenim tales diſtingvunt, & non advertunt à magnitudine animi eum hoc cognomento donatum fuiſſe.

77 In Italiâ verò hunc titulum Magni Ducis *Coſmo Medices Florentiæ Duci à Pio V. Pontifice* tradito ſceptro cum habitu, inſignibus atq; coronâ Regis & titulo Sereniſſimi conceſſum eſſe colligitur *ex Limn, 1. 9. 48. & Addit. tom. IV. & V. ad 4. 3. 28.* quem actum Imperator *Maximilianus* ideò improbavit, qvod hoc eminens Regale ad eum ſpectaret. *Thuan. lib. 46. & 54.*

78 Titulum Magni Ducis ſibi qvoqve aſſumpſerunt Magnus Dux Moſcoviæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Magnus Dux Finlandiæ, Magnus Cham & alij, qui hanc Dignitatem ob virtutem & Ditionum amplitudinem ſunt conſecuti. *Matth. Steph. de Jurisd. lib. 2. p. 1. c. 6. n. 82.*

79 Archiduces ſeqvuntur Duces, qvorum nomen ab Exercitu Romano deſcendit, *Joach. Cluten. in Syllog. Rer. qvotid. Concl. 26. lit. B.* Linguâ vernaculâ dicuntur Hertzogen/ quaſi Domini & Duces exercitus ein Herr deß Zugs. *Joann. Oldendorp. claſſ. 5. de Act. benefic.* Qui qvomodo apud Romanos ſe habuerint tradit *Bulenger, de Imp. Rom. lib. 4. c. 33.*

Cir-

Circa tempora Caroli Magni eorum Poteſtas ac Dig- 80
nitas in tantum crevit, ut illi Duces dicerentur, quibus
duodecim Comites ſuberant. *Petr. Heig. P. 1. Quæſt. 2. num. 38.* Hodiernis autem moribus ille Dux eſt, qui de Ducatu à Summo Principe Inveſtitus eſt, *Petr. de Andlo de Imper.* 81
Rom. lib. 2. cap. 12. ſive cui ab Imperatore Ducalis Dignitas erectione & conceſſione Ducatus confertur, abſtrahendo à numero Comitum, qui nugatoriè ad Juniora tempora transfertur. *Limn. 4. 3. 21.* Quid de Angliæ, Hiſpaniæ, Ve- 82
netorum & Genuenſium Ducibus, & eorum prærogativâ Romani Imperij Ducibus haud comparandâ ſentiendum ſit, deſcribunt *Cluten. d. Concl. 26. lit. B. Theod. Reinking. de Reg. Secul. & Eccleſ. lib. 1. claſſ. 4. cap. 12. n. 8. & ſeqq. Conrad. Carpz. de Regal. cap. 2. Aphor. 6. Zaſ. de Feud. p. 4. num. 6. Matth. Steph. de Juriſd. lib. 2. P. 1. c. 6. n. 56.*

Rarior antehac Ducum titulus extitit, qvod colligitur 83
ex *Miræo Deplom. Belg. tom. 1. cap. 95. p. 217.* ubi ſeptem tantum in Germaniâ fuiſſe Duces ſcribit; & Henricum Marchionem Auſtriæ à Friderico I. primum Ducem creatum eſſe paulò antè ex *Gvalther. in Chronolog. Eccleſ. Pol. ſub Anno 1156.* probavi.

Inter Ducales Familias numerantur Duces Bavariæ, 84
Comites Palatini, *Limn. I. P. 5. 4. & Addit Tom. utroq;*. Duces Brunſwicenſes & Luneb. *Chytræ. Chron. lib. 2. p. 55.* Duces Holſatiæ *à Friderico III. Imp. Anno 1474.* creati. *And. Angel.* Holſteiniſche *Chronica.* Duces Juliacenſes, Clivenſes & Montenſes, *Miræus Diplom. Belg. lib. 1. c. 88. pag. 192.* De ſucceſſione horum Ducatuum ſuo loco aliqvando dicemus. Duces Lotharingiæ, *Limn. I. P. lib. 5. cap. 11.* Duces Megapolitani à *Carolo IV. Anno 1349.* creati. *Limn. Jur. Publ. lib. 5. cap. 12.* Duces Pomeraniæ, *Limn. d. lib. 5. c. 13. & in Addit.* Duces Sabaudiæ, *Limn. cap. 14.* Duces Saxoniæ, *Limn. c. 15. Chytr. in Chron.* Duces Wirtembergenſes ex Comitibus tales facti anno *1495. Limn. lib. 5. c. 16.* Duces Burgundiæ.

Hodie titulum Ducatus præ ſe ferunt Ditiones Bremenſes & Verdenſes *Inſtrum. Pac. art. 10. §. 3.* Titulo Ducis Franconiæ quoq; gaudet Epiſcopus Herbipolenſis *Beſold. in theſ. pract. voc.* Würtzburg. Angrivariæ von Engern/Præſul Colonienſis. *Hermes in Faſcicul. Jur. Publ. c. 6. §. 9.* His adjungendi Duces Barrenſes. *Limn. I. P. lib. 5. c. 2. num. 52.* Varij Sileſiæ Duces, *Limn. lib. 3. c. 8. §. 77.* Item Carinthiæ, Gelriæ, Limburgi & Luzenburgi Duces. *Miræus Diplom. Belg.* Sunt inſuper Dux Razevilius in Lithuaniâ, Zboraviæ in Ruſſiâ & Dux Zeringiæ.

85 Ad hæc notandum inter Duces & Status Imperii nullam eſſe differentiam, ſed tantum ordinem in ſeſſionibus *Joach. Cluten. Syllog. Rer. qvotid. Concl. 26. lit. B.*

86 Creare Principes eſt qvoque de Reſervatis Imperatoris: formulam eines Fürſtenbrieffs tradit *Beſold. in theſ. Pract. voc.* Fürſt.

87 Principem hic ſumimus, qui contradiſtinguitur Electori, Duci, Marchioni, Landgravio. Nam quamvis omnis Elector Dux, Marchio, Landgravius, Princeps ſit, non tamen omnis Princeps eſt Elector, Dux, Marchio, Landgravius. Exemplum poteſt eſſe in Principibus Anhalti-
88 nis Fürſten von Anhalt / qui nec Comites Palatini, nec Duces, nec Marchiones, nec Landgravij, nec Burggravij ſunt, *Regn. Sixtin. de Regal. cap. 4. num. 25.* Sunt & alii plures in Imperio, qvi Principatus ſivè Fürſtenthumbs titulum habent, eoqve etiam inter Ducatus aliarumve Dignitatum
89 Regalium titulos utuntur; ut apparet ex titulis Marchionum Brandeburgenſium, Ducum Megapolitanorum & Pomeraniæ. *Conrad. Carpz. de Regal. cap. 2. Aphor. 7.* Ejusmodi Principem etiam Ducem Sabaudiæ reſpectu Pedemontanæ Regionis eſſe & dici Principem Pedemontium refert *Chaſſan. de Glor. mund. Conſid. 54.*

90 Huc qvadrat diſtinctio Commentatoris Saxonici *lib. 3.* Landrecht. *art. 58.* in Reichs-Fürſten und ſchlechte Fürſten. Illi ſunt,

qui feuda à nemine, quàm ab Imperatore aut Rege Romanorum per Inveſtituram aut per Vexillum aut Sceptrum accipiunt, eumqve recognoſcunt, atqve Provincias Principatus titulo inſignitas poſſident. *Paurmeiſt. de Jurisdict. Imp. Rom. lib. 2. cap. 9. §. 9.* Hi verò dicuntur, qui has tres conditiones non habent, ſed contenti certâ portione vivunt, relicto Principatu uni. Ad hos, Principes Silesiæ re- 91
fert *Paurmeiſt.* Sed qvomodo refutetur, apud *Schickfuſium Chron. Siles. lib. 2. cap. 1.* videri poteſt.

In horum definitione valdè impingit *Beſold. theſ. pract. voc.* Fürſt. ubi putat ſchlechte Fürſten dici Lands-Fürſten/ 92
qvo ſenſu Landſaſſen dicuntur: Vocabulum enim Lands-Fürſt Potentiam importat, & Dominum Supremum & territorialem denotat, qui in omnes ſuos Landſaſſen und Unterthanen ſive in, ſive de territorio ſint, Jurisdictionem habet, quæ Superioritas die Lands-Fürſtliche Obrigkeit de Regalibus Majoribus eſt. *Webn. pract. obſer. voc.* Lands-fürſtl. Obrigkeit. Landſaſſen verò, ſubditi & homines Juris- 93
dictionales in omnibus à Domino territorij præcipi ac mutari poſſunt. *Webner. voc.* Landſaſſen. *pr.* quod de ejusmodi Principe dici non poteſt. *Add. Limn. tom. IV. lib. 4. c. 2. p. 304. & ſeqq.* Principes Germaniæ vel ſunt Eccleſiaſtici vel Sæculares ſive Politici. *Limn. I. P. 4. 2. ſ.*

Marchiones à voce Germanicâ Marck/ & indè Marg- 94
graffen Duces Limitaneos dictos eſſe verius puto cum *Theodor. Reinkinck. de Reg. Secul. & Eccleſ. lib. 1. cl. 4. cap. 13. n. 5. Webner. voc.* Marck. quod finibus Imperij Romani tuendis præfecti eſſent *Wolffg. Lazius de Migrat. Gent. lib. 9. fol. 629.* De origine eorum diligenter ſcribit *Albin. in Miſn. Chron. tit. 9. item Beſold. theſ. pract. voce:* Marggraff. *Limn. I. P. 4. 4. 25.*

Marchiones hodierni, licet defenſores limitum non 95
ſint, nomen tamen adhuc ex conſvetudine retinent. *Lazius in Comm. Reip. Rom. lib. 1. c. 2.* Et ſunt illi qui de Mar-

chia à Summo Principe inveſtiti ſunt, hoc eſt de Feudo cum Regali Dignitate: Eſt enim Marchia Feudum Dignitatis *Reinkinck. d. cap. 13. num. 81. & 12.*

96 In Imperio noſtro Romano-Germanico aliquot Principes Marchiones numeramus, qui ſecundum *Arniſæum* à Carolo Magno inſtituti ſunt. Et quidem Marchionem Brandeburgenſem contra Wandalos. *Limn. lib. 5. c. 6. in utroqve Addit. tom.* Marchiones Miſniæ contra Bohemos. *Albin. Chron. Miſn. Reiner. Reinecc. Chron.* von der Meißner Herkommen. Marchiones Badenſes & Hochbergenſes ad tuendum Rhenum. *Beſold. in Theſ. Pract. voc.* Baden. Marggraffſchafft. *Speidel. in Notab. voc.* Baden. Mentio qvoqve fit Marchionum Luſatiæ & Budiſſinenſium in Rebus Sileſianis, & Marchionatus Antwerpienſis apud *Limn. lib. 1. c. 9. n. 15. & lib. 4. c. 4. n. 24. & ſeqq.*

97 Landgravij etiam Principum titulo inſigniuntur, dicti quaſi Comites Provinciarum, quarum Judices & Præſides erant, *Beſold in Diſſert. de Comit. & Baron. Concl. 9.* vulgò Landrichter. *Munſterus in Coſmograph. lib. 5. de Germ. cap.*

98 *21.* qvod vocabulum ex officio temporario in perpetuum, & ab hoc ad Dignitatem Principalem tranſiit. *Speid. in Notab. voc.* Landgraff. *Heig. Illuſt Quæſt. Q. 2. num. 55. P. I.* & proximè ad Ducalem accedit, *Gryphiander de Weichb. Saxon. cap. 62. §. 7.* talesqve Landgravij Principes Imperij Fürſten deß Reichs ſine controverſiâ appellantur.

99 Hodierni Landgraviatus ſunt: Primò, Landgraviatus Thuringiæ: quo titulo Duces Saxoniæ fruuntur. *Limn. I. P. 4. 4. 77.* Secundò, Landgraviatus Haſſiæ. *Limn. J. P. 58.* Tertiò, Landgraviatus Alſatiæ: qui legitur in titulis Auſtriacis. Quartò, Landgraviatus Leuchtenbergenſis: qui ad Bavaros hodiè ſpectat. *Lazius de Migrat. Gent. lib. 7.*

100 Comites & Barones Langraviorum titulos qvandoq; uſurpare ſcribit *Theod. Rheinkinck. d. cap. 13. n. 26.* Quales ferunt Comites Luppiæ, hodiè Barones de Pappenheim,

heim, qui ſe ſcribunt Landgravios zu Stallungen. Comites Sulzenſes, Landgravios in Gleckatve. Comites de Fürſtenberg Landgraffen zu Barre. Propriè tamen ij Landgravij dicuntur, qui de Principatu aliqvo Imperij, qui Landgravi- 101
atus nomen habet, inveſtiti ſunt, vel eum ab Imperatore recognoſcunt.

Burggravij, qvos Arcis Præſidiiqve Præfectos nomi- 102
nat *Cujac. 1. Feud. 1.* Præfecti einer Veſtung deß Reichs. *Beſoldus de Comit. & Baronib. Concl. 11.* hodiè illi perhibentur, qui de Principatu qui in Burggraviatum conſtitutus & erectus eſt, ab Imperatore inveſtiuntur, vel eum alio modo recognoſcunt. *Reinkinck. d. cap. 13. num. 44.* Ubi quatuor recenſet: Magdeburgenſem, Norimbergenſem, Strombergenſem & Reineccenſem.

Poſt Principes in ordine ſeqvutur Comites. Cujus vocabuli variæ ſunt ſignificationes, qvas videre poteris apud *Petr. Greg. Thol. lib. 6. Syntag. Jur. Univ. cap. 8. per* 103
tot. Dignitasqve ejus antiqviſſima *Cabed. Decis. Luſit. 105. num. 2. p. 2.* De antiquis Comitibus ſub Romanis Gothisq; ſcribit *Guntherius d. Offic. Dom. Auguſt.* Dicti autem Comites à comitando, *Paurmeiſt. de Jurisd. c. 10. num. 1.* qui Proconſules & Præſides in Provincias euntes, atqve Legatos Cæſaris tanqvam publicorum negotiorum Conſortes & Adminiſtri comitabantur. Exindè hæc Dignitas officij 104
nomine competere cœpit, ut qvidam dicerentur Comites Sacri Conſiſtorij, Comites Sacrarum Largitionum. *tot. tit. Cod. de Comit. ſacr. largit.* Item Comites rerum privatarum. *Cod. de Offic. Comit. rer. privat.* Nec non Comites Sacri Palatii. *tot. tit. Cod. de Offic. Comit. Sacr. Palat.* & Comites Sacri Patrimonij, cum ſimilibus.

Cum verò Caroli Magni præſertim, & inſequentium quorundam Imperatorum temporibus Comites non ſolum ad ſingulas Provincias, ſed & Civitates ablegarentur, 105
cœpit Jurisdictio territorium & diſtrictus, cui præficieban-

bantur, Comitatus dici: Atqve adeò Comites in Imperio Romano erant Præfecti terrarum, qui tam in cauſis Civilibus, quàm in Criminalibus Jus dicebant *Lehman. Chronic. Spirens. lib. 2. cap. 17.* ubi: Ihr Ambt iſt gar auff der Juſtitz beſtanden/ daß ſie Malefitz- und Bürgerliche Sachen / Geiſtlichen und Weltlichen / in dem gantzen Gaw oder Grafſchafft / darinnen ſie geſeſſen/ recht geſprochen. Qui Comitatus demum ſub hominij & fidei nexu, ita ut adminiſtratio fruenda etiam ad hæredes pertineret, quibusdam ceſſerunt, uti in Germaniâ ab Ottone I. in Gallia ab Hug. Capeto factum eſſe didici *ex Duaren. de Feud. cap. 6. num. 8. Chopp. de Doman. Franc. tit. 6. num. 16. in f. lib. 1.*

106 Nobis Comites propriè ſumuntur pro ijs, qui de Comitatu ab Imperatore inveſtiti ſunt, ac inter Status Imperij cooptati: Cæſar enim de plenitudine poteſtatis tales Dignitates confert. Quamvis, ut benè monet *Joann. Goedd. in Reſp. Jur. de Reſtit.* neceſſe non ſit, ut Comes Comitatum ab Imperatore vel alio ſuperiorem non recog-

107 noſcente in feudum acceperit, ſed ſufficiat, qvod ipſe vel aliquis majorum ſuorum ab Imperatore vel alio ſuperiorem non recognoſcente Comitatum cum Sublimi & Regio territorij Jure in allodium ſuum receperit, aut etiam tempore immemoriali illud Jus quæſierit. *Paurmeſt. de Jurisd. lib. 2. cap. 10. num. 15.* Tales Germanis dicuntur Graffen/

108 *Paul. Matth. Wehner. Obs. Pract. voc.* Graffen. unde autem ita dicantur, videri poterit apud *Beſold. Theſ. Pract. voc.* Graffen. & *Speidel. eod.* Veriſimilius tamen eſt, vocabulum Graffe ab origine factum, denotare Judicem, prout hodie in plerisque Germaniæ locis Centgraffe/ Gograffe/ Freygraffe/ und Holtzgraffe pro Pedaneis Judicibus ſumuntur. Illorum alii ſunt Comites Imperii, Graffen deß Reichs / qui ab Imperatore de Comitatu ſunt, inveſtiti, atque Jura Imperii habent, *Gail. d. P. P. cap. 6. num. 10.* & tanquam Proceres &

109 Status Imperij ad Comitia vocantur. *Paurmeiſt. de Jurisd. lib.*

2. c.

2. *num.* 22. qui ſubdividuntur in Gefürſtete Graffen/ & qvi tales non ſunt. Per Gefürſtete Graffen intelligi poſſunt & Comites, qui nunquam abſolute tales vocantur, ſed ſemper cum aliqvo appoſito, & non tantum ſunt Principes, ſed & nonnullis Principibus digniores: Qualis eſt Marchio Brandeburgenſis, qui in Comitijs ante Duces quosdam votum & ſeſſionem habet, Landgravius Haſſiæ & Marchio Badenſis ante Principes Anhaltinos locantur. De quibus jam dictum. Propriè tamen loquendo Gefürſtete oder Fürſtmäſſige Graffen/ſunt illi, qui Principibus in ſuis Comitatibus 110
æquiparantur: Cujusmodi Comites ſunt, *Habſpurgenſis,* 111
Tirolenſis, Hennebergenſis, Mompelgardicus, Arnsbergenſis, Görtzenſis. R. A. *de Anno* 1576. §. Wollen auch auff ietzo. Cammergerichts Ordnung zu Wormbs *de Anno* 1495. *tit.* Wie Churfürſten/Fürſten/und Fürſtmäſſige 2c. Item *R. J. de Anno* 1548. 1555. *P.* 2. *tit.* 2. 3. & 4. R. A. zu Speyer/ *de Anno* 1570. §. Aus beſondern anſehnlichen Urſachen. Quando autem ita ſpecialiter expreſſi non reperiuntur, in Conſtitutionibus & Receſſibus Imperii, voce Fürſten continentur.

Comites itidem alii ſunt, qui Imperio quidem imme- 112
diatè ſubſunt, Comitatum tamen ab alio Principe in Feudum tenent: Quales ſunt Comites de Hardeck, ſub Auſtriacis, Comites de Hohnſtein ſub Electore Brandeburgico, 113
Comites de Newgarthen ſub Ducibus Pomeraniæ, & alij: qui mediatè ſaltem ab ipſo Sumo Principe ejusmodi Feuda conſeqvuntur & Regalem Dignitatem, quæ ijs Feudis adhæſit, tanquam à Summo Principe profectam requirunt, vel potius retinent. *Pruckm. de Regalib. cap.* 4. *num.* 34. Hujusmodi Comites Status Imperii non eſſe, vult deducere *Theod. Reinking. de Reg. Sec. & Eccleſ. lib.* 1. *claſſ.* 4. *cap.* 14. 114
num. 39. ex Receſſu Imperii *de Anno* 1548. §. Wiewohl auch in der Ringerungs-Handlung. *ibi:* Daß ſolche Newe Graffen und Herrn nicht immediatè Glieder und Ständ deß Reichs ſeynd geweſen/

ſen / oder darinn begütert/ ſondern ,ol(?)er Landsfürſten Unterthanen und Leuth waren. Vid. *Speid. voc.* Graff. *Tob. Paurmeiſt. de Juriſd. Imp. Rom. lib. 2. c. 11. n. 21.*

Comitum Imperij Elenchum proponit *Sprenger in Juriſpr. publ. vid. Limn. lib. 4. c. 4. p. 91. & ſeqq. Beſold. in tr. de Comit. & Baronib. §. 12. & 13. & in theſ. Pract. vocab.* Graff.

115 Sunt & Comites, qui ſimpliciter Principibus & Ducibus ſubſunt, qui dicuntur Landſaſſij ſive Landsfürſtliche Graffen/ quales in Ducatu Brunſwicenſi fuerunt Comites de *Hallermund. Lutterberg*, Eberſtein/ Homburg & alii.

116 Comitum numero deniqve veniunt, qvi Comitis titulo ſimpliciter gaudent, nihilque terræ poſſident, *ſans terre & domaine*, qvi Status Imperij non ſunt. Ex qvo patet differentia inter illa duos habere Comitatum & eſſe Comitem,

117 Comites enim Dignitate Perſonali gaudent non rebus ſed perſonis cohærente, & non à Rebus, ſed à concedentis poteſtate dependente. *Vult. lib. 1. Feud. tit. 8. n. 9.*

Seſſionis Comitum Imperij mentionem faciemus infra, ubi de Comitijs agetur.

118 Comitibus Dignitate inferiores ſunt Barones, de qvorum origine & ſignificatione videndi *Alciatus lib. 5. Paradox. c. 16. Luc. de Penn. in l. fin. Cod. de Mancip. Egvin. Baro lib. 1. Feud. c. 3. Limn. I. P. 4. 5. & tom. 4. ad hoc cap. Vult. lib. 1. cap. 3. num. 7. Matth. Stephan. de Juriſd. lib. 2. P. 1. c. 6. Paurmeiſt. de Juriſd. lib. 2. cap. 10. num. 27. Wehn. voc.* Freyherrn. *Chriſtoph. Beſold. in theſ. pract. voc.* Freyherr. *& in Diſſert. de Comitib. & Baronib.*

119 Illud ſaltem certum eſt, Baronum uſum eſſe antiqviſſimum. Num Barones in Catalonia ante Annos 800. fuiſſe, cum Carolus Magnus expulſis inde Saracenis eam diviſiſſet in novem Comites, Novem Vicecomites & totidem Barones, ſcribit *Gars. Maſtrill. de Magiſtr. lib. 4. c. 2. n. 54.*

120 Nobis autem Barones ſunt, qui de Baronatu & Regali Digni-

nitate ſunt inveſtiti, vel etiam citra Baroniam hac Dignitate donati.

Vernaculâ noſtrâ variis nominibus indigitantur. Primò enim ſimpliciter Freyen dicuntur in *Reform. Frãcofurt. de Anno 1442. pr. in Conſtit. Pac. publ. de Anno 1495. in Reformatione Wormatienſi de Anno 1495. Ordin. Regim.* zu Augſpurg. *de Anno 1500. Receſſ. Imp. Wormat. de Anno 1521.* Secundò, appellantur quandoqve ſemper Freyen (Herrn zu Weſterburg und Schomburg) *R. J. Ratisbon. de Anno 1541. R. I. Spirens. de Anno 1570. & Receſſ. Imp. de Anno 1542.* Tertiò dicuntur. Freyherrn in *Conſtit. Carol. V. contra Anabapt. de Anno 1529. R. I. Ratisbon. de Anno 1532. R. J. Spir. de Anno 1542. & 1570. R. J. Auguſt. de anno 1551. R. J. Spir. de Anno 1544. 1566. 1594. 1559.* Quartò, ſimpliciter Herren *R. I. Ratisb. 1532. R. I. Spir. de Anno 1529. 1530. 1541. 1507. 1566. 1576.* Quintò, Edle Herrn *R. J. Wormat. de Anno 1545. 1570. R. J. Aug. de Anno 1551.* Sextò olim titulo Nobilium contenti fuerunt, & vocati Edle von. 121

Differentiam tamen inter hoſce titulos ſtatui dubium non eſt: minimè enim ſequitur, eſt Dominus, ergo eſt Baro; quia poteſt competere titulus Edler Herr/ & tamen Baro nunquam erit.

Barones hodiè inter Status Imperii numerantur, atq; 122
in Comitijs votum & ſeſſionem æq; habent ac Principes. *Paurmeiſt. de Juriſd. cap. 2. n. 25. lib. 1.* ij ſcilicet, qui de Baroniâ immediatè à Principe inveſtiti ſunt. Et hinc in gradu & genere Dignitatis Comes & Baro non differunt, quam- 123
vis in ordine regulariter Comes præcedat Baronem. *Webner. voc.* Freyherr. Videmus enim eos in Receſſibus Imperii parificari in plurimis. vid. *Refor. Polit. de Anno 1530. tit.* von Graffen und Herrn. *& de Anno 1548. Ordin. Cam. P. 1. tit. 1. pr. & §. 2. R. I. de Anno 1570. §.* Dieweil dann auch. Et eandem Dignitatem Regalem habere, nec non ſub voca-

 bu-

bulo Herrſchafft Comites & Barones comprehendi. *Regn. Sixtin. de Regal. lib. 1. cap. 4. n. 41.*

124 Quo Illuſtri titulo etiam Principes honorari non detractant, prout faciunt Duces Juliacenſes Herrn zu Ravenſtein. Megapolitani der Roſtock und Stargart Herrn. Anhaltini Herrn zu Zerbſt und Berenburg. Et Auguſtiſſimus Imperator ipſe ſe Herrn auff der Wendiſchen Marck zu Portenaw und Salins nominat.

Nec valet illatio ad diverſitatem Dignitatis ab ordine præcedentiæ deſumpta: Eoquod inter ipſos Comites aliquis ſit ordo præcedentiæ, non tamen diverſus gradus. Imò quidam ſunt ex Baronibus, *ut Limburgici, Walburgici &*

125 *Ruſſi*, qui quibusdam Comitibus præferuntur. *Paurm. de Jurisd. Imp. Rom. lib. 2. c. 1. Regn. Sixtin. d. l. & nn. ſeqq. Reinking. de Reg. Sec. & Eccleſ. lib. 1. Claſſ. 4. cap. 15. à num. 29. usq; ad fin.* Imprimis *Joach. Cluten. Syllog. Rer. qvotid. Concl. 26. lit. A.* qui præclarè de hiſce ſcripſit, undè pleriqve recentiores ſua Scripta illuſtrarunt.

Catalogum Baronum habes apud *Paurmeiſt. de Jurisdict. lib. 2. cap. 10. §. 27. Limn. 1. 7. & Tom. IV. ad 4. 7.* qui vel legalis vel arbitrarius eſt.

SECTIO VIII.

De Regali Jure Inveſtituram faciendi de Feudis Regalibus, & eorum Judice competente.

SUMMARIA.

1 *Feuda Regalia ſunt, quæ à Summo Principe conferuntur & Regalem Dignitatem annexam habent.*

2 *Collatio eorum eſt de Reſervatis & Regalibus.*

3 *Feuda ſub titulo Regalis Dignitatis non conceſſa quamvis opima, Regalia non ſunt, ſed Feuda Jurisdictionis nominantur.*

4 For-

4 *Forma conferendorum Regalium in Aureâ Bullâ præſcribitur.*

5 *Feuda Regalia ſecularia* Fahnlehen *vocantur eo, qvod per vexillum conferantur.*

6 *Exemplum Inveſtituræ per vexillum factæ Landgravio Haſſiæ in Comitiis Wormatienſibus Anno 1495.*

7 *Similia extant in exteris Regnis: ſicuti Albertus Brandenburgicus à Sigiſmundo Poloniæ Rege de Ducatu Boruſſiæ inveſtitus eſt.*

8 *Hodie in Imperio Romano Feuda Principum ſecularia per enſem concedi ſolent, cujus capulum apprehendit Vaſallus, & conum ejus oſculatur.*

9 *Inveſtitura Archiepiſcoporum, Epiſcoporum & Abbatum olim per annulum & baculum fiebat.*

10 *Per Tranſactionem inter Calixtum II. & Henricum V. Imper. initam omnis Eccleſiaſticorum inveſtitura per annulum & baculum fieri ſolita, Pontifici ceſſa.*

11 *Imperatori verò remanſit inveſtitura per Sceptrum: unde feuda Principum Eccleſiaſticorum* Scepterlehen *dicuntur.*

12 *Inveſtitura tàm Eccleſiaſticorum quàm Secularium Principum hodiè eodem modo expeditur.*

13 *Joannes Swicardus Moguntinus, Lotharius Trevirenſis Electores, & Ludovicus Landgravius Haſſiæ in perſonâ ſub iiſdem ſolennitatibus inveſtiti.*

14 *Inveſtitura Lothario Friderico Electori Moguntino per Subſtitutum Illuſtriſſimum Dominum Carolum Henricum L. Baron. de Metternich Winneburg & Beilſtein, modernum Eminentiſſimum Electorem, Anno 1674. in Aulâ Cæſareâ per enſem collata.*

15 *Comitum & Baronum inveſtitura non immediatè ab Imperatore ſed à Judicio Aulico confertur.*

16 *An de Feudis Regalibus apertis alium inveſtire Imperatori permittatur?*

17 *Reſpondetur affirmativè, potiſſimum ſi conditio Capitulationi adjecta purificetur.*

18 *An Vicariis Imperij competat poteſtas inveſtiendi Principes de his Feudis Regalibus? Negatur per textum Aur. Bull. & R. I. de Anno 1521.*

19 *Solvitur objectio, quâ dicitur caſum contingere non poſſe.*

20 *An per ſolam mentionem* Fahnlehen/ *excipiantur* Scepterlehen/ *& hinc horum collatio Imperij Vicariis competat?*

21 *Principum appellatione perſonæ Eccleſiaſticæ comprehenduntur.*

22 *Similiter nec cognitio de Feudis Eccleſiaſticis Vicariis conceditur.*

23 *An de Feudis Regalibus ſolus Imperator cognoſcat, an verò cum Statibus Imperii?*

24 *Fundamenta ſententiæ requirentis conſenſum Statuum.*

25 Allegatio ex Hiſtoriis pro ſtabiliendâ eorum opinione.
26 Exemplificant quoque à moribus aliorum Regnorum.
27 Ex quibus concludunt Imperatorem aliter quàm cum Paribus Curiæ de Feudis Regalibus cognoſcere non poſſe.
28 Fundamenta pugnantium pro Majeſtate Imperatoriâ ex Legibus fundamentalibus & Comitialibus.
29 Item ex Actis Publicis hujus ſeculi in controverſiâ Ducum Saxoniæ Vinarienſis & Altenburgenſis Lineæ.
30 Ex deductione Jurium Domus Saxoniæ in Ducatum Juliacenſem.
31 Non obſtantibus contradictionibus diſceptatio ſucceſſionis Juliacenſis in Aulâ Cæſareâ recepta eſt.
32 Cauſa Juliacæ ſucceſſionis ordinario proceſſu coram Cæſare terminari debet vigore Inſtrum. Pac. Oſnabrug.
33 Exempla nonnulla ſimilium cognitionum, quæ Imp. Juriſdictionem arguunt.
34 Eſt in arbitrio Imperatoris adhibere Principes in cauſis majoribus.
35 Per Tranſactionem Juterbocenſem Imperator ſibi præjudicari noluit.
36 Objectiones reſolvit Reinkinck.
37 Judicium Principum das Fürſten-Recht probare conatur Hippolithus à Lapide.
38 Illud neque Aureâ Bullâ nec ullâ Imperii Lege publicâ fundatum reperitur.
39 Reſponſio ad objectionem petitam ex indulto Sigiſmundi Imperatoris.
40 Ab exemplis non conſtituitur ſtatim Jus.
41 An Imperatoriæ Majeſtati quid decederet ſi adhiberet Principes?
42 Scriptores de Judicio Principum.
43 Reprehenditur Hippolithus à Lapide propter acerbum & audacem ſcribendi modum, ut etiam perſonam Summi Principis poſthabeat.
44 Non deberet ſcribere contra eos, qui poſſunt proſcribere.
45 Non ſubeſt hic magis gloriæ, quàm ſi quis extra ictum pugnet, dum ſupprimit nomen, & manus Supremi effugere novit.

DE Perſonis Dignitatem Regalem habentibus in antecedentibus diximus. Nunc ad ipſas Dignitates Regales, ſive, ut quidam vocant, Feuda Regalia tranſimus, quæ
1 pro talibus habentur, ſi à Principe Romano vel alio ſuperiorem non recognoſcente conferantur, *Roſenth. de Feud. c. 2. concl. 1. num. 1. & 3.* & habeant Dignitatem Regalem anne-

nexam; uti ſunt Regna, Electoratus, Ducatus, Comita-
tus, & Baronatus. *tit. 14. lib. 1. Feud.* ibi: *de Marchia vel*
Ducatu, vel Comitatu, vel aliqvâ Regali Dignitate ſi qvis in-
veſtitus fuerit. Scilicet, uti dictum, per Imperatorem,
quia ſolius Principis eſt hæc poteſtas, *Andr. Knichen. de Jur.*
Territ. cap. 1. num. 306. & c. 3. num. 100. atqve de ipſius Re- 2
ſervatis & Regalibus *tit. 10. lib. 2. Feud. Aur. Bull. Caroli IV.*
tit. 5. de Jur. Comit. Palat. Rh. & Duc. Sax. ordin. Regim. Wor-
mati. de anno 1521. §. Und behalten Uns bevor.

Rectè pro ſecundo requiſito Feudorum Regalium
ponunt communiter Doctores anexam Dignitatem Rega-
lem: Nam qvantumvis multi Nobiles in Imperio reperi-
antur, quiſſat ampla Feuda & Ditiones ab Imperatore re-
cognoſcant; attamen, quia ſub titulo Regalis Dignitatis 3
conceſſa non ſunt, Feuda Regalia dici non poſſunt, ſed ſal-
tem Feuda Jurisdictionis, qvæ inferioris ſunt qvalitatis.
tit. 10. lib. 2. Feud. Quibus contradicit *Bocer. de Regal. cap.*
2. num. 60. & erroris arguit requirentes annexam Digni-
tatem Regalem, ſed malè: Ideoq; refutatur à *Conrad. Ein-*
ſidelio de Regal. c. 2. n. 120.

Feuda hæc Regalia quomodo dicantur & con- 4
ferantur, præſcribit Imperator *Carolus IV. in verè Aureâ*
Bulla ſuâ tit. 5. de Jure Comit. Palat. Rhen. & Duc. Saxon.
Ubi ea, Ducatum ſcilicet, Marchionatum, Comitatum &
Baronatum, quæ ſecularia Feuda ſunt, Fahnlehen appellat, 5
vel indè dicta, qvod plerumqve Imperator cum vexillo de
his inveſtire ſoleat. *Roſenth. de Feud. d. cap. 2. Concl. 1. num.*
4. Ordin. Regim. de anno 1521. Und behalten Uns bevor die Be-
lehnung der Lehen und Regalien der jenigen/die ſie unter den Fahnen
öffentlich mit ſolennitäten pflegen zu empfahen. *Knich. de Jure*
Territ. c. 1. num. 157. Chopp. de Doman. Franciæ lib. 2. tit. 2. n.
9. Bocer. de Inveſt. c. 3. n. 129.

Inveſtituræ per vexillum factæ exempla habemus
apud *Cruſium Annal. Svevic. lib. 9. P. 3. c. 6. & lib. 11. P. 3.*
cap.

6 *cap. 6. & 22. Otto Friſing. lib. 2. cap. 5. & 32. Naucler. gen. 48. fol. 1064.* Celebris eſt quoqve illa ſuperiori ſeculo Landgravijs Haſſiæ in *Comitiis Wormatienſibus anno 1495.* in pleno conſeſſu Ordinum Imperii collata, qui de Principatu Haſſiæ, ejusqve Comitatibus *Catzenelebogen, Diez, Ziegenhan & Nidda.* ſub vexillo, in quo ipſa Principatus & prædictorum Comitatuum inſignia depicta fuerunt, inveſtiti ſunt.

7 Similes ſolennitates in Exteris qvoqve Regnis deprehendimus, apud *Joann. Piſtor. Niddan. in Corp. Hiſt. Polon. tom. 1. fol. 230.* qui refert, Marchionem *Albertum* Brandenburgicum à *Sigismundo* Poloniæ Rege de Ducatu Boruſſiæ per vexillum inveſtitum fuiſſe. Sed hunc inveſtiendi modum in Romano Imperio in deſvetudinem abiiſſe rectè tradit *Matth. Steph. de Jurisd. lib. 2. P. 1. c. 6. num. 48.* De qvo tamen licet quidam dubitaverint, indè tamen non
8 movemur, quia abundè hodiè conſtat Feuda Principum Secularia per enſem concedi, ita ut Vaſallus præſtito Juramento fidelitatis capulum enſis apprehendat, & extremum ejus conum oſculetur.

9 Modus Inveſtiendi Principes Eccleſiaſticos mutationem recepit: Et olim quidem ArchiEpiſcopi, Epiſcopi, & Abbates ab Imperatoribus per Annulum & Baculum Feuda Regalia accipere ſolebant. Poſtquam autem per
10 Transactionem *Henrici V. Imp.* omnis Eccleſiaſticorum Inveſtitura per Annulum & Baculum fieri ſolita, Pontifici ceſſa fuit, illa ipſa Regalia per Sceptrum conferri cœpere.
11 *Albert. Cranz. lib. 5. Saxon. cap. 42. Nicol. Serar. Chron. Mogunt. P. 810. Otto Friſing. lib. 7. cap. 14. & 16.* Ex quo tempore mos ille remanſit teſte *Speculo Saxon. lib. 3. art. 60.* ubi dicitur: Der Kayſer ſoll leihen allen Geiſtlichen Fürſten mit dem Scepter. *Regn. Sixt. de Regalib. lib. 1. c. 4. num. 123. Gunth. de Reb. Geſt. Frid. Imp. lib. 1.*

Qvum ſceptro Princeps Regalia præſtet Eburno.

De

De hodiernâ verò conſvetudine in Inveſtituris Eccle- 12
ſiaſticorum eandem ſolennitatem ac in Secularibus ob-
ſervari, viridi obſervantiâ compertum habemus: Ne-
mo enim Rerum Germanicarum gnarus ignorat *Joan-
nem Swicardum* Moguntinum, & *Lotharium* Treviren- 13
ſem Electores & ArchiEpiſcopos: Nec non *Ludovicum*
Haſſiæ Landgravium in perſonâ iisdem ſolennitatibus
Inveſtituram accepiſſe. Idem & ego non ita pridem
adverti, dum Eminentiſſimus hodiernus Elector Mogun-
tinus *Dominus Carolus Henricus ex antiqviſſimâ Familiâ L.* 14
B. de Metternich Winneburg & Beilſtein, tunc temporis Sa-
crarum Ædium Metropolitanarum Moguntinæ & Trevi-
renſis reſpectivè Summus Cuſtos & Archidiaconus, Impe-
ratore in Throno Majeſtatis ſedente, pro Eminentiſſimo E-
lectore *Lothario Friderico* ejusdem cognominis, præhabi-
to eleganti ſermone, & inſecutâ miræ facundiæ gratiarum
actione Cæſareæ ſuæ Majeſtati Fidelitatis Juramẽtum præ-
ſtitiſſet. Ut hinc meritò explodendus veniat diſcurſus
Gerlaci Buxtorffii in Diſſert. ad A. B. Caroli IV. Concl. 29. quo
priſcum inveſtituræ morem perſvadere conatur.

Comitum tamen Inveſtituræ non ab ipſo Imperatore 15
immediatè, ſed per Judicium Aulicum fiunt, non obſtan-
te, quod ſub appellatione Fahnlehen comprehendantur.
Bocer. de Inveſt. Feud. c. 3. num. 129. aut etiam largâ ſigni-
ficatione Principum Comites & Barones veniant, *Sichard.
in l. Ex imperfecto. num. 5. Cod. de Teſtam.*

Quid ſi autem Feuda Regalia per extinctionem Fa- 16
miliæ aperta ſint, an & Imperatori liceat alium de illis in-
veſtire? dubitationem movet Capitulatio Cæſarea. Wann
auch Lehen dem Reich und Uns bey Zeiten Unſerer Regierung eröff-
net/und lediglich heimfallen werden/ſo etwas merckliches ertragen/als
Fürſtenthumen/ Graffſchafften / Herrſchafften/ Städte und dergleie-
chen/ die ſollen und wollen Wir ferner niemand verleihen / ſondern zu
Unterhaltung deß Reichs / Unſer und anderer nachkommender Kö-

nig und Kayſer behalten/einziehen und incorporiren/ biß ſo lang daſſelbe Reich wieder zu Weſen und Auffnehmen komt.

Hæc quæſtio cum altiore indagine indigere videatur,
17 alijs dijudicanda relinquitur: Quanquam fortè non malè quis dixerit evaneſcente conditione (quâ Imperatori fas non eſt ex illo textu capitulationis ob ærarium exhauſtum & vires attenuatas ſimilia feuda de novo concedere) optimo Jure conferri poſſe; maximè cum paucos habere Vaſallos non poſſit eſſe ex utilitate Imperii. *Althus. Politic. cap. 7. & cap. 24.*

Et hæc de Imperatoris poteſtate circa actum inveſtituræ in Feudis Regalibus, quæ Regi Romanorum quoq;
18 communis eſt. An verò illa ipſa poteſtas Vicarijs Imperij tempore Interregni competat? quæri poſſet. Deciſionem ſumimus ex Lege fundamentali *Aureæ Bullæ tit. 5. §. 1.* Ubi Vicariis de feudis inveſtiendi, ac Juramenta fidelitatis vice ac nomine S. R. I. recipiendi poteſtas conceditur, exceptis tamen Feudis Principum, & illis, quæ Fahnlehen dicuntur, quæ ſoli Summo Principi vel Regi Romanorum reſervata ſunt. Textus inſuper eſt in *Ordin. Regim. de anno 1521.* §. Aber andere und geringere Lehen.

19 Inſtant: Hoc Privilegium omninò inutile fore, eo quod Imperium ſecundum præſcriptum Aureæ Bullæ vix per annum vacare poſſit, aut ſaltem annus *tit. 55. lib. 2. Feud.* alioqvin conceſſus, qvamprimum ad obitum reſtringendus eſſet, qvod etiam non procedit. *dict. Ordin. Regim. de Anno 1521.* §. Und behalten Uns bevor. Aſt parum movet hæc inſtantia: quia non modò hæc poteſtas inutilis non eſt (cum non præſumatur Imperatorem & Status Imperii ad nullitatem & non exiſtentiam caſus in Lege fundamentali reſpexiſſe) verum etiam de facto exerceri poteſt, in caſibus præſertim, quibus, vel ante Imperatorem Vaſallus aliquot fortè menſibus extremum diem clauderet, vel etiam

præ-

præter ſpem Imperium per annum vacare contingeret. *Arum. & Aur. Bull. Diſc. 3. th. 37.*

Sunt nonnulli, qui dictum textum *Aur. Bull.* in verbis: Außgenommen der Fürſten Fehnlehen / dann derſelben Lehen-Vergleichnuß behalten Wir einem Kayſer und Röm. Könige: adeò ſtrictè accipiunt, ut putent Feuda illa ArchiEpiſcoporum, Epiſcoporum & Prælatorum per Sceptrum concedi ſolita, hinc excepta, & conſequenter Poteſtati Vicariorum Imperij, quoad inveſtituram permiſſa eſſe, potiſſimum cum verba: außgenommen der Fürſten Fahnlehen / omnem extenſionem prohibeant. 20

Contraria tamen opinio verior eſt, & Juribus Actisq; publicis magis conformis: Nam *primò*, ſi inſpiciamus textum Latinum, reperiemus hæc verba: *Feudis Principum duntaxat exceptis, & illis, quæ* Fahnlehen *dicuntur.* quæ per dictionem, &, diverſa conjungunt & conſiſtunt ampliativè *Surd. Cons. 315. num. 17. vol. 3. Secundò*, quis dubitat Principum appellatione contineri tàm perſonas Eccleſiaſticas, quàm Comites & Barones immediatè Imperio ſubjectos? *Beſold. in Diſcurs. de Jurisd. Imp. Rom. cap. 14.* Accedit *Tertiò*, Conſtitutio Ruperti, ubi nominatim ArchiEpiſcoporum Feuda, & omnia illa, quæ cum vexillis & gladiis recipi conſveverunt, excipiuntur. *Marqvard. Freher. in Not. ad Pet. de Andl. lib. 2. cap. 10. fol. 193. fac. 1. §. Omnia & ſingula:* Igitur eorum inveſtitura Vicarijs Imperij nullo modo competere poteſt, imò nec cognitio de controverſijs circa hæc Feuda Regalia propter Repugnantiam, *Ordin. Regim. de Anno 1521. §.* Ob auch Sachen vorfielen. Ubi Auguſtiſſimus Imperator *Carolus V.* omninò ſibi reſervat cognitionem controverſiarum de Principatibus, Ducatibus, Comitatibus, Jure Feudi ab Imperio obtentis. Vide Negantem *Quirin. Cubach. lib. 2. Jurisp. Publ. cap. 30. num. 16.* de hiſce in ſequentibus. 21 22

Ardua hic loci movetur quæſtio: An in controverſiis 23

Feuda Regalia concernentibus Imperator ſolus cognoſcat, an verò & Status Imperij, ut Pares Curiæ, adhibendi ſint?

Certè à deciſione prægnantis hujus dubij ſatius eſſet abſtinere, quàm nimis cordatè loquendo apud quosdam impingere. Utriusque tamen Partis fundamenta examinabimus.

24 *Primò*, Scriptores Statuum Imperij concurſum hic requirentes ſe fundant in deductione deß Berichts: Ob die Kayſerl. Majeſtät in Sachen/ Fürſtenthumb/ Hertzogthumb/ Graffſchafften/ rc. belangend/ ſo vom Reich zu Lehen rühren/ und einem Theil gäntzlich abgeſprochen werden ſollen/ allein und zwar durch den Reichs Hoffrath/ oder mit Zuziehung der Chur- und Fürſten deß Reichs/ als Parium Curiæ zu erkennen und zuſprechen? *Secundò* in ſcripto *Juliæ & Cliviæ Ducum de Anno 1610.* Es werden ſich in den fürnembſten Archiven im Reich/ und aus den Hiſtorien nicht anderſt finden/ dann daß die Teutſche Chur- und Fürſten à multis retrò ſeculis dieſe prærogativ hergebracht/ daß Sie in Sachen Ihre Fürſtenthumb/ Lehnſchafften/ Leib und Ehr betreffend/ niemand als dem Röm. Kayſer oder König/ neben einem Zuſatz von Chur- und Fürſten/ und nicht von geringen Stands-Perſohnen zum Richter gedulten dörffen.

25 Quod confirmant *tertiò* ex ipſis Hiſtoriis, qvibus declaratur, Sigismundum Imperatorem controverſiam inter *Henricum* Lauenburgicum & *Fridericum* Saxoniæ Ducem ſuper Electoratu Saxonico *Anno 1415.* ad Conſilium delatam, Parium Curiæ Conſilio terminandam petijſſe, *Beſold. de Jurisd. Imp. Rom. cap. 13.* ſimiliter tempore Friderici inter *Ludovicum Bavarum* & ejus filium, *Henricum & Albertum* contra *Ludovicum Bavarum*; Tempore Sigismundi inter *Ludovicum* & *Henricum* Bavaros, inter *Ericum* Brunſwigum & *Fridericum* Saxonem: Et noſtro ſeculo inter Naſſovios & Landgravios Haſſiæ, non niſi in Judicio Electoribus & Proceribus Imperii conſtituto, ſententiam latam,

tam, dicit *Arnold. Engelbrecht. Diſq. de Jurisd. Imp. th. 117.*

Quartò, pro ulteriori dictorum corroboratione alle- 26
gant Exempla aliorum Regnorum, & imprimis Galliæ, ubi Pares Curiæ nonniſi coram Paribus Curiæ conveniri poſſunt. *Choppin. de Doman. Franc. lib. 3. cap. 7.* Eodem modo in Regno Neapolitano Comites & Barones in criminalibus non niſi per Pares judicantur. *Arum. de Jur. Publ. Diſcurs. 11. ex Chytræo in Chron. Saxon. lib. 10.* Itidem notant, ſi in Daniâ cum Rege aut Præfectis ejus, & aliqvo ex Nobilitate, ſivè is Senator Regni ſit, ſive non, controverſiæ oriantur, eas coram Univerſo Regni Senatu terminari debere. Argumentantur etiam à ſimili, quod iniqvum reputari non debeat, ſi, ut olim Senatores in Veteri Republicâ Romanorum non niſi coram Senatoribus, ita & Principes Imperij, non niſi coram Principibus conveniantur: cum eorum locum quaſi ſubintraſſe videantur.

Ex quibus & ſimilibus concludunt, Imperatorem ali- 27
ter quàm cum Paribus Curiæ de Feudis Regalibus cognoſcere non poſſe, ſed Judicium Principum vulgò das Fürſten Recht omninò obtinere. De cujus exiſtentiâ plurima ſcribit *Hippolithus à Lapide*, quæ ex ſcripto qvodam de *Anno 1613.* hoc Judicium approbante (cujus Authorem *Marqvardum Freberum Act. Publ. Lundorpij tom. 2. tr. 2. pr.* faciunt) hauſit *in Diſſert. de Rat. Stat. P. 1. cap. X. ſect. 2.*

Hiſce non obſtantibus alii in ſignum Præeminentiæ ſoli Imperatori Jus de Feudis Regalibus, ut ſunt Ducatus, Principatus, Comitatus &c. cognoſcendi tribuunt. Primaria fundamenta ponentes.

Primò in Conſtitutione *Conradi tit. 19. lib. 1. & tit. 34.* 28
lib. 2. Feud. ubi controverſiæ de Feudis Imperii vel Regni, excluſis etiam Paribus Curiæ, ad ſolum Principem pertinent, quod mutatum non reperitur; imò potius confirmatum.

Secundo, in Aurea Bulla Caroli IV. tit. 5. Außgenommen der Fürſten Fahnlehen/ dann derſelben Lehen Vergleichnus behalten Wir einem Kayſer oder Römiſchen König. Clarius *in Receſſ. Imp. Wormatienſi de Anno* 1521. *tit.* Römiſch. Kayſerl. Majeſtät Regiment §. Ob auch Sachen fürfielen/ Fürſtenthum/ Hertzogthumb/ Graffſchafften/ ꝛc. belangend/ ſo vom Reich zu Lehen rühren/ ſo ein Theil gäntzlich und endlich abgeſprochen werden ſollen/ deroſelben Erkentnuß wollen Wir Uns auch hierinn vorbehalten haben. Doch ſonſten in andern Sachen dieſem Unſern Regiment und der Cammergerichts-Ordnung unabläſſig. Idem repetitur *in Ord. Cam. P.* 2. *tit.* 7. de qvo *Gail.* 1. *obs.* 1. *num.* 31. & 32. *obs.* 29. *num.* 7. *inf. Anton. Coler. de Jur. Imp. per Germ. ſect.* 23. *Petr. Heig. P.* 1. *Quæſt.* 9. *num.* 40. & 50. *Sixtin. de Regal. lib.* 1. *c.* 3. *num.* 40. *Juſt. Gebhard. d. S. R. Nat. Ger. Imper. Diſcurs.* 1. *th.* 24. non dubitant. Ubi hic poſtremus expreſſe ſtatuit, ſolum Imperatorem de Feudis Regalibus Majoribus, adhibitis Aulæ ſuæ Conſiliarijs, excluſâ Camerâ & Paribus Curiæ, dem Fürſten-Recht cognoſcere.

29 Et cognoviſſe *tertiò* conſtat ex Actis publicis hujus ſeculi: Dum Invictiſſimus Imperator *Rudolphus II. An.* 1607. ſuper controverſiâ Ducum Saxoniæ Vinarienſis & Altenburgenſis Lineæ de Jure Primogenituræ ortâ ſententiam tulit. Weil Ihme als regierenden Römiſchen Kayſer/ und beyderſeits der Zeit verpflegten Jungen Hertzogen zu Sachſen Oberſten Vormundt und Lehenherrn/ ſolches einig und allein zuſtehe.

30 Quod Jus, *qvartò*, ratione horum Feudorum Regalium *Chriſtianus II.* Elector in deductione Jurium, quæ Domus Saxonica in Ducatum Juliacenſem prætendit, Imperatori tulit in verbis: Daß der Kayſerlichen Majeſtät/ vermög der beſchriebenen Rechte/ deß heyligen Reichs Conſtitutionen/ der Cammergerichts Ordnung und üblicher obſervantz im Reich die cognitio und deciſio, als dem eintzigen ohnmittelbahren Richter allein zuſtände/ die könten und wolten Sie Ihrer Majeſtät/ als Gehorſahme deß Reichs Chur- und Fürſten/ nicht entziehen. Et iterum, Es

erinnern ſich Jhre Chur-und Fürſtl. Gnaden bedachtiglich / daß der Röm. Kayſerl. Majeſtät / wann über Fürſtenthumb und dergleichen Reichs-Lehen Streit und Spaltungen vorfallen wollen/ das Erkentnuß nicht allein vermög der beſchriebenen Lehen-Rechte ohnzweiffel gebühre und zuſtehe/ſondern auch derſelben mit einhelligem Schluß aller Ständ deß Reichs in der Cammergerichts-Ordnung/und ſonſten reſervirt / und vorbehalten worden/ ſo gar/daß/ ob ſonſten die Kayſerl. Majeſtät/ cum Camerâ, und hinwiederumb Camera cum Cæſare in andern Fällen in Jurisdictione concurriret/ gleichwol dieſes ein Caſus reſervatus bleibe / darinnen Cameræ, vielmehr aber Paribus Curiæ die cognitio glatt abgeſtricket/welche der Kayſerl. Maj. zu entziehen Jhre Chur-und Fürſtl. Gnaden Pflicht / Stand und Gewiſſens halber nicht wolle verantwortlich ſeyn.

Et quanquam nonnulli, imprimis autem Elector Brandenburgicus, Electores & Principes Imperij huic 31 diſceptationi ſanè graviſſimæ adjungi peteret, nihil tamen profectum, ſed cauſa in Aulâ Cæſareâ recepta eſt, ut patet ex literis ad *Elect. Brandenb. de dato Prag* den *3. Mart. A. 1610. à Cæſare* datis: Daß Sie von Jhrer/ über angeregtem Gülchiſchen Succeſſion-Streit/ genugſahm gegründter und interponirter Kayſerlichen Jurisdiction mit nichten außzuſetzen/ auch die ergangene rechtmäſſige Citationes, Mandata, interlocutorien und andere Verordnungen geſtracks zu proſequiren/ ja ſo weit ad ulteriora zu verfahren fäſtiglich entſchloſſen/ biß allerſeits ſchuldige parition erhalten / und dieſe prætenſiones, wie ſichs eignet und geziemet/ordentlich und vollkommentlich/ durch Sie/ an Jhrem Kayſerlichen Hoff erörtert / beygelegt und entſchieden werden.

Hanc opinionem *quintò* amplius in dubium vocare, 32 *Pacific. Oſnabrug. Art. 4. in f.* non patitur, *Joann. Sluter. in Animad. in Hippolithi à Lapid. Diſſert. de Rat. Stat. P. I. cap. X. ſect. 2.* quæ Juliacæ ſucceſſionis cauſam indiſtinctè ordinario proceſſu coram Cæſareâ Majeſtate, niſi pacatiora alia remedia inveniantur, decidendam ſtatuit.

Sextò, ſimilium cognitionum exempla proſtant. In 33

cau-

cauſâ Heſſen contra Heſſen/ſucceſſionem Marpurgenſem concernente, quæ in *Comitiis Ratisbonenſibus*, 23. *Octobris Anno* 1613. ab Invictiſſimo Imperatore *Matthiâ* deciſa eſt, & demum à Glorioſiſſimo Imperatore *Ferdinando II. Anno* 1623. ibidem definitivè publicata. Cujus ſe ſpectatorem fuiſſe, dicit *Theod. Reinkingk. de Reg. Sec. & Eccleſ. lib. I. claſſ. 4. cap. 19. num. 29.* Idem *Matthias* quoque in cauſa Lüneburg contra Braunſchweig de Ducatus Grubenhagenſis ſucceſſione definitivè pronunciavit. Si deniqve cauſam hæredum *Edowardi Fortunati* contra *Georgium Fridericum Marchionem Badenſem* examinemus, facilè quis reperiet, eundem *Ferdinandum II. Imp.* ſolum ſententiam *anno* 1622. 25. *Auguſti* tuliſſe, rejectâ appellatione, quam is â Cæſare malè informato, ad eundem melius informandum, & ad Ordines Imperij interpoſuerat.

34 Arbitrio itaque Imperatoris in cauſis majoribus, ſententias atque vota Electorum & Principum accerſere, *ex Pacific. Oſnabrug. art. 5. num. ult.* permittitur. *Joann. Sluter in Animad. in Diſſert. Hippol. à Lapid. P. I. cap. 10. ſect. 2.* Cujus conceſſio eidem minimè præjudicabit, ſicut præjudicare

35 ſibi noluit in Transactione Juterbocenſi inter Electores Saxonem & Brandenburgicum initâ, daß von Ihrer Kayſerlichen Majeſtät/ nebenſt unpartheyſchen Chur- und Fürſten deß Reichs ein Außſpruch geſchehen/ und zu dem End die drey Chur- und Fürſtliche Theil/ nemblich ein jeder zweene annehmliche Chur- und Fürſten/ deren ſie ſich zuförderſt ſelbſten/ und einander ſalva recuſatione zu vergleichen benennt werden ſolten. Imperator enim in Confirmatione hujus Transactionis, *de dato Prag.* den 5ten *Decemb. A.* 1611. id hac ſaltem vice admiſit, additâ tamen proteſtatione, daß ſich ſonſten auff dieſem Special-Fall niemand zu beruffen/ oder ſolches in conſequentiam zu ziehen habe.

36 Ad Argumenta Primæ opinionis ſupra probata, cum exactè reſpondeat *Theodor. Reinkingk. de Regim. Sec. & Eccleſ. lib. I. claſſ. 4. cap. 19. à num. 30. usqve 57. incluſivè*, & illa

ad

ad nihilum deducat; Ideò Benevolum Lectorem illuc remittimus.

Ut tamen aliquid adjiciam' de Judicio, ut vocant Principũ, vom Fürſtenrecht/ in quo ſe torqvet & retorqvet *Hippolith. à Lapid. d. P. I. cap. 10. ſect. 2.* & novi quidẽ nihil, quam quod in ſcripto illo anno 1613. vulgato comprehenditur, allegat: Intrepidè dicimus ſingulare hoc Judicium neqve *Aureâ Bullâ Caroli IV.* neque ullâ aliâ publicâ Imperij Lege fundari; neque veriſimile eſſe, cum aliàs in Conſtitutionibus Imperialibus minutiſſima etiam attingantur, Imperatorem & Principes Imperij rem tanti momenti omittere voluiſſe: Eo qvod ea, quæ notabilia ſunt, niſi ſpecialiter notentur, quaſi neglecta videantur. 37

Nec multum juvat allegatum Exemplum *Sigismundi Imper.* ad conſtituendum tale Jus: ſi dicas Imperatorem tempori inſerviiſſe, cum quidam Principes litigantes foro Imperatorio ſe ſubducere, & cauſas ad Romanæ Sedis atq; Concilii Baſilienſis audientiam devolvere ſatagerent, cœterique Imperii Principes arreptâ anſâ Principum Aſſeſſorum in hujusmodi cauſis aſſumendorum modum, qui hactenus Imperatorum arbitrio relictus fuerat, ad Legis neceſſitatem trahendum ducerent, majorique inde adipiſcendæ Dignitati ſtuderent; Ideoqve Imperatorem, quod ad aſſerendam Imperio Supremam Provocationem Principum ſe auxilio indigere ſentiret, eorundem deſiderio etiam cum profeſſione indubitati Juris adſtipulari maluiſſe, quàm pati, ut Suprema Imperatorum Jurisdictio à Clericis violaretur, quod tamẽ indultum poſt *Fridericum III.* tanquam à Principibus affectatum pro Lege eſſe deſiit. 38 39

Ab his igitur & ſimilibus Exemplis non ſtatim Jus conſtituitur, ſed incepta illatio deducitur. Non enim ſequitur: Imperator *Maximilianus I.* in controverſiâ ſucceſſionis Palatinorum Rheni & Alberti Bavariæ Ducis *Anno 1504.* Judices Cameræ evocavit, conſultaturus cum ipſis, qui potio- 40

tioſe Jure cauſam defendere videretur. Ergo Imperator tenetur ſemper in ejusmodi cauſis Judices Cameræ evo-
41 care. Ex qvo alias abſurdiſſimus ſeqveretur intellectus, non qvod inde Imperatoriæ Majeſtati quidquam decederet ſi in arduis Imperii negotiis Proceres admitteret (Quoniam Thronus Majeſtatis Majorem ſui claritatem, ſi potentiſſimorum Principum Coronâ cingeretur, in omnes ſpargeret) ſed quod ad tuenda Reſervata, & Jura Majeſtatis ſibi, utpotè Supremo Capiti competentia, ſarta tecta conſervanda Dignitas Imperatoria id poſtulare videatur.

Accedit inſuper hæc ratio, quod ſi hæc conſvetudo certa atqve pro Lege obſervata fuiſſet, à ſummâ hac dijudicatione ineptè prorſus in allegatis textibus apertiſſimè *Ord. Reg. de Anno 1521. & Ordin. Cam. P. 2. tit. 7.* Regimentum aut Camera excluderentur: cum inibi oppido paucorum Principum, & in Camerâ quidem nullius Principis præſentiâ opus ſit; ut majoris dubij res æſtimari debeat, an indiſtinctâ locutione, quâ Imperatori Regique Romanorum illarum cauſarum deciſio reſervabatur, Principum
42 neceſſaria præſentia rejiceretur, quam num vigente Principum Jure, Regimento aut Cameræ ejuſmodi cauſarum diſquiſitio competeret. De Judicio hoc peculiari Principum ſive Fürſtenrecht. *Vid. Limn. J. P. lib. 2. c. 9. n. 32. & in Addit. Christoph. Beſold. in Theſ. Pract. & Speidel. voc.* Fürſten-Recht. *& Doctiſſimum Dominum Hermannum Conringium hujus ſeculi noſtri Ornamentum, de Judic. Germ. th. 65.*

43 Quam audacter Hippolithus à Lapide, Lapideus, ut quidam eum appellat, hic homo ſuppreſſo nomine ſuis ſcriptis Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Jura laceſſere, & Archi-Ducalem Auſtriacam Familiam calumnianti Calamo traducere conatus ſit, ſcriptum ejus de *Ratione Status* utpotè extremæ paſſionis intrinſecæ argumentum, nimis teſta-
44 tum facit, prædicando ſe virum, quod contra eos ſcribere auſus ſit, qui poſſint proſcribere. Verum (ut cum *Joann.*

Slu-

Sluter. in d. Animad. in Concl. ulterius loquar) cum nomen ſuum occultet & absqve dubio eorum manus effugere noverit, non ſentio, quid hic magis ſubſit gloriæ, quàm ſi quis extra ictum pugnet. Quo magis mi Hippolithe, vel rectius impolitè Auguſtiſſimam hanc Familiam, te perpetuum ejus hoſtem profitendo, ſerò nimis invadere conaris, eo fortius alii præſtantiores eam propugnant, & tot tantaque ejus merita deducunt. *Audi Guntherum in Ligur.* de eâ canentem:

O verè famoſa Domus cui totus ab ortu
Solis ad occiduas mundus ſubſternitur auras,
Quam qvi novit amat, qvi non novêre verentur,
Cujus in auditu confuſis mentibus hoſtes
Tabeſcunt, contraque nihil ſe poſſe fatentur.

SECTIO IX.

De Regali Jure ArchiEpiſcopos, & Epiſcopos creandi iisqve Regalia conferendi.

SUMMARIA.

1 *Summa Poteſtas in conſtituendis Epiſcopis, & conferendis Regalibus conſiſtit.*

2 *Patriarcha Conſtantinopolitanus qvomodo cõſtitui & inaugurari conſveverit?*

3 *Eadem poteſtas occidentalibus quoque Imperatoribus competiit.*

4 *Hoc Jure adhuc utuntur Reges Hiſpaniæ, Galliæ, Angliæ, Scotiæ & Hungariæ.*

5 *Hiſpanus jam inde à Concilio Toletano 12. celebrato primo anno Hervigii Gothorum Regis hoc jure gaviſus eſt.*

6 *In Imperio Romano Authoritate Imperatorum Poteſtas eligendi ad Capitula Canonicorum tranſlata.*

7 *Inveſtitura Eccleſiaſticorum per Annulum & Baculum Imperatoribus competens, per Transactionem inter Pontificem & Imperatorem, Pontifici ceſſa; Imperatori autem inveſtitura Feudorum Regalium relicta.*

 8 *In-*

8 Inter qvos Concordata Germaniæ erecta?

9 Aliter qvam confirmatos à Pontifice Imperator de Feudis Regalibus inveſtire non poteſt.

1 SUmma Principis Poteſtas inſuper in conſtituendis Archi-Epiſcopis, & Epiſcopis; Regaliaqve ijs conferendis conſiſtit, quâ Imperatores olim in Orientali Eccleſiâ in cre-
2 andis hujusmodi perſonis Eccleſiaſticis uſi ſunt: Legimus enim Patriarcham Conſtantinopolitanum ab Heracleenſi Metropolitâ nominatum, Clero, Nobilibus & Primoribus Populi propoſitum, ad Imperatoriam Aulam deduci, ab eoqve veſtem undulatam, ſericam mitram pretioſiſſimam, atqve pedum paſtorale accipere, albo tùm eqvo impoſitum, & ſolenni proceſſu Clericorum per urbem circumvectum, tandem in thronum Patriarchalem in ſignum adepti Juris Patriarchici collocari conſveviſſe.

3 Eadem Poteſtas Occidentalibus quoqve Imperatoribus competebat, qvæ primo per ipſos Apoſtolos *Actor. cap. 1. v. 21. & cap. 13. v. 2.* Exinde per Clerum & Populum. Et demum per accedentem conſenſum Imperatorum *C. Breviter. Diſt. 62.* expediri ſolita eſt.

4 Idem Jus in Galliâ, Hiſpaniâ, Angliâ, Scotiâ & Hungariâ Reges exercere, ait *Walranus Epiſc. Nauenburg. Tr. de Inveſt. Epiſcop.* In Galljis qvidem per Concordata inter *Leonem X. & Franciſcum I. de Anno 1517.* quibus omne Jus Eligendi, aut Poſtulandi Prælatos Canonicis ademptum, & Regi abſolutè conceſſum. *Concord. tit. de Reg. & Præl. nom. faci.*

5 Similiter Rex Hiſpaniarum ſine ullâ controverſiâ Jus & quaſi poſſeſſionem Nominandi & Eligendi Epiſcopos habet jam inde à Concilio Toletano 12. celebrato primo anno Hervigij Gothorum Regis, qui tùm Hiſpanias obtine-
6 bat *A. C. 685.* In Imperio noſtro Romano-Germanico Eligendi poteſtatem ad Capitula Canonicorum translatam eſſe

eſſe paſſim conſtat. *C. Valentinianus. in f. Diſt. 63.* Inque Authoritate Imperatorum: qvòd vel unicum Exemplum *Ottonis II.* probat, qui Capitulo Magdeburgenſi liberam poteſtatem eligendi ArchiPræſulem dedit. *Matth. Steph. de Jurisd. lib. 3. P. 1. cap. 7. n. 36.*

Quod verò ad Inveſtituram Perſonarum Eccleſiaſticarum attinet; Eam Imperatoribus competiiſſe certum eſt, donec inter *Calixtum* II. Pontificem, & *Henricum V. Imper.* transactio inita: Vi cujus omnes Epiſcoporum & Abbatum Inveſtituræ per Annulum & Baculum fieri ſolitæ, Pontifici ceſſæ ſunt: Conceſſiones autem & Inveſtituræ Feudorum Regalium Imperatori reſervatæ. *Nicolaus Serarius Chron. Mog. in ArchiEpiſcop. 25. P. 810. Onuphr. in Addit. ad Platin. in vit. Calixt. Otto Friſing. l. 7. cap. 14. & 16.* Quam tandem inſecuta ſunt alia Pacta inter *Nicolaum V. & Fridericum III.* Principesque Germaniæ (ſvaſu *Æneæ* Sylvij, ut putat Platin. in Pio 2.) *Anno 1447. Calend. April.* inita, & vulgò Concordata Germaniæ dicta. *Seld.* Vice-Cantzler in ſeinem Bedencken an Kayſer Ferdinandum in C. 1. §. Weil dann Ewrer Majeſtät Hoch-löbliche Vorfahren ꝛc. Ne ſcilicet ArchiEpiſcopis & Epiſcopis Regalia ab Imperatore aliter concedi poſſint, qvam confirmatis à Pontifice. Quibus fortè Epiſcopi Reformatæ Religionis hodie non obligantur, quia Transactione Paſſavienſi omnis Jurisdictio Pontificis Eccleſiaſtica, & conſequenter, ſi quædam ſunt Concordata, ſuſpenſa ſunt.

SECTIO

Sectio X.

De Jure Nobilitandi & conferendi Inſignia Nobilitatis.

SUMMARIA.

1 Jus Summæ Poteſtatis & Regale majus eſt Nobilitatio & collatio inſignium Nobilitatis.
2 Nobilitatio quid ſit?
3 Nobilitandi conſvetudo jam à tempore Zenonis in uſu fuit, & ita ultra mille annos.
4 Perſona Nobilitans primaria eſt Auguſtiſſimus Imperator.
5 Qui tanquam ſtella matutina eminet inter omnes Reges.
6 Ab eo ſcaturiunt omnes Dignitates tanquam à fonte.
7 Sola nominatio conſtituit Duces, Marchiones, Comites, Barones, Nobiles.
8 Ad hunc actum certa ſcientia & voluntas reqviritur.
9 Diplomatibus annectitur pœna in turbatores & contravenientes.
10 Ejusmodi Nobilitati habilitantur ad Equeſtres ludos vulgò Turnier reiten.
11 Hi ludi Eqveſtres à qvo inſtituti & qvare?
12 Qui tandem Legibus ornati & modus in admittendis perſonis præſcriptus.
13 Poteſtas Nobilitandi etiam Regum propria eſt.
14 Eâ gaudent omnes alij Superiorem non recognoſcentes, qvorum aliqvi in ſpecie numerantur.
15 Item Sereniſſimi ArchiDuces Auſtriæ, qui etiam Comites & Barones creant, atqve indignos iterum privant.
16 Refert Privilegium Munſterus.
17 Conferunt eandem Dignitatem Comites Palatini, poteſtatem ab Imperatore habentes.
18 De Nobilium prærogativis tractat Limnæus & alij.
19 An immediata Imperii Nobilitas ſit inter Status Imperij & an Civitatibus præferantur?
20 Qvomodo dividatur Imperii immediata Nobilitas?
21 Qvid in Subjecto Nobilitando concurrere debeat?

1 Summa Poteſtas non tantum in creatione Ducum, Comitum & Baronum; ſed etiam in Jure creandi Nobiles & conferendi inſignia Nobilitatis eminet, & numerum Regalium majorum auget. *Regn. Sixtin. lib. 1, cap. 2. num. 36.* de

de Regal. Petr. Fritz. in Diſſert. de Nobil. Concl. 4. Nobili-
tatemque plenam contra *Hippol. à Collib. in ſuâ Nobil.*
Concl. 59. tribuit. Qvæ ſecundum *Egvin. Baron. de Nobil.*
lib. 3. c. 2. & de Feud. lib. 2. c. 4. eſt *Excellentia Beneficio* 2
Principis ac Legis in aliqvem collata, qvâ plebejorum numero qvis
eximitur. Nec inventum nuperum eſt, ut qvidam falſo e- 3
xiſtimant, ſed hæc nobilitandi conſvetudo tempore *Zenonis*
Imperatoris ante mille annos & ultra in uſu fuit. *Conrad. La-*
gus in Method. Jur. Civil. P. 2.

Circa hunc actum Nobilitatis duo examinabimus: 4
Perſonam ſcilicet Nobilitantis: Et ſubjectum Nobilitan-
dum.

Perſonam Nobilitantis qvod attinet, ea in Auguſtiſſi-
mo Imperatore Primario eluceſcit, qui tanquam ſtella 5
matutina eminet inter omnes Reges in medio nebulæ me- 6
ridionalis, *Schrad. de Feud. P. 3. num. 51.* à qvo ſcaturiunt
omnes Dignitates tanqvam à fonte ſuo & principio, *Gail. 1.*
obſer. 30. num. 25. ad quem rurſus tanqvam rivuli & flumi-
na ad mare redeunt, *Paurmeiſt. de Juriſd. c. 4. num. 22.* Solâ 7
ille nominatione conſtituit Duces, Marchiones, Comites,
Nobiles, *Molin. de Hiſpan. Primog. lib. 1. c. 11. n. 22.* Quæ
licet ſufficere poſſit, Diplomatibus tamen Cæſareis in ſig- 8
num conceſſæ prærogativæ confirmatur, ut de certâ ſci-
entiâ & voluntate conſtare posſit, quæ clarisſimis verbis
neceſſaria exprimenda eſt, & communiter annectitur com- 9
minatio pœnæ contra turbatores, aut alios, qui Juribus
hiſce inferre conantur.

Quod Regale Summum & vere Imperatorium eò ſe-
ſe extendit, ut etiam Homines Novi, & ſecundum Legem
Eqveſtrium Ludorum omnes quatuor avos Nobiles non 10
habentes (Die nicht von Vatter und Mutter/und derſelben Groß-
und Elter-Vatter/auch Groß- und Elter-Mutter/ von Alters her
ererbtes Helm und Schild auffzulegen haben/) per Nobilitatio-
nis actum ad illos ipſos Ludos Turnier reiten admittantur:
qvos

11 qvos ab Henrico primo cognominato Aucupe, poſtquam obtritos, inquietos Imperij Romani finibus accolas incurſionibus omnia vaſtantes debellaſſet, inſtitutos fuiſſe tradit *Matth. Steph. de Jurisd. lib. 2. P. 1. m. 2. n. 77.*

12 Qui Ludi tandem certis Legibus ornati ſunt, & modus in admittendis perſonis præſcriptus eſt, inter eas maximè notabilis & præjudicialis illa comprehenditur: Ut nemo niſi quatuor avorum Nobilitate clarus ad Eqveſtrem hunc actum admitteretur. *vid. Author.* deß Turnierbuchs.

13 Poteſtas Nobilitandi etiam Regibus in Regnis eorum propria eſt, *Matth. Steph. de Jurisd. lib. 2. P. 1. m. 2. n. 18.* tantum enim poſſunt in Ditionibus ſuis quantum Imperator in Imperio, *Peregr. de Jur. Fiſc. lib. 1. c. 2. num. 44. & ſeqq.* id quod in ſpecie de Delphino Franciæ tradit *Stephan. Bertrand. Conſ. 42. vol. 1. P. 1.* De Rege Hiſpaniæ, *Fernand. Vasq. lib. 1. Illuſt. Quæſt. c. 22. num. 11.* De Rege Angliæ *Sonsbeck. de Feud. P. 6. 1. 4.* De Rege Poloniæ, *Arniſ. de Jurib. Majeſt. c. 2. num. 6.* De Rege Sveciæ, *Laur. Kirchhof. Cons. 27. num. 28.* De Rege Daniæ, *Gail. de Arreſt. C. 16. num. 10.*

14 Nobilitatis privilegia porro conferunt omnes alij ſuperiorem non recognoſcentes perpetuamque Jurisdictionem habentes: uti Dux Mediolanenſis, *Peregr. lib. 1. Cons. 1. num. 36.* Dux Sabaudiæ, *Teſſaur. in Præfat. Decis. Pedem. num. 13. & ſeq.* Dux Ferrariæ, *Menoch. lib. 1. Cons. 92. num. 32.* Dux Florentiæ, Dux Moſcoviæ & plures alij, qui ob ſummam & independentem Jurisdictionem hanc Poteſtatem aſſumpſerunt. *Nicol. Betſ. de Pact. & Stat. Famil. Illuſtr. c. 8. p. 428.*

15 Eadem prærogativa competit qvoqve Archiducibus Auſtriæ, ut non tantum Nobiles creare, ſed etiam Comitum & Baronum titulos conferre, imò etiam ſi abutantur, Dignitatibus privare valeant. *Sixtin. de Regal. lib. 1. C. 4. num. 34. Conrad.* Einſiedel. *de Regal. c. 2. num. 135.* Doch daß

ſie

ſie voran gebührlich Gelübd/und Eyd darumb von Ihnen an deß Kayſers und Reichsſtatt nehmen/als ſolch Gelübd und Eydt von deroſelben Ehren und Würdigkeit wegen zu thun gebühret. *Sebaſt. Münſter. lib. 3. Coſmog. C. 406.* Ubi totum proſtat privilegium, quod ex parte prodfert *Gylm. Rer. in Cam. Judic. lib. 2. Deciſ. 54. num. 39.* 16

Qua ratione Collegium Electorale & Rex Bohemiæ Jus nobilitandi ſibi vindicent, deducit *Limnæus de J. P. lib. 6. cap. 1. n. 31. 32.*

Creantur & hodie Comites Palatini, quibus Nobilitandi Poteſtas conceditur, & pasſim vocatur das groſſe Palatinat, quâ gaudet inter alia eximia privilegia Celſisſimus Princeps ac Dominus *Joannes Adolphus de Schwartzenberg*, Princeps ob ſummam prudentiam, miram in negotijs Status dexteritatem, & Juſtitiam æqualem ubique deprædicatus. 17

De Nobilium prærogativis atq; privilegijs hic tractare inſtitutum noſtrum reſpuit. Ea tamen videri poſſunt apud *Limn. J. P. lib. 6. cap. 4. n. 21. 22. Joſ. Nold. de Stat. Nob. Civ. horumque privil. c. 9. usqve ad 19.* An immediata Imperii Nobilitas ſit inter Status Imperii aut fuerit & an præferatur Civitatibus tractant *Limn. de J. P. lib. 6. cap. 3. n. 7. & 24. Beſold. Th. Pract. voc.* Ritter. *Arum. de Comit. C. 4. §. 2. p. 110. & §. 124. p. 223.* Quomodo dividatur Imperij immediata Nobilitas? Vid. *Limn. J. P. lib. 6. cap. 3. n. 45. 56. 58. Wehn. voc.* Ritterſchafft. 18 19 20

Qui plenam Nobilium & Nobilitatis deſiderat cognitionem, adeat *Tiraqvell. Frizium, Simonium de Nobil. Beſold. de Ord. Eqveſt. Lib. Imp. immed. ſubi. Joſ. Nold. de Statu Nobil.* Et Conſtitutiones Eqveſtrium Ordinum, qvæ pasſim extant.

In ſubjecto Nobilitando illud occurrit, ut virtus aliqua Civilis, vel togata vel militaris præcedat, qvia præmium dicitur, quod præſupponit meritum. Hinc eſt, quod 21

dicit *Friz. de Nobil. Concl. 9.* hominem nullo Reſpublicæ merito clarum Nobilitatem non accipere. An Doctoratus in Jurisprudentiâ nobilitet? diſputat *Conrad. Einſiedel. de Regal. c. 2. n. 539.*

SECTIO XI.

De Jure Comites Palatinos, Doctores, Licentiatos, Magiſtros, Poetas Laureatos, & Baccalaureos, Item Notarios creandi.

SUMMARIA.

1 *Qui intelligantur per Comites Palatinos?*
2 *Privilegia Doctorum à Palatinis creatorum.*
3 *Licentiati qvi dicantur?*
4 *Magiſterij titulus qvid importet?*
5 *An Baccalaureorum creatio ſit de Regalibus? (majoribus.*
6 *Creatio Notariorum eſt de Regalib9*
7 *Abuſus hodiernus in Notariorum creatione.*
8 *Officium Notariorum.*

1 PEr Comites Palatinos non intelligimus eos, qui Principes Imperij ſunt, ſed qvi ab Imperatore Doctores, Licentiatos, Magiſtros, Poetas Laureatos creandi atqve ſpurios & Naturales legitimandi poteſtatem accipiunt, quam inter Reſervata Summi Principis rectè recenſet *Henricus à Roſenthal. de Feud. c. 5. Concl. 2. num. 4. Bocer. de Regal. c. 2. num. 246.*

2 Doctores ita creati omnia Doctoratus Privilegia plenè conſeqvuntur, & eodem modo; quo ij, qui in Academijs honores Doctorales adepti ſunt, contra *Joann. Becht. Tract. de Secur. & ſalvo cond.* Contrarium enim conſtituendo Jus Imperatoriæ Majeſtatis, à quâ omnes Dignitates fluunt, diſputare, & Academicas illo deſtituere qvis videretur: Quia non minus ſcholæ his privilegijs ab Impera-

tore donantur, ac etiam ipſi Palatini *Matth. Steph. de Juriſd. Imp. lib. 2. P. 1. cap. 6. m. 1. num. 74. & ſeqq.* quibus tamen in privilegio injungitur, ut tres Doctores, qui examini interſint, adhibeant *Matth. Steph. d. l. n. 73.*

Licentiatos dicimus eos cum *Gregor. Tholoſ. de Art. Jur. C. 34. num. 18.* qui habent Licentiam Doctorandi, in quibus eadem eſſentialia reqviruntur ac in Doctore. 3

Magiſterij titulus generalis eſt & ſpecialis. Generalis communis eſt Baccalaureis, Licentiatis, Doctoribus, nec non militibus. Specialis tribuitur Artium Liberalium Studioſis. *Regn. Sixt. de Regal. lib. 1. cap. 2. n. 32.* 4

Hic miror *Hieron. Treutlerum. vol. 1. th. 7. lit. A.* profiteri Baccalaurei creationem nihil in ſe habere Regalium. Qui ideò meritò à *Bacchov. ad eund. loc.* corripitur: Quod enim Baccalaureatus Dignitas ſit, nullum dubium eſt. Teſtis eſt *Albertus IV.* Dux Bavariæ Ingolſtadianæ Academiæ Author, qui Artium Studia eo proſecutus eſt honore, ut ipſe adhuc adoleſcens non tantum primi gradus Lauream Lutetiæ ſumpſerit, ſed etiam inſignia, quæ Baccalaureos ab alijs diſtingvant, publicè per plateas geſtaverit. 5

Creatio Tabellionum & Notariorum ad Regalia Majora qvoqve pertinet, *Treutl. vol. 2. Diſp. 5. th. 2. lit. B. Joachim. Cluten. in Syllog. Rerum qvotid. th. 20. lit. H.* & Imperatoris propria eſt, *Matth. Steph. de Juriſd. lib. 2. P. 2. c. 5. num. 2.* nec non etiam Electorum & Principum Imperij. Intellige intra territorium eorum. *Matth. Steph. num. 7.* Eadem poteſtas competere cœpit etiam Comitibus Palatinis, *Paurmeiſt. de Juriſd. Imp. Rom. lib. 2. cap. 10. num. 19.* Per quam Notarij Juriſdictionem aliquam conſequuntur, & Judices chartularij vocantur. *Coler. de Proceſſ. Execut. P. 1. c. 3. num. 18.* In qvorum creatione magnum hodiè abuſum apparere, ingemiſcit. *Theod. Reinking. de Regim. Secul. & Eccleſ. lib. 1. claſſ. IV. cap. 13. num. 40.* quod ſæpè ad hoc 6 7

officium creentur hi, qui non ſolum nullam Juris Civilis cognitionem habent, ſed neqvidem congruè ſcribere, aut literas pingere poſſunt. Rationem vel inde deſumit *Reinking. d. l.* Quod ejusmodi Comites Palatini non ſatis expendât, quàm præſtans, quantique momenti ſit illud Regale, & qvantoperè Reipubl. interſit, ne illâ poteſtate abutantur.

8 Officium autem Notariorum in qvo conſiſtat, Conſtitutio *Maximiliani I. Imperatoris in R. J. Colonienſi de Anno 1512.* Römiſche Kayſerl. Majeſtät Ordnung / zu Unterrichtung der offen Notarien / wie ſie ihre Aempter verrichten ſollen / abundè declarat. Vid. *Nicol. Hunthem in Art. Notar.* & alij, qui in conſcribendo Notariorum munere occupati fuêre.

SECTIO XII.

De Jure conſtituendi Magiſtratus.

SUMMARIA.

1 *Olim exactis Urbe Regibus, Populus Magiſtratus creabat, à qvo Lege Regiâ ad Imperatores pervenit.*

2 *Hæc poteſtas in Julio Cæſare firmata eſt.*

3 *Conſtitutio Magiſtratuum reſultat ex poteſtate Legislatoriâ ad exeqvendum id, qvod Legibus cavetur.*

4 *Per demandatam Jurisdictionem Principi nil decedit.*

5 *Quinimò Principi neceſſaria eſt: Exemplum patet in Auguſto & Tiberio.*

6 *Creatio Magiſtratuum Regalibus Majoribus annumeratur.*

7 *An diſtingvendum ſit inter Magiſtratus Majores & Minores?*

8 *Refellitur Bodinus, qvi putat hoc Jus non eſſe Regale ideò, qvod inferioribus qvoqve communicetur.*

9 *Qui hodie per majores Magiſtratus intelligantur?*

10 *Invectio in Injuſtitiam noſtrorum temporum.*

11 *Nil turpius qvàm Magiſtratuum & honorum mercatura.*

12 *Juſtitiæ etiam Sacerdotum lapſus freqvens.*

13 *Sa-*

13 Saluberrima Conſtitutio Imperatoris Juſtiniani de conſtituendis Magiſtratibus.

14 Quâ ratione qualitas perſonæ in deferendâ Magiſtratus curâ attendi debeat?

15 An ſola Magiſtratuum creatio quæ circa Juſtitiam expediendam verſatur Regalibus majoribus annumeretur?

16 Diſtingvitur inter Collationem, & Electionem Magiſtratuum: Electio etiam inferioribus competere poteſt.

DE veteri Romanorum Magiſtratuum formâ multâ diſſerere ab inſtituti noſtri ratione alienum foret: functiones enim eorum diverſæ diverſam reqvirunt indagationem. Ideoqve de Summâ illâ Poteſtate Conſtitutionis ſupremorum Judicum tantum nobis ſermo erit, qvatenus noſtram Regalibus intentam mentem attingere videa- 1
tur. Jam verò notum eſt hoc Jus conſtituendi Magiſtratus olim exactis Urbe Regibus ad Populum à *Publio Valerio* deveniſſe, & demum Lege Regiâ Imperatoribus per translationem à Populo Romano factam competijſſe, *l. un. ff. ad Leg. Jul. de Ambit. Roſenthal. in Synopſ. Feud. cap. 5. Concl. 87.* quod in *Cajo Julio Cæſare* Monarchiæ fundatore 2
firmatum fuiſſe conſtat, qvi Senatum ſupplevit, Patrios allegit, Prætorum, Ædilium, Qvæſtorum, etiam Minorum Magiſtratuum numerum ampliavit. *Omnes Magiſtratus*, inquit Dion. lib. 43. *ejus poteſtati etiam plebejos permiſerunt, utqve ſolus milites haberet, ſolus publicas pecunias curaret.* Scilicet in ſignum Majeſtatis & ſummæ illius præeminentiæ reſultantis ex poteſtate Legislatoria ad exeqvendum id 3
quod Legibus cavetur, quæ Magiſtratibus communicatur, non quod proprio nomine Jurisdictionem & Imperium exerceant, ſed ut Imperatori, qui in vaſtiſſimo Romanorum Imperio alijs intermedijs perſonis indiget, per ſuppletionem Jurisdictionis aſſiſterent, & non aliundè quàm ab ipſo provenire ſcirent. Neque propterea per hanc demanda- 4
tam Jurisdictionem Majeſtati Summi Principis qvidqvam derogatur, qvod falsò putavit *Halicarnaſſæus lib. 4.* in perſo-

officium creentur hi, qui non ſolum nullam Juris Civilis cognitionem habent, ſed neqvidem congruè ſcribere, aut literas pingere poſſunt. Rationem vel inde deſumit *Reinking. d. l.* Quod ejusmodi Comites Palatini non ſatis expendât, quàm præſtans, quantique momenti ſit illud Regale, & qvantoperè Reipubl. interſit, ne illâ poteſtate abutantur.

8 Officium autem Notariorum in qvo conſiſtat, Conſtitutio *Maximiliani I. Imperatoris in R. J. Colonienſi de Anno 1512.* Römiſche Kayſerl. Majeſtät Ordnung / zu Unterrichtung der offen Notarien / wie ſie ihre Aempter verrichten ſollen / abundè declarat. Vid. *Nicol. Hunthem in Art. Notar.* & alij, qui in conſcribendo Notariorum munere occupati fuêre.

SECTIO XII.

De Jure conſtituendi Magiſtratus.

SUMMARIA.

1 Olim exactis Urbe Regibus, Populus Magiſtratus creabat, à qvo Lege Regiâ ad Imperatores pervenit.

2 Hæc poteſtas in Julio Cæſare firmata eſt.

3 Conſtitutio Magiſtratuum reſultat ex poteſtate Legislatoriâ ad exeqvendum id, qvod Legibus cavetur.

4 Per demandatam Jurisdictionem Principi nil decedit.

5 Quinimò Principi neceſſaria eſt: Exemplum patet in Auguſto & Tiberio.

6 Creatio Magiſtratuum Regalibus Majoribus annumeratur.

7 An diſtingvendum ſit inter Magiſtratus Majores & Minores?

8 Refellitur Bodinus, qvi putat hoc Jus non eſſe Regale ideò, qvod inferioribus qvoqve communicetur.

9 Qui hodie per majores Magiſtratus intelligantur?

10 Invectio in Injuſtitiam noſtrorum temporum.

11 Nil turpius qvàm Magiſtratuum & honorum mercatura.

12 Juſtitiæ etiam Sacerdotum lapſus freqvens.

13 Sa-

13 Saluberrima Conſtitutio Imperatoris Juſtiniani de conſtituendis Magiſtratibus.
14 Quâ ratione qualitas perſonæ in deferendâ Magiſtratus curâ attendi debeat?
15 An ſola Magiſtratuum creatio quæ circa Juſtitiam expediendam verſatur Regalibus majoribus annumeretur?
16 Diſtingvitur inter Collationem & Electionem Magiſtratuum; Electio etiam inferioribus competere poteſt.

DE veteri Romanorum Magiſtratuum formâ multâ diſſerere ab inſtituti noſtri ratione alienum foret: functiones enim eorum diverſæ diverſam reqvirunt indagationem. Ideoqve de Summâ illâ Poteſtate Conſtitutionis ſupremorum Judicum tantum nobis ſermo erit, qvatenus noſtram Regalibus intentam mentem attingere videatur. 1
Jam verò notum eſt hoc Jus conſtituendi Magiſtratus olim exactis Urbe Regibus ad Populum à *Publio Valerio* deveniſſe, & demum Lege Regiâ Imperatoribus per translationem à Populo Romano factam competijſſe, *l. un. ff. ad Leg. Jul. de Ambit. Roſenthal. in Synopſ. Feud. cap. 5. Concl. 87.* quod in *Cajo Julio Cæſare* Monarchiæ fundatore 2
firmatum fuiſſe conſtat, qvi Senatum ſupplevit, Patrios allegit, Prætorum, Ædilium, Qvæſtorum, etiam Minorum Magiſtratuum numerum ampliavit. *Omnes Magiſtratus*, inquit Dion. lib. 43. *ejus poteſtati etiam plebejos permiſerunt, utqve ſolus milites haberet, ſolus publicas pecunias curaret.* Scilicet in ſignum Majeſtatis & ſummæ illius præeminentiæ reſultantis ex poteſtate Legislatoria ad exeqvendum id 3
quod Legibus cavetur, quæ Magiſtratibus communicatur, non quod proprio nomine Jurisdictionem & Imperium exerceant, ſed ut Imperatori, qui in vaſtiſſimo Romanorum Imperio alijs intermedijs perſonis indiget, per ſuppletionem Jurisdictionis aſſiſterent, & non aliundè quàm ab ipſo provenire ſcirent. Neque propterea per hanc demanda- 4
tam Jurisdictionem Majeſtati Summi Principis qvidqvam derogatur, qvod falſò putavit *Halicarnaſſæus lib. 4.* in per-

ſonâ *Servij*, quem dimidium potentiæ Regiæ detraxiſſe ar-
guit, quod privatas cauſas, quarum cognitionem ipſi an-
tea Reges ſibi tribuebant, privatorum Judicum commit-
5 teret Judicio: Id enim Optimum Principem decet, qui
cum cunctis privatorum negotiis ſufficere haud poſſit, aliis
ea demandet, Exemplo *Tiberij* apud *Tacit. 3. Annal. Se nec*
Ædilis, nec Oratoris, nec Conſulis partes ſuſtinere, majus aliqvid
& excelſius à Principe poſtulari. Quod jam ante *Mecœnas*
apud *Dion. lib. 52.* Auguſtum monuit: *ut cœtera Magiſtra-*
tibus permitteret. Ex qvâ permiſſione Majeſtatem Princi-
pis ita deprehendere licet, ut nullus hanc poteſtatem ſibi
arrogare poſſit. *Modeſtin. in l. un. ff. ad Leg. Jul. de Ambit.*
ad Curam, inquit, *Principis Magiſtratuum creatio pertinet non*
ad favorem Populi. prout etiam ipſe *Mecœnas* Auguſto *a-*
pud Dionem ſvaſit, ut ſolus ſine plebe, populo ac Senatu
Magiſtratus crearet. Ut inde meritò cum *Friderico I. Imp.*
6 *in tit. 56. lib. 2. Feud.* Ampliſſimam Magiſtratuum con-
ſtituendorum poteſtatem inter Regalia Majora numere-
mus, *Regn. Sixtin. lib. 1. c. 5. num. 7. Coler. de Jur. Imp. Ger-*
man, th. 22. quia, ut inqvit Zonaras, *creatio Magiſtratuum*
7 *maxima pars eſt muneris Imperatorij.* Neque diſtinguimus
inter Majores & Minores Magiſtratus: Cum utroqve
caſu Regale majus importent, quantumvis etiam ab infe-
riore quandoqve conſtitui videamus, ut ideò *Bodin. lib. 1.*
8 *de Republ. c. 10,* rectè reprehendendus veniat, qui propte-
rea creationem Magiſtratuum è numero Regalium expun-
gere videtur, qvod non ſoli Majeſtati, ſed & inferioribus
communicetur: Ex eâ enim argumentatione ſequeretur
reliqua Regalia etiam inferioribus competentia, ut Vecti-
galia erigere &c. numero Regalium contineri minimè
debere, qvod abſurdiſſimum eſſet; cum ſcimus quibuſ-
dam Jus Vectigalia erigendi competere, nec propterea
Regale majus eſſe deſinere. Accedit qvod proprio Jure
habere non cenſeantur, ſed ex conceſſione Summi Princi-
pis,

pis, cujus Jus indè non læditur, exerceant, omnisque Jurisdictio, quamvel mediatè vel immediatè ab Imperatore accipiunt, ab eodem profluat.

Majores Magiſtratus in Imperio noſtro Romano-Germanico forte dici poſſunt, qui nomine Ducum, Marchionum, Landgraviorum atque Comitum veniunt, & olim officij nomen habuére, hodiè verò Dignitatis nomine gloriantur & Jurisdictionem exercent. Veri tamen proprijque Magiſtratus exempla proſtant in Regimento, in Camerâ & Conſilio Imperiali Aulico. *Paurmeiſt. de Jurisd. lib. 1. cap. 26. §. 8. & 9.* Magiſtratus Militares: Krieß-Obriſten hiſce quoq; rectè annumeraveris, qui circa Juſtitiam expediendam vel maximè verſantur, conformiter textui in *tit. 56. lib. 2. Feud. ibi: poteſtas conſtituendorum Magiſtratuum ad Juſtitiam expediendam.* quæ inter alias eminentes Regalium ſpecies vel ideò maximè attendenda erit, 9
quod nulla major peſtis ſit Reipublicæ quàm injuſtitia, 10
& omnium Rerump. & Regnorum fundamenta Juſtitiâ nitantur, *Regn. Sixtin. de Regal. lib. 2. c. 11. num. 30.* quæ Reipublicæ peſtis eo facilius arrepere conatur, quando admittuntur, qui ambitione aut pretio interveniente ſanctæ huic functioni præeſſe debent. Nihil enim pernitioſius quàm Magiſtratum quæſtui habere, & Dignitatem non virtute ſed pecuniâ emere; ut rectè dixerit *Bodin. lib. 6. cap. 2. pag. mihi 1018. de Republ.* poſtquam mercaturam Principum reprehendiſſet; *omnium ſordidorum mercaturæ generum, quæ multa ac varia ſunt, nullum ſordidius, nullum turpius, nullum deteſtabilius Magiſtratuum & honorum mercaturâ, quæ nunquam tolerabilis eſſe poteſt, niſi extremis temporibus, ut ſaluti Reipubl. conſulatur.* Unde evenit, ut pecunia non prudentia, quæſtus, non virtus, affectio hominis, non moderatio æquitatis in Civitate regnent, & gloriam atque honorem, contra ſententiam *Auguſtini lib. 5. de Civit. Dei.* ſequatur virtus. De hoc inverſo ordine noſtrorum tempo- 11

rum ætas Jure meritiſſimo conqueri poſſet, quo perſpicaces ingenij & doctrinæ oculi deprimuntur, & abſconditi corruptionis loculi, nil niſi injuſtitiam foventes, primas
12 tenent, & hinc fortiſſimi nonnunquam, imò etiam Juſtitiæ Sacerdotes (quo ſacro nomine adhuc indigitari volunt) recto rationis lumine privantur, atque in exitium ſubditorum nil niſi ſimulacra Juſtitiæ præferunt. Quo turpi qvæ-
13 ſtu motus Sacratisſimus Imperator Juſtinianus in *Nov. 8. cap. 1. de Magiſtratibus ſine ſuffragii datione creandis*, ſaluberrimè, O utinam perpetuo! conſtituit, ut Magiſtratus ſolenni Juramento obſtringerentur, & ſecundum formulam Juramenti *d. Nov. cap. 7.* inſertam jurarent, ſe nihil dediſſe vel daturos eſſe, & ſicut ſine ſuffragio accepiſſent adminiſtrationem, ſic eam puris ſervaturos manibus, & Deo & Imperatori pro eâ rationem reddituros. *d. Novell. 8. cap. 7.*

14 Perſonæ itaque habilitas & qvalitas in deferendâ Magiſtratus Curâ præcipuè attendatur, non ad morem Æthiopum, qui maximum & validiſſimum eligunt, cui in corporis Majeſtate veneratio eſt, atqve majorum operum alias capaces non putant, quàm qvos maximâ ſpecie donare natura dignata eſt, ſed ſecundum rationem fundatam in Nobilitate Viri pariter ac virtute omnibus probatâ; ſæpius etiam in origine natalium, quando cum Nobilitate concurrunt prudentia, experientia & animus à corruptione alienus, quæ Magiſtratus Authoritatem & perſonæ Dignitatem commendant.

15 An itaque ſola Magiſtratuum creatio, quæ circa Juſtitiam expediendam verſatur, de Regalibus Majoribus erit? fortè ita dicendum foret, per *tit. 56. 2. Feud.* in qvo tantum mentio fit Juſtitiæ ad excluſionem alius cujuscunque Magiſtratus. Aſt contrarium tamen tenerem, cum ſciamus Jurisconſultos Bononienſes ea tantum Regalia recenſuiſſe, quæ dubium erat, utrum Imperatori deberentur:

tur: Et aliundè notum à tempore *Ottonis Magni* usque ad *Rudolphum Habſpurgenſem* mitti ſolitos nuncios aut Vicarios Imperatorum in Italiam qui reliquis Magiſtratibus præeſſent; imò etiam Imperatores non ſolum Judices, ſed etiam locorum defenſores & quoscunqve Magiſtratus conſtituiſſe, *Sigon. lib. 12. Hiſt. Ital.* atque Duces, Marchiones, Comites, creaſſe, quorum officium ad plura extenditur, quâm ad expediendam Juſtitiam. Ex quibus cuique patebit Dignitas hujus Regalis Juris creandi Magiſtratus, quæ nemini niſi Summo Principi competere poteſt: intellige Collationem, non verò Electionem. Hæc enim & inferioribus rectè communicatur. Exempla obvia ſunt in Civitatibus Imperialibus, ubi huiusmodi creationes Imperatoriâ authoritate fiunt, quamvis ipſæ Electiones à Civitatibus peragantur, quæ hanc poteſtatem non niſi expreſſo aut tacito Principis conſenſu habent.

SECTIO XIII.

De Jure erigendi Academias.

SUMMARIA.

1 Academiarum nomine qvid denotetur?
2 Earum erectio eſt de Regalibus, & privatim erectæ Imperatoriâ confirmatione indigent.
3 Pœnæ conſtitutæ in Inſtitutores Collegiorum illicitorum.
4 Multo majores in erigendis propriâ Authoritate Academiis locum habere deberent. Ratio.
5 Scholæ qvorum ſint ſeminaria?
6 Tendere debent ad propagandas virtutes & conſervandam Religionem.
7 Ad Legum interpretationem univerſa Respublica ſæpè corigitur.
8 Cauſa Repudij Anglicani Academiarum Authoritate ſuffulta.
9 Scriptores de privilegiis & prærogativis Academiarum.
10 Poteſtas erigendi Academiam Regi Sveciæ Inſtrum. Pac. conceſſa.

Academiæ ſive Univerſitates denotant Scholam Excellentem & ſublimem, in qvâ omnis Divina & Humana 1

Sapientia docetur diſciturqve, ita ut docentes & diſcentes gaudeant certis Juribus & privilegijs, præmiaqve & tituli gradusqve literarij merentibus honore & Jure ubique valituro decernantur, *Doctiſſ. Præceptor meus D. Henric. Boecler. in Not. Imp. Rom. lib. 23. cap. 1.* quarum inſtitutionem (qvia non niſi à Summâ Majeſtate procedere poſſunt) rectè cum *Regn. Sixtin. de Regal. lib. 1. cap. 2. n. 26. Matth. Stephan. de Jurisd. lib. 2. cap. 1. m. 2. num. 62. Vult. de Feud. c.*
2 *5. num. 7.* ad Regalia Majora referimus, & conſeqventer ſoli Imperatori & Regi Romanorum in Imperio Romano ita concedimus, ut, licet fortè ab inferioribus erigerentur, pro Conventiculis tamen privatis habeantur, niſi Confirmatione Imperatoriâ roboratæ ſint. *Joach. Cluten. in Syllog. Rer. qvotid. theſ. 21. lit. D. Frideric. Pruckmann. de Regal. cap. 3. num. 2. Bocer. de Regal. cap. 2. num. 121. Ordin. Cam. P. 1. tit. 3. §.* Deßgleichen ſollen die Beyſitzer ibi: In Univerſitäten/welche zum wenigſten von Unſern Vorfahren / Römiſchen Kayſern und Königen der ietzigen Kayſerl. Majeſtät/ oder Uns confirmirt. *Cluten. d. l.* Addatur *l. un. Cod. de Stud. Liberal. Urb. Rom. & Conſtant. lib. 11.* Ubi Imperatores privatis lectionibus in publicis Magiſtrationibus Cellulisq; ſublatis ſolum publicum auditorium conſtituerunt. Idem deprehenditur in Legibus Romanis, *l. Neqve Societas. 1. ff. Quod cujusqve Univerſ. nom. l. 1. & 3. ff. de Colleg. illicit.*
3 in quibus non tantum absque Authoritate Superiorum Collegia frequentare fas non erat, ſed inſuper extra ordinem puniebantur, ad Exemplum Legis Juliæ de vi publica *l. 2. ff. d. t.* Jam autem ſi tanta pœna in Inſtitutores Collegiorum illicitorum conſtituta eſt, ſine dubio propter metum conſpirationum & aliorum incommodorum, etiam levio-
4 rum: quanto magis eædem pœnæ imò majores in erigendis propriâ authoritate Academijs locum habere deberent, in quibus non conſpirationes & leviora incommoda, ſed multò majora timeri poſſunt; Cum non ſolum Reliqua Reip. membra ad Academias tanquam ad Oracula

ac-

accedere, & harum ſententijs ſtare videamus, ſed quia in ijsdem potiſſima pars inſtitutionis eorum Civium abſolvitur, qui aliquando clavum Reipubl. in manus ſument; nec dubium erit, quin talem habituri ſimus Rempublicam, qualem eam eſſe volunt, qui arte & doctrinâ eam gubernandam ſuſcipiunt, quod Invictiſſimo Imperatori Carolo V. incognitum non erat in *Reformatione Eccleſ. Stat. Imp. in Comitijs Auguſtanis Anno 1548. propoſitâ* quam depromit *Melch. Goldaſt. in Conſt. Imperial. tom. 2. cap. 6. fol. 329.* in cujus principio verba ſequentia habentur: *Scholæ ſemi-* 5
naria ſunt non Prælatorum tantum & Miniſtrorum Eccleſiæ, verum etiam Magiſtratuum & eorum, qvi conſiliis ſuis Reſpublicas gubernant, qvæ ſi negligantur aut depraventur, neceſſe erit & Eccleſias & Reſpublicas inde periclitari: propterea de earundem reſtauratione magna cura habenda eſt. Ne, ſecundum *Tholoſ. de Republ. lib. 18. cap. 5. num. 1.* ad ſeminanda potius vitia, 6
qvàm propagandas virtutes, & ad evertendam Eccleſiam magis, quàm conſervandam veram Religionem à qvibusdam privatâ authoritate inſtituantur: Quis enim neſcit in Academijs Religionis ſeminaria implantari in adultis Doctoribus aliqvando fructus editura, prout benè vel malè jacta fuerint? Quis non videt in ijs Leges explicari, ad 7
quarum interpretationem univerſa Reſpublica ſæpè corrigitur? Exemplum proſtat in *Friderico I. Imp.* repetente Regalia ab Italis, ex ſententiâ Juris conſultorum Bononienſium, uti ſupra *hoc. cap. 2. pr.* deduximus. Examinetur cauſa repudij in perſona *Henrici VIII.* Regis Angliæ, Aca- 8
demiarum quarundam authoritate ſuffulta. Ut meritò dicendum ſit ex iis tanquam Eqvo Trojano prodire viros cunctis Reipublicæ muneribus aptos, & tàm Religionis qvàm Juſtitiæ Sacerdotes Digniſſimos. Vid. *d. Reform. Eccleſ. de Anno. 1548. d. cap. 6. apud. Goldaſt. d. l. per. tot.*

De Juribus, privilegijs & prærogativis Academia- 9
rum & perſonarum in Rebus Literarijs occupatarum vi-

deri poſſunt *Joh. Giſen. de Vit. Academ. Lanſius de Acad. Qvirin. Cubach. ad Auth. Habita. Cod. Ne fil. pro pat. Arum. J. P. vol. 4. diſc. 33. Q. 9. pag. 114. Limn. J. P. 8. 3. 39. item 8. 6. & 9. & 10. & Add. Tom. IV. Beſold. de Jur. Acad. & Theſ. Pract. voc. Academien.*

10 De Cœtero quatenus Regi Sveciæ in *Inſtrum. Pac. Cæſar. & Svec. art. 10. §. 13.* Academiam erigendi poteſtas data ſit, videri poteſt in ipſo articulo, qvem exponit *Nobilis Dominus ab Andler, Corp. Conſt. Imp. vocab.* Academia Hohe Schul.

SECTIO XIV.

De Jure Comitiorum.

SUMMARIA.

1 *Comitiorum uſus antiqviſſimus in Hebræorum, Græcorum & Romanorum Politiâ.*

2 *Etiam hodie apud Hiſpanos, Gallos, Anglos & Polonos frequens.*

3 *Triplicia Romanorum Comitia in Populari Statu.*

4 *Imperatores Comitiorum Jus ad ſe traxerunt.*

5 *Demonſtratio antiqvitatis Comitiorum.*

6 *Venetis illo Jure nihil ſanctius atque antiqvius eſt.*

7 *Summam Majeſtatis notam præ ſe fert Jus indicendi Comitia.*

8 *Et Imperatori in Imperio Romano hodie limitate competit, qvod Antiqviores abſq; reſtrictione exercebant.*

9 *Ratio hujus reſtrictionis hodiernæ ab Arumæo allata.*

10 *Diſſentit Bertramus aliam afferens.*

11 *Ad indicenda Comitia Conſenſus Electorum per Capitulationes accedat neceſſe eſt, cujus interventus per Receſſus Imperii qvoqve probatur.*

12 *Clauſula hæc literis evocatoriis ad Comitia annecti ſolet.*

13 *Definitio Comitiorum in genere, ex qvâ deſumitur diſtributio in Univerſalia & Particularia.*

14 *Qvomodo Status Imperij hodie diſtribuantur?*

15 *Convocati Status qvomodo compareant, & an impune emaneant?*

16 *Paucitas Comparentium magna* in-

incommoda creat. Exemplum in Comitijs Ratisbonenſ. de Anno 1545.
17 Præſentia Principum rei feliciter gerendæ affert adjumentum.
18 Status Imperij per Legatos rectè comparent excuſationem abſentiæ ſaltem allegantes.
19 Circumſpectè agunt Legati, ſi in negotiis majoris momenti Principes ſuos reqvirant.
20 Arctius mandatum vulgo instructio in ſecretioribus dari illis ſolet.
21 Absqve Legatione Status Imperij vota ſua non rectè explicant.
22 Quænam res in Comitiis expediendæ veniant?
23 Forma Comitiorum Imperialium inqvibus conſiſtat?
24 An in decidendis Comitiorum negotiis majori parti votorum ſtetur vel non?
25 Regulariter ad univerſos refertur qvod ſit per majorem partem.
26 Quidnam dicendum de digniori & ſaniori voto?
27 Non valet concluſio; Eſt potentior, Ergo eſt dignior.
28 Sapientum antiquiſſimi majoribus olim votis ſtabant.
29 Eadem Lex apud Venetos adhuc viget.
30 In Eligendo Cæſare Collegium Electoralē majoribus acqvieſcit.
31 Probatur noſtra ſententia per Receſſus Imperij.
32 Limitatur tamen in cauſis conſcientiam & Religionem concernentibus.
33 Item in cauſis qvæ ad omnes tanquam ſingulos pertinent.
34 An cauſæ contributorum majoribus votis expediantur?
35 Scriptores qui verſantur circa qvæſtionem quatenus Imperator in caſu diſcordium votorum qvid ſtatuere poſſit vel non?
36 De Re & Correlatione & de voto deciſivo Civitatum Imperialium.
37 Comitia Particularia quomodo ſubdividantur?
38 Ex univerſo Collegij Imperio ſelecti Conventum Regimenti conſtituebant.
39 Quando & quibus ex cauſis Regimenti ordinatio cœperit?
40 Tempore Caroli V. Imperatoris in deſvetudinem abijt, & loco Regimenti Conventus Deputatorum inſtitutus.
41 Enumerantur Principes, qvi Deputatorum numero continentur.
42 Quibus plures R. J. de Anno 1559. & R. J. de Anno 1570. additi.
43 Et demum Inſtrumento Pacis mandatum ut numerus Deputatorum augeretur, & ratione Religionis æqvaretur.
44 Recenſentur Status R. J. de Anno 1654. adjuncti.
45 Secundum hunc ordinem Deputatio Francofurti inſtituta.
46 Quid ſint Deputati Cameræ?
47 Particularium Comitiorum nomine

nomine veniunt Conventus Electorum Legales dicti.

48 *Ut ſunt* Churfürſten = oder *Collegial*-Tage/ *in qvibus conſultant de arduis negotiis & conveniunt absque ſpeciali veniâ Imperatoris.*

49 *Unde hoc privilegium Electores habeant?*

50 *In hiſce Conventibus Rex Bohemiæ non comparet. Hinc acres diſputationes inter Goldaſtum & Arumæum.*

51 *Conventus Electorum reſpicientes Electionem Cæſaream dicuntur* Wahltäg.

52 *Webnerus hos ſubdividit in Liberos & non adeo Liberos.*

53 *Recenſentur Scriptores qvidam Electionum Imperatorum.*

54 *Sub Comitiis Particularibus ſunt etiam Conventus Circulorum,* Kräyſtäg/ *qvorum ſex numerantur.*

55 *His acceſſerunt qvatuor alij.*

56 *Goldaſtus addere voluit Undecimum ſcilicet Bohemicum.*

57 *Aliqvando in Comitiis deliberatum de duobus novis Circulis Bohemico & Boruſſico.*

58 *Conventus Circulorum vel ſunt Generales vel Particulares.*

59 *Et ſunt Ordinarii vel Extraordinarij.*

60 *Gravamina Statuum de Extraordinario & collectandi modo.*

61 *Reſtauratio Circulorum commendatur.*

1 COmitiorum uſum antiqviſſimum eſſe ſat ſuperqve ex *Althus. Polit. C. 33. num. 30. & ſeq.* diſcimus non tantum in Hebræorum & Græcorum, ſed etiam Romanorum Politiâ, ut inde verè dixerit *Bernhard. Bertram de Comitiis Imper. Rom. Germ. in Nucl. Jur. Publ. Concl. VII. pag. mihi 747.* nullum unquam extitiſſe *Regnum vel Imperium, in qvo ad conſilia Reipublicæ cauſâ ineunda publicorum congreſſuum uſus non fuerit ſummè neceſſarius.* Sic videmus & hodie Hiſpanis,
2 Gallis, Anglis, Polonis, aliisqve populis proprios eſſe Conventus, qvos quidam Parlamenta vocant, in quibus de Rebus majoris momenti conſultant.

3 Romanis illis temporibus in Republicâ Populari trifariam Comitia habebantur, *Tributim, Curiatim & Centuriatim*, indeq; Tributa, Curiata & Centuriata dicta, quæ ad longum deſcribit *Theod. Reinkink. de Reg. Secul. & Eccleſ. lib. I. Claſſ. 5. cap. 8. n. II. & multis ſeq.* Vid. inſuper *Hillig. Do-*

Donell. Enucl. lib. 6. c. 6. Paurmeiſt. de Juriſd. lib. 2. c. 2. num. 19. Altbus. d. c. 33. n. 4. Nicol. Cruchius in lib. de Comit. Rom. Ant. Auguſt. de Legib. c. 7. 8. Roſin. lib. 6. Antiq. Rom. cap. 1. Ubi ex eo notari debet, non qvemvis Populi Conventum Comitiorum nomine apud Romanos intelligi, ſed eum, qui indictus fuit ad ferendam de aliqvâ Re per ſuffragia ſententiam. Hæ Comitiorum ſpecies e xuſu eſſe deſierunt, dum 4
Principes Romani Jus hoc convocandi ad ſe qua pote arte ad ſe traxerunt, ſed lentè & pedetentim, ut inqvit *Wilhelm. Beckers in Synop. Jur. Publ. Imp. Rom. Germ. lib. 1. c. 4. n. 10. ex Arnold. Clapm. de Arcan. Rerumpubl. lib. 6. c. 7. pr.* Et ſaltem cum Senatu non tàm res ipſas, quàm rei tantum ſpecies, dirigente & adminiſtrante ſummo Principe, communicarunt: *Potiſſima enim*, inquit Tacitus, *arbitrio Principis fiebant*, ut indè *ſpecioſa verbis, re inania aut ſubdola* de- 5
prehendantur. Antiquitatem Comitiorum inſuper demonſtrare licet *ex Dion. Halicarnaſſ. lib. 4.* qui refert Servium Regem Romanorum ex ſingulis Latinorum Civitatibus optimates convocaſſe, denuncians illis, ſe de magnis rebus & ad communem utilitatem pertinentibus velle cum ijs conſultare. Sic Gallos ex Univerſis Regionibus convocavit Vercingetorix. *Cæſar. Lib. 6.* Apud Venetos qvoqve hoc 6
Comitiorum Jure nullum ſanctius atque antiquius eſſe tradit *Beckers. d. l. pr.* Ex ratione. Quod in eo maxima vis Imperij & poteſtas conſiſtat. *Althus. Polit. cap. 27. Paurmeiſt. de Juriſd. Imp. lib. 2. c. 2. n. 19.* Sed tum demum, ut dicit *Henning. Arniſæ. de Jurib. Majeſt. cap. 4 num. 16 circa fin.* quando ita uni competit, ut nefas ſit reliquis, eo non indicente, Conſilij capiendi gratiâ convenire. Sicut enim totius Reipubl. cura ad eum ſpectat, qvi Majeſtatem fovet, 7
ita etiam ad eum ſpectat de rebus illis conſultare, & conſilia, quibus ſtant Regna, Urbes, Domus, inire. *Lipſ. Polit. lib. 3. c. 3.*

Comitia hodierna in S. R. J. uſitata plenè deſcribit *Do-*

Dominicus Arumæus in Amplo ſuo Commentario *de Comitiis*
Imp. Rom. German. compendioſius verò *Bernhard. Bertram.*
in d. Diſſert. de Comitijs Rom. Germ. Wehner. Speidel. vocab.
8 Reichstag. *& Author* der Grundfeſt/ qui omnes eo recidunt,
Imperatori tanquam Capiti, Jus indicendi Comitia compe-
tere. Hodie quidem limitate, ante Capitulationes autem
plenariè & absque ullâ reſtrictione, non tantum tempore
Caroli Magni, & ejus Succeſſorum, *Anonym. in Annal. de*
Geſt. Pipin. Carol. M. & Ludovici (Dominus Carolus Rex,
inquit, habuit populi ſui Conventum Generalem) ſed, ad
tempora Invictiſſimi Imperatoris Caroli V. ſine conſenſu
ullius indicta fuiſſe, patet ex *Reformat. Frideric. III. de Anno*
1442. Darumb inſonderheit her zu Uns zu kommen/ gebotten und ge-
heiſchen haben. *In Ordin. Trevirens. & Colon. Maximiliani*
de Anno 1512. So haben Wir Churfürſten/ Fürſten und ande-
re Ständ deß heyligen Reichs zu Uns anfänglich gen Trier/ auff einen
gemeinen Reichstag gefodert. *& Receſſ. Imp. Auguſt. de Anno*
1518. ibi: Und darauff Churfürſten und Ständ zu Uns daſelbſt er-
9 fodert. Cum autem Cæſares antiquiores pro lubitu &
quandoque ſine neceſſitate Status convocarent, bella ob-
tenderent, eorumque nomine tributa exigerent, ideò Ele-
ctoribus placuiſſe, & hac quoque in parte Imperatorum
conſtringere voluiſſe poteſtatem, dicit *Dominic. Arumæus de*
10 *Comitiis cap. 3. num. 12.* ubi deducit rationes & cauſam im-
pulſivam hujus reſtrictionis, quanquam *Bertram. d. Diſſert.*
num. 17. exiſtimet, quod quemadmodum Electores maxi-
mam Jurium ac privilegiorum ſuorum partem conſvetu-
dini debeant, ita & illud antiquitus tacito quodam Impera-
torum & Statuum adſenſu inductum fuiſſe, ut Comitia
non niſi prævio eorum ſcitu & Conſilio indicerentur. Et
11 hæc poteſtas primitus in *Capitulatione Caroli V. art. 12.* fræ-
num paſſa eſt, ut aliter quàm de conſenſu Electorum Jus
Comitia indicendi non liceret. Vid. *Limn. ad d. Capitul. pag.*
195. & ad Capitul. Ferdin. III. art. 13. pag. 695. Addatur *Ca-*
pi-

pitul. Leopoldi Glorioſiſſimi art. 17. Sleidan. lib. 1. de Statu
Relig. Paurmeiſt. d. lib. 2. c. 2. n. 19. Author. Deß außführli-
chen Berichts / wie es auff Reichstagen pflegt gehalten zu werden.
Idem probant R. J. de Anno 1559. §. Derowegen Wir auff
vorgehabten ſtattlichen Raht ꝛc. de Anno 1567. §. Weil Wir a-
ber ꝛc. de Anno 1570. §. Als haben Wir nicht umbgehen mögen ꝛc.
de Anno 1576. §. Haben Wir ein gemeine Reichs-Verſammlung
nach vorgehabten Raht und Gutachten / Unſerer / und deß Reichs
Churfürſten ꝛc. de Anno 1582. §. Auff Gutachten und rathen Unſer
und deß Heyl. Reichs ꝛc. de Anno 1598. §. Als aber darzwiſchen.
ibi: Derhalben Wir dann ꝛc. quæ formula literis Cæſareis
evocatorijs ad Comitia annecti ſolet in verbis: Wann 12
dann ſampt Uns und deß heyligen Reichs Churfürſten / nach reiffer
und ſtattlicher Erwegung unvermeidlich und unumbgänglich zu ſeyn
befunden / einen allgemeinen Reichstag anzuſtellen / darzu Uns wohl-
ermeldte Churfürſten einhellig Ihren Conſens dem Herkommen ge-
mäß / und Ihrer Lbd. Handſchrifft und Siegeln gegeben / die Beſtim-
mung deß Tags heimgeſetzet / und / als viel die Wahlſtadt betrifft / Ih-
nen Unſer und deß Heyl. Reichs Stadt N N. umb erheblichen Urſa-
chen willen / gefallen laſſen. Wehner Pract. obſ. vocab. Reichstag.
Hujusmodi literas denunciatorias producit Dominic. A-
rum. de Comitiis cap. 5. n. 7. quibus quandoqvidem verbis
Imperioſis conceptæ ſunt, uti gebieten / heiſchen / befehlen. in Re-
form. Friderici 3. de Annno 1442. Und im Außſchreiben auff den
Reichstag zu Augsſpurg. de Anno 1530. Statuum Jura & Privi-
legia non convelluntur aut libertas minuitur: hodie ta-
men Imperatores non ſine maximâ inſignis Clementiæ lau-
de blãdiori alloquio temperare dicit Bertram. de Comit. n. 20.

Ex quibus, poſthabitâ definitione Paurmeiſt. d. c. 2 n. 13
3. rectè deduci poteſt. Comitia eſſe Conventus totius corpo-
ris Imperij aut partis ad aliqvid ſciſcendum decernendumve
Reip. causâ. Unde etiam diſtributio ſumitur, & quidem ex
verbis: totius corporis Imperij. ſcilicet Comitiorum univer-
ſalium. aut partis. intellige particulares Conventus.

34 Univerſalia, ut diximus, cum conſenſu Electorum Imperator indicit omnibus Statibus Imperij, qui in tres claſſes diſtribuuntur. Prima eſt *Electorum*, Secunda *Principium*, ſub quibus comprehenduntur Comites atque Barones & illi quidem, qui voto & ſeſſione in Comitijs gaudent, *R. J. de Anno 1548.* §. Wann auch ein Außgezogener. Tertia *Civitatum Imperialium.* Ad quæ notandum, quod licet omnes Comites & Barones Jus ſuffragij habentes in duas Tribus Svevicam nempè & Wetteravicam diviſi ſint; hodiè tamen per Decretum Comitiale de Anno 1641. acceſſerit tertium ſuffragium Comitum ab Hohenloë, aliorumq; Franconici Circuli, qui tertium ſcamnum conſtituunt.

35 Convocatis hoc modo legitimè Principibus & Statibus Imperij comparent humiliter, nec impunè emanent & emanſionis pœna in eo conſiſtit, ut quod major pars decreverit, non minus abſentes quàm præſentes teneant. *Althus. Polit. c. 33. n. 14.* Addatur peculiaris hac de re Conſtitutio in *R. J. de Anno 1500.* §. Nachdem auch etliche ꝛc.

36 Attamen quàm inconveniens ſit communia Imperij negotia ob paucitatem comparentium & inſufficientiam mandatorum in deliberationem deducere, teſtatur *R. J. de Anno 1545.* §. Und ſeynd auff ſolchen Reichstag ꝛc. ut Imperator coactus fuerit Comitia Ratisbonam transferre & terminum prorogare, Daß Jhro Majeſtät aus Mangel abweſenden Churfürſten/ Fürſten und Ständen in deß Reichs hohen Obliegen und Sachen/ mit Nutzen und Frucht ferner nicht fortfahren und handeln mögen.

37 Præſentia enim Principum Rei feliciter gerendæ affert adjumentum, prout Ferdinandus Rex teſtatum nobis reliquit, qui Principes Imperij tàm per literas quàm per Legatos hortatus fuit, ut quia de graviſſimis Imperij negotijs conſultandum eſſet, venirent ipſi, non rem per Legatos agerent. Per eos tamen ſatis inſtructos rectè comparent,

38 *R. J. de Anno 1542.* §. Auff welchem Reichstag Churfürſten/ Fürſten und andere Ständ/ in ziemlicher Anzahl eigener Perſohn/ und etliche

liche durch Ihre Bottſchafften/durch Ihren völligen mit vollmächtigen Gewalt gehorſahmlich ankommen und erſchienen. Excuſationem abſentiæ nihilominus emanentes allegare debent, *R. J. de Anno 1512.* §. Es ſollen auch die Churfürſten ibi: Perſöhnlich-oder durch Ihre Vollmachtige treffliche Bottſchafft / wo ſie in eigener Perſohn zu erſcheinen redliche Hinderung hätten/ die Sie bey Ihren Glauben/ mit Ihren Brieffen und Siegelen bethewern ſollen. Ita ut mandato ſufficienti, imò etiam libero inſtructi veniant, quemadmodum Imperator in Literis denunciatorijs expreſſè monet, mit vollkommenen Gewalt/ohnhinder ſich bringen. Quanquam fortè circumſpectius cum *Alber. Gentil. 3. de Legat. 17.* agent hi Legati, ſi à quibusdam conſulto abſtineant, & ſi fieri poſſit Principes ſuos in negotijs majoris præſertim momenti requirant, ut inde laudandi ſintilli, quibus in more poſitum eſt, de Rebus geſtis & in Comitijs gerendis Principales ſuos per curſores publicos hinc inde diſpoſitos certiores reddere, quidq; ſibi in cauſis potiſſimum nemine cogitante ſubortis faciendum, reſciſcere. 19

Præter liberam alias mandatorum rationem, arctiusquoddam & ſeparatum mandatum, qvod inſtructionem vocamus, utplurimum Legatis traditur, quatenus Secretiora Dominorum Conſilia in ſe contineat, de quo omninò videatur *Author* Deß außführlichen Berichts / wie es auff Reichstägen &c. *c. 2. circa f.* Ex quibus deducitur Principes per literas absq; Legatione vix vota ſua cum effectu explicare poſſe. *Gerlac. Buxtorff. in Diſſert. ad Aur. Bull. th. 44.* Idqve de Jure communi, qvo abſentes de Capitulo vota ſua per literas dare non poſſunt, *per text. in C. Siqvis Juſto. 76. §. 6. de Elect. in 6.* qvod & textui *A. B. tit. 4. §. Cæterum.* conforme eſſe videtur; quamvis ille ipſe *Buxtorff.* non neget in Elect. Ludov. Bavari & Richardi P.P.I.L. quoſdam vota ſua per literas explicaſſe, teſte *Cuſpin. ſub. Rubr. de divis Imp. temp. Frid. & Ludov. p. 368.* 20 21

22 Quænam porro res in Comitijs expediendæ veniant? qværi poſſet; aſt cùm à *Paulo Matth. Wehn. Pract. obſer. voc.* Reichstag abundè deducantur, ideò Benevolum Lectorem ad eum brevitatis cauſa remittimus *pag. 414.* ſaltem neceſſarium judicantes apponere formam Comitiorum,
23 quam in eo conſiſtere dicit *Wehn. d. l. Qvod primum Imperator habito Electorum conſilio & adventu, literis ad ſingulos Ordines miſſis edicit, qvis dies & locus Comitiis futurus ſit: Hodie enim pro rebus ac cauſis incidentibus eſt in Cæſaris ac Ordinum arbitrio, qvis locus & tempus ſit Comitiale, qvanqvam olim ſingulis annis Feſtum Purificationis Mariæ erat conſtitutum, ut Francofurti ad Mœnum Comitia celebrarentur, & per unum menſem continuarentur.* Reichs-Abſchied zu Wormbs. *1495. part. 1. & tit. 1.* Daß ein Reichstag ſoll ein Monat wåhren. *Literis illis Cæſaris redditis, Principes & Status, vel in perſonâ vel per Legatos ſuos ſe ſiſtunt, qvibus aut ſpecialia mandata aut univerſalem poteſtatem concedunt, curandi ea, qvæ in communi ad ſalutem Reipub. pertinere videbuntur. Siq; hi Legati ad Comitia venerunt, nomina ſua apud Electorem Moguntinum Imperij Archi-Cancellarium profitentur, editis mandatis ac literis fidei, qvas vulgo Credentias vocant* Credenz-Schreiben. *Poſtqvam conventum eſt de conſilio Electorum, Cæſar Curiam, in quâ plerumque habentur Comitia, ſolenni pompâ aſcendit, præcedentibus longo agmine Principibus Politicis eorumve Legatis, ex quibus Elector Saxoniæ, Imperij Archi-Marſchallus ſtrictum gladium proximè ei præfert, Electoribus atq; reliquis Principibus Eccleſiaſticis ſequentibus. Ibi conſtructum ex tempore tabulatum conſcendit, & in ſolio editiore tapetis & aliis rebus more Regio magnificentiſſimè exornato collocatur: Sedentem Senatus Electorum paulo inferiore hoc ordine circumſidet. Ad dextram Archi-Epiſcopus & Elector Moguntinus, quem ſeqvitur Colonienſis; Trevirenſis è Regione Cæſari opponitur. Ad ſiniſtram Rex Bohemiæ primum, ſecundum Comes Palatinus Rheni, tertium Dux Saxoniæ, Marchio Brandenburgicus, Electores Politici occupant. Pro Princi-*

pi-

pibus reliqvis duo adhuc ſubſellia uno gradu Electorum, duobus verò Cæſaris ſede inferiora, in eodem tabulato ſtragula qvoqve veſte pretioſiſſima decorata conſpiciuntur: in quorum dextro reliqui Archiepiſcopi, item Domus Auſtriæ & Burgundiæ Legati: In ſiniſtro reliqui Principes Politici eorundemq; Legati conſident: Principibus junioribus, Conſiliariis & Officialibus Cæſareis ex adverſo Cæſari adſtantibus. Facto conſeſſu ac turbâ ſedatâ, ex Principibus qvidam, cui hoc demandatum eſt, è ſede ſua aſſurgens, Cæſaris nomine brevibus gratias agit, qvod Edicto audientes Electores, Principes & Ordines tantoperè comparuerint. Quem ipſe Imperator ſubſeqvi ſolet, gravi & ſuccinctâ oratione, qui repetitâ gratiarum actione, ut cauſas edicti Conventus graviſſimas ex promulganda Propoſitione cognoſcere, ac quæ ad Reipublicæ ſalutem ſint neceſſaria, in medium conſulere velint, eosdem hortatur.

Poſtea per Secretarium Cæſareum Propoſitio de ſcripto publico legitur. Quâ finitâ, Electores, Principes, Ordines & Legati conſurgunt, & paululum collocuti, per Moguntinum in hanc ſententiam reſpondent: Cognoviſſe ſe, ex recitata Propoſitione, ob qvas graviſſimas cauſas Imperatori Conventum edicere viſum fuerit. Quod igitur à tanto tempore ſuſcepti Magiſtratus, tantâ fide ac diligentiâ publici Imperij negotia ſibi commendata habeat, agere ſe ipſi gratias, qvas poſſint animo concipere, maximas, ac in omnibus, quæ ad ſalutem & dignitatem Imperij pertinere videbuntur, ſtudia ſua & officia uti debita, ita promtiſſimè deferunt: Utq; de rebus propoſitis rectius deliberare & ſententias ſuas in medium afferre poſſint, exempla ſeu copias recitatæ propoſitionis ſibi edi, eâ, qvâ decet reverentiâ, ſubmiſſè petunt, ſeque ac ſua omnia Cæſari officioſiſſime commendant. Ad qvæ pro delata opera ac ſtudiis ſuis iterum gratias agit ipſe Cæſar, ac ut de ſingulis Propoſitionis capitibus primo quoq; die ſententias ſuas profe- rant, denuo monet, ac Principibus & Ordinibus univerſis ac ſingulis gratiam & benevolentiam ſuam clementisſimè pollicetur. Atqve his ita peractis, à ſolio ſuo ſurgens Imperator, eâdem

qva ingreſſus eſt pompâ, ad Palatium ſuum reducitur, & Principes, Ordines ac Legati qviſq; in ſua diverſoria diſcedunt. Poſtero vel alijs ſeqventibus diebus, Principibus ac Ordinibus in locum Conventui generali deſignatum ab Electore Moguntino convocatis, capita deliberationis eo ordine, qvo propoſita fuerunt, expedienda ſuſcipiuntur, ita ut Ordines in ſuas quoq; Curias vel Senatus, ut vocant, ſecedant, ubi ſecundum ordinem ac prærogationem ſingulorum ſuffragia ineunt, atq; re expedita, in Electorum Conſilio im Churfürſten-Raht/ *atq; explorata, quot & in aliis caſibus ſuper articulo propoſito ſint dictæ ſententiæ, rurſus in Curiam communem convocatæ Claſſes tres omnes, id qvod ipſis in commune viſum eſt, exponunt. Si itaq; Claſſium omnium, vel duarum major pars absq; variatione conſentiant: Non enim Perſonarum vel Ordinum, ſed Claſſium ſive Curiarum vincit numerus. Ideoq; Claſſium diſſentientium ſuffragiorum ad Cæſarem nullius momenti eſt relatio. Si verò, ita ut diximus, in ſuffragiis ineundis legitimus Claſſium numerus expletus, commune ordinum conſultum per ſelectos qvosdam Imperatori exponitur, cui ſi idem qvoqve placet, confecta res eſt: ſin minus, tàm diu replicando, duplicando, triplicando, quadruplicando, &c. inter ſe adductis hinc inde pro opinione ſuâ argumentis idoneis à Cæſare & Ordinib. diſceptatur, donec vel hi in illorum, vel illi in horum ſententiam ſpontè concedant, ac, quod ita in commune placuerit, Decreti Comitialis ac Legis habet vigorem.*

Verum enim verò cum non raro contingere ſoleat,
ut Principes & Status Imperij in caſu diſcordium votorum
deciſionem cauſæ magni momenti vix exſpectare poſſint,
& fluctuantibus ita inæqvali authoritate animis in dubio
24 verſentur; Hinc maximi nominis qvæſtio ſurgit; an non
majori parti votorum ſtandum ſit?

Quid paſſim in Curijs, Collegijs & Judicijs obſervetur, ex *l. 5. ff. Qvod cujusq; univers. nom. l. 39. ff. de Re Jud.*
25 *l. 19. ff. Ad Municip.* ſatis exploratum habemus; cum ad
univerſos referatur, quod publicè fit per majorem partem,

Bux-

Buxtorff. ad A. B. c. 2. th. 34. lit. D. Univerſos enim conſentire difficile, imò impoſſibile eſt. Sed an idem dicendum de Comitijs? In illis vel minoribus votis ſtandum erit, aut ſanioribus aut deniq; dignioribus. Non *primum*: quia abſurdum foret, pauciores præferre numero potiori & fortè etiam ſaniori. Non *ſecundum*: quoniam quisqve ſuum utpotè ſanius continuo deprædicabit, & hoc modo controverſias non ſolum non terminari, ſed cumulari contingeret. Non deniq; *tertium*: cum idem de dignitate ac 26
de ſaniori voto oriatur certamē, & qvilibet ſuum utpotè dignius ſimiliter obtrudere poſſet. Ut indè meritò convellatur quod toties in Comitijs *de An. 1549.* & ſeqventibus omnibus repetitum fuit. Die Weltliche Banck ſeye im Fürſten-Raht in qualitate & quantitate gröſſer als die andere: Scimus enim par omnium Jus eſſe, & omnes proportionabiliter ſecundum quantitatem in Matriculâ Imperij expreſſam contribuere; Nec valet concluſio: *Eſt potentior: Ergo* 27
eſt dignior. Plus contribuit, Ergo votum ejus dignius eſt. Cum majus & minus Dignitatum aut Statuum diverſos haud conſtituat gradus.

Ergò majoribus meritò ſtatur, qvod Sapientiſſimi 28
quiqve olim quoque obſervarunt. Sic Athenienſes majori Senatorum Decreto conſtitutam Legem inviolabilem duxerunt. *Sigon. de Republ. Athen. lib. 2. cap. 3. & lib. 5. cap. 4.* Similiter Lacedæmoniorum mos fuit, ut approbarent, qvod majori parti viſum erat *Pet. Ærodus de Orig. & Auth. Rer. Judic. lib. 1. de Juſt. & Jur. cap. 21.* Idem de Romanis refert *Nicolaus Cruchius de Comit. Rom. lib. 1. cap. 4. p. 133.* apud quos, teſte *M. Cœlio*, Lege cautum fuit, ut qvod major pars judicaverit, id Jus ratumq; eſſet *Cicer. lib. 8. Epiſt. ad Famil. 8.* Apud Græcos *Theodoſij* Conſtitutio recepta fuit, qvod, ubi diverſæ proferantur ſententiæ, potior numerus vincat. *l. un. Cod. Theod. de Reſp. prud.* cui ſe conformat Parlamentum Galliarum Pariſienſe Supremum, &

Cu-

29 Curia Hiſpaniarum. *Ant. Teſſaur. Decis. 1. num. 1.* Ean-
dem ſaluberrimam Legem etiam in florentiſſimâ Veneto-
rum Republica vigere tradit *Bodin. lib. 2. de Repub. cap. 7.*
Quod cur in Imperio Romano-Germanico fieri non debeat,
adæquatam non video rationem; quin imò majora ob-
30 ſervari teſtimonium perhibet ipſum Collegium Electorale,
in qvo, qvi plurium votorum numero vincit, Imperatoriâ
Dignitate honoratur. *A. B. cap. 2. §. Præſtito. & §. Poſtqvam.*
31 *Buxtorff. ad A. B. th. 34.* Addantur *R. J. de Anno 1512. §.* Es
ſollen auch die Churfürſten ꝛc. *R. J. de An. 1521.* §. Würden ſich
auch begeben. *R. J. de An. 1522.* §. Welcher Geſtalt. *R. J. de
An. 1555.* §. Und damit die Obriſten. *R. J. de An. 1559.* §. Die-
ſen Beſchwerden ꝛc. *R. J. de An. 1576.* §. Da dann die Sachen etc.
R. J.. de An. 1594. §. Da dann die Sachen. Quæ Conſtitu-
tiones omnes in caſu diſcordium votorum pluralitatem
præponunt.

32 Regulam modo allatam limitant nonnulli, ita ut *pri-
mo* non procedat in cauſis Conſcientiam & Religionem con-
cernentibus. *Domin. Arum. de Comit. cap. 7. num. 74.* In ver-
bis: Und wüſte man wol/ daß in Gewiſſens-Sachen die Majora nicht
gelten. *Reinkink. de Reg. Sec. & Eccleſ. lib. 1. claſſ. 5. num. 70.*
33 Deinde in cauſis qvæ ad omnes tanquam ſingulos perti-
nent: Fälle da omnium conſenſus vonnöthen iſt. *Bertram. de
Comit. num. 73.* Ubi tredecim affert cauſas, quibus plura-
litas votorum limitatur, qvi an omnes tolerari poſſunt,
34 valdè dubito: Nam qvod dicit contributionum cauſas,
de quibus in Comitijs *de Anno 1613.* controverſia mota eſt,
majoribus votis expediri, verum eſſe non puto, cum *Rein-
kink. d. l. num. 72.* eo qvod publicâ Imperij utilitate & ne-
ceſſitate imponantur, & ſuffragatio & conſenſus non ad
omnes ut ſingulos, ſed ut ad univerſos pertineat, quatenus
ſcilicet cauſa, propter quam contributiones exiguntur, u-
niverſum Imperium concernit. *Reink. d. l.* De alijs conſulan-
tur alij, qui negotia Comitiorum exactè tradere volue-
runt,

runt, in qvo ſummoperè inſudavit *Limn. J. P. lib. 9. cap. 1. num. 176.* ubi ſex caſibus pluralitatem votorum reſpuit. *Idem tom. V. pag. 361.*

Quatenus Imperator in caſu diſcordium votorum 35
quid ſtatuere vel non ſtatuere poſſit videre licet apud *Paul. Matth. Wehn. Pract. obs. voc.* Reichstag. & pulchrè apud *Bertram. de Comit. num. 27.* De modo Sigillandi & Subſcribendi videatur *Arum. de Comit. cap. 8. num. 96. 97. & 98. Wehn. d. l. pag. 416. col. 2. in f.* & ante omnes *Limn. tom. IV. pag. 419.*
De Re- & Correlatione Electorij & Principalis Collegij noviſ- 36
ſimas controverſias refert *Limn. tom. V. ad lib. 9. cap. 1. pag. 357. & 358.* Addatur *Arum. de Comit. cap. 7. num. 151.* Ubi modum re & correferendi prolixè deducit, & circa finem de voto Civitatum ratione illius quædam ſubjicit. Quanquam in *Inſtrum. Pac. art. 8. §. Tam univerſalibus.* Votum deciſivum Civitatibus Imperialibus tribuatur, tamen in modo exercendi ejus voti deciſivi adhuc hærere difficultatem dicit *Henr. Boëcl. Præceptor meus perpetuâ recordatione colendus in Not. Imp. lib. XI. cap. 3. pag. 148.* Ubi præclarè de hac controverſia diſſerit. Huc rectè ſimiliter vocatur *Author* der Grundfeſt. *P. 2. C. 6. & And. Burgold. in Notit. Rer. Imp. Rom. Germ. P. 3. Diſc. 10. num. 3.* & hæc de Comitijs Univerſalibus. Nunc ad particularia accedamus.

Comitia Particularia *Webner d. l.* rectè ſubdividit in 37
duo genera, ita ut ex univerſo Statuum Ordine ſeu Collegio quidam eligantur, aut certa pars conveniat; qui vel ſunt
certæ Claſſis, vel certi loci ac Regionis Imperij. Ex uni- 38
verſo Imperij Collegio ſelectorum fuit olim Conventus Regimenti deß Reichs Regiment. quod tempore *Maximiliani Imp.* Statibus Imperij *An. 1500.* Auguſtæ congregatis cœ-
pit, poſtqvam Decretum Wormatienſe de *An. 1458.* quo 39
placuit ut Electores Principes & reliqui Status omnes quot annis ſtatis temporibus ac locis ad pacem & tranquilli-

29 Curia Hiſpaniarum. *Ant. Teſſaur. Decis. 1. num. 1.* Eandem ſaluberrimam Legem etiam in florentiſſimâ Venetorum Republica vigere tradit *Bodin. lib. 2. de Repub. cap. 7.* Quod cur in Imperio Romano-Germanico fieri non debeat, adæquatam non video rationem; quin imò majora ob-
30 ſervari teſtimonium perhibet ipſum Collegium Electorale, in qvo, qvi plurium votorum numero vincit, Imperatoriâ Dignitate honoratur. *A. B. cap. 2. §. Præſtito. & §. Poſtqvam.*
31 *Buxtorff. ad A. B. th. 34.* Addantur *R. J. de Anno 1512. §.* Es ſollen auch die Churfürſten ꝛc. *R. J. de An. 1521. §.* Würden ſich auch begeben. *R. J. de An. 1522. §.* Welcher Geſtalt. *R. J. de An. 1555. §.* Und damit die Obriſten. *R. J. de An. 1559. §.* Dieſen Beſchwerden ꝛc. *R. J. de An. 1576. §.* Da dann die Sachen etc. *R. J.. de An. 1594. §.* Da dann die Sachen. Quæ Conſtitutiones omnes in caſu diſcordium votorum pluralitatem præponunt.

32 Regulam modo allatam limitant nonnulli, ita ut *primo* non procedat in cauſis Conſcientiam & Religionem concernentibus. *Domin. Arum. de Comit. cap. 7. num. 74.* In verbis: Und wüſte man wol/ daß in Gewiſſens Sachen die Majora nicht gelten. *Reinkink. de Reg. Sec. & Eccleſ. lib. 1. claſſ. 5. num. 70.*
33 Deinde in cauſis qvæ ad omnes tanquam ſingulos pertinent: Fälle da omnium conſenſus vonnöthen iſt. *Bertram. de Comit. num. 73.* Ubi tredecim affert cauſas, quibus pluralitas votorum limitatur, qvi an omnes tolerari poſſunt,
34 valdè dubito: Nam qvod dicit contributionum cauſas, de quibus in Comitijs *de Anno 1613.* controverſia mota eſt, majoribus votis expediri, verum eſſe non puto, cum *Reinkink. d. l. num. 72.* eo qvod publicâ Imperij utilitate & neceſſitate imponantur, & ſuffragatio & conſenſus non ad omnes ut ſingulos, ſed ut ad univerſos pertineat, quatenus ſcilicet cauſa, propter quam contributiones exiguntur, univerſum Imperium concernit. *Reink. d. l.* De alijs conſulantur alij, qui negotia Comitiorum exactè tradere voluerunt,

runt, in qvo ſummoperè inſudavit *Limn. J. P. lib. 9. cap. 1. num. 176.* ubi ſex caſibus pluralitatem votorum reſpuit. *Idem tom. V. pag. 361.*

Quatenus Imperator in caſu diſcordium votorum 35
quid ſtatuere vel non ſtatuere poſſit videre licet apud *Paul. Matth. Wehn. Pract. obs. voc.* Reichstag. & pulchrè apud *Bertram. de Comit. num. 27.* De modo Sigillandi & Subſcribendi videatur *Arum. de Comit. cap. 8. num. 96. 97. & 98. Wehn. d. l. pag. 416. col. 2. in f.* & ante omnes *Limn. tom. IV. pag. 419.*
De Re- & Correlatione Electorij & Principalis Collegij noviſ- 36
ſimas controverſias refert *Limn. tom. V. ad lib. 9. cap. 1. pag. 357. & 358.* Addatur *Arum. de Comit. cap. 7. num. 151.* Ubi modum re & correferendi prolixè deducit, & circa finem de voto Civitatum ratione illius quædam ſubjicit. Quanquam in *Inſtrum. Pac. art. 8. §. Tam univerſalibus.* Votum deciſivum Civitatibus Imperialibus tribuatur, tamen in modo exercendi ejus voti deciſivi adhuc hærere difficultatem dicit *Henr. Boëcl. Præceptor meus perpetuâ recordatione colendus in Not. Imp. lib. XI. cap. 3. pag. 148.* Ubi præclarè de hac controverſia diſſerit. Huc rectè ſimiliter vocatur *Author* der Grundfeſt. *P. 2. C. 6. & And. Burgold. in Notit. Rer. Imp. Rom. Germ. P. 3. Diſc. 10. num. 3.* & hæc de Comitijs Univerſalibus. Nunc ad particularia accedamus.

Comitia Particularia *Wehner d. l.* rectè ſubdividit in 37
duo genera, ita ut ex univerſo Statuum Ordine ſeu Collegio quidam eligantur, aut certa pars conveniat; qui vel ſunt certæ Claſſis, vel certi loci ac Regionis Imperij. Ex uni- 38
verſo Imperij Collegio ſelectorum fuit olim Conventus Regimenti deß Reichs Regiment. quod tempore *Maximiliani Imp.* Statibus Imperij *An. 1500.* Auguſtæ congregatis cœpit, poſtqvam Decretum Wormatienſe de *An. 1458.* quo 39
placuit ut Electores Principes & reliqui Status omnes quot annis ſtatis temporibus ac locis ad pacem & tranquilli-

tatem publicam promovendam convenirent, tempera-
tum eſt, ut quia Univerſi Ordines ſine maximis ſumptibus
& moleſtiâ toties commodè convenire non poſſunt, ſal-
tem viginti perſonæ ex Statibus eligerentur, illisq; Com-
miſſarius Cæſareus adjungeretur. Regiments-Ordnung zu
Augspurg *de Anno 1500.* auffgericht. *tit. 1. 2. & 10.* Quod cum
tempore *Caroli V. Imperat.* in deſvetudinem abijſſet, cœpit
40 Deputatorum Conventus primitus inſtitui in *Comitijs Au-
guſtanis Anno 1555.* ut exortis gravioribus in Imperio moti-
bus Elector Moguntinus juxta formam *d. R.* §. So ſich aber-
mahls. *& R. J. de Anno 1559.* §. Nachdem ſich. *& de An. 1570.*
§. Und damit ſolche wichtige Ding ꝛc. præſcriptam, Deputatos
41 (quos ex *d. R. J. 1555.* §. So ſich abermahls. enumerat *Wehn.
vocab. Deputation.*) Electores nempè omnes excepto Re-
ge Bohemiæ, quatuor Principes, Prælatum unum, Comi-
tem unum & duas Civitates Francofurtum convocaret,
*Dominic. Arum. de Comitiis cap. 2. num. 32. & ſeqq. Reinkink.
de Regim. Secul. & Eccleſ. lib. 1. claſſ. V. cap. 8. n. 33.* Ubi plu-
res additas fuiſſe perſonas, refert *ex R. J. de Anno 1559.* §.
42 Auff daß dann. &c. Ducem ſcilicet *Juliacenſem & Landgravium
Haſſiæ,* quibus *R. J. de Anno 1570.* §. Und damit ſolches. ad-
juncti ſunt *Epiſcopus Conſtantinenſis, Dux Burgundiæ, Duces*
43 *Brunſwicenſes. Denais. in Jur Cameral. verb. Deputati.* Et de-
mum *per Inſtrumentum Pac. Osnabr. art. 5. §. 18.* mandatum,
ut numerus Deputatorum ex utriusque Religionis Proce-
ribus æquetur, & de perſonis & Statibus Imperij adjun-
gendis in Comitijs proximis ſtatuatur. Quod & factum
eſſe *R. J. de Anno 1654. §. 194.* edocet; ubi ex Principibus
44 Dux *Saxo-Altenburgenſis, Brandenburgicus, Culmbacenſis,
Mecklenburgenſis, Würtenbergenſis.* Ex Comitibus *Wettera-
vienſis unus:* Ex Civitatibus Imperialibus *Aqvisgranum,
Uberlinga, Argentoratum & Norimberga Cœteris acceſſerunt,*
& ita numerus Catholicorum & Evangelicorum parifica-
tus. *Jacob. Blum. Proceſſ. Cam. tit. 2. num. 7. Limn. Tom. V.*

ad

ad lib. 9. cap. 1. pag. 367. atque ſecundum hunc præſcriptum ordinem Deputatio Francofurti inſtituta, cujus eventum deſcribit *Diar. Europ. & Author.* der Grundfeſt. *p. 284. & 313.* 45

Quid ſint Deputati Cameræ, expenit *Wehn. voc.* Cammer-Gericht. & quid ſit Viſitations-Tag/Cammer-Gerichts Viſitation, Vid. *Jacob. Blum. d. Proc. Cameral. tit. 24. Arum. de Comitiis C. 2. §. 48. & ſeqq.* imprimis verò *Ordin. Cam. P. 1. tit. 50. & R. J. de Anno 1570. §.* Aus beſondern erheblichen Urſachen. 46

Particularium Comitiorum certæ Claſſis nomine veniunt Conventus Electorum, communiter *Legales* dicti in *Aurea Bulla* fundati. Qui vel ſunt in genere tales & ratione negotiorum publicorum ad ſalutem Imperij ſpectantium inſtituti, vel Electionem Cæſaream reſpicientes. Illi dicuntur vulgò Churfürſten- oder Collegial-Täg. *Reinkink. d. claſſ. 5. cap. 8. num. 29.* quos inſtituere, & convenire poſſunt abſque ſpeciali Imperatoris veniâ, conſulturi de arduis Imperij negotijs. *A. B. tit. 12. Wilh. Beckers. in Synops. Jur. Publ. lib. 1. cap. 5. cir. fin.* Conventionis hujus licentiam cum *Goldaſtus lib. 3. cap. 6. n. 7. in Bohem.* ab Interregno, quod *Richardi* Cornubiæ Comitis & Alphonſi Regis Hiſpaniarum tempore fuit, Imperio ita Rectore deſtituto Electorum Collegium hanc Authoritatem accepiſſe deduceret, rectè ab *Arum. de Comit. cap. 2. num. 29.* reprehenditur ex claro textu *A. B. d. c. 12.* quo permittitur hicce congreſſus ſingulis annis; quamvis hodie annuatim fieri non ſoleat. Ne tamen prærogativa illa in deſvetudinem abeat, Electores in Capitulationibus Cæſaræis ſibi cautè proſpiciunt. vid. *Goldaſt.* in Politiſchen Reichshändlen. *P. 23. & Limn. Tom. IV. p. 421.* In quibus Rex Bohemiæ non comparet *Arum. de Comitiis d. c. 2. num. 31.* Ubi contra *Goldaſtum* pro Rege militantem per totum diſputat, & controverſiam in Conventu Electorum Norimbergenſi *Anno*

47
48
49
50

1611. hac ſuper re habitam, imò etiam in contradictorio Judicio contra Bohemos deciſam pronunciat.

51 Quod verò ad Conventus Particulares Electorum, Electionem Cæſaream reſpicientes vulgò Wahltäg. Rex Bohemiæ admittatur dubio caret. *Arum. d. l.* modum Eligendi proponit *A. B. tit. 1. 2. & 3.* quæ perlegenda. Hos

52 Conventus dividit *Wehn. voc.* Wahltag. in *Liberos*: dum nullus ſucceſſor ante mortem Imperatoris deſignatur. Et *non adeò Liberos* & coactos qvaſi, quando vivente Imperatore Rex Romanorum creatur, allegans Exempla vetera & recentiora. Sed an hæc diviſio admittenda ſit, Valdè dubito: cum libertas votorum inde non deſtruatur.

53 Electionem *Rudolphi I.* habere licet apud *Pancrat. Lampad.* in Politiſchen Reichshändlen *art. 16.* & Hiſtoriam Electionis *Caroli V.* prolixiſſimè tractatam in Politiſchen Reichshändlen *art. 27.* Electionem *Ferdinandi IV. Reg. Rom.* exhibet idem *Pancrat. Lamp. art. 18.* & Electionem Leopoldinam *art. 28. Diar. Europ. pag 871.*

54 Comitia particularia ex certis locis & Regionibus Imperij congregatorum Ordinum, dicuntur *Conventus Circulorum.* Krayßtäg. *Wehn. vocab.* Krayßtag. quorum ſex *Francicus* nempè, *Bavaricus, Svevicus, Rhenanus Weſtphalicus & Saxonicus* à *Maximiliano I. Imp.* conſtituti ſunt. *Ordin. Regim. Auguſt. de Anno 1500. ſub tit.* Wie ſechs Rähte aus den ſechs Krayſen. *Reinkink. de Regim. Secul. & Eccleſ. lib.*

55 *1. claſſ. IV. cap. 2. num. 3.* quibus acceſſerunt quatuor alij. *Auſtriacus, Burgundicus, Electorius Rhenanus, & Superior Saxonicus* ita in decem Circulos conſervandæ Pacis Publicæ gratiâ Imperium Romanum diſtributum eſt. *R. J. Colon. de Anno 1512.* §. Darauff haben. *R. J. Nüremb. de Anno 1522.* ſub tit. Erklärung deß Landfriedens. *Arum. de Comit. cap. 2. n. 39. inf. Wehn. d. vocab.* Krayßtag. Qui hos decem Circulos ſeparatim conſtituant, docet *Reinkink. d. l. num. 5.* Addat *Blum. Proceſſ. Cam. tit. 7, num. 11. Arum. d. c. 2. num. 47. per tot.*

tot. Undecimum ſcilicet *Bohemicum* addere voluit *Goldaſt.* 56
lib. 1. cap. 2. num. 5. lib. 4. cap. 8. in Bohem. ita ut in eo continěretur *Ipſe Rex, Archiepiſcopus Pragenſis, Epiſcopi Olomucenſis & Uratiſlavienſis, Marchiones Moraviæ & Luſatiæ, Duces Sileſiæ, Comites Glatiæ, Slickii in* Stein-Ellenbogen ꝛc. *Civitates erga Joachimi Valles.* quomodo autem eidem contradicat *Arum.* videri poteſt, *d. l. num. 41. per tot.* Ubi pro more ſuo egregiè hunc nodum ſolvit, quem allegavit qvoque *Reinkink. d. l. num. 11.* qui notanter ponit; *aliqvando* 57
in Comitiis Imperij deliberatum fuiſſe de duobus novis Circulis Bohemico & Boruſſico, ut duodenarius numerus perficeretur, niſi tàm Bohemi qvàm Boruſſi ac Livoni magno ſuo malo reſtitiſſent. Conventus Circulorum vel ſunt Generales vel Particula- 58
res, *Wehn. d. vocab.* Krayß-Tag. ſive omnium Circulorum vel paucicrum, vel unius. *Henr. Boëcler. in Not. Imp. lib. 3. c. 1. pag. 34.* qui conveniunt *ordinarie* annuatim bis vel 59
ſemel ſaltem prout neceſſitas flagitat: Vel *extraordinarie* ad inſtantiam Cæſaris Conventus Circulares per Capitaneos Krayß-Obriſten/ oder außſchreibende Fürſten inſtituuntur, ſubſidij Charitativi gratiâ, *Arum. de Comit. d. cap. 2. num. 44.* qvanqvam Status Imperij non rarò conqueſti ſe extraordinario huic collectandi modo pares non eſſe: Gravami- 60
na nonnulla vid. apud *Arum. d. l. num. 66.* Formam & modum Conventuum Generalium tradit *Wehn. d. voc.* Krayß-Tag/ ſicut & Particularia Franconici Circuli Statuta & deſcriptiones. Quid per Krayßverfaſſung und Krayß-Abſchied denotetur in *Speidelio voc.* Krayß declaratur: Pulchras quæſtiones non qvidem deciſas de Circulorum inſtitutione & mutatione proponit *Boecler. in Not. Imp. lib. 3. cap. 1. & 2.* quem omninò vide.

Quamvis *Inſt. Pac. Oſnab.* Inſtauratio Circulorum 61
ratione ſecuritatis publicæ commendaretur, imò etiam in Comitijs Ratisbonenſibus *de Anno 1654.* deliberari cœptum fuiſſet; attamen ad felicem exitum perduci non po-

 tuit,

ctuit, ſed ad Comitia prorogata negotium rejectum, & Deputationi Imperij ordinariæ pertractandum commiſſum eſt, *Author* der Grundfeſt. *P. 3. C. 6. Boëcl. A. lib. 3. cap. 3.*

De Comitijs cum exactè & præclarè loquatur *Arumæus*, Ideò ad eum Benevolum Lectorem remittemus, quemadmodum etiam ad *Bernhardum Bertramum*, ne inſtituti noſtri rationem nimium excedamus, quæ ſaltem Regalium naturam reſpicit.

SECTIO XV.

De Jure Commerciorum ſive Nundinarum.

SUMMARIA.

1 Nundinæ unde dicantur?
2 Per Nundinas intelligitur mercatus publicus lingvâ vernaculâ Marck.
3 Vocabulum Meß *unde ortum ſumat?*
4 Definitio Nundinarum in genere.
5 Diſtributio illarum.
6 Jus Nundinarum ſeu Commerciorum inter Regalia recenſetur.
7 Quâ Ratione Nundinæ Francofurtenſes Francofurtum pervenerint.
8 Fridericus II. Imperator Civitati Francofurtenſi illas contulit.
9 Qvomodo eas rurſus amiſerint?
10 Sunt etiam famoſæ Nundinæ Lipſienſes & Argentinenſes.
11 Qvæ ſint Nundinæ minus ſolennes?
12 Varia earum nomina.
13 Nundinæ Hebdomadariæ qvæ ſint?
14 Nundinæ Gallicæ ſoli Regi reſervantur.
15 De Nundinarum immunitatibus.

1 NUndinarum vocabum apud Romanos in uſu fuiſſe tradit *Plin. lib. 5. Epiſt. ad Valer. 4.* inde dictæ, quaſi Novendinæ ex eo, qvod non quiſqve dies Romanis ſolennis eſſet, ſed nonus, à Novem & dies, *Matth. Martin. in Lexic. Etymol. voc.* quo Ruſtici ad Leges cognoſcendas & ad mercatum in urbem veniebant. Addantur *Chriſtoph. Becman.*

de

de Orig. Lat. Ling. vocab. Nonæ, quem allegat *Doctiſſ. Aſverus Fritſchius in Syll. var. tract. tit. de Regal. Nund. cap. 1. n. 1. ſeqq.* Ubi exactè in Etymologiam Nundinarum inquirit, & demum *num. 13. inf.* per Nundinas propriè intelligit mercatum publicum, Lingvâ vernaculâ Marck/Jahrmarck/item Meſſe/ *Wehn. Pract. obs. vocab.* Meſſe/Meſſen. *R. J. de Anno 1512.* §. Auch iſt für Nothdurfft. Jahrmeſſen/Offene freye Meſſen *R. J. de Anno 1551.* §. Dieſem zu begegnen ꝛc. quam vocem ab annuo ſacro deducit *Wehn d. l.* Dahero es noch kompt/ daß gemeiniglich die Kirchmeſſe und Jahrmärck zuſammen und mit einander gehalten werden. Similiter à miſſis derivat *Christoph. Beſold. Theſ. Pract. vocab.* Meſſe. Sed rectius ſentit *Aſverus Fritſchius d. tr. cap. 1. num. 27. ex Speidel. voc.* Meß. Illud vocabulum convenientius deduci à verbo Meſſen/ daß auff ſolche Zeit die Wahren gemeſſen/außgemeſſen und verkaufft werden. 3

Nundinas in genere definit *Conrad. Carpz. Tract. de Regal. Rubr. de 15. Regali Jure Commerciorum, pag. mihi 86.* qvod ſint *mercatus celebriores, qvi habentur certis ſtatisqve temporibus maximo conventu mercatorum in his locis, qvibus Jus eas habendi datum eſt, longâ conſvetudine aut beneficio Principis olim vel Senatus vel Conſulum vel Decreto Ordinum honoratorum præſente moderatore Provinciæ.* 4

Et ſunt vel ſolennes & generales, vel minus ſolennes & particulares: Illas ſolus conſtituit Summus Princeps, quas ille ipſe propriâ Authoritate ſibi conſtituere aliquando dubitavit: Legimus enim in *Svetonio* Claudium Imperatorem Legibus publicis ſe ipſum ſubjicientem Jus Nundinarum in ſua prædia à Conſulibus petiiſſe; Ex qvo ſupremum Jus per concesſionem illarum tranſiens agnoſcitur & per Leges etiam confirmatur. *l. 1. ff. de Nund.* ibi: *Nundinis impetratis à Principe.* & *l. un. Cod. eodem* ibi: *qvi exercendorum mercatuum aut Nundinarum licentiam vel veterum indulto vel noſtrâ authoritate meruerunt.* Ut indè cum *Bocer. de Regal. cap. 2. num. 238. Obrecht. in Diſput. Regal. th. 191.* 5

ctuit, ſed ad Comitia prorogata negotium rejectum, & Deputationi Imperij ordinariæ pertractandum commiſſum eſt, *Author* der Grundfeſt. *P. 3. C. 6. Boëcl. A. lib. 3. cap. 3.*

De Comitijs cum exactè & præclarè loquatur *Arumæus*, Ideò ad eum Benevolum Lectorem remittemus, quemadmodum etiam ad *Bernhardum Bertramum*, ne inſtituti noſtri rationem nimium excedamus, quæ ſaltem Regalium naturam reſpicit.

SECTIO XV.

De Jure Commerciorum ſive Nundinarum.

SUMMARIA.

1 *Nundinæ unde dicantur?*
2 *Per Nundinas intelligitur mercatus publicus linguâ vernaculâ* Marck.
3 *Vocabulum* Meß *unde ortum ſumat?*
4 *Definitio Nundinarum in genere.*
5 *Diſtributio illarum.*
6 *Jus Nundinarum ſeu Commerciorum inter Regalia recenſetur.*
7 *Quâ Ratione Nundinæ Francofurtenſes Francoſurtum pervenerint.*
8 *Fridericus* II. *Imperator Civitati Francofurtenſi illas contulit.*
9 *Quomodo eas rurſus amiſerint?*
10 *Sunt etiam famoſæ Nundinæ Lipſienſes & Argentinenſes.*
11 *Quæ ſint Nundinæ minus ſolennes?*
12 *Varia earum nomina.*
13 *Nundinæ Hebdomadariæ quæ ſint?*
14 *Nundinæ Gallicæ ſoli Regi reſervantur.*
15 *De Nundinarum immunitatibus.*

1 NUndinarum vocabum apud Romanos in uſu fuiſſe tradit *Plin. lib. 5. Epiſt. ad Valer. 4.* inde dictæ, quaſi Novendinæ ex eo, qvod non quiſqve dies Romanis ſolennis eſſet, ſed nonus, à Novem & dies, *Matth. Martin. in Lexic. Etymol. voc.* quo Ruſtici ad Leges cognoſcendas & ad mercatum in urbem veniebant. Addantur *Chriſtoph. Becman.*

de

de Orig. Lat. Ling. vocab. Nonæ, quem allegat *Doctiſſ. Aſverus Fritſchius in Syll. var. tract. tit. de Regal. Nund. cap. 1. n. 1. ſeqq.* Ubi exactè in Etymologiam Nundinarum inquirit, & demum *num. 13. inf.* per Nundinas propriè intelligit mercatum publicum, Lingvâ vernaculâ Marck/ Jahrmarck/ item Meſſe/ *Wehn. Pract. obs. vocab.* Meſſe/ Meſſen. *R. J. de Anno 1512. §.* Auch iſt für Nothdurfft. Jahrmeſſen/ Offene freye Meſſen *R. J. de Anno 1551. §.* Dieſem zu begegnen ꝛc. quam vocem ab annuo ſacro deducit *Wehn d. l.* Dahero es noch kompt/ daß gemeiniglich die Kirchmeſſe und Jahrmärck zuſammen und mit einander gehalten werden. Similiter à miſſis derivat *Chriſtoph. Beſold. Theſ. Pract. vocab.* Meſſe. Sed rectius ſentit *Aſverus Fritſchius d. tr. cap. 1. num. 27. ex Speidel. voc.* Meß. Illud vocabulum convenientius deduci à verbo Meſſen/ daß auff ſolche Zeit die Wahren gemeſſen/ außgemeſſen und verkaufft werden. 3

Nundinas in genere definit *Conrad. Carpz. Tract. de Regal. Rubr. de 15. Regali Jure Commerciorum, pag. mihi 86.* qvod ſint *mercatus celebriores, qvi habentur certis ſtatisqve temporibus maximo conventu mercatorum in his locis, qvibus Jus eas habendi datum eſt, longâ conſvetudine aut beneficio Principis olim vel Senatus vel Conſulum vel Decreto Ordinum honoratorum, præſente moderatore Provinciæ.* 4

Et ſunt vel ſolennes & generales, vel minus ſolennes & particulares: Illas ſolus conſtituit Summus Princeps, quas ille ipſe propriâ Authoritate ſibi conſtituere aliquando dubitavit: Legimus enim in *Svetonio* Claudium Imperatorem Legibus publicis ſe ipſum ſubjicientem Jus Nundinarum in ſua prædia à Conſulibus petiiſſe; Ex qvo ſupremum Jus per concesſionem illarum tranſiens agnoſcitur & per Leges etiam confirmatur. *l. 1. ff. de Nund.* ibi: *Nundinis impetratis à Principe.* & *l. un. Cod. eodem* ibi: *qvi exercendorum mercatuum aut Nundinarum licentiam vel veterum indulto vel noſtrâ authoritate meruerunt.* Ut indè cum *Bocer. de Regal. cap. 2. num. 238. Obrecht. in Diſput. Regal. th.* 5

191.

tuit, ſed ad Comitia prorogata negotium rejectum, & Deputationi Imperij ordinariæ pertractandum commiſſum eſt, *Author* der Grundfeſt. *P. 3. C. 6. Boëcl. A. lib. 3. cap. 3.*

De Comitijs cum exactè & præclarè loquatur *Arumæus*, Ideò ad eum Benevolum Lectorem remittemus, quemadmodum etiam ad *Bernhardum Bertramum*, ne inſtituti noſtri rationem nimium excedamus, quæ ſaltem Regalium naturam reſpicit.

SECTIO XV.

De Jure Commerciorum ſive Nundinarum.

SUMMARIA.

1 *Nundinæ unde dicantur?*
2 *Per Nundinas intelligitur mercatus publicus linguâ vernaculâ* Marck.
3 *Vocabulum* Meß *unde ortum ſumat?*
4 *Definitio Nundinarum in genere.*
5 *Diſtributio illarum.*
6 *Jus Nundinarum ſeu Commerciorum inter Regalia recenſetur.*
7 *Quâ Ratione Nundinæ Francofurtenſes Francofurtum pervenerint.*
8 *Fridericus II. Imperator Civitati Francofurtenſi illas contulit.*
9 *Quomodo eas rurſus amiſerint?*
10 *Sunt etiam famoſæ Nundinæ Lipſienſes & Argentinenſes.*
11 *Quæ ſint Nundinæ minus ſolennes?*
12 *Varia earum nomina.*
13 *Nundinæ Hebdomadariæ quæ ſint?*
14 *Nundinæ Gallicæ ſoli Regi reſervantur.*
15 *De Nundinarum immunitatibus.*

1 Nundinarum vocabum apud Romanos in uſu fuiſſe tradit *Plin. lib. 5. Epiſt. ad Valer. 4.* inde dictæ, quaſi Novendinæ ex eo, qvod non quiſqve dies Romanis ſolennis eſſet, ſed nonus, à Novem & dies, *Matth. Martin. in Lexic. Etymol. voc.* quo Ruſtici ad Leges cognoſcendas & ad mercatum in urbem veniebant. Addantur *Chriſtoph. Becman.*

de

de Orig. Lat. Ling. vocab. Nonæ, quem allegat *Doctiſſ. Aſverus Fritſchius in Syll. var. tract. tit. de Regal. Nund. cap. 1. n. 1. ſeqq.* Ubi exactè in Etymologiam Nundinarum inquirit, & demum *num. 13. inf.* per Nundinas propriè intelligit mercatum publicum, Lingvâ vernaculâ Marck/Jahrmarck/item Meſſe/ *Wehn. Pract. obſ. vocab.* Meſſe/Meſſen. *R. J. de Anno 1512.* §. Auch iſt für Nothdurfft. Jahrmeſſen/Offene freye Meſſen *R. J. de Anno 1551.* §. Dieſem zu begegnen ꝛc. quam vocem ab annuo ſacro deducit *Wehn d. l.* Dahero es noch kompt / daß gemeiniglich die Kirchmeſſe und Jahrmärck zuſammen und mit einander gehalten werden. Similiter à miſſis derivat *Chriſtoph. Beſold. Theſ. Pract. vocab.* Meſſe. Sed rectius ſentit *Aſverus Fritſchius d. tr. cap. 1. num. 27. ex Speidel. voc.* Meß. Illud vocabulum convenientius deduci à verbo Meſſen/ daß auff ſolche Zeit die Wahren gemeſſen/außgemeſſen und verkaufft werden. 2 3

Nundinas in genere definit *Conrad. Carpz. Tract. de Regal. Rubr. de 15. Regali Jure Commerciorum, pag. mihi 86.* qvod ſint *mercatus celebriores, qvi habentur certis ſtatisqve temporibus maximo conventu mercatorum in his locis, qvibus Jus eas habendi datum eſt, longâ conſvetudine aut beneficio Principis olim vel Senatus vel Conſulum vel Decreto Ordinum honoratorum præſente moderatore Provinciæ.* 4

Et ſunt vel ſolennes & generales, vel minus ſolennes & particulares: Illas ſolus conſtituit Summus Princeps, quas ille ipſe propriâ Authoritate ſibi conſtituere aliquando dubitavit: Legimus enim in *Svetonio* Claudium Imperatorem Legibus publicis ſe ipſum ſubjicientem Jus Nundinarum in ſua prædia à Conſulibus petiiſſe; Ex qvo ſupremum Jus per conceſſionem illarum tranſiens agnoſcitur & per Leges etiam confirmatur *l. 1. ff. de Nund.* ibi: *Nundinis impetratis à Principe.* & *l. un. Cod. eodem* ibi: *qvi exercendorum mercatuum aut Nundinarum licentiam vel veterum indulto vel noſtrâ authoritate meruerunt.* Ut indè cum *Bocer. de Regal. cap. 2. num. 238. Obrecht. in Diſput. Regal. th.* 5

191. Bodin. de Republ. lib. 1. c. 2. Gail. 2. obs. 69. n. 24. Matth.
6 *Steph. de Juriſd. lib. 2. P. 1. c. 1. m. 2. n. 2. n. 98.* rectè concludamus Jus Commerciorum ſive Nundinarum inter Regalia recenſeri. Märck zu geben Meſſe oder Niederlag auffzurichten/ iſt der hohen Obrigkeit und Kayſerl. reſervation anhängig. *Paul. Matth. Wehn. Pract. obſer. voc.* Meß. Cujusmodi ſolennes & celebriores Nundinæ ſunt Francofurtenſes *ad*
7 *Mœnum*, quæ qvomodo illuc pervenerint ex *Goldaſto Tom. 3. Conſt. Imp. conſt. 1.* ad marginem, cuiqve patere poteſt. Nam cum *Conſtantinus III. Britannus Imperator*, Comitia Imperialia annuatim in Urbe Arelatenſi celebranda propter ſummam loci opportunitatem & copiam Commerciorum (*Neq;* enim, inquit Imperator, *ulla Provincia ita peculiari fructus ſui felicitate lætatur, ut non niſi hæc propria Arelatenſis ſoli credatur eſſe fæcunditas*) juſſiſſet, & demum juxta formam hujus Pragmaticæ Sanctionis annuus hic conven-
8 tus à *Carolo Magno* Moguntiam translatus fuiſſet; tandem *Fridericus II. Imp.* in Diplomate quod extat apud *Limn. lib. 7. de J. P. cap. 16. num. 24.* hos ipſos conventus cum miſſâ Sancti Bartholomæi, ut Nundinas vocat *Goldaſt. d. l.*, Francofurtum transtulit, & ita Nundinæ propter Conventum Imperialem inſtitutæ, atque eo diſſoluto ſolæ dura-
9 verunt ad Electionem Schismaticam *Caroli IV.*, qui qvod Francofurtenſes partes Guntheri ſeqverentur, Moguntinæ urbi Nundinas reſtituit, quas tamen *Carolus* in Imperio confirmat' mortuo Gunthero Interceſſione *Rudolphi Pala-*
10 *tini & Marchionis Brandenburgenſis* de novo contulit. *Henning. Arniſ. de Jurib. Majeſt. lib. 2. cap. 3. num. 18.* Sunt & Nundinæ famoſæ Lipſienſes, quæ à *Maximiliano I. Imp. An. 1497.* inſtitutæ, & à *Carolo V. Anno 1521. & 1547.* confirmatæ ſunt. Item Argentinenſes, quas confirmavit *Sigismundus Anno 1414. & 1436.* Nec non etiam *Fridericus III. Imp. Anno. 1452.*

11 Nundinæ minus ſolennes dicuntur, quæ uni Civitati aut

aut vico communes ſunt, & privilegia conſequuntur, non tamen ita facilè, niſi auditis adjacentibus & vicinis Civitatibus quarum intereſſe poſſet. *Gail. d. obſ. 69. num. 25.* Va- 12
ria hæ Nundinæ ſortiuntur nomina. uti Viehmarck / qui mercatus ſecundum *Limn. Tom. 4. Jur. Publ. in Add. ad lib. 4. c. 8. num. 311.* vel celebriores ſunt, vel minus tales & iterum reſpectu animalium generales & ſpeciales. qui ſi nullis privilegiis dotati reperiantur, Imperatoris confirmatione opus non habent. *Fritſch. d. tr. cap. 9. num. 8.* His annume- 13
rantur Nundinæ Vulgares hebdomadariæ die Wochenmarck / quando Ruſtici ex vicinis pagis adventantes in foro Civitatis annorum & ad victum neceſſaria exponunt, idqve absq; privilegio Summi Principis, *Bald. in l. Unic. Cod. de Nund. Teſſaur. Decis. 264. n. 4.* Cum ex obſervantia potius dependeant quam Jure. *Arniſ. de Jurib. Majeſt. lib. 2. c. 3. n. 18.* Addatur *Sichard. ad tit. Cod. de Nund. & Mercat.* Ubi de Privilegijs, de Dacijs atq; Pedagijs earum, nec non de mercede loci von Wegen Brucken-und Standtgeld / agit. Forum ſcrutarium hic fortè non male quis nominaverit vulgò Trödel-oder Dendel-Marck / in qvo omnis generis merces obſoletæ & tritæ venales habentur. *Fritſch. de Regal. Nund. cap. 9. n. 30.*

De Nundinis Gallicis, qvæ ſoli Regi reſervantur, quæ- 14
dam tradit *Arniſ. d. l. inf. des foires de Champagne & de Brie* quæ ſub Philippo VI. cœperunt, & ſub Carolo VII. & Ludovico XI. *des foires de Lyon.* ſub Henrico II. *des foires de Saint Denis. Chop. de Doman. Franc. lib. 3. tit. 12. n. 9.* quos allegavit *Fritſch. d. l.*

De Nundinarum immunitatibus & ſecuritatibus cum 15
pro more ſuo diligentiſſimè ſcripſerit idem ille *Doctiſſ: Fritſchius de Regal. Nund. cap. VI. VII. & VIII. per tot.* ideoqve ne exqviſitam illius Doctrinam, meam facere videar, curioſum Nundinarum Inveſtigatorem ad eum remittendum

Mmmmm du-

duxi, ubi omnia momenta & ſpeciales caſus dextrè obſervavit.

SECTIO XVI.

De Poteſtate legitimandi Liberos Naturales, veniam ætatis tribuendi & de Jure abſolvendi ad effectum agendi.

SUMMARIA.

1 *Natalium maculam per Legitimationem abſtergere Summæ Poteſtatis eſt.*
2 *An Camera Imperialis Legitimationem à Comite Palatino factam confirmare poſſit?*
3 *Mindani ſententia rejicitur.*
4 *Qvemadmodum Imperatori non Cameræ Imperiali reſervatur poteſtas legitimandi illegitimos, ita & confirmandi.*
5 *Per Famæ reſtitutionem Princeps abolet pœnam criminis & delet infamiam. Effectus hujus reſtitutionis.*
6 *Hoc Jus ſummè duxit Carolus V. ut patet in Exemplo.*
7 *Regale veniam ætatis tribuendi, qvem finem reſpiciat?*
8 *Exempla hujus conceſſionis Imperatoriæ antiqva & nova.*
9 *Juſta ætatis determinatio in hac venia obtinenda quæ ſit, & qua ratione eadem probanda, ſicuti & mores, & vitæ honeſtas.*
10 *Fœmina qvomodo probet intentionem ſuam in obtinendâ veniâ ætatis?*
11 *Poteſtas abſolvendi à Juramento ad effectum agendi eſt de Regalibus.*
12 *Qvando locum habeat, & à qvo Judice fieri conveniat?*

1 SUmmi Principis Poteſtas præclarè eminet in Jure legitimandi eos, qui natalium maculâ deformati ſunt. *Nov. 72. c. 2. Nov. 89. cap. 8. Roſenth. de Feud. cap. 5. Concl. 2. n. 4. Borch. in ſing. capit. poſt. tract. Feud. de Regal. cap. 2. Vult. de Feud. cap. 5. num. 7. Regn. Sixtin. de Regal. lib. 1. cap. 2. n. 20. Donell. Comment. lib. 2. c. 21.* De Requiſitis Legitimationis,

nis, de perſonis legitimandorum & plenitudine Poteſtatis, quatenus agnatorum interſit, cum *P. 2. cap. 2. ſect. 5.* in ò etiam *h. P. 3. cap. 2. ſect. 3.* plura dixerimus, ſuperfluum fore: repetere. Illud ſaltem hic præterire noluimus, in quo *Petr. Frideric. Mindan. de Proceſſ. Camer. lib. 1. cap. 12. num. 3.* lapſus eſſe videtur, dum ſibi omninò perſvadet Came- 2
ram Imperialem ſuper petitâ confirmatione, præſuppoſitâ bonâ narratione, precibus deferre poſſe. Et addit unicum ſimilis petitæ Confirmationis Legitimationis exemplum ſibi conſtare, quæ cur denegata fuerit, ignorare ſe cauſam profitetur, & ſaltem præſumit ſupplicationem non ſatis fuiſſe qualificatam, & reqviſita neceſſaria fortè defuiſſe. Aſt alia obſtare non potuit cauſa, quàm qvod 3
Camera compertum habuerit hanc Poteſtatem Imperatori propriam eſſe & Regale majus conſtituere. *Regn. Sixtin.* 4
de Regal. lib. 1. cap. 4. num. 106. & 107. De Liberis Naturalibus & illegitimis eorumq; diſtinctione in antecedentibus quoque *P. 1. c. 1. ſect. 11. & P. 2. c. 2. ſect. 4.* plurima diximus.

Huic Regali cognatum eſt Jus Famæ reſtituendi, quo 5
non tantum Princeps abolet pœnam criminis, ſed etiam delet infamiam reducitq; ad priſtinum Statum, *Matth. Steph. de Jurisd. C. 1. m. 2. num. 122. Bocer. de Regal. c. 2. num. 113.* ita ut condemnatus nomen boni viri recipiat, atque à nemine, niſi injuriarum teneri velit, objici infamia queat. *l. 1. §. 9. l. 23. §. 1. Cod. de Nupt.*

Quanta autem hæc ſit Poteſtas, & quàm ſtudeant Principes eandem intactam conſervare, vel unicum factum invictiſſimi Imperatoris *Caroli V.* teſtimonio eſſe po- 6
teſt. Ille enim dum Senatui Mediolanenſi egregia & præcipua Jura clementiſſimè conferret, inter reliqua hæc duo ſaltem ſibi reſervavit, ne ſcilicet delictorum veniam tribuere, & literas ſalvi conductus ſivè Pacis Publicæ reis dare fas eſſet. *Bodin. de Republ. lib. 1. cap. 8. & 10.* ex ſpecia-

 lis-

liſſimâ tamen Imperatorum conceſſione Magiſtratibus hoc Jus tributum fuiſſe legimus in ſeditione nempè Ruſticorum, *R. J. Spirenſi de Anno 1526.* §. Und wiewohl ꝛc. quatenus reſtituto honore & ſoluto Banno bona & alia reſtituerentur. De Banno itidem ſupra *Part. 2. cap. 6. ſect. 3.* actum.

7 Numerum Regalium Majorum auget Jus veniam ætatis tribuendi, Jus ſcilicet legitimæ ætatis, ut ipſimet abſque Curatoribus bona ſua adminiſtrare & liberè cum aliis contrahere poſſint, *l. 1. 2. 3. Cod. de His, qui ven. ætat. impet. l. 5. Cod. de Temporib. in integ. reſtitut. l. 3. pr. ff. de Minorib. Donell. Coment. Jur. Civil. lib. 21. cap. 12. Joach. Cluten. Syllog. Rer. quotid. th. 20. lit. P. & Q.*

8 Exemplum hujus Imperatoriæ conceſſionis allegat *Ant. Coler. de Jur. Imp. Germ. ſect. 25.* in Perſonâ *Caroli Ducis Lotharingiæ*, ut Metenſi Epiſcopatui & rectè præeſſe & illum legitimâ ætate poſſet adminiſtrare. Recentiores hujusmodi conceſſiones obtinuerunt Sereniſſimus Princeps Sultzbacenſis D. *Chriſtianus Auguſtus Anno 1645. 7. Junij.* Item Sereniſſimus Princeps *Guſtavus Adolphus* Dux Megapolitanus *Anno 1653. 21. Julij.* & ſub Auguſtiſſimo Imperatore *Leopoldo* Sereniſſimus Princeps Dominus *Ludovicus Wilhelmus* Marchio Badenſis Anno proxime præterito *1678. 20. Aprilis.* Similiter *Fridericus* Comes Naſſovius Sarapontanus *Anno 1662. 10. Martij.* Et Comes *Egon Antonius de Fürſtenberg 1675. 16. Aprilis.*

9 Ut verò eo facilius venia impetretur, requiritur certa ætas in mare quidem 20, in fœminâ 18. anni impleti *l. 2. pr. & §. 1. Cod. d. l.* Quanquam Juſtæ ætatis determinationem Principi rectius tribueris cum *Gothofredo ad l. 1. Cod. d. t.* Accedat inſuper cauſa probabilis neceſſe eſt, ut non malitia, ſed probitas intellectus ætatem ſuppleat, *Bocer. de Regal. c. 2. num. 33.* atque probationibus ſupplicans demonſtret, ætatem quidem per ſcripturam, morum in-

inſtituta probitatemque animi & teſtimonium vitæ honeſtioris per teſtes. *Conrad. Carpz. de Regal. ſub hac. Rubr. pag. mihi 68.* Fœminæ verò quibus ob verecundiam & pudo- 10
rem earum in publicum prodire non permittitur, intentionem ſuam per teſtes & inſtrumenta probantes, rectè per procuratorem comparent, ad hunc ſcilicet effectum, ut in omnium bonorum ſuorum adminiſtratione pro majoribus habeantur, & læſo in integrum reſtitutio non detur.

Huc refertur Poteſtas abſolvendi à Juramento ad ef- 11
fectum agendi, quam Regalibus adſcribunt *Bocer. de Regal. c. 2. num. 135. Roſenth. de Feud. cap. 5. Concl. 3.* & tùm ut plurimum exerceri dicit *Everhard. Speckh. Cent. 2. claſſ. 2. Quæſt. 14. num. 17.* quando cautio Juratoria de non vindi- 12
cando carcere, Germanicè die Urphäd præſtita fuit: Idque per Imperatorem, vel etiam ex ejus permiſſione per Cameram Imperialem. *O. C. P. 2. tit. 24. Gail. lib. 1. obs. 25. n. 2.* Ubi præclare diſſerit, quibus caſibus Judici Seculari hæc Poteſtas tribui poſſit. Addatur *Mynſing. Cent. 3. obs. 99.* quæ tandem generali Imperii Conſtitutione *R. J. de Anno 1654. §. Als ſich dann. 164. in f.* Judicibus Laicis confirmata eſt. Proceſſum hujus Juris habere licet apud Practicorum Coryphæum, *And. Gail. d. lib. 1. obs. 22. 23. 24. & 25. & Jacob. Blum. Proceſſ. Cam. tit. 35. Denais. pag. mihi 570. de Jur. Cam.*

SECTIO XVII.

De Jure cognoſcendi de Crimine Læſæ Majeſtatis & dandi veniam criminis, damnatosque vitæ reſtituendi.

SUMMARIA.

1. *De Crimine Læſæ Majeſtatis jam ſupra dictum.*
2. *Poteſtas de eo cognoſcendi & bonorum ob id damnatorum ſibi arrogan-*

qvest de Reſervatis Principis & Regale majus conſtituit.
3 Item Poteſtas veniam Criminis dandi.
4 An in omnibus Criminibus Princeps hoc abſoluto Jure uti poſſit?
5 Pœnas Divino Jure conſtitutas non rectè remittit.
6 Temerarium dictum Caſimiri Magni, Poloniæ Regis.
7 Regis humani non eſt accuſare iniquitatis Leges Divinas.
8 Per hanc veniam fit injuria Legi Divinæ.
9 Egregium factum Ludovici Sancti Gall. Regis.
10 Intereſt Reipublicæ delicta puniri. Ratio ex Cicerone.
11 In Legibus Humanis contrarium ſtatuitur.

1 DE fœdiſſimo Læſæ Majeſtatis Crimine jam ſupra *P. 2. c. 6. ſect. 3.* plura cumulare, confiſcationesque bonorum inde reſultantes pro inſtituti ratione, dum de Jure Fiſcali ageremus, proponere placuit, ideoq; nauſeam parere videretur, qui denuò ſe ſe hiſce implicare vellet. Illud ſaltem pro nunc dicere ſufficiat Poteſtatem cognoſcendi de hoc crimine, & bona ob id damnatorum ſibi arrogandi,
2 Principis Majeſtatem maximè ſpectabilem reddere, ſummumque Regale præ ſe ferre, *Regn. Sixt. de Regal. lib. 1. c. 2. num. 18.* quippe qvod animum ſaltem perpetrandi acerrime punit, & delinquentem gravisſimis ſupplicijs obnoxium reddit.

3 Dandi veniam Criminis Poteſtas, & damnatos vitæ reſtituendi, magna eſt, & talis, quæ reliquis Juribus inferior non eſt. Dubitatur tamen an in omnibus Criminibus
4 Princeps hoc Jure gaudere valeat? *Henric. Bruning. de Var. Univers. ſpecieb. th. 28.* nulli etiam ſuperiorem non reco-
5 gnoſcenti pœnarum Lege Divinâ præſcriptarum gratiam concedere poſſe clariſſimè affirmat: Illâ enim cautum ſcimus, ut quicunque humanum ſanguinem fuderit, ejus ſangvis rurſus fundatur. *Gen. 9. v. 6. Exod. 21. v. 12. Lev. 24. v. 17. Deut. 19. v. 11. 12. & 13.* quam inferior tollere non poteſt; quod tamen *Caſimirus Magnus Polonus* diſſe-
6 rens de homicidio *lib. 1. Stat. Pol. c. 15. art. 6. l. 7.* impruden-

denter putavit, dicens: *ſe velle corrigere vigore Legis Divinarũ & Humanarum.* Ac ſi Regis humani eſſet accuſare iniqui- 7
tatis Leges Divinas, easque idcirco abrogare, quaſi ipſe ſapientior eſſet ipſâ Sapientiâ, & quod hæc Juſtum eſſe jubet, ille nimij rigoris accuſatum damnare deberet. *Henning. Arniſ. de Jurib. Majeſt. lib. 2. cap. 3. pag. mihi 139.* Per 8
hanc enim veniam injuria Legi Divinæ fit, & plerumqve in Authores pœna & ira Divina redundat. *1. Reg. cap. 20. in f. qvoniam virum morte dignum dimiſiſti, erit anima tua pro anima ejus & populus tuus pro populo ejus.* Unde quilibet Princeps conſilium Joſaphat ſibi imprimat *2. Paralip. c. 19. videte qvid faciatis, non enim hominis exercetis Judicium ſed Domini, & qvodcunqve judicaveritis, in vos redundabit.* Et Ludo- 9
vici Sancti Reg. Gall. veſtigia imitetur, qui, dum damnatum vitæ reſtituiſſet, & mox in Pſalmum 106. *Beati qui faciunt Juſtitiam.* incidiſſet, delinquentem reduci, & ſupplicio affici curavit. Simile Juſtitiæ ſpecimen invenire eſt apud *Philip. Camer. Medit. Hiſt. cent. 1. cap. ult.* Cum pinguior ſecundum *Senecam* victima Deo mactari non poſſit, quàm homo ſceleratus.

Accedit & illa ratio Politica, qvod Reipublicæ interſit 10
delicta puniri, *l. 31. §. 2. ad Leg. Aqvil. Oportet enim*, inquit *Cicer. lib. 1. de Offic. eum qvi laceſſierit, ſuæ injuriæ pœnitere, ut & ipſe ne tale qvid poſthac committat, & cæteri ſint ad injuriam tardiores.* Præſertim cum Rempubl. malis hominibus hoc modo repleri, & bonis periculum creari contingeret. Nec ideò meliores redduntur, quibus vita ita largitur, quinimò liberati ad peccandum denuo invitantur: quia facilitas veniæ incentivum tribuit delinquenti, *C. Eſt injuſta. 23. Qvæſt. 4. C. Ut Clericorum. de Vit. & Honeſt. Cleric.*

In Legibus verò Humanis cum *Bruning. d. l.* dices 11
Clementiam exerceri poſſe; ut eſt Crimen Læſæ Majeſtatis, ſi quis Imperatori maledixerit; & in alijs pœnam capitalem inferentibus. *Bodin. de Republ. lib. 1. cap. ult. n. 165.*

Sicut

Sicut David Simei & aliis ſuis adverſariis gratiam fecit eo die, quo factus eſt Rex. 2. *Reg.* 9. Videndum tamen Principi, dicit *Bruning. d. l.* ne quam Dignitatis & exiſtimationis jacturam hac ratione facere, unamque injuriam moderatè ferendo alteram provocare videatur.

SECTIO XVIII.

De Regali Jure cudendi Monetam.

SUMMARIA.

1 *Quomodo & quando nummorum uſus invaluerit & ſignari cœperit?*

2 *Nummi recte Juris Gentium dicuntur.*

3 *Detrimentum Reipublicæ non leve ex depravatione eorum.*

4 *Monetæ præfuerunt apud Romanos Triumviri Monetales & demum Imperatores Jus monetandi ad ſe traxerunt.*

5 *Et à Friderico 1. Imp. ad Regalia relatum.*

6 *Carolum Magnum hoc Jus magni feciſſe teſtatur Bodinus.*

7 *Excellentia illius in Regnis Hungariæ, & Angliæ.*

8 *Falſicatores monetæ rei ſunt Læſæ Majeſtatis & igni mancipantur.*

9 *An pœna confiſcationis bonorum inſuper irrogetur?*

10 *Pœna detrahentium aliquid de juſto valore & pondere nummorum.*

11 *Edictum Ferdinandeum de Re Numariâ vix obſervatur hodiè.*

12 *An ſit diſtinguendum ratione pœnæ inter corruptores monetarum Imperatoris & Principum aut aliorum Statuum?*

13 *Dictum Clapmarij de Jure monetandi in Germaniâ & Italiâ valde communi.*

14 *Non diſtinguitur inter monetam auream & argenteam.*

15 *Imperator hodiè nemini absque conſenſu Electorum Jus monetæ confert.*

16 *In mutatione monetæ terminus ponitur, poſt quem moneta reprobata dicitur.*

ANtiquiſſimis temporibus commercia permutationibus expediebantur, *l. 1. ff. de Contrah. Empt.* quæ cum non

minimam crearent difficultatem, nummorum uſus inva- 1
luit ex ferro, ære, argento & auro, *Ariſtot. lib. 1. Polit. cap. 8.* qui prius quantitate & pondere definiti erant, & demum ſignari cœperunt; Argentum quidem ab urbe conditâ 484. *Q. Fabio Conſule* quinque annis ante bellum Punicum *Regner. Sixtin. de Regal. lib. 2. cap. 7. num. 11.* Aurum verò ſexaginta annis poſt argentum, idq; in commodum Reipublicæ & Commerciorum, qvæ facilius hocce nummorum uſu conficiebantur, ut hodiè omnibus gentibus
communis, & recte Juris Gentium dicatur. *Tiraqv. de Re-* 2
tract. Lign. §. 30. num. 21. Exemplo contractus Emptionis-Venditionis, qui Juris Gentium eſt, & non niſi pretio interveniente conſiſtere poteſt. *d. l. 1.* Quemadmodum itaq; nummorum uſus tendit in commodum Reipublicæ,
ita etiam incommodum non leve parit, & magna peſtis 3
eſt, ſi depraventur: quia per eorum mutatam menſuram vel turbatam omnia reliqua mutari & turbari neceſſe eſt, atque inde fiunt incerta pretia cenſuum & poſſeſſionum, quæ creſcunt perinde, ut creſcit moneta *Imp. Maximilianus in Conſtit. de Anno 157*[illegible] *§.* Dieweil dann nunmehr. *in f.* Idcircò Majeſtatis eſt proſpicere ne quid inde Reſpublica
damni patiatur, quam apud Romanos fovebant Triumviri 4
monetales, *Clapm. de Arcan. Rerump. lib. 1. c. 16. pr.* & quidem in Æde Junonis Monetalis *Sixtin. d. l. num. 19.* donec Cæſares illud Jus in ſe transtuliſſent figuramque ſuam impreſſiſſent juxta illud *Guntheri lib. 3. de Frid. III.*

Rege figuratam Regis patet eſſe monetam
Cæſaris & Domini, ſub Cæſare fulget imago.

Idqve in ſignum Majeſtatis, & ſplendorē hujus Juris 5
quod ipſe Fridericus *I. Imp. in tit. 56. lib. 2. Feud.* inter Regalia refert, & ſequitur Carolus V. in *R. J. Norimb. de Anno 1524. §.* Dergleichen hat der Müntz. *R. J. Auguſt. de Anno 1551. §.* So haben Wir auch. *R. J. de Anno 1559. §.* Von neuer Müntz-Ordnung. & *de Anno 1570. §.* Und dieweil man mit

groſſem Schaden erfahren. Addatur *l. penul. & ult. Cod. de Fals. monet. l. 1. Cod. de Veteris numiſm. poteſt. Franciſc. Vivi. lib. 2. Deciſ. 208. n. 3. cum ſeq. Bocer. de Regal. c. 2. num. 222. Sonsbeck. de Feud. P. 5. num. 19. Bodin. de Republ. lib. 1. cap. 10.*
6 qui *lib. 6. cap. 3. pag. mihi 1077. in f.* de Carolo Magno teſtatur, eum omnes monetarum officinas in Palatium coëgiſſe, quo ſeverius & accuratius nummi fabricarentur & probarentur, ad demonſtrandam hujus Regalis Summam
7 Excellentiam, quã in Hungarorum Regno, uti ex *Otton. Friſingenſi* deducit *Clapmar. d. cap. 16.* ſimilitor deprehendere licet. ubi, *nullus,* inquit, *in tàm ſpatioſo ambitu Rege excepto monetam aut telonium habere audet.* Regem Angliæ hoc Jus faciendæ monetæ ita proprium ſibi habere dicit *Arniſ. de Jurib. Majeſt. lib. 3. cap. 7. num. 4.* ut etiam alibi quam in turri Londinenſi inſigniri non patiatur.

8 Majeſtas porrò iſtius Regalis ſummopere relucet in pænâ dictatâ ijs qui monetas falſificant, & absqve privilegio legitimè qvæſito eandem formant; Tales namq; continuo in Crimen Læſæ Majeſtatis incidunt, *l. 2. Cod. de Fals. monet.* & flammarum exuſtionibus mancipantur. *Conſtit. Crim. Caroli V. art. 111.* ibi: Welche falſche Zeichen machen/ oder dieſelbe falſche Müntzen auffwechſeln / oder ſonſt zu ſich bringen/und wiederumb gefährlich und boßhafftig dem Nechſten zum Nachtheil wiſſentlich außgeben / die ſollen nach Gewonheit/ auch Satzung der Rechte/ mit dem Feuer von Leben zum Tod geſtrafft wer-
9 den. *Roſenth. de Feud. cap. 5. Concl. 48.* Pœnæ ignis adjicitur & pœna confiſcationis bonorum, *d. l. 2. Cod. de Falſ. monet.* quæ abrogata non eſt per hanc Conſtitutionem Carolinam, qvod voluit *Regn. Sixtin. d. lib. 2. &c. n. 121.* In eâ enim nullam hujus abrogationis mentionem fieri videmus; Imò *Nov. 134. cap. ult.* quam allegat *Sixtin. d. l.* parum juvat, qvæ licet mitius de confiſcationibus loqvatur, attamen falſæ monetæ conflaturam & pœnam hanc

ei addictam expreſſè excipit, atqve veteris Juris diſpoſitio-
ni relinquit.

Hac confiſcationis pœnâ non tantum ipſi monetæ
falſæ conflatores puniuntur, ſed & ij, qui ad miniſteria hu-
jus Criminis ſcientes ſuas domos elocarint, *l. 1. §. Domus
verò. Cod. d. t. Conſtit. Crim. d. art. 111.* verſ. Die ihre Häuſer 10
wiſſentlich darzu leyhen/ dieſelbe Häuſer ſollen ſie darmit verwirckt
haben. Qui autem de juſto valore & pondere nummum
circumcidendo & radendo aliqvid detraxerit, aut etiam
absque privilegio monetam percuſſerit, carceri mancipa-
tur, & pro delicti enormitate corporis pœnâ coercetur,
d. Conſt. vers. Welcher aber der Müntz ihre rechte Schwehre be-
nimpt / gefährlicher weiß ꝛc. *vid. Cujac. 19. obs. 25.* eodem
modo & is qui grandiorem monetam reflaverit, & in forna-
cem rejectam reſolverit ut minorem efficiat, vers. Wo ir-
gend einer eines andern Müntz ꝛc. aut ſi conſentiente Domino
Superiore id fecerit, talis Jure monetandi cadit. *verſ.* So 11
aber mit der Herrſchafft Willen. Vid. *Edictum Nummarium Fer-
dinandi I. de Anno 1559.* in quo ſpecialis enumeratio numiſ-
matum reperitur, & ſimul rejiciuntur multa & reproban-
tur; minimè tamen apparet quemquam hoc Regali ob
abuſum privatum unquam fuiſſe. Nec hic diſtinguimus 12
inter corruptores monetarum Imperatoris & Principum
aut aliorum Statuum Imperij: Cum Conſtitutione Caro-
linâ generaliter caveatur falſificatores monetæ igni man-
cipandos eſſe, qvia omnis moneta, quæ publica authori-
tate ſuſtinetur absque inſcriptione Cæſaris etiam, pro Sac.
Rom. Imp. monetâ reputatur, & in effectu ipſius Cæſaris
moneta adulterata cenſetur, cujus conceſsione ad Status
pervenit, ſuſtineturque per authoritatem illam publicam,
quæ Leges, pondus, materiam & valorem nummis præ-
ſcribit; uti fit in Comitijs univerſalibus, vel etiam in Con-
ventibus ſpecialiter ob rem nummariam indici ſolitis, *R. J.
de Anno 1521.* §. Weiters als Wir ietzo ꝛc. *de Anno 1524.* §.

Dergleichen hat der Müntz rc. *R. J. de Anno 1530.* §. Sintemahl auch zu Handhabung. Item *R. J. de Anno 1551.* §. Remblich als ſich bißher. *de Anno 1559. 1566.* ubi de Principibus conceſſâ poteſtate circa rem nummariam agitur, quibus ita communis eſt, ut dixerit *Clapm. de Arcan. Rerump. lib. 1. cap. 16.*
13 hoc Jus monetandi in Germaniâ & Italiâ in tot ferè partes diſtractum eſſe, quot ſunt Principatus, Comitatus, Civitates; reſpectu quorum etiam Regale vocatur. *R. J. de An. 1551.* §. So haben Wir Uns auch. & *R. J. de Anno 1559.* §. Ferner, etc.

Similiter non diſtinguimus inter monetam auream
14 & argenteam, ſicut fecit *Covarr. in tract. de Vet. Num. Coll. cap. 8. num. 3.* & olim qvoqve teſte *Procopio* æreos & argenteos nummos liqvefieri permiſſum, aureos tamen conflari vetitum erat. *Clapm. d. l. inf.* Nam *d. l. 1. Cod. de Fals. monet.* in generali nominatione monetæ verſatur, uti & *d. l. 2.* de falsâ cuſſione loqvitur; imò & ipſa Conſtitutio Carolina ſimpliciter monetæ meminit; Ideoq; non tantum auream ſed & argenteam & quamcunque aliam ſub hâc pœnâ comprehendi dicendum.

Imperator itaqve conceſſionem hujus Regalis habet *A. B. tit. 10.* ubi illud non tantum Regi Bohemiæ confirmatur, verum etiam Electoribus de novo tribuitur, quanquam hæc poteſtas hodie qvodammodo per Capitulatio-
15 nes reſtricta videatur, ne ſcilicet abſque conſenſu Electorum cuiq; permittatur. *Capit. Leopold. art. 34. Paurmeiſt. de Jurisd. Imp. lib. 1. c. 4. num. 26.* Similiter Imperator mone-
16 tam vitioſam rejicit & reprobat. Ne tamen ex ſubitâ mutatione quis damnum ſentiat, terminus poni ſolet, poſt quem moneta reprobata dici debeat. *R. J. de Anno 1559.* §. Und nachdem die frembde. An autem mutatione hac monetæ facta contractus, an ſolutionis tempus in ſolutione faciendâ attendi debeat? Exponunt *Regn. Sixtin. de Regal. lib. 2. cap. 7. num. 148. Bocer. de Jur. Mon. c. 2. n. 74. Paul.*

Matth.

Matth. Wehn. Pract. obs. vocab. Goldgülden. Mynſing. Cent. 4. obs. 1. n. 3. Gail. 2. obs. 73.

SECTIO XIX.

De Jure Vectigalia nova erigendi & augendi vetera.

SUMMARIA.

1 Diſtinctio inter Vectigalia inſtituenda & augenda & inter inſtituta.

2 Augere Vectigalia eſt de Reſervatis Principis.

3 Impoſſibile eſt ſine illis Rempublicam conſervari.

4 Saluti publicæ infert qui tributum exſolvere recuſat.

5 Imperatores olim hoc Jus liberè exercebant.

6 Hodie per Capitulationes limitatum, quibus conſenſus Electorum ad Vectigal inſtituendum vel augendum requiritur, & nulli fraudi eſſe jubetur &c.

7 Majeſtas Imperialis ſimilibus Legibus non imminuitur, nec eſt Princeps, qui pro lubitu à ſubditis tributa exigere poteſt. Exempla in Rege Hiſpaniarum & Galliæ.

8 Nova Vectigalia proprio motu inſtituens nihil agit, imò mandata pœnalia contra talem decernuntur.

9 An eadem locum habeant in eo qui ſaltem auget vectigal.

10 Contraventores Crimini Læſæ Majeſtatis obnoxij ſunt.

11 Vectigalia dicuntur ſolatia Civitatum, & non niſi ſumma neceſſitate de novo imponenda.

12 Præclarum monitum Sancti Ludovici filio in teſtamento relictum.

13 Juſta cauſa ad imponendum vectigal in Capitulationibus requiritur.

14 Seditionis Exemplum in Galliâ ob impoſitionem novi Vectigalis.

15 Longè periculoſiſſimum exitum habent illicita Vectigalia. Exemplum recenſetur.

16 Ærarium quidem ditare videntur, ſed plus damni pleramq; habent.

17 Bono Principi pluris eſſe debet ſubditorum opulentia, quam reditus, qui inde inferuntur Imperio.

18 Ratio Collectarum ad augendum ærarium quoq; conducit. Varia earum nomina.

19 Collectarum exigendarum Jus ad quem ſpectet?

20 *Differentia inter Collectam Imperialem & Provincialem.*
21 *Solutio vetus annuorum denariorum & recentioris Collectæ.*
22 *De modo contribuendi* nach dem gemeinen Pfennig.
23 *Alter uſitatus contributionum modus* nach dem Römerzug.
24 *Expeditionis Romanæ uſus hodie parvus eſſe videtur.*
25 *Quomodo hæ Collectæ ſolvantur?*
26 *Acceſſit contributio Turcica* Türcken Steur.
27 *Qui, & in quibus rebus illa ſolvatur?*

1 Circa vectigalia imprimis diſtinguendum eſt, utrum ſermo ſit de ijs inſtituendis & augendis, an verò de inſtitutis. Hæc propriè ad fiſcum Principis augendum pertinent. *Zas. in Epitom. Feud. P. 5. num. 13.* de quibus infra ſect. 22. agetur. Illa verò Majeſtati propria ſunt, & Regalibus Majoribus annumerantur, *tit. 56. 2. Feud. l. 10. ff. de*
2 *Publ. & Vectig. R. J. de Anno 1576. §.* Weiters ſeynd Wir auch. ibi: Den Zoll ſteigern gehöret zur Kayſerlichen ſondern Hoheit und Reſervat. *Sixtin. lib. 1. cap. 2. de Reg. num. 4. Bocer. de Regal. c. 2. num. 183. & cap. 3. num. 230.* Præcipuè enim Principis Majeſtatem ſpectant, & communem ſubditorum utilitatem concernunt. *Nov. 161. c. 2.* cum impoſſibile ſit, ut
3 *Sacris tributis non illatis alioqvin Reſpublica conſervetur. Novell. 149. cap. 2.* Quod rectè adverterunt Senatores tempore *Neronis* diſſolutionem Imperij conſecuturam, ſi fructus, quibus Reſpublica ſuſtinetur, diminuantur. *Tacit. lib. 4. Annal.* qui potiſſimum in vectigalibus, collectis & Jure monetandi conſiſtunt; adeò ut ſaluti publicæ verè in-
4 ferat, qui tributum exſolvere detrectat, quod tamen ipſe Chriſtus perſolvit & juſſit: *Date Cæſari quæ Cæſaris ſunt, Matth. 22.* Ex quo prætextum ad mortem in Chriſto Judæi quæſierunt, *Luc. 23. Hunc invenimus prohibentem tributa dare Cæſari & dicentem ſe Chriſtum Regem eſſe. Clapm. de Arcan. Rerumpub. lib. 1. cap. 21. pr.*

5 Hoc Regale quamvis Imperatores quondam liberè exercuiſſent, *Carol. Magn. Imp. lib. 2. capitul. tit. 19 Ludovicus*

cus Pius lib. 4. capitul. tit. 47. Electoribus etiam ex poſt-facto de eo participantibus, *Melch. Goldaſt. in Bohem. lib. 4. c. 2. num. 9.* Idem *in Conſtitut. Imperial. tom. I. fol. 350.* Attamen illud ipſum Majeſtatis Reſervatum per Auream Bullam coarctatum eſt, *tit. 9.* verſ. Zöll. ſo hiebevor geſetzt und auffgelegt ſeyn. Imò & Imperatori per Capitulationem limitatũ; 6
Buxtorff. ad A. B. tit. 9. Concl. 91. Paurmeiſt. de Jurisd. Imper. Rom. lib. I. c. 4. num. 7. quâ continetur Primò, ne abſque conſenſu Electorum nova vectigalia inſtituat augeatve, vel alijs inſtituendi augendique poteſtatem concedat, aut ſaltem in hanc rem ad P.P. E. E. literas det promotoriales & interceſſionales, *Capitul. Leopold. art. 21. & 23.* ita tamen ut, Secundò, hujusmodi conceſſiones & erectiones novorum vectigalium aut antiqvorum augmentum Electoribus aliisq; privilegiatis fraudi non ſint. *d. Capit. Leopold. art. 23.* Tertiò, ut Imperator vectigalia ſine ſpeciali conceſſione à Statibus introducta tollat, *d. Capit. art. 21. in f.* Quartò, ne propter vectigalium Jus controverſum Principes Electores ad Cameram evocentur ibiq; ſententiam exſpectare debeant, ſed immediatè ab ipſo Cæſare expediatur. *d. Capit. Leopold. art. 24.* Quintò, ut aboleantur immunitates Vectigalium contra Electorum privilegia & Jura conceſſa. *art. 25.* Addatur *Capitulatio Caroli V. Imp. art. 18. 19. 20.* quam exhibet *Sleidanus lib. I.* Ibidem *Limnæus*. Item Capitul. *Ferdinandi I. Imp. art. 17. & 18. Maximiliani II. art. 9. Rudolphi II. art. 17. 18. 19. & 20. Matthiæ. art. 19. usqve ad 26. Ferdinandi II. art. 17. usqve ad 24. Ferdinandi IV. art. 19. usqve ad 26.* In quibus poſterioribus ſemper aliquid novi adjectum reperitur, de quibus *Limn. ad d. l.*

Nec rectè quis dixerit Imperatoriam Majeſtatem his 7
& ſimilibus Legibus quodammodo imminui, & eſſe alios Principes qui jactent privilegia; quibus pro lubitu à ſubditis tributa exigere valeant. Certè ſi de Rege Hiſpaniarum id dictum velint, errorem non levem deprehendere

li-

licebit. Quantumvis enim potentiſſimus ſit, & maximæ authoritatis; tributum tamen ſine Ordinum conſenſu imperare non poſſe, ex *Bodin. lib. 6. cap. 2. de Repub.* dicit *Buxtorff. ad A. B. Concl. 91. lit. E.* Si quis Regi Galliarum hanc laxatiſſimam poteſtatem attribuere cogitet, ſanè non minimam rerum publicarum incurrit inſcitiam: Nam ſi eidem *Bodin. lib. 7. cap. 2. de Repub.* credimus, inveniemus, Philippo Valeſio Conventus Gallicos habente, populi Rogatione decretum fuiſſe, ne ullum tributi aut vectigalis genus, niſi conſentientibus Ordinibus, imperaretur. Idem dicendum de Angliæ, Hungariæ, Daniæ, Poloniæ & Siciliæ Regibus. *Heig. Q. 18. num. 7. P. 1.* Quidni igitur etiam in Imperio Romano absque diminutione Imperialis Dignitatis hoc Vectigalium Jus limitationem recipere potuit?

8 Qvi itaque propria authoritate vectigalia inſtituit, non tantum nihil agit, verum etiam publicis conſtitutionibus coercetur, atque Mandata pœnalia S. C. contra talem, etiamſi Elector ſit, decernuntur, & ab executione rectè inchoatur. *Regn. Sixtin. lib. 2. cap. 6. num. 23. Joach. Cluten. in Syllog. Rer. quotid. th. 22. lit. E.* Ubi caſus proponuntur, quibus hujusmodi mandata decreta ſunt, *Gylm. in Symphor. Supplic. Tom. 2. P. 3. tit. 7. ſuppl. 4.* etiamſi ſaltem vetera aucta fuiſſent: quia vetera augendo fit aliqvid novi, & nova cenſentur, cum vetera augentur. *Sixtin. d. l. num. 24. & 30. Klock. in Diſcept. de Jur. Vectigal. Concl. 93. lit. C.* Et per hunc actum Crimen Læſæ Majeſtatis incurri tradit. *Bocerus. lib. 2. num. 186.* cui adſtipulari videtur *Clapm. de Arcan. Rerumpub. d. c. 22.* Ubi refert Galeacium Vice-Comitem Mediolanenſem ideò Majeſtatis accuſatum fuiſſe, quod tributa ſubditis ſine Imperatoris arbitrio imperaſſet:
10 ſi enim is, qui falſificationi monetarum ſe immiſcet, Majeſtatis Læſæ Crimen committit, qvod ſibi temporariè Jus Imperatoris proprium attribuat, & inſuper utilitatem publicam lædat; quidni & illæ ipſæ rationes ad vectigalia in-

inſolita & non competentia extendi poterunt, & conſequenter pœna intentari? *Conrad. ab Einſiedel. Tract. de Regal. pag. mihi 248. num. 238.* Qvis enim neſcit ex *Floro lib. 3. c. 13.* Vectigalia eſſe *patrimonium Imperij*, & ſolatia Civitatum? *l. Vectigalia. Cod. de Vectig. & Comm.* quatenus publicis tantum neceſſitatibus ſervire, & communem utilitatem minimè lædere debeant, quomodo ergo vectigal ob Reipublicæ bonum, *Fernand. Vasq. de Succeſſ. prog. in præfat. num. 115.* & non niſi ſummâ neceſſitate ingruente aliàs imponendum: Exemplo Ludovici Sancti Galliarum Regis, qui filium teſtamento admonuit: *A vectigalibus & tributis abſtineto, niſi te ſumma vis neceſſitatis, ac utilitatis publicæ Juſtiſſima cauſa ad hoc compellat.* Quomodo inquā pro lubitu & privato arbitrio, atque ſine Juſtâ fortaſſe cauſâ erigi poſſunt, quæ à Principe ipſo ſupremo ſine juſtâ cauſâ (quales recenſet *Sixtin. d. lib. 2. c. 6. num. 47. & ſeqq*) non inducuntur, *Heig. d. Quæſt. 18. num. 6. Part. 1.* quam Electores in Capitulatione Cæſareâ quoq; requirunt, ſcientes quàm periculoſum ſit vectigalia nova inſtituere, unde tumultus & ſeditiones exitij plenæ nonnunquam oriuntur. Memorandum talis ſeditionis in Galliâ Exemplum refert *Conrad. ab Einſiedel. de Regal. pag. 242. 229. ex Thuan. lib. 5. fol. 103.* Dum enim *Franciſcus I.* hominum qvorundam novandarum rerum ſtudioſiſſimorum ſvaſionibus inductus in Aqvitaniæ Salinis vectigal aucto ſupra modum pretio capi juberet, cujus Salis, utpote in ſuo loco nati, antea Provinciales liberum commercium habuerant; Seditio inde orta eſt, quæ non prius comprimi potuit, quàm plurimorum inſontium ſanguinem immaniter effudiſſet. Similem funeſtum exitum ſecum trahit, & longè periculoſiſſimum illicitorum vectigalium impoſitio, & ipſum ſæpius authorem manet, quod Conſules illi à plebe Uratislaviæ ob indictam collectationem trucidati horribiliter experti. *Alb. Crantz. lib. 10. in Wand. cap. 28.* quæ, quantumvis æ-

11 12 13 14 15 16

rarium Principis primo intuitu ditare videantur, plus tamen damni plerumq; afferunt, dum ſubditi penitus emunguntur, & ita exprimuntur, ut ne quidem ſuccus remaneat, qvo urgente neceſſitate denuo contribuere poſſent, deficiente ſcilicet ſubditorum pingviori fortunâ, quæ, vel (ut loqvitur *Juſtinianus Nov. 161. cap. 2.*) *bono Principi pluris*
17 *eſſe debet ſubditorum opulentia & medela, quàm reditus qui indè inferuntur Imperio.* Nam ut canit *Claudianus*:

Nec tua privatis creſcunt æraria damnis

Undè amor & obſequium in Principem redundat: *Bonus enim Princeps, qui magis à ſuis diligitur, quàm timetur, habet qvidqvid Cives poſſident.*

Nec certiores habet Princeps Qvæſtores ærarios, quàm ſubditos, nec qui pecunias ei liberalius, quoties neceſſe erit, ſuppeditant.

18 In Imperio Romano non minor eſt ratio Collectarum quàm Vectigalium, qvæ æq; ad augendum Principis ærarium conducunt, & varia nomina paſſim ſortiuntur. Reichsſtewer/ Landſtewer/ Kraysſtewer/ Frewlinſtewer/ Abzug und Nachſtewer/ Abfahrt/ Abſchoß/ Anſtöſſung/ Leibſtewer/ Beth/ Boden-Zins/ Weingelt & aliæ quamplurimæ Collectarum ſpecies, uti ad longum refert, *Caſpar. Klock. in Diſſert. de Contrib. in*
19 *Imp. uſit. th. 3. lit. A.* Quarum exigendarum Jus ad eos ſpectat, qui de Regalibus à Summo Principe inveſtiti ſunt, & Juribus Superioritatis gaudent, ut Duces, Marchiones, Principes, Comites, Barones, *And. Knichen. de Jur. Territ. c. 1. num. 300. Paurmeiſt. de Juriſd. Imp. lib. 2. c. 10 n. 10.*

20 Differt collecta Imperialis Reichsſtewer/ à Provinciali Landſtewer: quod illa ex Regalibus ipſiusmet Imperatoris & Imperij indicta ex ſpeciali conceſſione Imperiali ſubditis ſuis in ſubſidium à Statibus imponatur. Hæc verò cuilibet inferiori vigore Regalium propriorum competat, ita ut utraq; non modò quoad authoritatem, ſed etiam quoad effectum differat.

Ve-

Veteres Germanorum Imperatores ſolis annuis de- 21
narijs, qvos ſubditi in Comitijs pro cujusque facultatibus offerebant, contentos fuiſſe refert *Lehm. Chron. Spirens. lib. 2. cap. 39.* Inde ſeqventibus temporibus non per modum Imperij ſed blandæ compellationis, mitleidentlich. ſibi ſubveniri petierunt. *Arum. de Comit. c. 5. num. 8.* Tandem neceſſitatis factæ ſunt Collectæ, & invitis etiam indictæ, ita tamen ut absqve conſenſu Electorum non fiant, prout Romanorum Reges jurant. *Capit. Caroli V. art. 23. & ibi Limn. Ferdinandi I. art. 22. Rudolphi II. art. 27. Ferdinandi III. art. 31. ibiqve Limn. Capitul. Ferdin. IV. art. 29. Capitul. Auguſtiſſimi Leopoldi art. 29.* Addatur *Inſtrum. Pac. art. 8.* quod clarè circa hunc caſum diſponit.

De modo contribuendi olim acriter fuit diſputatum, 22
& Anno 1471. *in Comit. Ratisbon.* ſolutio ſecundum denarium communem, nach dem gemeinen Pfenning. *Lehman. Chron. Spir. lib. 7. cap. 112.* Et demum in *Comitiis Auguſtanis de Annno 1474. Francofurt. de Anno 1486. Norimberg. An. 1486. Francof. de Anno 1489. Wormat. de Anno 1495.* ubi forma Decreti exhibetur, paululum immutatus eſt.

Hocce contributionum genus, quamvis plurimis 23
placuiſſet, contradictione tamen non caruit, imò in Comitijs *de Anno 1603.* per majora concluſum, ut alter contributionum modus nempè ſecundum Romanam expeditionem, nach dem Römerzug/ obtineret. *d. R. J.* §. Nichtsdeſtoweniger aber ꝛc. Vigore cujus Status Imperij Imperatori in Italiam pro ſuſcipiendâ Coronâ eunti, viginti millia peditum, & quatuor millia Equitum ſecundum taxam unicuiq; aſſignatam ſuppeditabant. *R. J. de Anno 1521. Limn. de Jur. Publ. lib. 2. cap. 4. num. 509.* Hujus expeditionis uſus ho- 24
diè parvus eſt, imò nullus: Nam poſt *Carolum V.* nemo Imperatorum eam ſuſcipere viſus eſt; Collectæ tamen illæ, in caſu neceſſitatis etiam in pecuniâ numeratâ, ſi expediat, præſtandæ, remanſerunt. *R. J. Spirenſi de An 1544. §.*

Und damit nun ſolche Hülff ꝛc. quæ ſemel conventæ abſque
25 omni dilatione erogandæ ſunt ſub pœnâ dupli. *R. J. de Anno 1594.* §. Demnach ſollen die Unterthanen. ſive ſint Clerici *d. R. J.* §. Darüber. & *R. J. de Anno 1598.* §. Dagegen aber. ſive Laici. *R. J. de Anno 1366.* §. Und nachdem. & *de Annis 1594. & 98.*

26 Hodiernis etiam temporibus, cum Imperium Romanum ab infenſiſſimo Chriſtiani nominis hoſte Turcâ maximè impetatur, omnibus ferè Comitijs, prout ſuperiori præſertim ſeculo contigiſſe legimus, contributio Turcica, Türckenſteuer exigi ſolet. *Lehman. d. lib. 7. cap. 112.* non tantum ex bonis mobilibus & immobilibus, Feudalibus &
27 allodialibus *R. J. Spir. de An. 1544.* §. Und nemlich ſollen. Verum etiam à Capitibus ac perſonis ipſis Dominorum, Conjugũ, Liberorum & Miniſtrorum, Knecht und Mägdten. *R. J. Auguſt. de Anno 1500.* §. Nemblich dieſelben. *R. J. Colon. de Anno 1512.* §. Und damit der Arme. Matriculam Imperij pleniſſimè exhibet *Limn. de Jur. Publ. lib. 4. cap. 7.*

SECTIO XX.

De Juribus Extremæ Provocationis & Primariarum Precum.

SUMMARIA.

1 *Jus extremæ provocationis Summæ Majeſtati maximè proprium eſt.*
2 *Imperator Statibus Imperii Privilegia de non appellando tribuit & Capitulationibus confirmat.*
3 *Qualiter hoc Privilegium Electoribus Eccleſiaſticis limitatum ſit?*
4 *Ab eo excipitur caſus denegatæ Juſtitiæ & nullitatis.*
5 *Hoc Privilegium qvomodo in Camerâ attendatur?*
6 *Jus Primariarum precum ad Regalia Majeſtatis pertinet, dicitur Germanice* Panisbrieff.
7 *Undè ita dicantur?*
8 *Origo illarum à conſvetudine deſumitur. Exempla id probantia.*

Ma-

MAjeſtatis attributum verè magnum eſt, Extrema Provocatio, ſive facultas ita pronunciandi, ut à ſententiâ appellare non liceat. *Georg. Schönb. Pol. lib. 5. c. 13.* quæ ei ita propria eſt, inqvit *Arniſ. de Jurib. Majeſt. lib. 2. cap. 4. num. 3. pr.* ut ab illa avelli nunquam poſſit, quin ipſa unà diſtrahatur: *Conſiſtit enim,* pergit ille, *Majeſtas in Imperio, qvod habet in ſubditos, Imperium illud metimur Legibus & Jurisdictione, qvorum alterum vel utrumque qvi non agnoſcit, nec Majeſtatem agnoſcit.* 1

Quamvis hoc ipſum Jus Extremæ Provocationis ſolius Imperatoris ſit; privilegia tamen de non appellando tribuit, qualia videmus Electoribus tàm Eccleſiaſticis quàm Secularibus *à Carolo IV. Imp. A. B. tit. 11.* conceſſa, & in Capitulationibus à Regibus Romanorum confirmata; Limitatum tamen eſt hocce privilegium Electoribus præſertim Eccleſiaſticis, qui ſub certâ tantum ſummâ appellabili illud hactenus retinent. Excipitur caſus denegatæ Juſtitiæ, vigore cujus appellatio procedit. *A. B. d. tit. 11. §.* Da aber das Recht. *Arum. ad A. B. Diſc. 5. th. 18. Chriſtoph. Beſold. in Tr. de Appellat. c. 2. num. 105. & ſeqq.* Similiter Proceſſus Nullitatis ad agendum & ſupplicandum adverſus nullitates; & hinc non attento privilegio de non appellando, Citationem ſuper nullitate principaliter deducendâ absqve inhibitione impetrari in Camera Imperiali conclusum eſſe dicit *Gail. lib. 1. obs. 135. num. 4.* quod verum exiſtimo; quamvis non ignorem *Andr. Knich. de Saxon. Jur. non provoc. cap. 1. & Dominic. Arum. ad A. B. Diſcurs. 8. Concl. 17.* contrarium defendere. 2 3 4

Privilegia de non appellando Electoribus, Principibus & Statibus Imperij competentia in ſex tabulas diviſa proponit *Jacob. Blum. Proceſſ. Cam. tit. 47. per tot.* Et horum privilegiorum tàm limitatorum quàm illimitatorum ſumma, ad majorem & meliorem Judicis atqve Aſſeſſorum inſtructionem ac obſervantiam, in Senatorio Magno 5

in Camerâ exponi jubetur. *R. J. de Anno* 1654. *§.* Drittens ſollen *III.* An ab Imperatore malè informato ad melius informandum appellatio rectè interponatur, cùm à *Conrad. ab* Einſiedel. *de Regal. pag. mihi* 123. abundè diſcuſſum reperiam; Ideò ibi exſpectationi Lectoris omninò ſatisfieri arbitror.

6 Ad Majeſtatis Regalia pertinet inſuper Jus Primariarum Precum *Matth. Steph. de Jurisd. lib. 2. c. 4. num. 18. Gail. 1. obſer. 155. num. 7.* quæ inſuper primitiæ vocantur, qvod ſemel duntaxat ſeu pro primâ vice, non autem bis aut ſæ-
7 pius, uni eidemque, in unâ eâdemqve Eccleſiâ ab Imperatore concedantur. Et quoad nomen nihil aliud ſunt, quàm intercesſiones Vorſchrifften / Germanis ſpecialiter Panisbrieffe. *Webner. vocab.* Panisbrieff. quibus datur poteſtas perficiendi, ut aliquis in Sedem, vel Beneficium Eccleſiaſticum recipiatur. Cujus Juris origo rectius ex
8 conſvetudine repetitur. *Cluten. Syllog. Rerum Qvotid. Th. 19.* uti patet ex Diplomate *Caroli de Anno* 1350. Præsbytero *Petro Conradi de Dylle* conceſſo; item ex Privilegio *Wenceslai de Anno* 1376. *Ruperto Seniori Comiti Palatino Rheni Collato.* Aliud ex *Goldaſto* allegat *Aſver. Fritſchius in Syllog. Var. Tract. Tit. de Imp. Prim. Prec. Jur. cap. 1. num. 13.* qui omninò videatur.

SECTIO XXI.

De Jure Curſores Publicos inſtituendi.

SUMMARIA.

1 *Poteſtas ordinandi Curſores publicos eſt de Majoribus Regalibus.*
2 *Curſores Publici qvi ſint?*
3 *Dicuntur etiam Curſores Regij.*
4 *Poſtarum uſus ſummam utilitatem iter facientibus præbet.*
5 *Hæc poteſtas non niſi Imperatori competere poteſt.*

6 Pri-

6 Privatæ & Civitatum Poſtæ interdictæ.
7 Inhibitio cuidam Duci Germaniæ à Cæſare facta ratione inſtituti Curſoris publici.

EAdem diſtinctio, quàm ſupra de conſtitutione vectigalium, & ijs jam inſtitutis, ad Cognitionem Regalis Majoris & Minoris attulimus; & hic adhibenda erit: Pote- 1
ſtas enim ordinandi & permittendi Curſores publicos Regalibus Majoribus annumeratur, ipſum verò exercitium, minoribus. *Conrad. ab Einſiedel de Regal. cap. 3. n. 226.*

Curſores publicos, rejectâ ſententiâ *Menochii A. J.* 2
Q. lib. 2. cent. 3. Caſ. 229. num. 4. dicimus eqvos publicos per vias publicas diſpoſitos, quos *Poſtas* vulgò vocant. *Joachim. Cluten Syllog. Rer. Quotid. Theſ. 22. lit. B. Arniſ. de Jurib. Majeſt. min. cap. 5. M. Steph. de Jurisd. Imp. Rom. lib. 2. P. 1. cap. 1. memb. 2. num. 110.* & à *Laconico* Curſores Regij appellantur. *vid. tit. Cod. de Curſ. Publ.* De quibus in- 3
telligendum eſt illud *Cæſaris. 3. de Bell. Civil. Nuncios per diſpoſitos eqvos de victoriâ Cæſaris Meſſanam allatos.* Et quod *Livius in Bello contra Antioch.* ſcribit: *Sempronium Gracchum per diſpoſitos eqvos propè incredibili celeritate ab Amphiſſâ tertio die Pellam perveniſſe.* Ut inde, quemadmodum 4
loquitur *Cluten d. l.* hi Curſores non tantum ſummam utilitatem præbeant iter facientibus, literasque alicubi mittentibus, ſed etiam non parvum vectigal fiſco inferant, & præter omnes has utilitates etiam ad ſecuritatem Reipublicæ plurimum faciant. Eadem verba habentur apud *Arniſ. d. Tr. lib. 3. cap. 5. pag. 264. col. 1. pr.* ſimiliter apud *Conrad. Carpz. Tr. de Regal. cap. 3. pag. 110.* Quare Jure 5
merito inter Jura Majeſtatis hæc Poteſtas refertur, & non niſi Imperatori in Imperio competere poteſt. *Clapm. de Arcan. Rerumpubl. lib. 1. cap. 21.* atqve ab eodem alicui confirmatur, ſicuti *Anno 1596. & 1597.* officium Magiſtri Poſtarum confirmatum legimus; reliquis privatis & Civi- 6
ta-

tatum Poſtis. Metzger-Poſt und Neben-Botten Generali Imperatorio Diplomate ſublatis. *Thom. Mich. de Jurisd. th. 12. lit. B.* Dann Poſt auffrichten iſt ein Stück der Kayſerlichen Reſervation und Hoheiten/ *Paul. Matth. Wehn. vocab.* Poſt. Unde
7 cùm *Anno 1579.* Dux quidam Germaniæ publicos Curſores in Belgium & Italiam diſpoſuiſſet, eosqve ſuis ſumptibus conſtituiſſet, eidem ſeverè ab Imperatore inhibitum eſt. *Clapm. d. l. Wehn. d. voc.* Poſt. *Sixtin. de Regal. lib. 2. cap. 13. n. 42. Cluten d. Th. 22. Conrad. ab* Einſiedel. *de Regal. d. cap. 3. n. 226.* De vijs publicis & fluminibus videatur idem *Einſidelius cap. 2. n. 274.*

Et hæc de Regalibus Majoribus dixiſſe ſufficiat; Quin autem plura ſint, dubitare nemini fas eſt, qvæ prolixius tractare inſtitutum noſtrum admittere non videtur, cum ſaltem nonnulla apponere ideò neceſſarium duximus, quatenus facilius ſcire poſſemus, quâ ratione ſucceſſionem eorum deprehendere liceret, quæ ante enumerationem, licet breviorem, obſcura reddita fuiſſet.

SECTIO XXII.

De Regalibus Minoribus & quæ hoc nomine veniant.

SUMMARIA.

1 *Repetitio diviſionis Regalium in Majora & Minora.*
2 *Minora magis in reditu conſiſtunt, & fiſco plerumq; competunt.*
3 *Princeps à ſuis præter annuum cenſum exigere nil poteſt niſi aſſentiantur.*
4 *Hiſpani præter ſubſidia antiqva Regi nil ſolvunt.*
5 *Jura Fiſcalia ad ſalutem & utilitatem publicam ſpectant.*
6 *Ærarium Friderici Barbaroſſæ olim ditiſſimum, cujus reditus ex Germaniâ & Italiâ in ſexaginta tonnis auri conſiſtebant. Hodiè longè diverſum.*
7 *Definitio Regalium minorum.*
8 *Inter illa recenſetur Jus exigendi vectigalia.*
9 *In quo ſignificatu propriè ſumantur?*

10 *Ab*

10 Ab omnibus ſolvenda, niſi quatenus exempti dicantur.
11 Quantum de conſvetudine exigatur?
12 Solutum pretium octavam excedere non debet.
13 Cavendum ab inſolitis vectigalibus.
14 Cives ita exprimendi, ut ſuperſit ſuccus.
15 De perſonis à præſtatione vectigalium immunibus.
16 Pœna fraudati vectigalis.
17 Ultra valorem mercium pœna ſe non extendit, & nil præter rem ipſam, obnoxium eſt.
18 Actio non ſoluti vectigalis exſpirat qvinquennio.
19 Mulctarum pœnarumque compendia.
20 An merum & mixtum Imperium Regalibus annumerentur?
21 De Ripaticis & eorum interpretatione.
22 Portus Regalibus annumerantur.
23 Quid proprie per portum denotetur?
24 De Salinis.
25 Diſtinctio Salinarum in loco publico vel privato inventarum.
26 An ipſæ Salinæ an Reditus earum ſint de Regalibus?
27 Verior ſententia Salinas ipſas de Regalibus ſtatuens.
28 Piſcationum reditus.
29 An ipſum Jus piſcandi vel piſcationum reditus ſint de Regalibus?
30 Alterum qvæſtionis membrum probatur.
31 De Jurisdictione foreſtali. & quomodo conſtituatur?
32 An Venatio ſit de Regalibus?
33 Jus venandi circumſcriptum.
34 Refutatur Pruckmannus ideò venationem Regalibus annumerans, quod piſcationum reditus pro tali habeantur, & hinc multo magis venatio.
35 Differentia inter reditus piſcationis & reditus aucupij.
36 Nullâ Lege aut Conſtitutione venatio inter Regalia recenſetur.
37 Secus de conſvetudine, qvâ in inveſtituris Regalium venatio exprimitur.
38 Generali conceſſione Venationis inferior & ſuperior continetur, imò & generali conceſſione Regalium.
39 Gailius Jus venandi ad ſervitutem realem refert.
40 Bona vacantia fiſcum ſequuntur.
41 Item bona condemnatorum & proſcriptorum.
42 Bona contrahentium nuptias inceſtas.
43 An pœna confiſcationis etiam locum habeat in iis, qui ſaltem ſponſalia in hoc gradu prohibito contrahunt.
44 Inter Regalia minora quoque recenſentur bona, quæ ut indignis auferuntur.
45 Nec non bona, qui ſibi mortem conſciverunt.
46 Argentariæ ſive metallorum fodinæ augent numerum Regalium.

47 *Par Argentarias quid propriè denotetur? & refutatur Egvinarius Baro atqve Hotoman.*

48 *An ſaltem Argentariæ ſtrictè ſumptæ ſignificent argenti fodinas? Negativa verior, cum Auri fodinæ & omnes mineræ pretioſiores ſubintelligantur.*

49 *Probatio ex Aureâ Bullâ deſumpta.*

50 *An diſtinctio facienda ſit utrum in publico vel in privato inveniantur?*

51 *An Canon Metallicus conſtituat Regale argentariarum?*

52 *Verior opinio ipſas fodinas Regale efficere. Et probatur ex varijs Conſtitutionibus antiquioribus & textu Aureæ Bullæ.*

53 *De generali Conſvetudine Germaniæ omnes fodinæ tàm in publicis qvàm in privatis inventæ indiſtinctè Regale conſtituunt.*

54 *Ad earum Conſtitutionem inveſtitura plerumq; accedit.*

55 *Ratio hujus conſvetudinis ex Arniſæo deſumpta.*

56 *Inventio theſauri eſt de Regalibus.*

57 *Item extraordinaria Collatio ad feliciſſimam Regalis Numinis expeditionem & Germanis dicitur* die Reichſteẅer zum Römerzug.

58 *An omnis extraordinaria Collatio poſſit eſſe de Regalibus?*

59 *An Fodrum, item Jus Albergariæ ſive hoſpitaturæ ſub hac Collatione comprehendantur?*

60 *Angariæ & Parangariæ, Plauſtrorum & Navium præſtationes denique ſunt de Regalibus.*

61 *Quid propriè per Angarias & Parangarias denotetur?*

1 REgalia alia Majora alia Minora eſſe ſupra *hoc cap. 2. ſect. 2.* diximus. Illa Majeſtatem reſpiciunt, hæc fiſcum, illa demonſtrant Imperatorem, hæc Imperium illius, hæc denique utilitatis, illa Dignitatis Imperij appellantur. *Her-*
2 *man. Vult. de Feud. lib. 1. cap. 5. num. 7.* Minora itaque quæ in *tit. 56. 2. Feud. Quæ ſint Regalia,* intermixtis etiam aliqvot maioribus, recenſentur, magis in reditu ac fructu conſiſtunt, & ſunt Jura fiſco plerumq; competentia. *Roſenthal. de Feud. cap. 5. Concl. 3. pr.* Unde Regalia fiſcalia nominantur. *Bocer. de Regal. c. 2. num. 3. & ſeq. Anton. Peregrin. de Jure Fiſci. lib. 1. tit. 1. num. 38. & tit. 2. in pr.* quatenus ad augendum Principis ærarium & amplificandum fiſcum pertinent, non tamen pro lubitu ditandum. *Bodin.*

de

de Republ. lib. 4. c. 6. Nemo enim Principum eſt, qui hanc 3
ſibi poteſtatem arrogare valeat, vel ter uncium unum exigendi à ſuis præter conſtitutum annuum cenſum niſi populus aſſentiatur. *Arum. Diſcur. Jur. Pub. 1. Johann. Nolden. in Diſſert. de Jur. Princip. Concl. 5. lit. C.* Ubi notanter 4
allegat morem Hiſpanorum, qui, quamvis Regi ſuo ſummoperè ſint morigeri, attamen nihil pendunt præter ſubſidia antiquis temporibus præſcripta. Ita in Hiſtorijs Anglicanis ſæpè reperiri dicit, qvod Regi etiam vehemen- 5
tiſſimè flagranti Ordines ſubſidia denegarint: Nam fiſcalia Jura ad ſalutem & utilitatem publicam, atque ad conſervandum augendûve Principis ærarium ſpectant, *Bocer. cap. 1. num. 6.* non ad evertendum, aut hoc modo pro lubitu & absq; neceſſitate debilitandum; Cum horum Regalium finis ſit ipſa utilitas Reipublicæ. *Caſpar. Klock. de Contrib. Concl. 1.*

Dixi ad augendum ærarium Summi Principis con- 6
ducere. Aſt quam exiguum illud ſit, & quam diverſum hodiè ab eo qvod tempore *Friderici Barbaroſſæ Imp.* extitit; cujus reditus ex Germaniâ & Italiâ fuerunt ſexaginta tonnæ auri, ex *Schneidew. ad tit. Inſtit. de Succeſſ. ab inteſt. ſub Rubr. de Succeſſ. Fiſc. num. 5.* Colligere licet, adeò ut ſi Imperator ex hæreditarijs ditionibus multa centena aureorum millia non impenderet annua, ſe & familiam vix commodè ſuſtentare poſſet. *Jul. Pflug. in Orat. de Republ.*

Hiſce conſequenter Regalia Minora à *Bocer. d. cap. 3.* 7
rectè definiuntur: Ut ſint *Jura pecuniarium Commodum Fiſco Imperatoris inferentia.* Eandem approbat *Sixtin. de Regal. lib. 1. cap. 2. num. 45.* ſed alijs verbis expreſſam. Similiter admittitur ab Henrico *à Roſenthal. d. cap. 5. Concl. 3. pr.* Quæ maximâ ex parte in *d. tit. 56. 2. Feud.* exprimuntur; illaque ſeparatim ſed breviter juxta ordinem ſupra *hoc cap. 2. ſect. 2. n. 16.* nobis propoſitum deducemus. Sit Ergo

Primò, Jus exigendi vectigalia, *Caſpar. Klock. de Contrib.* 8

Concl. 1. And. Knich. de Saxon. Jur. non provoc. verb. Du-
cum. cap. 5. num. 60. Henning. Arniſæ. de Jurib. Majeſt. lib. 3.
cap. 2. num. 2. Vocatur etiam Telonium, qvod redempti-
onem vectigalium ſignificat, ſicut τελώνης (Telonarius) eſt
qui redimit vectigalia, cujus vocabuli meminit *Radevic. lib.*
2. cap. 2. in vita Frider. I. cum Gunthero. Saxonicis *Toll.* Ger-
manis ſuperioribus Zoll dicitur. Et licet latiſſimam ſigni-
ficationem recipiat, ita ut interdum tributa & ſtipendia
9 comprehendat; propriè tamen ſumitur pro pretio illo,
quod pro vehendis vel invehendis vel diſtrahendis merci-
bus ſolvitur. *Arniſæ. d. Tr. cap. 7. num. 5.* vel, ut ait *Roſen-*
10 *ſenth. d. cap. 5. Concl. 34. pr.* quod ob res omnes, quæ im-
portantur vel exportantur, regulariter ſolvendum eſt ab
omnibus, nec quis ex Reſcripto Principis ab ijs præſtandis
liberatur, niſi clauſula certæ ſcientiæ adſit. Ut inde vectigal
rectè definiat *Peregr. de Jur. fiſc. lib. 6. tit. 5. n. 1.* & dicat eſ-
ſe *certam pecuniam vel alterius rei quantitatem pro invehendis*
vel evehendis mercibus debitam; quæ de Jure Communi eſt
octava pars mercium, *l. 7. Cod. de Vectig. & Comm. Roſenth.*
d. cap. 5. Concl. 35. pr. And. de Iſern. d. tit. 56. 2. Feud. num.
11 *11.* à qvâ hodierna conſvetudo receſſiſſe videtur, dum
plerumqve minus octavâ exigitur & ſolvitur; Privile-
gium tamen & conſvetudinem hic inſpici debere dicit
Roſenth. d. l. tantum enim in vectigalium conceſſione ac-
quiſitum cenſetur, quantum fuit conceſſum, quâ deficien-
te ad conſvetudinem devenitur. *Sichard. ad Rub. Cod. de*
Jur. vectig. num. 8. Quid ſi autem præſcriptione Jus illud
acqviſitum fuerit? certè hoc caſu quantum poſſeſſum ſit,
12 inſpiciendum cenſerem, non ut octavam excedat, ne bar-
barica dicatur exactio, *Regn. Sixtin. de Regal. d. lib. 2. cap. 6.*
13 *num. 78.* aut etiam inſolita imponantur vectigalia; qualia
erant illa, qvæ pendebantur pro umbrâ, pro aere, pro ſpi-
ritu captando, quæ alium finem, quam ſubditorum exiti-
um & inteſtina mala non habent. *Ita enim*, inquit *Clapm.*

de

de Arcan. Rerumpubl. lib. 5. de Flagit. Dominat. cap. 14. pr. Cives exprimendi ſunt ut ſuperſit ſuccus quem hauriant, ita olera abſcindenda, ut radix maneat, ita pennæ incidendæ ut rurſum renaſcantur. Cum abſque hujusmodi inſolitis exactionibus Decorem Principalem ſat ſuſtinere poſſint, ſi de re licitâ, ſi de modico, ſi de fruendi parſimoniâ cogitent. 14

De perſonis quæ immunes ſunt ab onere vectigalium, agit *Sixtin. d. lib. 2. cap. 1. num. 105. & multis ſeqq.* Addatur *Wehn. Pract. obſervat. vocab.* Zollfrey. *Bocerus de Regal. cap. 2. num. 197.* & pulchrè *Conrad. ab* Einſiedel. *de Regal. cap. 3. num. 27. & ſeqq. Klock. de Jur. vectigal. th. 26. 30. 31. & 33. lit. A.* De rebus immunibus videatur Einſiedel. *d. cap. 3. n. 38. & ſeqq.* 15

Pœna fraudati vectigalis eſt amiſſio mercium, quæ cadunt in commiſſum. *l. 8. l. 11. l. 14. & ult. de Public. Peregr. de Jur. Fiſc. lib. 6. tit. 5. n. 27.* Ultra valorem tamen earum quid amplius exigendum non eſt, ne plus ſit in pœnâ quàm peccatum, & proportio inter eam & ipſum delictum negligatur, quod utique fieret, ſi v. g. tempore neglecti vectigalis merces ultra centum in ſubſtantia ſuâ non valuerint, in locum autem pœnæ ex poſtfacto quingenti numi petantur, & ſic contra æquitatem proprietarius aut ejus hæredes longo fortaſſis etiam poſt intervallo, potiſſimum ſi culpa per Aurigam vel Nautam commiſſa ſit, graventur atque bona fides, quæ in contrahente cum vectore mercium tempore contractus aderat, lædatur, multò magis cum dubium ſit ejusmodi res vectigali obnoxias advectas fuiſſe atque territorium illius attigiſſe. Probatio enim Domino telonij neceſſariò incumberet, qvæ per confeſſionem hominum parvæ aut nullius etiam famæ, imò infamiæ propiorum haud validè fieret, & conſequenter effectu requiſito careret, accedente ſimul hoc fundamento, qvod nulla aliquot annis prætenſæ defraudationis facta fuerit mentio, multò minus controverſia deſuper mota. 16 17

18 Ad hæc notandum hanc actionem exſpirare quinquennio, *l. 2. Cod. de Vectigal.* & alijs caſibus, quos affert. *Sixtin. d. cap. 6. num. 174.* qui cum prolixè de hoc vectigalium Jure egerit, uberius evolvi poterit, ſimiliter *Klock. de Jure Vectigal.*

19 *Secundò*, ad Regalia fiſcalia ſpectant *Mulctarum Pœnarumqve compendia*, inter quæ notabiles deprehendit differentias *Regn. Sixtin. de Regalib. cap. 8. num. 3. & ſeqq.* ita ut multæ ſub pœnis tanquam ſpecies contentæ, omnes fiſco ſeu utilitatibus publicis applicentur, *Roſenth. de Feud. cap. 5. Concl. 49. num. 3.* quas jam olim fiſco debitas fuiſſe, legimus in *l. 5. Cod. de Mod. mulct.* Idqve propter ſalutem Reipubl. ne delicta manerent impunita. Hinc *Fridericus Imp. in d. tit. 56. 2. Feud.* eas revocavit, & ſibi earum compendia tanquam Regalia haberi voluit. *Bocer. de Regal. cap. 3. num. 8. Peregrin. de Jur. fiſc. lib. 4. tit. 8. n. 1. Andr. Trentacinq. lib. 1. de Jur. fiſc. Reſol. 1. num. 1.* Addatur *Ord. Cam. P. 1. tit. 16. §.* Der Kayſerl. Fiſcal. Hujus Juris non meminerunt *Radevicus Gunther & Sigonius*, ſicuti & nonnullorum

20 aliorum, quæ reperiuntur *in d. tit. 56.* Hic non malè quis diceret Merum & Mixtum Imperium Regalibus rectè annumerari, ut ut etiam non fiat mentio illorum *in d. tit. 56. Meichſner. Deciſ. Cam. Imp. Tom. 2. lib. 2. Deciſ. 4. num. 137. in f. Zaſius de Feud. P. 5. num. 11.* imò plura ſub ſe comprehendere, *Roſenth. de Feud. cap. 5. Concl. 4. num. 5.* Non, quod conceſſioni Meri Imperij plura cõtineantur & diverſa Regalia; nam illud procedere omninò non poſſet: ſed quod ad ea reſtrictio ſit facienda, quæ mero Imperio comprehenduntur.

21 *Tertiò*, inter Regalia recenſentur *Ripatica, d. tit. 56. 2. Feud. Regn. Sixtin. de Regal. lib. 2. cap. 5.* Circa eorum interpretationem non conveniunt Interpretes. Nam *Roſenth. d. cap. 5. Concl. 32.* dicit eſſe vectigalia pro tranſitu Riparum præſtanda. *Bocerus cap. 3. num. 13.* vult eſſe vectigal,

qvod

quod Navigantes per flumen publicum ob id ſolvunt, qvod Ripam nave appellunt, & ad eam morantur conſiſtuntqve. Rectius tamen præ Cœteris mihi locutus videtur *Marcus Ant. Peregr. de Jure Fiſci lib. 1. tit. 1. num. 24.* qvi *Ripatica* accipit *pro omni Jure publico, qvod Princeps habet in Ripis fluminum publicorum, vel reſpectu vectigalium vel reſpectu aggerum, vel etiam reſpectu Juris transfretandi de Ripâ ad Ripam, qvod privatis, niſi ex Principis conceſſione, non competit.*

Quartò, Regalium Minorum numero continentur 22 *Portus, d. tit. 56. Roſentb. de Feud. cap. 5. Concl. 31.* Ubi crebrius dici putat, qvod ſint vectigalia, quæ pro tranſitu in portu, ſeu pro his, quæ in portum vel ex portu trahuntur, ſolvuntur. Cui conſentit *Vultejus de Feud. lib. 1. c. 5. num. 27. & Guntherus*, qui poſuit in Regalibus *Pontes.* Similiter ait *Arniſæ. de Jurib. Majeſt. lib. 3. cap. 5. num. 3.* nihil referre ſive per portum intelligamus vectigal, quod in portu vel pro tranſitu per pontem ſolvitur. Sed hæc opinio non probatur, cum appellatione portus pons non contineatur, & vectigal, quod tranſeuntes per pontem, aut publicam viam pendunt, propriè Pedagium appelletur. *Conrad. Carpz. de Regal. cap. 3. pag. mihi 118.* Indè convenientius 23 cum *Conrad. ab Einſiedel. de Regal. cap. 3. num. 57.* quis dicet: Portum eſſe ſtationem concluſam atqve munitam ei uſui inſervientem, ut naves tuto ingredi, ac ibidem commorari poſſint; eâque ratione Portus medius collocatur inter Flumina & Ripatica. *Bocer. de Regal. cap 3. n. 130. Helfr. Hunn. Diſput. Feud. 5. th. 52.* Vi hujus Stationis & Securitatis, Vectigal, quod & Jus Anchoragij *à Matth. de Afflict.* ſive etiam Portorium nominatur, pendi ſolet, quo reſpectu inter Regalia recenſetur. *Sixtin. lib. 2. cap. 4. num. 10.* Non illo, qvod Imperator Jus habeat cogendi ſubditos, ut portum muniant, reficiant, ac integrum conſervent: Eâ enim ratione portus commodius referri poſſet ad Regalia Majora, & Jus longè pinguius importaret.

Coe-

Cœterum non ſine fundamento ſtatuere liceret Principem merce in portum delatâ Jus Protimiſeos ſancire, atque ut Magiſter Navis juſto pretio ſibi vendat, cogere poſſe.

24 *Quintò*, Regalibus fiſcalibus rectè aſcribuntur *Salinæ*. *Henric. Brüning. de Var. Univers. ſpec. th. 26. lit. B. Bocer. c. 3. num. 175.* Sal autem, cùm aliud ſit coctile aliud foſſile, & hoc ad metallorum fodinas rectius referatur, ideo de

25 coctili hic ſaltem nobis ſermo erit. Quod ſi in privato loco reperiatur, ad privatos pertinere poterit, *Roſenth. de Feud. cap. 5. Concl. 89. num. 2.* cum aliis ibidem allegatis, & confirmatur *l. 4. §. Salinæ. ff. de Cenſib.* Sin verò in loco publico Salinæ inventæ dicantur, eas non privatas ſed publicas, ipſiusque Principis eſſe & inter Regalia numerari debere tradit *Schneid. de Feud. P. 2. num. 108.*

26 An autem ipſæ Salinæ, an verò reditus earum ad Regalia pertineant? expeditum non eſt. *Bocer. de Regal. cap. 3. n. 155.* omninò tenet, *Fridericum I. Imp.* ipſas Salinas, quæ privatorum ſunt, non intellexiſſe, neque eas quas in ſuo reperit Princeps, quæ ejus ſunt non Regalium, ſed communi Gentium Jure: Verum certum tantum reditum, Vectigal ſeu Canonem à quolibet poſſeſſore Salinarum præſtandum. *Schneid. d. Feud. P. 2. num. 106. Roſenthal. d. Concl. 89.*

27 *num. 3.* Aſt altera ſententia mihi magis probatur, per Regale ſcilicet Salinarum intelligi ipſas Salinas: Nam quod dicatur privatis etiam eas cedi, id referri debet ad Jus vetus, quo ad privatos ſpectabant. Ex poſtfacto enim illis abjudicatas, Fiſco & Regalibus ceſſiſſe exploratum eſt, *Beſold. Theſ. Pract. voc.* Saltzpfann. De Salinis Hallenſibus nonnulla refert *Sixtin. de Regalib. lib. 2. cap. 19. num. 26. & ſeqq.*

28 *Sextò*, Cœteris Regalibus Imperator *Fridericus in d. tit. 56.* annectit *Piſcationum reditus* non *Picariarum* ut vult Cujacius & alii, moti *l. 17. §. 1. ff. de. V. S.* cum alias inter

Re-

Regalia rectè numerentur picariæ, qvas ideò fodinis adjungere licet, quod picem foſſilem inveniri tradat, *Plin. lib. 16. cap. 12. Conrad. ab* Einſiedel. *de Regal. cap. 3. num. 337. Sixtin. de Regal. lib. 2. cap. 18. num. 1.* Ut propterea rectius *piſcarias.* (quas *Carol. Sigon. lib. 7. de Reg. Ital. in vit. Otton. I.* ita appellat,) cum *Mar. Ant. Peregr. de Jur. Fiſc. lib. 8. n. 38.* ad Regalia qvis referat.

Utrum verò ipſum Jus piſcandi in mari & fluminibus 29 publicis, an autem piſcationum reditus ſeu vectigal ex piſcatu Regale conſtituant? ſimiliter dubiæ Quæſtionis eſt. Verùm ſecundum membrum verius deprehendo. Quia correctio Juris Gentium, quo piſcationes omnibus communes ſunt, *Heig. P. 1. Quæſt. 15. num. 17.* alias induceretur. Quin imò ipſe Imperator ſi ipſas piſcationes ſibi com- 30 petere ſciviſſet, clarius & brevius enumerare eas potuiſſet. Quanquam fortè non malè quis Jus ipſum piſcandi Juri fluminum adjicere videretur, quod hodiè ex præſcriptione ſolus Imperator ſibi vendicat, *Bocer. de Regal. cap. 3. num. 140.* Hinc fit, ut nonnulli hoc Regale planè omittant, neque ut peculiare numerent. Idem dicendum de vectigali ex piſcationibus lacuum & ſtagnorum privatorum, *Bocer. d. l. num. 148.* Egregiam diſputationem in utramque partem, *An piſcatio ſit de Regalibus, An non ſit?* habes in praxi apud *Klock. Cons. 29. num. 197. & 199. tum 780. & ſeqq.*

Septimò, Regalium numerum auget Jurisdictio fore- 31 ſtalis die Förſtliche Gerechtigkeit/in Banno ferino & Jure foreſti conſiſtens; conſiderata tamen ut totum, ut tàm Forſtrecht quàm Wildbahn complectatur: Unum enim & ſeparatum ex hiſce duobus die Förſtliche Gerechtigkeit non conſtituit, quæ per Bannum ferinum conjunctum cum Jure foreſti continuo haberi dicitur. *Thom. Mich. de Jurisd. Concl. 51.*

32 De venatione quoq; magna oritur contentio, an illa ſit de Regalibus? *Negat Bocer. de Regal. cap. I. num. 30.* & alij, vel propterea, quod nulla ejus fiat mentio in *tit. 56. 2. Feud.* De Jure Gentium antiqvo verum eſt venationem omnibus promiſcuè conceſſam fuiſſe, & cum nullius erat, occupanti ceſſiſſe, §. 12. *Inſt. de Rer. Diviſ.* non attento utrum in ſuo, an in alieno quis feram cepiſſet. *l. 3. §. 1. ff. de Acqvir. Rer. Domin.*

33 Aſt poſterioribus temporibus, ob lites & rixas, quæ etiamnum in venationibus communes ſunt, Jus venandi cuilibet competens, ſuis limitibus conſcriptum eſt, ut in ſuo quisque venaretur, neque in alieno fundo retia aut laqueos tenderet, *C. I. vers. Nemo retia de Pac. tenend. & ejus violat. 2. Feud.* Non qvod ideò Regale conſtituamus (quemadmodum facit *Pruckman. de Regal. §. Venatio. cap. I. num. 5.* per textum *in d. tit. 56,* qvod in eo piſcationum mentio fiat, & ſatis notum ſit, venationem ferarum nobiliorem præſtantioremqve piſcium piſcatione eſſe, præſertim qvod in Lege id non tantum expreſſum ſit, quod verbis enunciatum reperitur, verum etiam qvod ex mente Legis

34 ſeu verbis ipſius infertur & colligitur: Nam quàm parum ſententiam *Pruckmanni* adjuvet allata ratio, patet ex ipſo textu mentionem faciente redituum tantum, qui Regali-

35 bus annumerantur, non ipſius Juris piſcandi, deinde magna eſt diverſitas reditus piſcationis & reditus Aucupij: Piſces namque in mari & fluminibus ſunt inſtar fructuum pendentium, & pars fluminum eſſe cenſentur, feræ autem beſtiæ, licet ſolo ſuſtineantur; tamen dici non poteſt eas ſolo cohærere & partem fundi eſſe, multò minus volucres eſſe fructus pendentes hujus vel illius fundi. Vid. *Conrad. ab Einſiedel. cap. 3. num. 350. & ſeqq.* ubi exactè adverſariorum reſponſionibus reſpondet).

36 Non inquam indè Jus Regale ex Jure venandi deducimus: quia nullo Legum & Conſtitutionum teſtimonio il-

illi annumeratur, adeoq; Jus vetus tamdiu in vigore relinquendum, donec correctum demonſtrari poſſit.

Haud tamen me latet de conſvetudine eò deventum 37 eſſe ut venatio Regalibus adſcribatur, *Thom. Mich. de Jurisd. d. Concl. 51. lit. A.* quâ non tantum in alieno, verum etiam in proprio venari prohibemur. Eo qvoqve *Pruckman.* inclinat *d. l.* cum fortè videret alias rationes ſuæ intentioni vix ſufficere. Addatur *Heig. Quæſt. 15. num. 45. p. 1. Modeſtin. Piſtor. Cons. 14. n. 23. vol. 2.* Cuilibet namq; obvium eſt de conſvetudine receptâ Germaniæ in inveſtituris Regalium, etiam mentionem fieri venationum adjectâ clauſulâ uſitatâ mit Wälden/ Wildbahnen/ Jagten/ adeò 38 ut ſi generali conceſſione venationis qvis inveſtitus ſit, non tantum inferior, ſed & ſuperior comprehendatur, *Heig. d. Quæſt. 15. num. 63.* imò etiam generali & indefinitâ Regalium conceſſione venatio ſimiliter veniat; quia generali conceſſione Regalium, ſi nullum excipiatur, omnia continentur, modo non ſint ſoli Principi reſervata, *Boſſ. tit. de Regal. num. 29.* Quod autem venatio Principi non ſit reſervata, edocet allegata conſvetudo Germaniæ. Ut mi- 39 rum ſit, *Gailium 2. obſerv. 68.* hoc Jus venandi cum Zaſio ex notiſſimâ Germaniæ conſvetudine ad ſervitutem realem referre, & Regalium mentionem haud facere. Vid. *Frider. Pruckman. de Regal.* qui §. Separato de venatione plurima cumulavit. Item *Arniſ. de Jurib. Majeſt. cap. 4.* Ubi elegantiſſimè de eâ ratione originis & Juris diſſerit.

Octavò, Ad Regalia minora referuntur *bona vacan-* 40 *tia* Erbloſe Güter/ *d. tit. 56. 2. Feud. Bocer. de Regal. cap. 3. n. 26.* fiſcoque Imperatorio cedunt, & jam ante hanc Conſtitutionem ceſſerunt, *l. 1. l. 3. & f. Cod. de Bon. vacant. Sixtin. de Regal. lib. 2. cap. 9. num. 32.* De bonis vacantibus & eorum ſucceſſione cum ſupra egerimus, *P. 2. cap. 6. ſect. 1. num. 4. & ſeqq.* ideò ſuperfluum foret ea hic repetere.

Nonò, bona condemnatorum & proſcriptorum. *Arniſ.* 41

de Jurib. Majeſt. min. cap. 6. num. 15. qui pro condemnatis & proſcriptis habeantur, & qua ratione fiſcus horum bona occupet, itidem ſupra *P. 2. cap. 6. ſect. 3.* prolixè egimus, quæ huc rectè applicantur.

42 *Decimò*, bona contrahentium nuptias incertas, *d. tit. 56. 2. Feud. Roſenthal. de Feud. cap. 5. Concl. 58.* quæ tales dicantur ſimiliter ſupra *P. 1. cap. 1. ſect. 11. & P. 2. cap. 2. ſect. 4.* expoſitum eſt. Pœnæ harum prohibitarum nuptiarum ſunt variæ. Reddunt enim matrimonium contractum nullum, nec vir aut uxor dicuntur, nulla perhibetur eſſe dos vel donatio propter nuptias, *Sixt. d. lib. cap. 11. num. 8.*
43 *& 9.* An autem hæc confiſcationis pœna ad eos extendi debeat, & Conſtitutio Friderici de ijs exaudienda ſit, qui non nuptias inceſtas, ſed ſaltem ſponſalia de præſenti eo gradu contrahunt? Quærit *Sixtin. num. 49.* cum quo facilè tenerem tales ijsdem pœnis ſubjici, cum prædicta conſtitutio *Friderici* ſimpliciter & ſine diſtinctione loquatur, & alias notum ſit nuptias non concubitum ſed conſenſum facere, *l. Nuptias. 30. ff. de Reg. Jur.* Huc pertinent ferè toti *tit. de Inceſt. Nupt. Cod.* & aliquot Novellæ, præſertim *l. 6. Junct. Auth. Inceſtas. Cod. de Incert. Nupt. & Novell. 12. c. 1. & 2.*

44 *Undecimò, bona quæ ut indignis auferuntur. d. tit. 56. Henr. Brüning. de Var. Univers. ſpecieb. Concl. 25. Roſenthal. de Feud. cap. 5. Concl. 55.* qui malè Rubricam ponit *de bonis indignè ablatis:* Non enim indignè, ſed indignis auferuntur. Qui pro indignis habeantur & quomodo ijs ſuccedatur, quiq; incapaces ſint in ſuperioribus quoqve *P. 2. cap. 2. ſect. 7. & P. 2. cap. 6. ſect. 2.* abundè deductum eſt, ubi ſucceſſionem fiſci paulò altius examinare placuit.

45 *Duodecimò, bona eorum, qvi ſibi mortem conſciverunt,* fiſco cedunt, & ideò Regalibus Minoribus rectè adſcribuntur, *l. 3. ff. de Bon. eor. qvi ſibi mort. conſc.* quâ ratione autem in acqvirendis hiſce bonis fiſcus procedere neceſſe

ha-

habeat, & quænam requiſita obſervanda veniant, *P. 2. cap. 6. ſect. 3. n. 52. & multis ſeqq.* accuratè itidem nos tractâſſe, nobis perſvademus.

Decimo tertiò, *Argentariæ* ſive metallorum fodinæ 46
Regalium numerum reddunt ſplendidiſſimum & illis meritò annumerantur, exploſâ explicatione *Alvarotti & Egvinarij Baronis in d. tit. 56. 2. Feud.* putantium per argentarias intelligi Jus conſtituendi menſas argentarias, quas exercebant argentarij ſeu menſarij, vel ideò, quod illud officium cauſam dicatur habere publicam *l. 10. ff. de Edend.* ſivè quod argentariorum fides dicatur publica *in l. 24. §. In bonis. ff. de Reb. Auth. Jud. poſſid. Hottom. in vers. Argentar.*
Verùm quam debilis iſthæc ſit argumentatio, quampri- 47
mum obvium eſt: Non enim valida unquam concluſio elici poteſt. *Habet publicam cauſam, Ergo Majeſtatis aut fiſci Principis proprium eſt.* Hoc modo ſeqveretur tutelam, utpote munus publicum *l. 1. §. 4. l. 18. ff. de Munerib. & honorib.* vel ipſum Jus dandi tutorem eſſe de Regalibus; & ſic de alijs muneribus cauſam publicam habentibus; qvod abſurdum eſſet. Hanc qvoqve argumentationem rejicit *Arniſæus de Jurib. Majeſt. lib. 3. cap. 5. num. 4.* quod nec Legibus Statutum, nec conſvetudine receptum ſit, ut Argentarii, Menſularij, Collybiſtæ, & ſi qui plures ſunt ejusdem farinæ homines ſolius Principis ſint. *Roſenthal. de Feud. d. cap. 5. Concl. 88. pr.* Hinc Juribus convenientius dicitur *per Argentarias* intelligi argenti fodinas, *And.* 48
de Iſern. & Matth. de Afflict. ex d. tit. 56. Arniſ. d. l. non ſtrictè inhærendo huic metallo, ſicut fecit *Weſemb. Conſil. 60. num. 30. & 31.* (quamvis fortè reliqvæ metallorum fodinæ propria nomina ſortiantur, uti fodina auraria, ſulphuraria) ſed intelligendo per Argentifodinam, Aurifodinas & alias mineras pretioſiores, *Peregrin. de Jur. Fiſc. lib. 4. tit. 2. num. 13. Bocer. de Regal. c. 3. num. 166.* probatio patet abundè ex *A. B. cap. 9.* ubi *Carolus IV. Imperator* agit de Me- 49

talli fodinis tanquam ad Regalia ſpectantibus, & in ijs Regi Bohemiæ & alijs Principibus & Electoribus privilegium concedens, meminit non ſolum argentifodinarum ſed etiam ſtanni, plumbi, cupri, & ferri. tit. Von Gold/ Silber und andern Ertzwegen/ ibi: Alle Gruben Golds und Silbers/ die Ertz deß Kupfers/ Zinnes/ Bleyes/ Eyſens/ Stahls/ und/ *notetur*, welcherley andere Geſchlechte es ſeyn. Et ita de conſvetudine Germaniæ obtinet, quâ non ſolum argenti, ſed & aliorum metallorum fodinæ Regalium numero veniunt.

50 Occaſione hujus tamen nonnulli diſtinguunt, an ejusmodi fodinæ in loco publico Principis reperiantur, & dicunt eſſe de Regalibus *Sixtin. de Regal. lib. 2. cap. 16. num. 32. Schneidew. de Feud. P. 2. num. 106. Roſenthal. de Feud. cap. 5. Concl. 88. num. 6.* contradicente *Arniſæus d. l. pag. mihi 267. col. 1. pr.* An verò in privato loco inveniantur: hoc caſu privatos poſſesſionem fodinarum acquirere poſſe, Jus Civile minimè reclamat *l. Item ſi fundi. 9. §. Sed ſi lapicidinas. 2. & l. Si cujus. 13. §. Inde eſt quæſitum. 5. ff. de Uſufr. l. Fructus. 7. §. Si vir. 13. ff. Solut. matr. l. 3. §. ult. & l. ſeq. ff. de Reb. eor. qui ſub tut. vel cur. ſunt. Bocer. d. cap. 3. num.*
51 *165. de Regal.* ita ut certa portio, decima ſcilicet (Canonem metallicum vocant) fiſco ex fodinis debeatur, & illam tanqvam ipſum Regale conſtituant, *Peregrin. de Jur. Fiſc. lib. 4. tit. 2. num. 11. Obrecht. de Regal. num. 216.* cum alijs, quos longâ ſerie recenſet *Arniſ. lib. 3. cap. 5. num. 4. pag. mihi 267. Col. 2.* de hoc Canone loquitur *l. 17. in f. ff. de Verb. ſignific. l. 2. & 3. Cod. de Metall.* ad quas Leges hæ argentariæ trahuntur, & ex illis interpretantur.

Sed eandem, quam paulo ante de Salinis adduximus ſententiam, hic repetere neceſſarium judico, in quibus re-
52 ditus ipſum Regale non conſtituunt, ſed & ipſæ Salinæ, & ipſæ fodinæ, uti apertè probat Conſtitutio *Henric. VI.* quam exhibet *Goldaſt. Tom. 3. Conſtit. Imp. fol. 362.* ubi Argentifodinas in Epiſcopatu Mindenſi inventas pleno Domi-

minij Jure ſibi & Regalibus vindicat, aſſignando ſaltem duas tertias Epiſcopo per inveſtituram, cujus tenorem ſubjicit *Goldaſt. eod. loc.* Similiter ſententiam noſtram confirmat Conſtitutio *Friderici II. Imp.* quam itidem videre licet apud *Goldaſt. Tom. I. Conſtit. Imp. pag. 17.* ubi ille *Ludovico* Bavariæ Duci & Palatino Rheni omne genus metalli in terris Patrimonij & Feudi fodere indulſit. Accedit & Conſtitutio *A. B. tit. 9.* ubi Electoribus Jus metallorum in ſuis territorijs & ditionibus conceditur.

Hiſce convenienter loquitur *Gryphiander de Inſulis c. 11. num. 32.* in verbis: *Metalli fodinas omnis generis olim privatorum fuiſſe ex multis hiſtoriarum & Juris Civilis locis conſtare, quas ſenſim ac pedetentim ſubtractas hodiè inter Regalia haberi.*

Et ita de generali Germaniæ conſvetudine concludi- 53
tur, abolito veteri Jure fodinas omni ex parte, tàm eas, quæ in privatis qvàm quæ in publicis fundis inveniuntur, indiſtinctè Regalibus annumerari, Hancque aſſertionem de tali conſvetudine, receptiori D.D. ſententiæ, quâ ex fodinis in privato fundo inventis tantùm decima fiſco debetur, rectè opponi, adeò ut, qui fructibus fodinarum gaudere volet, de ijsdem à Cæſareâ Majeſtatate inveſtitus ſit neceſſe 54
eſt, ſicuti plures Principes & Comites ex ſpeciali privilegio de ijs inveſtiti ſunt.

Hujus conſvetudinis rationem affert *Arniſæus de Ju-* 55
rib. Majeſt. cap. 5. num. 4. in f. *Nam,* inquit, *metallorum uſus publicus eſt, ita ut eorum effoſſio & ad lucem productio nullo modo impediri debeat. Reqviruntur verò ad eam rem impenſæ tàm amplæ, tamque magni ſumptus, ut privatus iis ſufficere non poſſit. Et quidem plures vidi ex ditiſſimis pauperrimos factos, qvod vanâ ſpe aut natur aliqvadam cupiditate illecti totam ſuam ſubſtantiam profunderent, ideoque deficientibus impenſis operisq; ſæpè conciderent fodinæ, aut ſaltem negligentius colerentur, quàm publica neceſſitas exigeret, cui rei ut proſpiceretur, quod à*

pri-

privatis præſtari non potuit, publicis operis recompenſandum putarunt. Et addit noſtrâ memoriâ aliquem inde divitem factum, ſe nec fundo accepiſſe nec vidiſſe, quanquam multas multarum regionum fodinas perluſtraverit. *vid. Mynſing. 4. Reſpons. n. 13. & 17.*

56 *Decimo qvartò*, Argentariorum regali cognata eſt *inventio theſauri*, qui Regale Fiſcale quoque conſtituit, *Roſenthal. de Feud. cap. 5. Concl. 92. Chriſtoph. Beſol. Diſput. Polit. 5. claſſ. 1. th. 41. Sixtin. lib. 2. de Regal. cap. 21. Arum. Diſcur. Jur. Publ. 30. de Nat. Jur. Majeſt. c. 3. th. 45. lit. G.* De cujus acquiſitione cum *P. 2. cap. 6. ſect. 7.* in ſucceſſionibus fiſcalibus actum ſit, inconveniens foret mentem denuo explicare.

57 Huc refertur *Decimo qvintò, Extraordinaria Collatio ad feliciſſimam numinis expeditionem, tit. 56. 2. Feud.* uti etiam *Lotharius* loquitur *tit. 52. lib. 2.* ad feliciſſimam numinis expeditionem. Quæ inter Regalia ultimam Dignitatem non habet, *Bocer. de Regal. cap. 3. n. 196. Matth. Steph. de Juriſd. lib. 1. cap. 38.* dicitur die Reichsſteuer zum Römerzug / denotatq; Comitatum, qui Romanorum Regi Romam eunti datur, teſte *Gunthero lib. 2. v. 40.*

--- --- Quotiens claram Regnator tendit ad urbem.
Teutonus, Auſoniam ſumpturus ritè Coronam.

58 De hâc Collatione agit *R. J. de Anno 1603.* §. Nichts deſtoweniger. & putarem cum *And. Gail. 2. obs. 52. num. 9. & 10.* omnem extraordinariam collationem, ſeu ſuperinductum, Regalibus annumerari, quod ad tempus ex improviſo & præter morem ob Reipublicæ neceſſitatem inducitur incertam habens in re & tempore præſtationem.

59 Per extraordinariam collationem intelligit etiam fodrum *Friſingenſis lib. 2. cap. 13.* in verbis: *Mos ab antiqvis ad noſtra usqve deductus eſt tempora, ut qvotiescunque Reges Italiam ingredi deſtinaverint, gnaros qvoslibet de familiaribus ſuis præmittant, qui ſingulas Civitates ſeu oppida peragrando, ea*

que

quæ ad Fiſcum Regalem ſpectant, quæ ab accolis fodrum dicuntur, exquirant. Huc quoque refert *Klockius de Contrib. cap. 1. num. 190.* Jus Albergariæ ſive Hoſpitaturæ, vulgo Ablager/ Atz/ quo ſubditi aut Coloni tenentur Domino & Præfectis ejus hoſpitium præſtare, vulgò die Atzung geben / ut & venatoribus ejus, die Atz und Jägerzehrung/ & canibus Hündpflegen/ *Webn. vocab.* Atzung/Ablager. Item Außſpann/ de quo itidem *Webn. vocab.* Außſpann. De Collectis Imperij nomine indictis & alijs jam ſupra *hoc cap. 2. ſect. 19.* diximus.

Angarium & Parangarium, Plauſtrorum & Navium præſtationum deniq; meminit *d. tit. 56. 2. Feud.* Cujus mentionem etiam fieri videmus in *tit. Cod. de Curs. publ. Angar. & Parangar. lib. 12.* 60

Rejectis plurium explicationibus dicimus, ſummam hujus Juris huc redire, ut quidquid publicâ neceſſitate v.g. ad transvectionem annonæ publicæ, ad uſus militaris expeditionis, ad ædificandum vel reparandum, ad cognoſcenda quæ ubiqve gererentur, ad dimittenda mandata imperaretur, id tenerentur ſuis operis, Jumentis, Plauſtris, Navibus præſtare, qui Supremi Principis Imperium agnoſcunt. Hoc modo hæ præſtationes de Regalibus ſunt. *Bocer. de Regal. cap. 3. num. 235. Sixtin. lib. 2. cap. 13.* & non perſonale ſed patrimoniale munus cenſentur. *Conradus Carpzov. de Regal. pag. mihi 174.* Et ſic Regalia Minora paucis attigiſſe ſufficiat. Nunc ad ſectionem præclaram de Perſonis Regalia acquirentibus & in ijs ſuccedentibus accedamus. 61

Sectio XXIII.

Per qvos & quomodo Regalia acqvirantur & qvâ ratione in iis ſuccedatur?

SUMMARIA.

1 Plures dantur Regalium ſpecies, qvam qvas enumeravimus.
2 Ratione acqviſitionis & ſucceſſionis perſonæ & modus acquirendi Regalia conſiderantur.
3 Inter Perſonas Seculares eminet Imperator, qvi proprio ſuo Jure Regalibus gaudet.
4 Seqvitur Rex Romanorum, cui æque competunt, & per eum geſta valent.
5 Reges quoq; Principes & liberi populi ſuperiorem non recognoſcentes.
6 An infidelis Regalia exercere poſſit?
7 Hæc Jura ſimiliter tenent Electores Imperij.
8 Archiduces Auſtriæ.
9 Principes, Duces, Comites & Barones.
10 An Civitatibus Imperialibus, & mediatis uſus Regalium tribuatur?
11 Nobiles immediate ſubjecti recte Regalia acquirunt, item Nobiles mediati ex Principis conceſſione aut præſcriptione.
12 Imò etiam privati homines & in nullâ dignitate conſtituti.
13 Inter Eccleſiaſticas Perſonas Pontifex Maximus liberrimè Regalia exercet.
14 Quemadmodum etiam Archiepiſcopi & Epiſcopi tanquam Status Imperij.
15 Acqviſitio Regalium fit per conceſſionem, conſvetudinem & præſcriptionem.
16 Conſvetudo & præſcriptio pro uno modo ſumuntur.
17 Reſolutio objectionis in contrarium allatæ.
18 Negantes Summum Principem Regalia concedere non poſſe in Crimen Læſæ Majeſtatis incidunt.
19 Conceſſio dupliciter fit per Privilegium, vel per inveſtituram.
20 Privilegium fundatur in Lege, vel eſt absqve Lege acqviſitum.
21 An omnia Majeſtatis Jura concedi poſſint?
22 Manifeſtatur error eorum, qui putant, nullum Regale majus inferiori tribui poſſe.
23 Regalia fiſcalia hodie non niſi cum conſenſu Imperij Imperator concedit.
24 Et interveniente juſtâ cauſâ atque urgente neceſſitate.
25 Non privativè ſed cumulativè.

26 Limitationes hujus poſtremi aſſerti.
27 An generali conceſſione Feudi Regalis, Regalia omnia comprehendantur?
28 An inveſtitus de Ducatu, Marchionatu cum omnibus Juribus Regalia quoq; acqvirat.
29 An ſpeciali conceſſione aliqvot Regalium ejusdem generis Regalia aut ſaltem minora contineantur?
30 Unâ Jurisdictionis ſpecie conceſſâ non rectè qvis argumentatur ad alteram.
31 Alter modus acqvirendi Regalia eſt conſvetudo.
32 Quantum tempus reqviratur ad conſvetudinem?
33 Longum tempus decem annis abſolvitur.
34 Determinatio temporis ad inducendam conſvetudinem Regalia acqvirendi de Jure Civili non eſt expreſſa.
35 De Jure Canonico tempus immemoriale determinatur.
36 Vis conſvetudinis immemorialis.
37 Argumentum deductum à præſcriptione immunitatis à vectigalibus, ad exactionem illorum.
38 Præſcriptione immemoriali qvoq; Regalia acqviruntur.
39 Illa vim habet Privilegii & ſpecialis conceſſionis.
40 Quæ ſunt alienabilia & conceſſionabilia illa ſunt præſcriptibilia.
41 De hac præſcriptione immemoriali Receſſ. Imperii ſimiliter loqvuntur.
42 An in præſcriptione Regalium Majorum ſcientia & patientia Principis reqviratur?
43 Regalia Minora præſcriptione longiſſimi temporis cum ſcientiâ & patientiâ validè acqviruntur.
44 Utrum contra Superioritatem Principis tempore immemoriali præſcribi poſſit?
45 Authores pro Negativâ.
46 Affirmativa verior.
47 In Regalibus legitimè quæſitis admittitur ſucceſſio, ſi privilegio aut inveſtiturâ permittatur?
48 Perſonis Dignitatem Regalem annexam habentibus Feuda Regalia ſucceſſionis Jure deferuntur, quæ ex inveſtituris Cæſareis jus ſuccedendi habent.

DE varijs tàm Majeſtatis qvàm Fiſci Juribus hucusqve actum eſt, non quod omnes Regalium ſpecies enumeratas cuiquam perſvadere velimus: Nam juſtam facilè 1 pateremur repulſam, & difficilem in nos recipere probationem contingeret; cum plures paſſim adhuc invenire liceat & exellentes Regalium ſpecies; ſed ut inſeqventem co-

eorum Doctrinam clariorem & Jucundiorem redderemus, notabiliora ſaltem & Majeſtatica & Fiſcalia recenſere placuit Jura, quæ non plenè cognita, incognitam reddidiſſent eorum ſucceſſionem & acquiſitionem: Jus enim applicandum Facto & Rebus, quarum naturâ non perſpectâ quomodo ab errore ſecurus eris?

2 Ratione itaque acquiſitionis & ſucceſſionis duo in quæſtionem veniunt, quibus perſonis & qvomodo Regalia acquirantur? Circa primum diſtinguimus inter perſonas Seculares & Eccleſiaſticas. Cum autem hæc illuſtris materia magis Secularis videatur quàm Eccleſiaſtica; Ideò Secularium Perſonarum ordinem præferemus.

3 Inter Seculares *Primò*, Perſona Imperatoris Romani maximè relucet, qui proprio & ſuo Jure iisdem gaudet per textum Nobiliſſimæ Conſtitutionis in *tit. 56. lib. 2. Feud. Quæ ſint Regalia?* à quo omnes Dignitates tanqvam à fonte profluunt, & ad eundem refluunt, *Roſenth. de Feud. cap. 5. Concl. 85. num. 3.* quod quia indubitatum eſt; hinc Summam illam Poteſtatem exactius percurrere, ſuperfluum eſſet, quandoqvidem caſum Legis expreſſum habeamus, quæſtionem verò, ubi textus eſt deciſio, moveri non oporteat. *Frideric. Pruckm. de Regal. c. 4. num. 2.* Illud ſaltem addere permiſſum ſit, quod in quibusdam Regalibus Imperator limitatam habeat Poteſtatem. De quibus ſupra.

4 *Secundò*, Rex Romanorum cui æquè ac Imperatori Majeſtatis Jura competunt, atque per ipſum conceſſa & quælibet ab eo geſta valent. *Paurmeiſt. de Juriſd. Imper. Rom. lib. 2. cap. 1. num. 4. Theod. Reinkinck. de Regim. Secul. & Eccleſ. lib. 1. claſſ. 3. cap. 14. num. 48. 49. 50. 51. 52. & multis ſeqq.* & quamprimum poſt Electionem Rex Romanorum appellatur. *Sixtin. de Regal. lib. 1. cap. 4. num. 10.* imò Imperator dicitur. *Arum. ad A. B. cap. 2. pag. 113.* quod rectè deprehendit *Paurmeiſt. d. cap. 5. num. 2.* ex verbis:

Ge-

Georgij Sigismundi Seldi Vice-Cancellarij Imperij. In Bedencken an Kayſer Ferdinand. von Jhro Kayſerl. Mijeſtät Wahl und Hoheit. Es wiſſen Unſere Rechtsgelehrten zu Zeiten ſelbſt den Unterſchied zwiſchen einem Römiſchen Kayſer oder König nicht zu finden & alibi: Und iſt auff dem Reichstag zu Franckfurt durch gemeine Ständ und andere erkant worden/ daß ein Römiſcher Kayſer und König ein Ding ſeye. Addatur ipſe textus *A.B. tit. 2. de Electione Regis Romanorum.* & ibi *Buxtorff.*

Tertiò, Reges, Principes & Liberi Populi ſuperiorem non recognoſcentes proprio jure Regalia exercent, *Peregrin. de Jur. fiſc. lib. 1. tit. 2. num. 76. Pruckman. d. l. num. 17.* quia Rex in ſuo Regno Monarcha eſt. *Sixtin. d. cap. 4. num. 16.* & eandem in eo, quam Imperator in univerſo, habet Poteſtatem, atque non per Electionem, ſed per ſucceſſionem (nonnullis tamen exceptis) Regnum conſequitur. *Schrad. de Feud. P. 3. num. 64.* etiamſi infidelis fuerit. *Sixtin. d. l. num. 20. Pruckm. d. cap. 4. num. 24. & ſeqq.* Idque Authoritate Chriſti Suprema Jura in Ethnicis recognoſcentis, demonſtrant. Et quod alias etiam Regna & conſequenter Regalia ſint Juris Gentium. 5 6

Qvartò, Electores, quorum Collegium, baſis & fundamentũ Imperij Romani eſt, *Betſ. de Pact. Famil. Illuſtr. pag. mihi 227.* Regaliis gaudent & præclaris Epithetis atq; prærogativis in *A. B. & Capitul. Cæſareis* paſſim expresſis, decorantur. De ijs in ſuperioribus hoc *cap. 2. ſect. 7.* multa cumulavimus, 7

Quintò, Archiduces Auſtriæ egregia Regalia poſſident, de quibus *Sixt. d. l. num. 30. & ſeqq.* & alias ſupra *d. ſect. 7.* 8

Sextò, Principes, Duces, Comites, Barones, ſi de Principatu, Ducatu, Comitatu, Baroniâ, vel territorio aliqvo per Principem, Regem vel etiam inferiorem fuerint inveſtiti. Eoipſo enim quo quis creatur Princeps, Dux, Marchio, Comes, & de Dignitate inveſtitur, cẽſentur trans- 9

lata Jura Regalia & Fiſcalia. *Sixtin. de Regal. lib. 1. cap. 4. num. 36.* Et Princeps Feuda Regalem Dignitatem annexam habentia conferendo, illos ita approbare videtur, ut quidquid ipſi faciunt, Princeps ipſe Superior feciſſe dicatur. *Pruckm. d. l. n. 35.*

10 *Septimò*, Regaliũ uſus qvoq; tribuitur Civitatibus Imperialibus, *Sixt. de Regal. d. cap. 4. n. 73.* Cum & hæ ſint Status Imperii. *Arum. ad Aur. Bull. Præfat. Caſp. Klock. de Contrib. Concl. 10. Matth. Steph. de Jurisd. Imp. Rom. lib. 2. P. 1. cap. 7. & P. 2. c. 1.* ſunt & aliæ Civitates Imperio immediatè non ſubjectæ, quæ Regalibus fruuntur. De quibus *Sixtin. d. cap. 4. n. 84. & ſeqq.*

11 *Octavò*, Nobiles Imperio immediatè ſubjecti Regalia legitimo modo acquiſita habere poſſunt, licet Status Imperii non ſint, ut qui nec ad Comitia vocantur, nec in Matriculâ reperiuntur. *Bertram. de Comit. th. 39.* hiſce Juribus etiam gaudent Nobiles mediatè Imperio ſubjecti quamplurimi, qui ea ex Principis conceſſione, vel legitimi temporis præſcriptione poſſident. *Pruckm. de Regal. d. cap. 4. n.*

12 *34.* Et non Nobiles tantum, verùm etiam privati homines & in nullâ Dignitate conſtituti. Quamvis enim indignum cenſeatur, inquit *Sixtin. num. 100*; ut tales perſonæ Regalia, vel Regales Dignitates, bonave, quibus ejusmodi Dignitas adeſt, habeant; & *Pruckm. de Regal. cap. 5. num. 92.* nonniſi viros rerum ſcientiâ virtutibusqve præfulgentes, non verò ſervum aſſentatorum pecus Regalibus donandos exiſtimet; Attamen eadem Jura rectè acquirunt, ſi iis modis illa nacti ſint, qui ad acquiſitionem Regalium requiruntur. *Petr. Heig. P. 1. Quæſt. 14. num. 29. & 30.* Si igitur Imperator homini privato Ducatum vel Comitatum concederet, continuo Dux vel Comes erit.

13 Quod nunc ad Perſonas Eccleſiaſticas attinet, omninò dicendum, Pontificem Maximum tanquam Supremum Eccleſiæ Caput, & Cæteris Membris præſtantius, omninò

Rgalium Jura poſſidere. Ecquo enim colore illi Regalia denegabimus, cui tradita eſt omnis Poteſtas in Cœlo & in terrâ?

Huic proximi ſunt Archi-Epiſcopi, Epiſcopi, qvi tanquam Status Imperij & in Matriculâ exiſtentes Regalibus ornantur. *Peregrin. de Jur. Fiſc. lib. 1. tit. 2. num. 104. & 105.* Rationem addit *Pruckm. d. cap. 4. num. 41.* quod Epiſcopi ut Epiſcopi Imperatori vel Imperio ſubjici queant. Idem dicendum de Abbatibus hoc modo ſubjectis *Sixtin. de Reg. lib. 1. cap. 4. num. 134.* 14

Altera tituli pars agit de acquiſitione Regalium, 15
qvam in tribus conſiſtere diximus ſupra *hoc cap. 2. ſect. 1. num. 31.* dum conceſſionis, conſvetudinis & præſcriptionis in definitione Regalium meminimus. Cui non obſtant *Roſenthal. de Feud. cap. 5. Concl. 10. Bocer. de Regal. cap. 4. n. 1.* qui conceſſionem & præſcriptionem tantum pro modis acquirendi Regalia ponunt; Nam conſvetudo & præſcrip- 16
tio pro uno modo accipiuntur, *cum præſcriptio ſit conſvetudinis eſſentia.* Nihil hic refragante *C. Abbate. Junct. Gloſſ. verb. Juxta Paſchalis. X. de Verb. ſignific.* ubi pro diverſis 17
conſtituuntur; quæ autem diverſa ſunt, diverſam quoqve naturam ſortiuntur, & conſequenter pro uno eodemque modo haberi non poſſunt. Verùm, quamvis Regulariter diverſum ponant effectum; hoc in caſu tamen realem differentiam deprehendere non licet, quia præſcriptio, de qua nobis ſermo eſt, intelligenda eſt de immemoriali, quæ cum conſvetudine eadem eſt, & quidquid eâ acquirimus, perindè habetur, ac ſi conſvetudine & conſequenter ipſo Jure ita jubente & diſponente acquireremus. *Vasq. Illuſtr. Quæſt. c. 13. num. 23.* Jam verò quod *d. c.* loquatur de præſcriptione cujus in contrarium non extat memoria, pernegamus.

Per conceſſionem itaque Regalia validè acquiruntur. 18
adeò ut ij qui negant Principem Regalia concedere poſſe, in

in Crimen Læſæ Majeſtatis incidant. *Bocer. de Regal. cap. 4.*
19 Conceſſio autem fit dupliciter vel per Privilegium, vel per Inveſtituram. Per Privilegium, vel Lege ipſâ & Conſtitutionibus Imperij, vel ſine Lege, aut (ut dicit *Conrad. Einſiedel. de Regal. cap. 1. num. 30.* & in idem recidit) per Privilegium Generale & Generali cuidam Legi vel Conſtitutioni inſertum, aut ſpecialiter alicui conceſſum.

20 Privilegium ipſa Lege & Conſtitutionibus acqviſitum patet in *l. 1. §. 2. ff. A quib. appell. non lic. A. B. Caroli IV. tit. 9.* ubi Electores Jus fodinarum, auri & argenti aliarumque minerarum in ditionibus ſuis habent. Similiter *tit. 9.* Judæos recipiendi poteſtas ijsdem accesſit, quæ demum *Ordin. Polit. de Anno 1577. tit. 20.* omnibus Regalia habentibus conceſſa. Item *tit. 11. A. B.* Electoribus Jus Extremæ Provocationis indultum, & Jus monetæ cudendæ *Edict. monet. de Anno 1559. & R. J. de Anno 1566. & de Anno 1570.* de quibus jam ſupra.

Privilegium ſpecialiter conceſſum & ſine Lege acqviſitum eſt; quando Imperator alicui Regalia tribuit ex ſpeciali gratiâ, qualia quamplurimi habent. Aut quando Comitibus Palatinis Poteſtatem creandi Notarios, Doctores, Poetas &c. largitur.

Per Inveſtituram conceſſio Regalium fit, cum quis ab Imperatore de ijs inveſtitur, qui modus receptiſſimus eſt, *Schneid. in Epitom. Feud. P. 2. n. 94.* de eo hac *P. 3. cap. 2. ſect. 8.* plurima diximus.

21 Ad hos adquirendi & concedendi modos benè notandum, non omnia Majeſtatis Regalia alteri concedi poſſe; quod putavit *Roſenthal. de Feud. cap. 5. Concl. 10. num. 2.* Jura enim illa quæ ad eſſentiam Majeſtatis ſpectant, & quorum exercitium effectum habet univerſalem, ut eſt Jus indicendi bellum publicum, condendi Leges Univerſales, imponendi Collectas Generales, inſtituendi nova vectigalia, abſoluta poteſtas, & ſi quæ ſunt alia; per inferiores non re-

ctè

ſtè acquirũtur, quæ ipſe Imperator absqve Statuum conſenſu exercere non poteſt. *Arniſ. de Jurib. Majeſt. c.2. n.7.* quemadmodum in ſuperioribus demonſtravimus. Dixi 22 non omnia Regalia inferioribus concedi poſſe, ad manifeſtandum etiam errorem eorum qui putant nullum Regale majus, aut ſaltem majori ex parte nulli tribui poſſe. Nam obſtat ipſa obſervantia, quæ teſtatur abundè Poteſtatem legitimandi ſpurios, veniam ætatis dandi, creandi Doctores, Licentiatos, Notarios, recipiendi Judæos, ita pronunciandi, ut à ſententiâ non poſſit appellari, flumina navigabilia, vias publicas & ſimilia ut plurimum communicari.

Quod ad Fiſci Regalia attinet, ea hodiernis temporibus non niſi cum conſenſu Imperij Imperator confert, ut 23 nimia Fiſci læſio evitetur. Indè meritò cum *Matth. de Afflict. in Rub. Quæ ſint Regal. n. 72.* ſentiendum, non absq; præviâ conſideratione, & tùm demum ad conceſſionem Regalium procedi debere, cum juſta aliqua & urgens neceſſitas intervenerit. *Roland. à Valle Cons. 18. num. 77. vol.* . quâ interveniente rectè conceduntur: non privativè 24 ſed cumulativè, ita ut qvocunqve modo alij Regalia indulgeat, major tamen penes Principem relinquatur Regalium poteſtas, & non minus quam is, cui conceſſio facta eſt, 25 exercere posſit. *Frider. Pruckm. de Regal. cap. 5. n. 94. Rosenth. de Feud. c. 5. Concl. 15. num. 1.* Niſi uſus per conce- 26 dentis uſum omninò impediretur: Ut ſi Imperator daret alicui in certo loco Rheni poteſtatem colligendi certum vectigal; tunc enim Imperator idem colligere non poſſet. *Roſenth. d. l. num. 2.* Aut etiam niſi privilegium per modum alterius alicujus contractus conceſſum ſit. Nam quin hoc modo Regalia privativè in alium transferantur dubium non eſt, quoniam privilegium habens ſe in modum contractus, tranſit in contractum, & in eo idem ſtatui

 de-

debet, quod de contractu. *Schrad. de Feud. Part. 10. ſect. 1. n. 131. & n. 133.*

Cum autem in conceſſionibus variæ & diverſæ repeꝛiantur clauſulæ, quæ varias & diverſas controverſias pro-
27 ducere ſolent, ideò eæ exactè perpendendæ, & notandum generali conceſſione Feudi, Ducatus, Marchionatus aut Comitatus, nullâ factâ mentione Regalium, ea non comprehendi, quia in generali conceſſione non veniunt ea, quæ ſpecialiter & nominatim fieri debent. *Mynſing. Conſil. 39. num. 6. & 7. Bocer. de Regal. cap. 4. num. 4.* quam deci-
28 ſionem eousque cum *Roſenth. d. cap. 5. Concl. 14.* extendo, ut inveſtitus de Ducatu, Marchionatu vel Comitatu cum omnimodâ Jurisdictione, vel cum omnibus Juribus & pertinentijs, nulla Regalia acquirere poſſit, cum nominatim concedi debeant, *Roſenth. d. l. num. 3.* & illa ſaltem Jura intelligantur, quæ Ducatui cohærent, qvod de Regalibus dici non poteſt, quæ territorio non cohærent, ſed ſunt Jura perſonalia perſonæ Imperatoris competentia. *R. J. de Anno 1576. §.* Darburch.

Limita ſi alia Jura præter Regalia Feudo Regali non adhæreant, aut etiam ſi Clauſula illa addatur; concedo vectigalia, Angarias, & quæcunq; vel omnia alia Jura: Nam hoc modo Regalia intellecta cenſebuntur, detractis tamen ijs, quæ Principi in ſignum Supremæ Poteſtatis & Præeminentiæ reſervata ſunt. *Roſenth. d. l. num. 4. & 5.* multas alias limitationes adducit *Sixt. c. 5. n. 81. & ſeqq.*

29 Quod ſi verò fiat conceſſio ſpecialis aliquot Regalium ſimpliciter absq; generali Clauſulæ adjectione, an extenſionem facere liceat ad ejusdem generis Regalia aut ſaltem minora? Breviter cum *Bocer. d. cap. 4. num. 9.* dicendum quod non: Quia iſthæc conceſſio ultra verba ſua ſe non extendit, ſed quantum hæc exprimunt, tantum conceſſum putatur. Nec refert an minora quis ſubſtituere velit. Nam ab unâ ſpecie diverſâ ad aliam non infre-

fertur. Exemplum ſit in Jurisdictione, à cujus ſpecie unâ 30
conceſſâ non licitè quis argumentatur ad alteram, etiam à majori ad minus. *Engelbrecht de Jurisd. Imp. th. 48. lit. C.* Circa has conceſſiones rectè indagandas verſatur *Sixtin. d. cap. 5. à. n. 81. usq; 130.* qui videri poteſt.

Alter modus acqvirendi Regalia eſt conſvetudo *C. Super quibusdam. §. Præterea. de Verb. ſignific.* quæ vel probatur per teſtes; vel præſcribitur certo uſus tempore, quod Jure Canonico & Civili variat. Nam de Jure Canonico, ſi conſvetudo inducatur præter Jus, decennium ſufficit: ſi contra Jus quadraginta annis opus eſt. *Gloſſ. in C. fin. de Conſvetud.* De Jure Civili decem annorum tempus indiſtinctè, ſive præter ſive contra Legem ſit, ſufficere tradunt *Gail. lib. 2. obs. 31. num. 3. Roſenthal. de Feud. cap. 9. Concl. 39. num. 9. lit. E. Guid. Pap. Conſ. 164. num. 3.* quia ad introducendam conſvetudinem longum tempus requiritur, longum tempus autem decem annis determinatur, *pr. Inſtit. de Uſucap. l. Diuturna. 33. ff. de Legib. & tot. tit. de Præſcript. Mynſing. Cent. 6. obs. 41. num. 9.* & Alij, quos ibidem allegat. Quod Regulariter verum eſt. Aſt de determinatione temporis ad inducendam conſvetudinem Regalia acqvirendi multum à Dominis Aſſeſſoribus Cameræ Imperialis diſputatum fuiſſe dicit *Mynſing. Cent. 5. obs. 29. n. 10.* Cum Jure Civili nihil de hoc caſu diſpoſitum reperiatur, & ad poſitionem decennij eo Jure determinati procedi non poſſit, ſi tendat contra ea quæ Principi in ſignum Supremæ Poteſtatis reſervata ſunt. *Gail. d. obs. 41. num. 4.* De Jure Canonico tamen hoc dubium deciſum deprehendo in *d. C. Super qvibusdam. §. Præterea. de Verb. ſignific.* Ubi tanti temporis præſcriptio requiritur, cujus initij memoria non extat in contrarium. *Bald. Cons. 242. Antiqva Quæſtio num. 1. vol. 2. Alexand. Cons. 9. num. 1. vol. 1.* Cujus conſvetudinis immemorialis vis tanta eſt, ut firmius ac potentius Jus eſſe cenſeatur, quod per eam acquiritur,

31 (margin, beside "Alter modus") · 32 · 33 · 34 · 35 · 36

quàm qvod per Privilegium Principis obvenit. *Schrad. de Feud. P. 10. num. 288. Curt. Jun. de Feud. P. 2. Q. 3. num. 5.*
37 Sed Privilegio Principis novum vectigal inſtitui poteſt. Accedit & hæc ratio. Si tanto tempore præſcribi poteſt immunitas à vectigalibus, uti poteſt *l. Si Publicanus. 4. l. Locatio. 9. §. Earum. 6. ff. de Public.* Ergo etiam ex eodem fundamento Jus exigendi vectigalia acquiri poteſt; cum Correlativorum eadem ſit ratio. *Mynſing. d. Cent. 5. obs. 29. n. 11. & 12.* Quod de vectigalibus ille dicit, ad alias Regalium ſpecies rectè refertur, eas nempè conſvetudine, cujus initij memoria non exiſtit, rectè acquiri.
38 Similem effectum tribuit præſcriptio immemorialis: tacitè enim concedere videtur qui patitur uſucapi, *l. 27.*
39 *ff. de Verb. ſignific.* imò eam vim Privilegij ac ſpecialis conceſſionis habere, dicunt *Mynſing. Cent. 1. obs. 30. Gail. lib. 1. obs. 21. num. 15. in f. Pruckm. de Regal. cap. 5. num. 96.* ubi ſexcentos ita tradere congeſtos *per Ant. Gabr. Rom. tr. Reg. lib. 5. tit. præſcript. Concl. 1. num. 102.* refert; adeò ut per eam non tantum Regalia Minora, verùm etiam Majora & Principi cohærentia transferantur. *Vasq. Illuſtr. Controv.*
40 *cap. 22. num. 19.* potiſſimum cum alienabilia ſint, & ut *Pruckman. d. l. num. 97.* loquitur, conceſſionabilia, & conſequenter præſcriptibilia. Ita tenet *Roſenth. d. C. 5. Concl. 16. Salycet. in l. 2. num. 4. Cod. Nov. vect. inſtit. non poſſ.* & ibi *Sichard. num. 5. & 6.* Hiſce adſtipulatur *d. C. Super quibusdam. §. Præterea. de Verb. ſignific.* qui textus licet conſvetudinis tantum mentionem faciat, tamen ad hanc præ-
41 ſcriptionem rectè allegatur. Vid. *R. J. Auguſt. de Anno. 1548.* §. Und ſollen Unſer §. Wann auch ein Außgezogener ibi: Daß in menſchlichen Gedencken &c. & §. Wo aber innerhalb Menſchengedencken ꝛc. Et hanc ſententiam admittentem præſcriptionem immemorialem contra Imperatorem communem eſſe tradunt. *Peregrin. de Jur. Fiſc. lib. 1. tit. 2. n. 65. Heig. P. 1. Quæſt. 13. num. 31. Bocer. de Regal. cap. 4. n. 45.*

&

& ſeqq. Roſenth. d. l. & alij ab eo allegati. Quam de Regalibus Imperatoriis veriſſimam ſemper judico, ut etiam ſcientia & patientia in ijs non requiratur *Pruckman. de Regal. cap. 5. num. 110. & 111.* quia hæc præſcriptio comparatur conceſſioni Imperatoris, & eandem vim habet, quam ipſa conceſſio ſpecialis. *Sixtin. de Regal. cap. 5. num. 149. Roſenth. de Feud. cap. 5. Concl. 16.* De inferioribus autem ſecus. Nam ad horum præſcriptionem longiſſimum tempus cum ſcientiâ & patientiâ ſufficere rectè putant *Schöner. in Tract. Feud. Diſp. 4. th. 15. Borcholt. in cap. Unic. de Regal. num. 19. Pruckman. de Regal. d. cap. num. 112. Sixtin. d. l. num. 158.* aut etiam longum tempus cum bonâ fidê & titulo *Roſenthal. de Feud. cap. 5. Concl. 17. num. 1. Bocer. de Regal. cap. 4. num. 47.* ubi, licet dicat ab hac opinione recedere in praxi periculoſum eſſe, attamen eam Juris fundamentis parum ſuffultam eſſe demonſtrat. 42 43

Ingens inſuper eſt certamen inter Doctores, utrum contra ſuperioritatem & Supremam Poteſtatem Principis, ut ſcilicet præſcribens nemini ſubſit tempore immemoriali, præſcribi poſſit? *Roſenth. de Feud. d. cap. 5. Concl. 16. n. 1.* & plures ab eo allegati, *Arnold. Engelbrecht. de Jurisd. th. 101. Zoannet. in tr. de Rom. Imp. num. 136.* tenent neminem cujuscunque temporis etiam immemorialis beneficio de Principis Superioritate liberari poſſe, nullamque præſcriptionem currere contra Imperium. Idem docent *Gail. lib. 1. obs. 21. num. 6. Modeſt. Piſt. vol. 1. Cons. 4. num. 28. Bocer de Regal. d. cap. 4. num. 47.* Romanamque victricem Aquilam Romano Imperio ſe detrahentes Jus vindicandi optimè fundatum habere dicit *Thom. Mich. de Jurisd. Concl. 20.* 44 45

Contrarium intrepidè tuentur *Vasq. Illuſtr. Controvers. c. 78. num. 4. & 82. per tot. Gabr. Comm. opin. lib. 5. tit. 5. de Acqvir. Rer. Dom. Concl. 3. num. 15. Sixt. de Regal. cap. 5. 5. num. 145. Pruckman. d. cap. 5. num. 106.* ubi quamplures al- 46

allegat & ad objectiones ſolide reſpondet. Hiſce conſequenter rectè dicitur à Collectis immunitatem præſcribi poſſe: ſicut enim Privilegium contra Collectas tribui poteſt *R. J. Auguſt. de Anno 1548.* §. Und ſoll Unſer. & §. Wann auch ein Außgezogener. & §. Wo aber innerhalb Menſchen Gedencken. ita quoque præſcriptione eadem immunitas comparari poteſt.

47 Regalia itaque hiſce modis legitimè acquiſita an ſuccesſionem admittant? Coronidis loco quærere lubet. Et poſſe verius eſt ſi privilegio aut inveſtiturâ eadem permittatur, ijs præſertim qui inferioris ſunt Dignitatis, & nullam habent Dignitatem Regalem annexam. Uti ſunt Comites Palatini, Poteſtatem naturales legitimādi, veniam ætatis tribuendi, Notarios creandi &c. nacti, qui tamen hoc Jus cum vitâ, perdunt, ſi expreſſe perpetuatum non fuerit in ſucceſſoribus. Quod in perſonis Regalem Dignitatem annexam habentibus ſecus eſt, quibus hodiernis moribus Longobardorum imitatione in Germaniâ recep-
48 tis, Feuda Regalia ſuccesſionis Jure deferuntur, atque Jurisdictionem perpetuam, & nomine proprio tranſituram habent. *Theod. Reinkinck. de Regim. Secul. & Eccleſ. lib. 1. claſſ. 5. cap. 16. num. 34.* adeò ut in Imperio Romano nullus ſit Principatus, nullus Comitatus, qui Electione transferatur, ſed omnes ſapientisſimo majorum noſtrorum conſilio ita ſunt conſtituti, ut ab Imperatore dependeant, & ad eos cum omnibus Regalibus & Juribus annexis transferantur, qui ex inveſtituris Cæſareis in ijs Jus ſuccedendi habent, etiamſi ipſorum Regalium mentio in conceſſione facta non ſit: Illa enim ſunt qualitates adjunctivæ territorij & Feudi Regalis, veluti Ducatus, Comitatus, ideoq; à Feudo inſeparabilia ſunt, & ad ſucceſſorem in Dignitate pertinent. *Dauth. de Teſtam. Rubr. de Mutand. teſt. poteſt. n. 8. 6.* huc referri poſſunt ea, quæ ſupra *P. 1.* de Jure Primogenituræ diximus.

SECTIO

SECTIO XXIV.

De Cauſis Regalia amittendi.

SUMMARIA.

1 *Regalia iisdem modis amittuntur quibus acquiruntur.*
2 *Modi illi ſunt generales & ſpeciales.*
3 *Specialiter fit amiſſio ceſſante cauſâ finali privilegij, & conditione purificatâ.*
4 *An per revocationem* Regalia *amitti poſſint?*
5 *Ita eſt ſi Poteſtas revocandi ſecundum beneplacitum reſervetur.*
6 *Secus ſi per contractum illa ceſſa fuerint, cui Princeps ſtare tenetur.*
7 *An in ſimplici* Privilegio *absqve cauſâ revocatio admittatur?*
8 *Negativa probabilior.*
9 *Vox Principis inſtar oraculi eſſe debet.*
10 *Extenditur ad ſucceſſorem in* Regimine.
11 *Niſi intervenerit juſta cauſa v. g. delictum.*
12 *Item non uſus, & multo magis abuſus.*
13 Regalia *per inveſtituram acquiſita iisdem modis amittuntur quibus Feuda.*
14 Regalia *per præſcriptionem obtenta quomodo amittantur?*

COnſtitutionem & acquiſitionem Regalium proximè 1
conſeqvuntur cauſæ ea amittendi, quæ iisdem modis
fiunt, quibus acquiruntur. *l. 1. ff. Pro derelict.* Cum unumquodqve eodem diſſolvatur modo, quo conſtitutum eſt. *l. 35. ff. d. R. J.* Modi autem illi ſunt Generales & Speciales. 2
Generales reſpicientes Principem, ejus ſunt naturæ, ut quandoque ad ipſum, quandoque ad alium inferiorem tranſeant, præſertim ea qvæ ex conceſſione & præſcriptione amittuntur. Ad Principem. Si expreſſe renunciatum fuerit Regalibus, *Sixtin. de Regal. cap. 5. num. 29.* Ad inferiorem: quando cum Principis voluntate ad talem transferuntur. Idem erit in præſcriptione, quà Princeps præſcribere poteſt, aut etiam inferiores alij præſcriptionē imemorialem allegantes. *Specialiter*, Regalia amittũtur, ceſ- 3
ſan-

ſante cauſâ finali Privilegij, quâ deficiente, effectum quo-
que deficere neceſſe eſt. *Sixtin. de Regal. d. cap. 6. num. 1.*
Vel etiam ad certum tempus vel ſub conditione conceſſa.
4 De Revocatione à Principe factâ adhuc dubitare li-
cet, an ejus effectus ad amisſionem Regalium extendi poſ-
ſit & debeat? Illa autem Revocatio vel præſupponit limi-
tatam concesſionem datâ Principi Poteſtate revocandi ſe-
5 cundum beneplacitum. Et certum eſt non tantum mor-
tis ſed qvovis tempore revocationem fieri poſſe. *Gail. 2.
obs. 60. num. 15.* Aut dicuntur Privilegia conceſſa per mo-
dum contractus: Hoc caſu revocari non poſſunt; cum
Princeps ijs, quæ ſunt Juris Naturalis & Gentium, non
6 ſit ſolutus. uti ſupra hoc *cap. 2. ſect. 3.* demonſtratum, &
conſequenter contractibus à ſe geſtis ſanctè inhærere te-
netur. *Zas. in Epit. Feud. P. 1. num. 15.* Aut deniq; de ſim-
plici & non qualificato Privilegio ſermo eſt: In hoc poſtre-
mo membro in maximè diſcrepantes partes abeunt Docto-
7 res, quærentes an absq; cauſâ & ullâ ratione Principi in-
tegrum ſit revocare ejusmodi Privilegia legitimè conceſ-
ſa? *Pruckm. de Regal. cap. 6. num. 2.* abſolutè concludit pro
affirmativâ, aſſerens, ſufficientem Revocationis cauſam
eſſe, quod Princeps conceſſerit, & ideò Privilegium, ſeu
concesſionem ab ipſo factam gratuitò, ſolâ ejus volunta-
te, haud conſentiente Privilegiato, revocari poſſe. Idem
tenet *Sixtin. d. cap. 6. num. 4.* & plures, qui apud hunc vi-
8 deri poſſunt. Rectius alii negant; Princeps enim neces-
ſitatis ſeu juris & honeſtatis conſtrictus vinculis præpedi-
tur, quo minus revocare posſit, cui Privilegia repetenti ea
reſponſio bene fit: *poteras negare cum peterentur, & conceſſa
9 repetere arbitrij tui non eſt.* Vox Principis inſtar oraculi eſſe
debet, unum habens calamum, & unam linguam, *Arniſæ.
de Jurib. Majeſt. cap. 5.* cum hac extenſione fundamentali,
ut etiam ſucceſſores in Regimine ijsdem teneantur; cum
10 à Juris ratione alienum non ſit, Succeſſorem anteceſſoris

pa-

pacto obligari. *Beſold. de Succeſſ. Reg. lib. 3. Diſſert. 2.* & conſequenter hujusmodi Privilegia legitimo modo quæſita tollere non poſſe; Niſi juſta cauſa id ſvadeat, indignitatis ſcilicet, quæ in delictis non tantum illis, quæ directò adverſus ipſa Regalia & Dominum tendunt, verum etiam quæ pœnam capitalem & amisſionem Regalium per conſeqventiam important. 11

Juſta amisſionis cauſa ſimiliter ex non uſu deducitur, *Gail. 2. obs. 69. num. 24*: multo magis ex abuſu, *Gail. de Pac. Publ. lib. 1. cap. 2. num. 22. Sixtin. de Reg. d. cap. 6. num. 34.* uti patet in Jure cudendi monetam, quo abutens privatur. *Edict. monet. Auguſt. de Anno 1559. §.* Ferner als ſie auch. & *ſeqq. R. J. Ratisbon. de Anno 1576.* §. Da aber iemand anderer Geſtalt. & §. Und was jetzo. Similes cauſæ videantur apud *Sixtinum d. cap. 6. n. 38. 40. & 63. Pruckm. d. c. 6. n. 31. Peregrin. de Jur. Fiſc. lib. 7. tit. 9. n. 36.* 12

Regalia per ſubinfeudationem, ſive inveſtituram conceſſa, ijsdem modis amittuntur, quibus feudum amitti ſolet. *Sixtin. de Reg. d. cap. 6. num. 76.* In Regalibus enim in feudum concesſis nihil peculiare conſtitutum reperitur, ideoque tanto magis Juri Feudali ſtatur, niſi ſpecialiter quid ſtatutum demonſtretur. *Roſenthal. de Feud. c. 10. Concl. 42. num. 33.* De hiſce Feuda amittendi modis *hac Part. 3. cap. 1. ſect. 11.* prolixè diſputavimus, ut inutilis hic foret eorum repetitio. 13

Regalia denique per præſcriptionem acquiſita ob commiſſa delicta amittuntur: Nam qui committit Crimen Læſæ Majeſtatis, vel ijs abutitur, vel etiam Banno Imperiali percuſſus fuerit, præſcriptione non obſtante talia Jura perdit. *Sixtin. d. cap. 6. num. 74.* Ubi ſpecialius in hæc delicta inquirit. De actionibus Regalium nomine competentibus ille ipſe *Sixtin. cap. 7.* per totum agit. Quibus addi poſſunt ea, quæ *d. P. 3. cap. 1. ſect. 12. de Judicijs Feudalibus* 14

libus & Actionibus eorum nomine competentibus in medium prolata ſunt.

Et ſic ſtylo breviori materiæ Regalium inhærere, ſucceſſionemq; Feudalem quodammodo completam reddere voluimus. Pergamus ad ultimum caput reſpiciens Renunciationes ſucceſſionum.

CAPUT III.

De RENUNCIATIONIBUS SUCCESSIONUM.

SUMMARIA.

1 *Succeſſionibus, tanquam favori pro ſe introducto ſæpè renunciatur.*
2 *Renuncians hæreditati futuræ non ſimpliciter ſed ſub conditione renunciare cenſetur.*
3 *Quæ dicatur renunciatio ſimplex & qualificata?*
4 *Renunciari poteſt fideicommiſſo puro & conditionato.*
5 *Simpliciter Juri Primogenituræ.*
6 *Imò Regnis & Sceptris. Declaratur ex Hiſtoriis.*
7 *Abdicatio Caroli V. Imperatoris.*
8 *Abdicatio Chriſtinæ Sveciæ Reginæ & Joannis Caſimiri Poloniæ Regis.*
9 *Tertio & Jure proprio venienti per renunciationem præjudicari non poteſt.*
10 *Materia renunciationum fœminarum cauſam maximè reſpicit.*
11 *Apud Scriptores renunciationum de Familiis Illuſtribus altum ſilentium notat Breulæus.*
12 *Objectio, quâ hujusmodi renunciationes cum ratione pugnare imò eas inhumanas eſſe dicitur.*
13 *Solutio ejusdem.*
14 *Ratione officij & Dignitatis inter maſculos & fœminas, magna eſt differentia.*
15 *Hujus dicti egregia allegatio à Breulæo allegata.*
16 *Statuto caveri poteſt filiam dotatam*

tam à ſucceſſione paternorum aliorumq; bonorum ſecludi.

17 *Generalitas Conſtitutionum Univerſi Corporis Juris, per ſpecialitatem Legum certarum Familiarum Municipiorumq; limitari poteſt.*

18 *Per diviſionem bonorum Illuſtres Familiæ vileſcere incipiunt.*

19 *Renunciationibus divitiæ & opes in iisdem conſervantur.*

20 *Conſervatio Familiarum fœminis competere non poteſt.*

21 *Definitio renunciationis.*

22 *Metus, vis, dolus & iniqvitas illam invalidam reddunt.*

23 *Intelligitur dolus ex propoſito & qui cum re ipſâ evenit.*

24 *Illius probatio etiam ſit ex indiciis, & qvandoq; præſumitur.*

25 *Juramentum firmans renunciationem in ſe continentem læſionem ultra dimidium juſtæ dotis obligatorium non eſt.*

26 *De Jure Saxonico tranſactiones Juratæ neqvidem ob enormiſſimam læſionem reſcinduntur.*

27 *Dos renunciantibus filiabus neceſſario conſtituenda eſt, quæ qvaſi in locum legitimæ ſuccedit.*

28 *An dos & legitima exæqvari poſſint?*

29 *Congrua tamen ſit neceſſe eſt in interpoſitâ renunciatione.*

30 *Dos ſupplementum admittit.*

31 *Filia querelam de dote movens à qvo tempore eam probare debeat?*

32 *An filiam renunciantem juvet Patrimonium Patris ex poſtfacto auctum eſſe, adhoc ut ſupplementum importet?*

33 *Refellitur Faber, putans non matrimonij, ſed mortis paternæ tempus in propoſitâ quæſtione inſpiciendum.*

34 *An congruâ dote non acceptâ Juramentum renunciationem confirmet?*

35 *Bona Paterna in renunciationem veniunt.*

36 *An ſub renunciatione generali bonorum, feuda intelligantur?*

37 *Diſpoſitum in Allodialibus non extenditur ad Feudalia.*

38 *Feuda nomine bonorum impropriè veniunt.*

39 *Renunciationes ſunt ſtricti Juris.*

40 *Feudum Hæreditarium reliqvorum bonorum naturam imitatur.*

41 *Fdeicommiſſa tàm pura qvàm conditionata ſub qvibus reqviſitis, renunciationibus obnoxia eſſe poſſint?*

42 *An in dubio filia fideicommiſſo renunciaſſe cenſeatur?*

43 *Negativa probatur: qvia filia renuncians intellexerit ſaltem ea bona, qvæ Jure ſangvinis & hæreditario deferuntur, qvalia fideicommmiſſa non ſunt.*

44 *Utrum fideicommiſſum reliqvorum bonorum nomine comprehendatur?*

45 *Quatenus bonis allodialibus renunciari poſſit?*

46 *Utrum pactum inter Parentem & filiam de renunciando absque actuali tamen renunciatione efficere poſſit, ut reliqui hæredes contra filiam agere poſſint?*

47 *Ad actualis renunciationis præſtationem tenetur.*

48 *An ſi poſt renunciationem parens filiæ in teſtamento qvid relinqvat, hæredes repelli poſſint?*

49 *Aſſirmativa placet.*

50 *Qvod ſi autem filia renunciaſſet ſucceſſioni ex teſtamento?*

51 *Diſtingvitur utrum ante vel poſt renunciationem ſcripta ſit hæres?*

52 *Quod ſi fratribus renunciaverit, an nihilominus ex teſtamento patris qvid capiet?*

53 *An ea, qvæ titulo legati relinqvuntur, poſt interpoſitam renunciationem filia conſequetur?*

54 *Quatenus bona materna in renunciationem veniant, & qvæ talia dicantur?*

55 *Quæ bona per industrialia intelligantur?*

56 *An in generali renunciatione bonorum doti renunciatum cenſeatur?*

57 *Negativa verior, niſi expreſſa fiat mentio bonorum dotalium.*

58 *Limitantur prædicta, ſi parentes ad ſecunda vota tranſierint.*

59 *Renunciatio etiam jurata non extenditur ad lucra ad filiam devolventia in pœnam parentum tranſeuntium ad ſecunda Vota.*

60 *Quid ſi filia poſt contractas ſecuncundas nuptias renunciationem interpoſuiſſet.*

61 *Utrum proficiat renunciatio liberis primi an ſecundi matrimonij poſtqvam defunctâ matre parens alteram duxerit uxorem?*

62 *Epeditur qvæſtio diſtinctione & ſubdiſtinctione.*

63 *Annepotes mortuâ matre poſt interpoſitam renunciationem ab avi vel avunculi hæreditate excludantur?*

64 *Nepotes melioris conditionis eſſe non poſſunt quàm mater.*

65 *Verius eſt nepotes admitti, cum proprio Jure veniant.*

66 *Diſtinctio ſucceſſionis per remotiorem, & ſucceſſionis per transmiſſionem.*

67 *Limitatur: Niſi Jus nepotum mater remiſerit?*

68 *Renunciatur ſimiliter bonis fraternis.*

69 *Quotupliciter ſumantur?*

70 *Renunciatur deniqve bonis qvæ ex teſtamento vel ab inteſtato mulieribus obveniunt.*

71 *Renunciationes, qvæ regreſſum non reſervant ſucceſſioni, impoſterum non tribuunt.*

72 *Quid importent verba: deficientibus quandocunqve maſculis?*

73 *Quid dicendum in caſu quo filia pluribus fratribus ita renunciat, ut quandocunqve ſine maſculis deceſſerint, regreſſus illi eſſet, linea*

linea vero unius defecerit relictis ſaltem fœminis, & ex aliâ maſculis? Quæritur an ſoror renuncians & ejus hæredes; An fœminæ lineæ deficientis; An autem reliqui maſculi in hac rata ſuccedant?

74 Deficientibus maſculis filia vigore pacti cōditionalis ſuccedit, illudque ad hæredes transmittit.

75 Jus filiæ interea extinctum non eſt, ſed in ſuſpenſo manet.

76 An in materiâ renunciationum Juramento opus ſit?

77 De Jure Canonico omninò reqviritur.

78 Reſolvitur objectio deſumpta ab argumentatione à pactis ſucceſſionum ad pacta renunciationum.

79 An renunciatio bey Fürſtlichen oder Gräfflichen Ehren und Treuen facta, Juramento æqvipolleat?

80 Principes quandoque plurima promiſſa, imò manu & ſigillo corroborata pro lubitu retractant.

81 De conſvetudine Germaniæ illam promiſſionem Juramento æqviparari tenet Mynſingerus.

82 Et eosdem effectus producere tradit. Gail.

83 Carpzov. de Jure Saxonico contrarium ſtatuit.

84 Quando ſolenne Juramentum reqviritur, non ſufficit promiſſio fidei an Eydſtatt / niſi addantur verba: ſo wahr mir GOTT helffe.

85 Rectius cum Jure Saxonico tenendum judicatur.

86 Quibus caſibus præſumptio fidei cum Juramento parificetur?

87 Conſvetudine introduci non poteſt ut tantū humanæ fidei, quantum Religioni erga Deum tribuatur.

88 Ad validitatem renunciationum requiritur filiarum certioratio.

89 Mulier præſumitur ignorare Jus ſuum ac beneficium SenatusConſulti Vellejani.

90 Ignoto non poteſt renunciari.

91 In renunciatione Juratâ requiratur certioratio.

92 Juramentum qvod accedit ad contractum ipſo Jure nullum, dicitur non habere tres comites neceſſarios.

93 In renunciatione facti qvoqve mulier probè inſtruenda eſt.

94 De interventione certiorationis diſtinctio Kellenbenzij.

95 Læſio enormiſſima, nullam reddit renunciationem etiam juratam.

96 Cauſa finalis renunciationum eſt, ut bona in agnatione conſerventur & Familiarum decus promoveatur.

97 Filiæ agnationem non conſervant.

98 Damna infinita ex admiſſione fœminarum emergentia.

99 Mulieribus tantum tribui non debet, ut bono publico inde inferatur.

100 *Bonum Publicum privato præferendum.*
101 *Favorem pro ſe introductum in odium ejus retorqvere non oportet.*
102 *Renunciationes ſunt media Patrimonium integrum inviolatumq; conſervandi.*
103 *Qverela muliercularum inanis, ſi congruè dotatæ ſint.*
104 *Alter finis renunciationum eſt mors & extinctio lineæ maſculinæ.*
105 *Admonitio ad Benevolum Lectorem.*

QUanquam ſucceſſionum acquirendarum cauſæ legitimè fundatæ Jus firmum & certum conſtituant, perſo-
1 niſque ad illas qualificatis omninò debeantur: Nihilominus illis ipſis perſæpè renunciatur, præſertim cum ob favorem pro ſe introductum id liceat. Exempla proſtant in hæreditatibus tàm delatis, qvàm non delatis, deferendiſque, & ſic non tantum ante, ſed & poſt aditam hæredi-
2 tatem; Ita tamen, ut qui renunciat futuræ, non ſimpliciter & abſolutè, ſed ſub conditione, ſi ſcilicet hæreditas fuerit delata, renunciare cenſeatur. *Roland. à Vall. Conſ. 11. num. 2. & 5. vol. 1.* Conferendo vim & effectum in
3 tempus habile. *l. In tempus. 62. ff. de Hæred. Inſtitut.* quæ renunciatio qualificata dicitur propter adjectam conditionem aliquando purificandam, & illi tantum prodeſt, cum quo conventio inita eſt; Secus in renunciatione ſimplici: Vigore cujus in parte repudiatâ & deficiente Jus accreſcendi locum habet, atque maſſæ hæreditariæ accreſcit. *l. 1. Cod. Quand. non petent. part. Caſtrens. in l. 1. §. In-*
4 *de Neratius. ff. ad SC. Trebell. Mynſing. Cent. 4. obs. 22.* Similiter fideicommiſſo renunciari poteſt non tantum puro, *Graſſ. §. Fideicommiſſum. Q. 62. Fuſar. de Fideicomm. ſubſtit. Quæſt. 587. num. 1.* Verum etiam conditionali & in diem relicto. *Jaſon. in l. 2. num. 2. Cod. de Pact.* Cum favorabilem in ſe cauſam habeat, votum captandæ mortis auferat, & inter fratres concordiam alat, atq; æqualitatem ſer-
5 vet. *Gail. 2. obs. 130. num. 8.* Eodem modo rectè renuncia-

ciatur Primogenituræ. *Beſold. de Succeſſ. Reg. tit. 1. Diſſ. 2. num. 28. Tiraqvel. de Primog. Quæſt. 24. per tot.* Quinimò 6
Regibus atqve Sceptris, *C. Admonet. X. de Renunciat.* ubi habetur Pontificem Maximum Pontificatu ſe abdicare & eidem renunciare poſſe. Sic *Diocletianus & Maximianus Impp.* depoſito Regno privatam inſtituiſſe vitam legimus apud *Marquard. Freber. Rer. German. ſcript. Tom. 2. fol. 5.* quos ſecutus eſt *Lotharius Imper.* & Monaſticum elegit Statum *Lupold. de Babenb. de Zelo Cath. Fidei veter. Princip. Germ. cap. 3. vers. Item Imperator.*

Nota eſt quoq; memoranda Imperij abdicatio ab Invictisſimo Imperatore *Carolo V.* in favorem *Ferdinandi* Regis Romanorum facta. *R. J. Auguſtano de Anno 1559. in pr.* Recentes abdicationes Serenisſimæ *Chriſtinæ* Sveciæ 8
Reginæ & *Joannis Caſimiri* Poloniæ Regis noſtra ætas non ita pridem vidit & mirata eſt. Quilibet enim favori pro ſe introducto renunciare poteſt. *l. 29. Cod. de Pact. l. 41. ff. de Minorib. Nov. 136. cap. 1.* At per hunc actum ſibi tantum, non verò tertio, fortè venienti proprio non renunciantis Jure quis præjudicat. *Menoch. 3. Præſump. 115. n. 59.* Cum nemo alieno Juri renunciare, nec pactionibus privatis Jus alterius lædi poſſit, *l. 3. ff. de Transact. l. 27. §. 4. in f. ff. de Pact. Mynſing. Cent. 5. obs. 63. n. 10.* etiamſi is à renunciante Jus cauſamq; habeat, nequidem cum Juramento. *Mynſing. d. l.*

7 (margin, beside "Nota eſt quoq;")

9 (margin, beside "At per hunc actum")

Verum enim verò cum in renunciationibus ſucceſ- 10
ſionum fœminarum cauſa maximè controvertatur, & ſummum earum præjudicium in iis advertere liceat; Idcircò de fœminarum Jure per renunciationes tollendo & prætenſione ſublatâ, in Illuſtribus ut plurimum familiis uſitatâ, tractare decrevi; potiſſimum quod apud Scriptores
hujusmodi renunciationum de illis altum ſilentium notet, 11
& ideò negligentiæ eosdem, Germanicos præſertim arguat *Henric. Breulæus in Tract. de Renunciand. Recept. mor. modoq;*

in

in Præſat. pr. Cum tamen pleraque Germaniæ Conſiſtoria præcipuâ unicâ hac materiâ, Caſibusq; huic ſubjectis ſubindè divexentur.

In limine hujus tractatus quamprimum objectionem jam ſupra *P. I. cap. 3. ſect. 2.* motam nobis de novo regerunt, qui fœminis nimis ſavorabiles exiſtunt; ac ſi cum ratione
12 & Legibus Romanis, ſimiles, ut volunt, inhumanæ renunciationes pugnent, & hinc meritò Barbaræ dicantur, ex mente Juſtiniani *Nov. 21. de Armen.* ubi ait: *ſe Lege velle illud corrigere, qvod malè apud illos delinquebatur, & nolle permittere, ut ſecundum Barbaricam gentem virorum qvidem ſint ſucceſſiones, fœminarum verò neqvaqvam.* Imo etiam *maximum vitium antiqvæ ſubtilitatis,* dicit *in l. 4. Cod. de Liber. præter. & exhæred.* *ſe præſenti Lege corrigere, quæ putavit alia Jura eſſe obſervanda in ſucceſſione parentum, ſi ex teſtamento veniant, in maſculis; & alia in fœminis: cum ab inteſtato
13 ſimile Jus utriqve ſexui ſervaverint.* Verum non eſt quod alijs ſolutionibus denuo nos implicemus: Nam ex loco *Papiniani in l. In multis. 9. ff. de Stat. hom.* quem Compilatores Digeſtorum fortè non adverterunt, deprehendimus: *In multis Juris noſtri articulis deteriorem eſſe conditionem fœminarum quam maſculorum.* Ubi Gloſſa quindecim caſus hujus pejoris conditionis affert, quibus etiam noſtrum rectè adſcribere poſſumus, renitentibus etiam mulierculis, quæ propterea in maſculos debachantur & eos naturæ accuſa-
14 tores circumferunt: Cum tamen ratione officij & dignitatis magna inter eos ſit differentia, &, ſunt verba *Breulæi de Renunc. Recept. mor. Cauſ. 1. cap. 4.* *Nullam inter hoſce, qvi
15 pro arâ & focis fortiter dimicant, & delicatulas illas crebro focum inſtruentes, aliudqve nihil agentes, differentiam velle ſtatuere, nec ullam maſculis prærogativam concedere plus quàm iniqvum foret.* Maximè verò cum conſvetudine & Statutis hocce Jus introductum videamus, quibus validè caveri
16 poteſt, ut filia dotata à ſucceſſione paternorum aliorumq;
bo-

bonorum contra Conſtitutionem Juſtiniani ſecludatur, & ita poſterius Jus priori prævaleat, *l. Non eſt novum. 26. l. Sed & poſteriores. 28. ff. de Legib.* aut generalitas, quæ in
17 Conſtitutionibus Univerſi Corporis Juris plerumque obvenit, per ſpecialitatem Legum certarum Familiarum, Municipiorum, Collegiorumq; limitetur, atque ex utilitate & necesſitate Reipubl. mutatio inducatur. Cujus
18 certum habemus ſignum in Conſervatione Dignitatis Familiarum, quæ alias vileſcerent, ſi ſplendore hoc deſtitutæ, bona dividerentur, & potentia hoc modo ſummo cum Reipubl. malo minueretur: Nam per eam, inquit *Barthol. Kellenbentz. in Tract. de Renunciat. ſucceſſ. Quæſt. 1. num. 3.* o-
19 *pes & divitiæ (quæ ſecundam Biontem, ut refert Eraſmus in ipſius Apophteg. nervi ſunt noſtrarum actionum) cuiq; Familiæ conſervantur,* & cuilibet ætati plurimum in adipiſcendis honoribus opitulantur, ſecundum illud Poëtæ.

Haud facilè emergunt quorum virtutibus obſtat
Res anguſta Domi.

20 Quæ Conſervatio fœminis competere non poteſt, cum in aliam ſe ſe recipiant Familiam, & alterius gentis & Familiæ principium quaſi conſtituant. De hoc fine excluſionis fœminarum jam ſupra *P. 1. cap. 1. ſect. 17. & 18. num. 35. & ſeqq.* Item *d. P. 1. cap. 3.* ubi de Fideicommiſſis Familiæ & Jure Primogenituræ ſermo fuit, abundè egimus, & hoc *cap. 3. num. 96. & ſeqq.* amplius agemus.

21 Succeſſionum renunciationem definit *Henric. Breulæus de Renunciand. Recept. mor. Caus. 1. cap. 2. pr.* *quod ſit promiſſio libera filiæ dotatæ de bonis paternis, maternis, fraternis aliorumve quorumlibet non petendis, his quorum intereſt cum Juramenti præſtatione in favorem & conſervationem familiarum facta.*

22 Dicitur *Libera promiſſio.* Nam ſi probetur metum, vim, dolum, aut etiam iniqvitatem interveniſſe, Renunciatio pro invalidâ reputabitur: quia *metu geſtum Prætor ratum*

Uuuuu non

non habet, & quæ dolo malo geſta ſunt, de iis Judicium non dat, l. 1.
23 *ff Quod met. Cauſ. l. 1. ff. de Dolo.* Intelligendo per dolum non
tantũ dolũ ex propoſito, verũ etiam qui cum re ipſâ evenit,
cum æquiparentur, *l. 2. §. Circa. ff. de Dol. except. Mynſing.*
24 *Reſpons. 56. n. 13. Gail. lib. 2. obs. 77. n. 13.* & non magis ac do-
lo circumventus in læſionem ejusmodi conſenſiſſe intelli-
gatur. Probatur nonnunquam etiam ex indicijs & non e-
videnter, quia in animo conſiſtit & ideò difficilioris pro-
bationis, *l. Dolum. 6. ff. de Dolo. l. Dolus. 10. Cod. de Reſcind.
vend. l. fin. Cod. ad Leg. Cornel. de Sicar.* quandoque præ-
ſumitur, ex nimia ſcilicet læſione, quâ filia accuſat dotatio-
25 nem iniquitatis, maximè ſi læſio terminos dimidiæ dotis
excedat, etiamſi Juramentum intervenerit: Illud enim, ut-
potè in ſe vinculum iniquitatis continens, *C. Quanto. 18.*
26 *X. de Jure Jurand.* obligatorium non eſt. *Bened. Carpzov.
Juriſp. Forens. P. 2. C. 35. def. 2. & 4.* quamvis *def. 1.* de Ju-
re Saxonico ſtatuat transactiones Juratas nequidem ob e-
normiſſimam læſionem reſcindi.

27 Dicitur in definitione allatâ *Filiæ dotatæ.* quia dos hu-
jusmodi filiabus renunciantibus neceſſariò conſtituenda
eſt, ne maneant innuptæ ex defectu alicujus ſucceſsionis,
cujus pars non inconvenienter dos dici poteſt, & quaſi in
locum legitimæ ſuccedit, non quod dos conſtituta vel con-
28 ſtituenda legitimæ per omnia exæquari debeat, quod om-
ninò neceſſe non eſt: Illa namque pro more Regionum,
item pro qualitate matrimonii, aliqvando major aliqvando
29 minor conſtitui ſolet. *l. 60. & 69. §. Gener. ff. de Jur. Dot.*
ſed quod filia non minus ob dotem, ac ſi integram accepiſ-
ſet legitimam ſit excluſa. Requiritur tamen ut ſit congrua,
itidem ſecundum morem Regionum, numerum liberorum,
quantitatem bonorum paternorum & nubentium Statum
eroganda, Judicisque arbitrio relinquenda, *Carpzov. d.
Conſ. 35. Def. 5. num. 5.* quæ cum cauſa alimentorum à pa-
30 ri procedit, *Burſat. Conſ. 32. num. 24. vol. 1.* conſequenter

ad

ad onera matrimonialia, quibus alias dotatio par non eſſet, perferenda ſupplementum admittit, ne majora indè ſequantur incommoda, quibus matrimonialis amor evaneſcere, aut etiam matrimonium ipſum diſſolvi poſſet: Non enim ſufficit, qvod pater maritum quærat Filiæ, niſi & eam dotet competenter pro modo facultatum. *Ant. Faber. in Cod. lib. 2. tit. 9. def. 8. num. 4.* ubi probè notan- 31
dum venit, neceſſarium eſſe, ut filia querelam de dote movens, probet, eam tempore conſtitutæ dotis jam extitiſſe; quia ſi tempore contracti matrimonij auctior petita non fuiſſet, facultates verò horum conjugum ex poſtfacto diminutæ reperirentur, ita ut ſuſtentationi congruæ jam ſufficere non valeāt, non ideò tamen Renunciatio interpoſita reſciſſionē operari poſſet. *Maſcard. de Probat. Concl. 962.* Nec etiam filiam renunciantem juvat patrimonium patris 32
poſt renunciationē augmentum accepiſſe, ad hoc, ut ſupplementum importet; propter dubiū caſum fortunæ, qvo fieri potuit ut diminueretur, & qvod ab initio juſta fuerit dos ac legitima, quæ ex ſupervenienti caſu non annullatur. Ut hinc rectè explodendus veniat diſcurſus *Anton. Fabr. in Tract. ſuo de Errorib. Pragm. Decad. 13. Err. 5.* ubi ſi- 33
bi omninò perſvadet, non matrimonij ſed mortis paternæ tempus inſpiciendum eſſe: Nam ſi in æſtimanda læſione etiam ſecundum *Fabrum* id tempus ſpectandum ſit, in qvod collatus eſt effectus conventionis, quidni etiam in renunciatione, id conventionis tempus, inſpiciendum eſſet? Ne- 34
qve obſtabit Juramentum filiæ renuncianti congrua dote non acceptâ; cum actus confirmari non poſſit, ubi iniquitas & dolus manifeſtè deprehenduntur. Præjudicium refert *Carpzov. d. Def. 5.* in verbis: So verbleibet es doch bey ſolcher Endtlichen Verzicht nochmahls billig / und ihr ſeyd dieſelbe / wofern ihr mit einer gebührenden / und ewers Vatters Standt und Vermögen gemeſſenen Mitgifft verſehen worden/

zu hinderziehen/und aus ewers Vatters Erbſchafft etwas ferner zu fordern nicht befugt V.R.W.

Adduntur porrò verba in definitione Renunciationis: *de bonis paternis, maternis, fraternis, aliorumve qvorumlibet non petendis*, ad denotandam cauſam materialem: quæ verſatur

35 *Primò* circa bona paterna hujusmodi renunciationem principaliter admittentia, & pro talibus reputantur Feudalia, fideicommiſſio ſubjecta & Allodialia. Feudalibus, quæ Vaſallus non tantũ occaſione belli aliove modo adeptus eſt, verum etiam & multo magis, quæ à Domino, licet Imperatore, Rege, Principe, Comite, quin & à Nobili in inferiorem ob fidelitatem præſtandam conferuntur, cum effectu renunciatur, ſi principaliter de ijs agatur:

36 Nam alias ſi in renunciatione filij bonorum tantum mentio facta fuiſſet omiſſà qualitate feudali, dubium foret, utrum feuda ſub hac appellatione comprehendi poſſent? Et putarem quod non, cum *Weſemb. Cons. 74. num. 8.* quia feuda non Jure hæreditario & ſanguinis, ſed ex pacto primi acquirentis & voluntate concedentis, item providentiâ Legis liberis acquiruntur. *Gail. lib. 2. obs. 154. num. 2.* de quibus

37 ſupra. Et inſuper notum eſt, feudalia bona longè ſeparatam habere naturam ab allodialibus, neque in uno diſpoſitum ad alterum extendi poteſt. *Matth. de Afflict. tr. de Jur. Protim. in §. Tota. num. 12. Gail. d. l. num. 6.* Nec refragatur feuda nomine bonorum venire. Verum namq; ſaltem erit in latâ & impropriâ ſignificatione, non item in

38 ſtrictâ & propriâ locutione, de qvâ nos agimus; cum ſciamus has renunciationes eſſe ſtricti Juris, nec in ijs venire

39 niſi quæ in ſpecie expreſſa ſunt. *Gail. 2. obs. 77. num. 5.* multominus renunciato uno beneficio ut allodio, alterum v. g. feudale renunciatum cenſeri. *Carpzovius Jurispr. Forens. P. 2. Con. 46. def. 12. num. 7.* propter ſeparatam, ut dixi, illorum naturam, *tit. 8. §. Quamvis. 2. Feud.*

Pa-

Pariſ. Conſ. 7. n. 3. vol. 1. quæ indè quoq; deprehenditur,
ut, ſi Vaſallus generaliter omnia ſua bona alienaverit, feu-
dum eo contractu minimè contineatur, *tit. 26. §. In ge-*
nerali. tit. 51. pr. tit. 55. Feud. 2. Secus in feudo hæredita- 40
rio, quod reliquorum bonorum nomine venit, & absque
conſenſu Domini & Agnatorum alienari poteſt. Supra
hac Part. 3. cap. 1. ſect. 11. num. 5. imò etiam in Fideicom-
miſſum petitionemque hæreditatis cadit, atqve ad ex-
traneos devolvitur, *Gail. 2. obs. 154. num. 11.* conſeqventer
etiam renunciationis effectui obnoxium eſt.

Fideicommiſſa tàm pura qvàm conditionata quo- 41
que renunciationem admittunt, uti in principio hujus ca-
pitis dictum. Intellige quando renunciatio fit inſpectis
& cognitis tabulis teſtamenti *Gail. 2. obs. 139. num. 9.* & fi-
deicommiſſi ſcientia adeſt. *Petra de Fideicommiſſis Quæſt.*
14. num. 121. Graſſ. §. Fideicommiſſum. Quæſt. 62. num. 6. in f.
An autem in dubio filia Fideicommiſſo renunciaſſe cenſe- 42
atur? non adeò expeditum invenio; potiſſimum ſi ver-
bis generalibus, & non hæreditati ſolum, ſed bonis etiam
paternis renunciaverit. Rectiùs tamen cum *Fuſar. de*
Fideicommiſſ. ſubſtit. Quæſt. 593. num. 174. & Petra de Fidei-
comm. Quæſt. 14. num. 136. quis concluderet in dubio omni-
nò renunciatum non videri: quia renunciationes, quibus
nos inhæremus, principaliter de ijs bonis intelligendæ, 43
quorum ſpes in ſucceſſione futurâ poſita eſt, & qvæ Jure
hæreditario deferuntur; Filia verò cavendo ſe patri non
ſucceſſuram, aut ex ipſius bonis nil quicquam petitu-
ram, hoc ſolum promiſiſſe intelligitur, quod ea, quæ Ju-
re ſanguinis per ſucceſſionem ſibi obventura ſunt, non
etiam quæ extra Jus Paternæ hæreditatis ſibi debentur,
& cujus exactionem, ut quilibet extraneus liberam habet,
vindicare ſibi nolit. Quod autem fideicommiſſa non
Jure hæreditario, ſed ex diſpoſitione primi acquirentis de-

44 beantur, dubio caret. Nec obſtat generali appellatione bonorum comprehendi poſſe fideicommiſſa: Nam materia ſubjecta hanc extenſionem ſimiliter non admittit: quia pactum renunciationis potiſſimum agit de bonis paternis,& quidem ijs, quæ tempre mortis hujus ſunt, atq; ad hæredes devolvuntur. Addatur *Peregr. Conſ. 92. n. 2. & de Fideicomm. art. 52. n. 24.*

45 Allodialia quod attinet, illa *Baldus* eſſe dicit, *quæ alicui ſic ſunt propria, ut ea à nemine niſi à ſolo DEO recognoſcat.* De his ſanè minus exiſtit dubium, quin in renunciationes cadant, accedentibus reqviſitis, ſine qvibus alias conſiſtere non poſſent; ut quod filia certiorata fuerit, dolus & alia manifeſta iniqvitas abſint, atq; ad incognita
46 hujusmodi remisſiones non trahantur &c. Sed quid ſi pactum inter parentem & filiam de renunciando interceſſerit, & pater, antequam ipſa renunciatio ad effectum ducatur, decedat, an adverſus filiam reliqvi hæredes agere poterunt? Fortaſſe non parum renunciantem juvare, multominus præjudicium creare videtur, qvod legitima renunciatio & cum debitâ ſolennitate non præceſſerit. Contrarium tamen verius eſt, quia omninò ſta-
47 tuendum cenſeo, filiam ex hoc pacto ad actualis renunciationis præſtationem cogi poſſe, cum ex pactis contractui incontinenter adjectis agere permiſſum ſit, *l. 2. Cod. de Pact. int. empt. & vend.* & alias in diſpoſitionibus inter vivos ab initio voluntas interveniat, ex poſtfacto necesſitas ſequatur. *l. 5. Cod. de Oblig. & act.* Ex quibus quamprimum Jus quæritur hæredibus, & actio cum exceptione illis competere incipit: *Actio* quidem ad hoc ut adigatur ad renunciationem, aut intereſſe præſtet. *Exceptio:* ut
48 repellatur ex dolo; niſi in minorenni ætate conſtituta læſam ſe probet. An igitur ſaltem filia id conſeqvetur, quod parens poſt pactum de renunciando, imò etiam poſt ipſam re-

renunciationem in teſtamento eidem reliquit, ita ut ab hæredibus per actionem & exceptionem repelli non poſſit? *Gail. lib. 2. obs. 148. num. 11.* in terminis clariſſimis tenet affirmativam ex ratione: quod renunciatio intelliga- 49
tur de ſucceſſione ab inteſtato & non ex teſtamento, atque pater inſtituendo filiam, renunciationem etiam juratam remiſiſſe cenſeatur, per ea quæ tradit *Bald. in l. fin. num. 15. Cod. de Pact.* Vel maximè ſi parenti Renunciatio facta ſit. *Paris. Cons. 95. num. 17. 28. & 30. vol. 2.* Quam deciſionem *Jaſon. in l. Stipulatio hoc modo. num. 15. ff. de Verb. obligat.* eò extendit, ut dicat qvoqve proce- 50
dere etiamſi filia renunciaſſet hujusmodi ſucceſſioni ex teſtamento; cum ſaltem ita interpretanda ſit ejus mens, quod contra Patris voluntatem nolit ex teſtamento quid capere. Cui è diametro contradicit *Alexander in illa ipſa Lege num. 8.* Verum ita ſimpliciter allatam extenſionem admittere, atque Negativam quoque *Alexandri* am- 51
plecti periculoſum videtur, & hinc conſultius puto inquirere, utrum filia ante renunciationem ſcripta fuerit hæres: Et probarem *Alexandri* doctrinam. *Si poſt eam: Jaſonis* potior erit. Quid ſi autem in favorem fratrum 52
Filia Renunciationem interpoſuerit? Diſtinguitur itidem, an conſentiente patre id fecerit, & valebit inſtitutio patris. *Anton. Fab. de Erroribus. Pragm. Err 10. Decad. 13.* Utrum autem eo diſſentiente & ignorante renunciaverit: hoc caſu ſucceſſionem tàm legitimam quàm teſtamentariam amittit, & eam tantum; non verò quod titulo legati v. g. relictum erit: quia verſamur in ter- 53
minis ſtricti Juris, quod non patitur, ut verba in generali ſignificatione ſumantur, prout fieret, ſi ſub nomine ſucceſſionis, quæ ſaltem in renunciationes cadunt, ea, quæ titulo particulari obveniunt, quemadmodum legata, comprehendere velimus; Cum ſumma intercedat dif-

differentia inter has ſucceſſiones & legata, non obſtante qvod videri poſſet Renunciantem titulum inſtitutionis & legati conjungere voluiſſe, quia veriſimile non eſt.

54 *Secundò* verſatur renunciatio circa bona materna, qvæ vel ſunt Dotalia, vel Antipherna, & â marito loco dotis in matrimonium afferuntur. vel Parapherna, quæ mulieres ultra dotem habent, *Breulæus de Renunciand. Recept. mor. Cauſ. 2. cap. 2. num. 1.* quibus *num. 2.* bona ex

55 teſtamento vel ab inteſtato donationeve ad illas devenientia, item induſtrialia ut *num. 3.* vocat, annumerat, hæc poſtrema tanquam magno cum Subditorum Ruſticellorum ſudore durâqve ſervitute comparata, nec tamen aliundè, quàm ex Feudi reditibus deſumpta *num. 5.* mirum in modum increpans, avaritiamqve mulierum & illegitimum acqvirendi modum cum conjuncto & ſubditorum & domeſticorum damno acerbè *num. 6. & 7.* perſtringens; ac ſi hoc modo undiqve corraſum æs honeſto vocabulo, induſtriale, *ſi Dijs placet*, appellari conveniret. Sit ut ſit, illud ſaltem certum eſt, filiam bonis maternis quibuscunque tàm Dotalibus quàm Paraphernalibus

56 validè & cum effectu renunciare, non qvod doti fortè apud maritum pro oneribus matrimonii ſuſtinendis adhuc exiſtenti, in renunciatione bonorum ſimiliter renunciaſſe cenſeatur; quia pactum hoc tanquam ſtricti Juris ſub ſe minimè includit ea quæ in hæreditatem non veniunt, qualis eſt dos, non obſtante illius non tantum æſtimatæ ſed & inæſtimatæ Dominium apud maritum exiſtere, illud enim parum juvat, & hæredibus emolumento non eſt, ſed potius in perſonâ ejus deficit *tot. tit. ff. & Cod. Solut. matrim.* atqve ad eam integram reddendam cogitur, imò etiam ratione damni leviſſimæ culpæ nomine obſtringitur *l. 17. ff. de Jur. dot.* ut hinc diverſiſſima ſint dominium dotis & res dotalis, hujus uxor, illius maritus Domi-

Dominus cenſetur. Non, inquam, iſthæc Renunciatio ad 57 dotalia apud maritum exiſtentia trahitur, ſed eo demum caſu, qvo paternis & maternis renunciando expreſſa bonorum dotalium mentio fit, aut ad minimum adjectionem mobilium & immobilium continet. *vid. Bart. in l. 3. ff. de Bon. poſſeſſ.*

Dictum quamprimum *in bonis paternis & maternis* 58 *qvibuscunque* recunciationem filiarum valere. Sed exceptionem recipere poteſt ex ijs, qvæ tradit *Gail. 2. obs. 98. num. 10. & ſeqq.* quando nempè poſt interpoſitionem illius parentes ad ſecunda vota tranſierint, & ſe reſervationi bonorum ex diſpoſitione *l. Fœminæ. 3. Cod. de Secund. Nupt.* obnoxios reddiderint: Hiſce namqve circumſtantijs di- 59 cit *Gail. d. l.* renunciationem filiæ etiam juratam juxtà materiam *C. Qvamvis. de Pact. in 6.* non extendi ad lucra, quæ eidem deferuntur in pœnam Parentum tranſeuntium ad ſecundas nuptias, eo qvod talia lucra liberis ex aliâ cauſâ obveniant Renunciationem non concernente: quia Renunciatio ad ſucceſſionem ſpectat, quæ ex voto parentum competit: At lucra illa injuriam liberorum reſpiciunt, quæ ex repetito matrimonio ipſis irrogatur. pulchrè *Gail. d. l. ex Oldrad. Cons. 294. per tot.* Et hinc eſt, quod, quia Legis beneficio hæc bona debentur, etiam eo caſu obtinere dicant hanc noſtram deciſionem, quan- 60 do filia poſt contractas has ſecundas nuptias Renunciationem interpoſuiſſet, quandoquidem ſtricti ſit Juris, adeóque ita interpretanda, ut quam minus fieri poteſt, per eam filia lædatur.

Poſitâ hac renunciatione bonorum paternorum 61 & maternorum à filiâ factâ, quæri poſſet, utrum illa proficiat liberis primi matrimonij tantum, an verò ſecundi, poſtquam defunctâ matre parens ſecundas contraxerit nuptias? Hic loci diſtingvo an fuerit renunciatum matre vivente, an poſt obitum illius. Si *primùm*: Commo-

 dum-

62 dum ſolis maternis hæredibus quibuscunqve tribuendum erit. *Si ſecundum*, ſubdiſtingvitur utrum filiæ certa ſua portio per diviſionem aſſignata fuerit, an verò parens totam maternam ſubſtantiam adhuc indiviſam poſſideat. Priori caſu cenſerem liberis primi & poſterioris matrimonij in portione iſtâ conſeqvendâ æquale Jus eſſe: quia bona illa per diviſionem hæreditaria effecta, non materna amplius, ſed propria filiæ habentur, ut indè parenti tantum hoc pactum prodeſſe, omnesque ejus ſucceſſores ex æqvo concernere videatur. Poſteriori caſu, quando nempè tota materna ſubſtantia indiviſa dicitur, rectius concludendum putarem cum ijs, qui docent, hanc filiæ renunciationem prioris matrimonij liberis prodeſſe, excluſis reliquis omnibus, cum Jus filiæ competens, in parentem minimè translatum cenſeatur, quod tamen expreſſè in eum transferendum fuiſſet, & conſeqventer alijs, quam cohæredibus filiæ favorabile eſſe non poſſit, quibus ſoror diuidendæ ſucceſſionis obligationem remiſit.

63 Prædicta omnia in perſonâ renunciantis filiæ obtinere poſſunt; ſed major oritur difficultas circa nepotes, an illi mortuâ matre, poſt parenti vel fratribus factam renunciationem, ab avi vel avunculi hæreditate excludantur? Affirmativam juvat, quod nepotes ex ſolâ perſonâ matris veniant eamqve repræſentent, & proinde portionem maternam conſequi valeant, *§. Cum filius. Inſt. de Hæred. quæ ab inteſt. defer. l. 2. Cod. de Suis & legit. hæred.* &
64 cum per interpoſitam renunciationem matris Jus exſpiraverit, conſeqventer & liberorum Jus exſpiraſſe dicendum ſit, qui melioris conditionis eſſe non poſſunt quàm mater.
65 *l. 136. §. Non debeo. ff. de R. J.* Contrariam tamen opinionem hoſce nepotes admittentem cum *Anton. Fab. in Cod. lib. 2. tit. 3. Defin. 1. num. 13. & Defin. 14. num. 2. & Hartman. Piſtor. P. 4. Quæſt. 7. num. 7.* veriorem exiſtimo:

Cum

Cum non ex perſonâ matris, ſed proprio Jure veniant, quaſi mater nunquam extitiſſet, eisque obſtitiſſet, quam dici- 66
mus ſucceſſionem per remotionem, non admittentes illam hoc caſu quæ per transmisſionem fit, & ex facto hominis vel Legis provenit. Accedit & hæc ratio: quod in eum caſum, in quem mater pro ſe renunciavit, in illum ipſum & non alium atque ſub eâdem conditione pro liberis renunciaſſe cenſeatur, jam autem deficiente per mortem matris conditione, hæredum quoque obligatio deficiet, & per conſequens ex præcedenti renunciatione vinculum nullum ſupererit, *l. 36. ff. Si cert. petat. l. 8. §. Quod* 67
de Peric. & Comm. rei vend. Niſi Jus nepotum mater expreſſe remiſerit, atque caverit, nihil unquam ſuos liberos in ſuccesſione petituros: tunc enim liberi matris factum præſtare tenentur. *Anton. Fab. d. Defin. 1. num. 14.*

Tertiò, in renunciationem veniunt bona fraterna, 68
quæ vel ſunt Profectitia à Patre filio conceſſa, vel Adventitia aliundè proventa ex hæreditatibus fortè matris, fratris & amici, vel Caſtrenſia per occaſionem militiæ acqui- 69
ſita, vel denique Quaſi Caſtrenſia, quæ ex Officiis publicis aut functione aliquâ operâve propriâ habet, quibus eo magis ex inſtituto majorum noſtrorum filiæ renunciant, ne alterutro fratre ab inteſtato defuncto ſuperſtes frater Jure ſuo gentilitio competenti deſtituatur, & quod virtute heroicâ in bello per prolem maſculinam acquiſitum eſſet, ad deſides ineptas bello perſonas devolvatur, extraq; familiam transferatur. *Breulæus de Renunc. Recept. mor. Cauſ. 2. cap. 3. n. 1.*

Quartò, denique ſunt bona ex teſtamento vel ab in- 70
teſtato ad mulieres devenietia, quibus ſimiliter filiæ validè renunciant, atque ad illa regreſſum nullum habent, niſi in ijs & alijs quibuscunque Bonis talem reſervaverint, in 71

caſum ſcilicet deficientium maſculorum: Ubi tamen probè diſtingvendum inter conditionem huic pacto adjectam, utrum ſcilicet dictum fuerit: *Si fratres ſine liberis maſculis deceſſerint. An verò: Deficientibus qvandocunqve maſculis.*
72 *Si illud:* omninò tenendum reor regreſſum ultra fratrum perſonas in caſu exiſtentium maſculorum non extendi, ſed penitus exſpirare, propter conditionem diſpoſitioni principali ita adhærentem, ut actum efficiat individuum. *Si hoc:* longè pinguius Jus Reſervatio importabit: quia maſculis non in primo tantum & ulteriori gradu, verùm etiam *quandocunque* decedentibus tàm filia ſub conditione renuncians, qvàm ejus hæredes ad ſucceſſionem admittuntur. *l. 50. ff. de Leg. 2. l. 26. Cod. Eod.*
73 *l. 2. Cod. de Donat. qvæ ſub mod.* Secus in caſu ſeqventi, quo filia pluribus exiſtentibus fratribus ita renunciat, ut quandocunqve ſine maſculis deceſſerint in infinitum, regreſſus demum illi pateret. Jam autem cum linea unius defeciſſet relictis ex eâ fœminis, & ex aliâ maſculis, accedente etiam ſorore renunciante vel hæredibus ejus, qvæſtio oritur de ſucceſſione portionis illius ſine maſculis decedentis? Et breviter concludimus, ſororem renunciantem aut ejus hæredes nullam legitimam prætenſionem ad conſequendam hanc deficientem ratam formare poſſe: quia ſub eâ conditione ſibi regreſſum reſervaſſe ſcimus, ſi maſculina linea omninò defecerit, & agnatio finita fuerit; quæ ſervanda eſt. Non etiam & multo minus filiæ ex defuncto fratre exiſtentes quidquam Juris ſibi aſſerere valent, quandoquidem agnatis tantum prodeſſe videamus. Ergo illis tantum deficiens hæc portio ex mente paciſcentis debebitur, quà elicitur, quod filia portionem ſuam tantum cum hoc onere reſti-
74 tuendi fratribus concedere voluerit. Quibus demum deficientibus filia vigore pacti conditionalis ſuccedit, illudqve ad hæredes ſuos rectè transmittit: cum non minus ſibi

quam ſuis proſpexiſſe cenſeatur, præſertim, quod Jus illud non ſit extinctum, ſed interea, dum agnatio durat, in ſu- 75 ſpenſo maneat. Qvid alias in transmisſionibus obtineat *P. 2. cap. 7. ſect. 2.* abundè diximus.

Non ſine ſingulari quoq; obſervatione Juramenti mētio fit in definitione renunciationis ſucceſſionum: Nam de 76 Jure Civili notum eſt, pacta amittendæ ſucceſſionis non valere, *l. fin. ff. de Suis & Legit. hæred. l. 3. Cod. de Collat.* & conſeqventer filiam defuncto patre à ſucceſſione non removeri, niſi Juramentum acceſſerit, *c. Quamvis. de Pact. in 6to.* quod actum hunc à Jure Civili improbatum approbat, ſi nempè absq; vi & dolo intercedat, & proinde non vergat in æternæ ſalutis diſpendium, nec redundet in alterius detrimentum *d. C. Quamvis.* uti hoc noſtro caſu: quia favori ſuo renunciare permiſſum eſt. *Gail. lib. 2. obs. 39. n. 33.* 77 Hanc doctrinam Juri Canonico conformem in terris Electoratus Saxonici admitti tradant *Carpz. Jurisp. Forens. P. 2. Conſt. 35. D. 6. n. 9. Berl. P. 2. Concl. 45. n. 5.*

Nec obſtat pacta ſucceſſionum de notisſimâ Germaniæ conſvetudine absq; Juramento ſubſiſtere: Illa enim 78 conſvetudo procedit in pactis reciprocis inter duos pluresve conceptis, ut bona prioris per mortem intercepti poſteriori ſuperſtiti debeantur. *Salyc. in l. f. Cod. de Pact.* Pactum verò amittendæ ſucces ſionis unicum eſt & ſimplex maximam inæqualitatem ſecum importans, imò etiam uti dictum, de Jure Civili omninò improbatum, ut ad ſui validitatem opus fuerit Juramento de Jure Canonico. *Hartm. Piſt. P. 4. Q. 6.* Quid ſi autem renunciatio filiæ Illuſtris ſub 79 ſplendore Dignitatis bey Fürſtlichen oder Gräfflichen Ehren und Trewen/ facta fuerit, an Juramento æquipolleat? certè *Grave eſt*, ut inquit *Ulpianus in l. 1. ff. de Conſtit. pecun. fidem fallere. Nihilq; tam congruum fidei humanæ* ait ille ipſe *Ulpian. in l. 1. ff. de Pact. quam ea, qvæ inter eos placuerunt, ſervare.* Principe ſanè digniſſimum effectum, at hac tempeſtate quan- 80

 do-

doq; & ita neglectû, ut quod firmiter promiſſum, imò manu & ſigillo Principali confirmatum eſt, contrarium ſæpius operetur, adeoq; præſtaret nunquam ſpem feciſſe quam fa-
81 ctum retrahere. Si itaqve hujusmodi renunciatio ſub fide principali interpoſita dicatur, quin de conſvetudine Germaniæ Juramento æquiparetur, nullum fortè relinquitur dubium ex *Mynſing. cent. 1. obs. 17. pr.* ubi dicit in causâ Curatorum Juniorum Marchionum de Baden contra Dominum Erneſtum de Baden Anno 1543. hanc promiſſionem pro Juramento habitam fuiſſe. Eandem fidei interpoſitionem apud Principes ubiqve frequentiſſimam & loco Juramenti eſſe, tantumq; operari, quantum verum &
82 corporale Juramentum, atq; eosdem producere effectus, tradit *Gail. lib. 2. obſ. 59. n. 2. & 3.* cum pluribus ibidem allegatis. Daraus dann unwiederſprechlich erfolget/ wann ein Fürſt/ Graff/ und von Adel etwas zuſagt oder ſich verſchreibet/ bey ſeinen Fürſtlichen/ Gräfflichen und Adelichen Ehren/ Treuen und guten Glauben/ auch bey dem Wort der Warheit/ alles und iedes/ ſo der Verſchreibung mit einverleibet/ ſteth/ feſt und unverbrüchlich und wol zu halten/ als ob er ſolchs mit einem leiblichen Eydt geſchworen hätte/ bey pœn deß Meinaydts. in *Addit. Mynſing. d. l. inf.* De Jure Saxonico *Carpz. Jurisp. Forens. P. 2. C. 16. D. 5. n. 4.* con-
83 trarium ſtatuit, atq; promisſiones perſonarum Illuſtrium, Generoſarum, ac Nobilium Juramentis non æquivalere, ſed pro ſimplici promisſione reputari tradit, maximè in caſu præſenti, quo Juramentum actum corroborare debet.
84 Et qvando ſolenne Juramentum requiritur non ſufficere promisſionem fidei an Eydtſtatt und beym Wort der Ewigen Warheit. Idem tenet *d. C. 16. D. 6. n. 14. & 15.* Niſi addantur verba: So wahr mir Gott helffe. Cum verum & ſolenne Juramentum importent; *n. 20.* Vid. præjudicia notabilia ibi-
85 dem allegata. Quod nunc ad meam mentem ſuper hac quæſtione attinet, verum fateor Jus hoc Saxonicum Juri Saxonico conforme, plus ponderis apud me habere, quàm

 al-

allegatam illâ notiſſimam conſvetudinem Germaniæ. Nam licet *Gail.* & *Mynſing.* talem apertè profiteantur, nihilo tamen minus eam aliter recipere non poſſum, quàm in ijs, quæ ad ſui validitatem in ſpecie Juramentum non reqvi- 86
runt: quoniam tunc perſonarum dignitas & præſumptio fidei ratione effectus parificantur cum Juramento; Non verò quando Juris diſpoſitio expreſſè & pro formâ actus Juramenti præſtationem repoſcit, præſertim cum firmiter concludendum putem, nullâ conſvetudine introduci poſſe, ut tantum humanæ fidei, quantum religioni erga 87
Deum tribuatur, per ea quæ habentur in *C. Pen.* & *fin. ibiqve Canoniſtæ. X. de Conſvetud.*

Ne tamen hujusmodi filiarum renunciationes irri- 88
tæ fiant, prius certiorari debent quibus rebus renunciandum ſit, idq; propter ſexus fragilitatem & præſumptam ignorantiam. Nam *Filiæ nupturientes*, inquit *Breulæus de Renunciand. Recept mor. Caus. 3. cap. 10. n. 3. plerumq; aliis cogitationibus divexantur, & non facilè de futuris hiſce cogitant.* Et alias præſumitur mulier ignorare Jus ſuum ac beneficium SC. Vellejani. *l. 1. §. ult. ff. de Edend. l. 9. ff. de Jur. & fact. ignorant.* Conſequenter ignoto, quod tam verſatur 89
circa Jus, quàm circa factum, renunciare non poteſt. *arg.* 90
l. 6. §. 8. ff. Quæ in fraud. credit. l. 19. §. Cœterum. ff. de Inoffic. teſtam. Niſi, ut dictum, certioratio præceſſerit, quâ demum confirmatur renunciatio SCti. Vellejani. *Gail. lib. 7. obs. 77. n. 3.* & eâ deficiente ipſo Jure nulla redditur. *Salyc. in l. fin. in f. Cod. ad SCtum Vellej.* Quam deciſionem de Jure Saxonico quoque obtinere dicit *Berlich. P. 2. Concl. 21. n. 20.* & eousq; *d. P. 2. Concl. 19. n. 37. & 40.* extendit, ut 91
non tantum in renunciatione Judiciali, verum etiam juratâ ad validitatem actus requiratur certioratio. Cui conſentit *Anton. Teſſaur. Deciſ. 222. n. 6. 11. & 12.* Eo quod generaliter Juramentum pactis de Jure prohibitis adjectum robur nullum afferat. *l. Jurisgentium. 7. §. E generaliter. 16. ff. de*

ff. de Pact. Contrarium tenet *Gail. d. obs. 77. n. 10.* ex ratione: quod Juramentum loco certiorationis ſit, & mulier cenſeatur virtute Juramenti omni Legum ac Juris auxilio renunciaſſe; quod omninò falſum eſt. *Teſſaur. d. l.* Quia
92 quando Juramentum accedit ad contractum ipſo Jure nullum dicitur non habere Comites neceſſarios *Veritatem, Juſtitiam & Judicium. C. Animadvertendum. 22. Q. 2. & C. Chriſtus. de Jure Jur.* & conſequenter fruſtraneum producit ef-
93 fectum. Idem dic de renunciatione facti in quantitate conſiſtentis: quia de illâ probè inſtrui debet, quanquam fortè non malè quis diſtinctionem *Barthol. Kellenbentz de*
94 *Renunciat. Succeſſ. Q. 4. n. 12.* admitteret. Ubi diſtinguit inter renunciationem filiæ ſuper futurâ ſucceſſione, & ſuper ſucceſſione ſibi delata. In priori ad ſubſtantiam certiorationem non requirit; in poſteriori nullitatem absq; illa admittit, multoq; magis cum in renũciatione tàm Juris qvàm
95 facti juratâ enormisſima læſio arbitrio Judicis determinanda *Soc. Jun. Cons. 48. n. 22. lib. 1.* interceſſerit. *Gail. d. obs. 77. n. 12.* Ita Dominos Camerales in cauſâ Schenckin contra Schencken judicaſſe tradit *Mynſing. Cent. 5. obs. 59. n. 3.* quia enormiſſima læſio à Juramento & renunciationibus excepta videtur.

Reperiuntur deniq; in definitione verba: *in favorem & conſervationem Familiarum facta,* Dem Adelichen Mann-
96 ſtammen zum beſten / zu erhaltung deß Adelichen Stammen und Nahmen. Et ad denotandam cauſam finalem renunciationum, ut ſcilicet bona in Agnatione conſerventur, Familiarum decus promoveatur, & demum in ſeras poſteritates transferantur, *Muſcul. de Succeſſ. Convent. n. 116. Gylm. Symphor.*
97 *tom. 4. P. 1. vot. 7. n. 48. fol. 42.* quæ ſanè per filiarum interventum fieri minimè poſſunt; *quemadmodum enim ager,* inquit *Breulæus de Renunciand. Recept. mor. Caus. 1. cap. 2. n. 6. principalis conſervatio ſeminis, qvod in eo ſeritur, non eſt; Ita qvoq; fœminæ principaliter ſtemmata non conſervant, ſed*

ſed adminiculi loco ad eam rem adhibentur. Quæ ſi ad plenariã 98
ſucceſſionem admitterentur, quis non diceret Familias etiam Illuſtriſſimas & Ditiſſimas depauperandas, & è ſublimi faſtigio in imum præcipitandas? Quis non deprehenderet abſurdiſſimam ex nimiâ hac conceſſione ſeqvelam in ſupremam antiqviſſimarum familiarum læſionem tendentem? Abſit abſit immatura & inconſiderata hæc erga 99
mulieres propenſio, cui tantum tribui non debet, ut bono publico apertiſſimè inferatur, cum Reipubl. interſit pluribus ornari ſplendidis familiis, atq; Vaſallos maſculos ad nutum habere locupletes: Bonum enim publicum pri- 100
vato ubiqve præferendum, ne in crimen avaritiæ incurramus, & admittendo fœminas exitium maſculorum ſtudio promovere atq; ſplendorem avitum obſcurare, favorem- 101
que pro ſe inventum in odium eorum contra Regulam Juris retorqvere contingeret: *qvod ob gratiam alicujus conceditur non eſt in ejus diſpendium retorqvendum. c. Qvod ob gratiam. de Reg. Jur. in 6to.* Id ipſum Auguſtiſſimi Imperatores *Theodoſius & Valentinianus* advertentes ſaluberrimè re- 101
ſcripſerunt: *Qvod favore qvorundam conſtitutum eſt, qvibusdam caſibus ad læſionem eorum nolumus inventum videri. l. Quod favore. 6. Cod. de Legib.* Cum itaq; hæ renunciationes ad conſervationem Familiarum tendentes bono publico faveant, ideo merito admittuntur, atque à Principibus, Comitibus, Baronibus & Nobilibus, tanquam medium, Patri- 102
monium integrum inviolatumq; conſervandi, juſtiſſimâ ratione inducuntur. Nec eſt qvod mulierculæ qverulentur, quæ, cum congrua dos ipſis obveniat, illâ contentæ eſſe debent, aut, ſi modica ſaltem conſtitui poſſit, virtutibus 103
eandem ſuppleant, ſecundum *Plaut. in Aulular. dummodo morata rectè veniat dotata ſatis eſt. & Auſonium.*

Quæ dos matronis pulcherrima? vita pudica.

Finis alter renunciationum eſt mors, mors inqvam 104
& extinctio lineæ maſculinæ, quâ amplius non exiſtente,

filiæ ratione naturali & legali ad ſucceſsionem bonorum renunciatorum vocantur; intelligimus bona, qvæ rectè poſsidere poſſunt, & nullâ Lege prohibentur, admittentes hic deciſionem affirmativam ſupra *P. 5. cap. 3. ſect. 9.* allatam, qvod ſcilicet fœmina ſemel per exiſtentiam maſculi excluſa, non perpetuò maneat excluſa. Quæ enim invidia eſt, ut illa, quibus in favorem Familiæ contra ordinarium Juris præſcriptum filia renunciare debuit, cauſâ finali ceſſante ad eam revertantur? De hiſce renunciationibus duo præclara conſilia Clariſsimorum Juriſconſultorum depromit *Breulæus de Renunc. mor. Recept.* in fine opuſculi. Ubi plurima attendere licet, quæ fortè à nobis prætermiſſa ſunt.

De Cœtero, qui materiam Renunciationum copioſiſſime tractatam ambire vellet, habebit virum Doctiſſimum Galleratum de Renunciationibus in fol. qui egregiam in ijs evolvendis operam in favorem rei literariæ navavit.

105 *HÆc ſunt Benevole Lector, qvæ Auſpciis Divinis tibi proponere & volui & debui. Hoc, Superioris authoritate compulſus. Illud; ne in debitum ex promiſſo caderem, & ex contractu quaſi tibi tenerer, qvi abinitio ſunt voluntatis, ex poſtfacto neceſſitatis. Accipe itaqve benignâ manu hocce ſpeculum ſucceſſionis, ſerenoq; vultu contemplare, & ſerenam reddet figuram, contentam gratioſis oculis obſerva formam, & gratam repræſentabit memoremqve mentem. Non ignoro qvidem grave qvid & admodum ſublime me cœpiſſe; Aſt fortè pro exſpectatione tuâ minimè perfeciſſe, qvo majus tamen & ſublimius eſt materiæ argumentum, atqve difficilior apparet enodatio: Eo faciliorem exſpectare potero veniam. Qvantum ætas permittere viſa eſt, & rerum experientia ſuggerere, id calamus recepit; Et im ſpeculo ſaltem proponere voluit, Qvod infiniti caſus & modi ſucceſſionum innumeri alias reſpuiſſent. Fateor univerſam ſucceſſionem præ ſe ferre frontē bujus operis noſtri, non ut univerſos*

bos

hos caſus & modos inexhauſtos omnes me tradidiſſe cuiqvam perſvadere velim: Nam immenſi hoc eſſet laboris, imò fermè impoſſibile; verum ut Generales, & ſub his latentes modos, quampluresqve ſpeciales reſolutionum vias, & ſic implicitè univerſa ſucceſſionum dubia ex utroqve Jure proponerem, in qvibus ſi fortaſſe aliquando hæſitaſſe contigerit, qvæſtionum difficultas excuſabit, & mira variantium Authorum diſcordia; ſicubi erraſſe: humanum judicari debet, & ab homine minimè alienum, proindè pro humanitate corigendum. In ſummo ſaltem labore & ſudore meo perpendendo fortè veniam omnium merebor, nec non erratorum, qvæ me abſente & invito hinc inde irrepſerunt, Benevolo Lectori tamen pro eruditione ſuâ emandanda relinqvuntur.

Proteſtor inſuper me nihil contra qvemqvam, cujuscunque conditionis, aut contra Jura illius hoc tractatu dictum velle, aut ſi qvid forſan (abſit animus) deprehendatur, id ex propoſito lædendi, aut Juribus derogandi factum non eſſe apertè profiteor, imò deletum & non dictum omninò volo.

Summo Deo Honor & Gloria
Ex primo hoc labore confecto,

FINIS.

Errata hinc indè inventa.

Pag. 21. num. 4. ſaltem ponatur pro ſaltim. & ibid. trahantur pro trahatur. p. 26 n. 27. poſt verbum confirmationem addantur: conducit ſententia. p. 37. n. 20. reſpondebunt pro reſpondebant. p. 81. n. 37. inventa absq; accentu. p. 98. n. 4. poſt Vocab. locus ponatur conſideratur. p. 99. n. 10. dicuntur pro dicantur. p. 127. n. 12, ineſtimo pro eſtimio. p. 159. n. 8. inſinuari pro inſinnati. p. 165. n. 11. laxatum pro saxatum. p. 168. n. 24. ac natura pro à naturâ. p: 176. n. 13. circ. fin. privativam pro privatam. p. 179. n. 23. poſſit pro poſcit. p. 184. n. 43. Liberis pro parentibus. p. 186. n. 1. inſiſtere pro aſſiſtere. p. 187. n. 4. votum pro notam. p. 188. n. 6. in f. omnes pro omes. eâd. pag. n. 8. appoſitum pro oppoſitum. p. 189. n. 9. in med. attexi pro atteri. pag. 193. n. 17. pr. ſcripta pro ſcirpta. p. 194. n. 19. in med. materiam pro materia. p. 196. n. 21. in med. ſpondes pro ſpondens. p. 197. n. 27. nudi pro nati. p. 200. n. 9. agitur pro agitus, p. 201. n. 14. parentum pro parentem. p. 209. n. 7. cir. fin. domui pro domi. p. 211. n. 17. in f. pro propriè deleatur pro. pag. 215. n. 31. primogenium pro primogenitum. p. 219. n. 49. in f. ſucceſſorii pro ſucceſſoris. p. 227. n. 14. in med. receptacula pro receptaculo. p. 236. n. 21. ſimpliciter pro ſimplibiter. p. 250. n. 52. primogeniti pro primogeniti. p. 255. n. 71. iſto pro iſta. p. 273. n. 24. deducto pro deductu. eâd. negotio pro negatio. p. 275. n. 33. hincq; pro hinq;. p. 278. n. 4. negotiatione pro negatione. p. 282. n. 23. Capellaniæ pro Capellariæ. p. 285. n. 43. debet pro decet. p. 288. n. 56. meum pro merum. pag. 293 n. 72. Imperiali pro Imperialiali. p. 298. n. 8. in med. querelam pro qverelam. p. 299. n. 14. ſiteſtatus pro ſi inteſtatus. p. 329. n. 10. pr. ut parcatur pro vel parcatur. p. 335. n. 4. legitimati pro legitimi. p. 336. n. 6. tempore pro tempora. p. 347. n. 37. ſcientiâ pro ſcienti. p. 348. n. 39. inadvertenter pro inadvertentes. p. 356. n. 11. rlatione pro regulatione. pag. 360. n. 10. vindicaverint pro indicaverint. p. 264. n. 23. eandem pro eundem. eâd. n. 14. erat pro era. p. 368. n. 4. monſtra pro monſtre. p. 370. n. 18. vox humana pro non humana. p. 376. n. 21. poſtpoſitâ pro propoſita. p. 382. n. 11. quænam pro quæ jam. p. 386. n. 16. receptam pro receptum. eâd. n. 20. audiamus pro adiamus. p. 394. n. 3. lin. 4. deleatur in. p. 395. n. 10. quemſi pro qvamſi. & ibidem injuria defuncto pro defuncti. p. 402. n. 1. ab eodem pro ab eâdem. p. 412. n. 12. in f. mordacitus pro mordicitus p. 421. n. 13 ex eodem pro ex eâdem. p. 433. n. 12. in f. deleatur à lineâ. p. 457. n. 17. videbamus pro videbimus. p. 742. in rub. ſect. 2. Indigenorum pro Indigenorum. p. 456. n. 62. in f. corrumpunt pro corrumpant. p. 499. n. 79. Princeps pro Principes. p. 504. n. 108. circ. f. novum opus. p. 506. n. 113. in f. nullas pro nullus. p. 509. n. 132. in f. deleatur non. p. 514. n. 13. ſi cui pro ſiqui. p. 521. in lin. 1. confiſcata pro fiſcata. p. 541. n. 32. proveniunt pro proveniant. p. 559. n. 8. In Judiciis pro in Judicis. p. 568. n. 6. in f. ſed iidem pro ſed idem. p. 581. n. 84. conventionibus pro convenientibus. p. 582. n. 90. valet. pro valet. p. 594. n. 10. in rebus immobilibus pro immobilibus in rebus. p. 614. n. 1. ſequens tractatio pro ſequeſtratio. eâd. n. 6. in f. hereditario pro hereditatrio. p. 615. n. 9. nullum Jus pro nullam Jus. p. 619. n. 39. Et hinc pro & hi. p. 620. n. 44. adeptari pro adoptari. p. 623. n. 63. pr. poſt ſuperſtites ponatur ſint. p. 624. n. 68. pr. ſuperſtites pro ſuperſtitis. p. 635. n. 18. uti eſt, pro ubi eſt. p. 654. n. 29. Galeotto pro Coleotto. p. 661. n. 16. tractum pro tractatum. p. 685. n. 58. qui etſi pro qvid etſi. p. 697. n. 1. Connexionem pro annexionem p. 716. n. 17. in f. Majeſtati pro Majeſtatu. p. 718. n. 28. in f. latis pro lata p. 738. n. 36. in f. ſupremati pro ſuppremati. p. 754. n. 32. CoElectorem pro CoElectoralem. p. eâd n. 33. ex pro ea. p. 764. n. 87. Principes pro Principes. p. 781. n. 40. inepta pro incepta. p. 789. lin. prim. Idque pro Inque. p. 800. n. 12. recta pro recto. p. 811. in f. P.P.E.E. pro P.P.L.L. p. 816. n. 34. votis non expediri. pro notis expediri. p. 821. n. 56. Civitates Egra & Joachimi Valles pro erga Joachimi Valles. p. 822. n. Vocabulum pro Vocabum. p. 854. n. 19. ut mulcta pro ut multa. p. 862. n. 50. Contradicente Arniſæo pro contradicente Arniſæus. p. 864. n. 55. nec fando pro nec fundo. p. 865. n. 60. Angariarum & Parangariarum pro Angarium & Prangarium.

Österreichische Nationalbibliothek
+Z160938607

Fr. Hollnsteiner
k. k.
Buchbinder
im rothen Haus
IN WIEN.

Digitized by Google

Fr. Hollstein

Digitized by Google